DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. XI.

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXX.

INDEX DISSERTATIONUM.

AUG. HILDEBRAND:

DE VERBIS ET INTRANSITIVE ET CAUSATIVE APUD HOMERUM USURPATIS.

Inter verba Homerica et intransitive et transitive usurpata maxime ea verba, quae significatione et intransitiva et causativa utuntur, cum ob copiam apud Homerum obviam tum ob difficultates in explicandis eorum duplicis usus causis positas digna sunt, quae accuratius perscrutemur. Quorum ex tractatione haud scio an etiam ad illustrandam quaestionem Homericam quam vocant, si non multum, at certe aliquantulum conferatur. Etsi enim quaestio Homerica adhuc nondum est persoluta neque umquam fortasse ita finietur, ut omnium dubitationes removeantur, tamen id, opinor, inter plerosque virorum doctorum convenit carmina Homerica cum multis aliis ex causis, tum ex causis in loquendi consuetudine positis, attribuenda esse compluribus, non uni Homero. Ut Friedlaenderus[1]) vocabulorum Homericorum supellectilem in utroque poëmate disparem esse docuit, ita modo in Iliade tantum, modo in Odyssea, quin etiam in carminibus singulis, quae ex criticorum suspicione serioris sunt aetatis, nonnullorum verborum unam alteramve notionem reperiri ex disputatione nostra patebit.

Verba notione et intransitiva et causativa praedita nominamus omnia ea, quorum actio nonnunquam ad ipsam agentem personam reflectitur, sive, ut aliter rem describam, quorum obiectum cum obiecto actionis verbalis congruit. Itaque fit, ut intransitiva vis videatur ex causativa esse eo exorta, quod pronomen reflexivum obiecti loco ad verbum causativum accedens est omissum. Ac profecto multi grammatici intransitivam illiusmodi verborum

[1]) Zwei homer. Wörterverzeichnisse, Supplementbd. III, Jahrb. f. Phil. 1861 p. 805.

notionem ex pronominis reflexivi ellipsi natam esse existimarunt. Verumtamen hanc grammaticorum opinionem prorsus esse spernendam infra in capite II ostendetur.

Quamquam intransitivam complurium verborum significationem ex ellipsi quadam non pronominis reflexivi, sed substantivi maxime ad verbum adiecti profectam esse constat. De his verbis, quoniam intransitivae notionis origo facillime atque clarissime potest evolvi, primo capite agemus.

Caput I.

De iis verbis, quae per ellipsin obiectorum intransitiva sunt facta.

In carminibus Homericis exstant, quantum video, sex simplicia verba, ad quae *διατρίβω* accedit, nonnullaque eorum composita, in summa duodeviginti verba, quorum intransitivus usus obiectis omissis paulatim natus est. Talium omissorum obiectorum exempla sunt quattuor: *ἵππους* sive *ἅρμα* sive *δίφρον*, *νῆα*, *ὕδωρ*, *χρόνον*. Apud Homerum ipsum quomodo transitiva notio in intransitivam immutetur, nobis etiam licet spectare; quin etiam locos reperimus, e quibus, quemadmodum verbum transitivum minutatim sive, ut ita dicam, quos per gradus penetrarit in intransitivam usque designationem, possumus discere.

Illa quattuor obiecta, quae supra nominavi, ad duodeviginti verba frequentissime adiunguntur. Sed id quoque evenire potest, ut non solum unum de illis obiectis, sed etiam duo obiecta ad idem verbum possint accedere ita, ut intransitiva notio postea exorta in duas disgrediatur significationes. Hoc fit e. c. in verbo *ἐλαύνω*, in quo obiecti munere accusativi et *ἵππους* vel *ἅρμα* vel *δίφρον* et *νῆα* saepissime funguntur.

Ut in singulis verbis explicandis accuratius demonstrabitur, obiectum, si e sermonis contextu subaudiri potest, deesse debet. Quae ratio omittendi est brachylogia. Sin autem obiectum neutiquam potest e sermonis contextu elucere, ellipsis statuenda est. Atque eam ellipsin e Geistii [1]) divisione, qui ipse tres ellipseos species distinguit, grammaticam haberi oportet; nam in gramma-

---

[1]) A. H. F. Geist, Die Ellipse in besonderer Beziehung auf ihren Gebrauch bei griech. Schriftstellern, Progr. Krotoschin 1858, p. 14.

tica ellipsi ex manco enuntiationis membro, ut hoc ipsum sit perfectum, cognoscendum est, quae notio desit.

Ista verba atque ista obiecta ad verba creberrime posita tam spisse tamquam adstringebantur, ut utrumque ad novam notionem verbalem coalesceret. Veluti ἵππους vel ἅρμα ἐλαύνω proprie sonuit „agito equos, moveo currum"; deinceps cum haec cogitatio in se ipsa contineat illam cogitationem, ex qua quis curru vehitur, vel rectius tantumdem valeat, quantum notio curru vehendi, coniunctio utriusque vocis in unam verbalem notionem confluxit. Substantivum primum per brachylogiam, ut iam vidimus, praetermitti poterat; brachylogia autem, ut ita dicam, medium inter transitivam et intransitivam vim tenet et ellipsi viam quasi praemunit. Ellipsis ipsa erit deducenda ex neglegentia quadam loquendi, qua lingua Graeca brevitatis dicendi causa utitur. Aperte homines Graeci substantivo ut minus gravi locutionis membro, quia verbum totam fere eius vim in se recepisse videbatur, sine magna difficultate carere poterant. Nec minus illa ellipseos species in aliis linguis viget. Satis habeas me unum exemplum idque e nostra lingua afferre: notio intransitiva in verbis „der Reiter hält" manifesto ex ellipsi obiecti „das Ross" emanavit.

Substantivo aliquando omisso memoria originis intransitivae notionis perbrevi tantopere obscurata est, ut idem substantivum, quo omisso verbum abierat in vim intransitivam, denuo non modo in dativo (instrumentali) posset adici, verum etiam verbi subiectum fieri. Quarum coniunctionum singula adsunt apud Homerum exempla: παρελαύνω ἵπποισιν Ψ 638 et νηῦς ἐπικέλλει ν 114 (cf. nostram dictionem „der Reiter hält mit seinem Rosse"). Quin etiam aetate posthomerica, imprimis in soluta oratione, usque ad tantam usus libertatem lingua Graeca est progressa, ut verba intransitiva, quae, si originem eorum respicis, in certa usus regione versari debebant, ad alias transferrentur regiones. Ita intransitivum αἴρειν (proficisci) ex ellipsi accusativi ἄγκυραν exortum est; hoc autem in prosa oratione non solum de profectione maritima, sed etiam de profectione terrestri dicitur. Singularis verbi notio, ut paucis comprehendam, in magis universam se convertit. Ceterum aetate posthomerica illa notionis fluctuatio per ellipsin obiecti excitata ad maiorem verborum numerum extensa est.

Iam vero ellipsin eamque quae ex ea orta est intransitivam verborum notionem plerumque in Odyssea regnare commemoratione dignum esse videtur. Sic occurrit in verbo ἵημι ellipsis obiecti ὕδωρ tantum in Odyssea, itidem ellipsis obiecti νῆα in his verbis: ἐλαύνω, παρελαύνω, παρεξελαύνω, ἐνίημι, ἐπιπροΐημι, κέλλω, ἐπικέλλω (duo proxima verba omnino exemplis solis Odysseae sunt comprobata). Si quaeras, cur ellipsis ut obiecti νῆα non in utroque poëmate, sed tantum in Odyssea inveniatur, respondeat quispiam hoc ex eo effici, quod Odyssea ipsa per se propter argumentum plures occasiones huius ellipseos usurpandae dederit; ex eadem causa in Odyssea sola nonnulla vocabula ad navigationem spectantia obvenire consentaneum esse. Verumtamen ex meo quidem iudicio illiusmodi locutiones in Iliade si non persaepe, at certe aliquoties adhiberi poterant, velut in *A* 430—439, quibus in versibus copiose appulsus litoris enarratur, et in *A* 477—487, quibus versibus poëta persequitur, quomodo Ulixes mari ad Achaeos redierit, et in *O* 624—628 in parabole. At concedendum est fortasse illas locutiones in Odyssea obvias Iliadis locis fortuito non esse usurpatas.

Ellipsis porro obiecti ἵππους vel ἅρμα vel δίφρον et in Odyssea et in Iliadis libro *Ψ* a criticis in recentioribus carminibus numerato scripta legitur. Mirum est, quod haec ellipsis, quandoquidem sescenties locis Iliadis de curru vehendo sermo est, in aliis libris non conspicitur. Conspiciuntur autem in aliis Iliadis libris loci, quibus, etsi ellipsis illa nondum est agnoscenda, tamen verba proxime ad intransitivam notionem accesserunt atque in eam quasi transitura sunt.

§ 1.

De verbis, quae per ellipsin obiectorum ἵππους et νῆα vel νῆας intransitiva fiunt.

A. De verbo ἐλαύνω eiusque compositis.

1. ἐλάω, ἐλαύνω

(hoc ex ἐλα-νυ-ω evasisse dicitur). De principali significatu agitandi cf. Curt. Et.[5] 551; Vaniček. I, 42; Fick.[3] II, 26; L. Meyer., Vgl. Gramm.[2] I, 703. Ebelius, K. Z. IV, 162, ἐλάω cum εἴλω

„urgere“ confert, in quo antea iam Buttmannus, Lexil. II, 147, praeiverat. Ceterum Buttmannus aliique illud verbum revocant ad significationem „schlagen“.

Apud Homerum significatus magis universus agitandi invenitur; sed multis locis cogitationum diversarum ope tam varie videtur immutatus, ut primaria potestas paene exstincta sit et quasi novae notiones in eius vicem successerint. At hoc non dico, illas varias verbi notiones, quas exhibent carmina Homerica, vetustissimum illud Graeci sermonis monumentum, in Graeca demum lingua esse informatas. Sed varii modi, quibus verbum cum variis obiectis coniungi solebat simulque hac ratione variam consequi significationem, ex lingua Indogermanica in Graecam linguam sunt transmissi. Exinde rationes huius verbi usurpandi in lingua Graeca amplificari potuisse per se ipsum manifestum est. Illud enim Delbrueckii[1]) etiam hic valet: „Augenscheinlich existiert im Sprachbewusstsein nichts anderes als Anwendungstypen (Typen, deren Vorhandensein dadurch bewiesen wird, dass gegen den Versuch einer stark abweichenden Anwendung das Sprachbewusstsein rebelliert), aber keine Zusammenfassung dieser Typen zu einer Allgemeinvorstellung.“

Verbi *ἐλαύνω* illae multae variaeque apud Homerum notiones a prima notione distant tam longe, ut nimis audax sit in implexas huius verbi notiones diligentius inquirere. Certe nos omnes sentimus singulas significationes inter se utcumque cohaerere; haud vero sine magna licentia fiet, ut eas dilucide derivemus. Huc accedit, quod loquendi consuetudo unius Graeci sermonis monumentorum generis satis magnam materiam nobis non praebet, ut edoceat nos de viis, quibus alia ad aliam significatio transierit. Itaque Doederleinio in gloss. Hom. nr. 494 non contigit, ut omnes varias notiones sub una collocaret, sed tres statuendas esse notiones sibi visus est et, ut equidem reor, iusto iure.

Quod igitur ad singulas notiones, ad ordinem earum testimoniaque attinet, ad planam distinctamque huius verbi in lexico Homerico Ebelingii tractationem relego. Mihi quidem nihil aliud relinquetur, nisi ut explorem, quatenus verbum ad intransitivam

---

[1]) Syntaktische Forschungen IV, 2.

vim sit progressum. Quod quo facilius intellegi possit, partes singulas facere, ut oculis persequamur, qua via per omissionem substantivi verbum paulatim ad intransitivam accedat notionem, iuvabit magnasque afferet utilitates.

I. De omisso obiecto ἵππους[1]).

Etiam ἅρματα et δίφρον omissa videntur. Insuper obiecta ἅρμα, ἅρμα καὶ ἵππους, ἅρματα καὶ ἵππω leguntur.

Saepissime invenitur apud Homerum structura ἐλαύνειν ἵππους, ut nobis non sit mirandum, quod hoc usitatissimum obiectum postea ut supervacaneum omitti poterat.

a. Obiectum est cum adiectivis coniunctum. Maximam in partem apposita sunt accusativo ἵππους epitheta ornantia, ut μώνυχας, ὠκέας, ποδώκεας, ἐύτριχας, καλλίτριχας, ἐριαύχενας.

α. cum epithetis ornantibus: *B* 764; *E* 236. 275; *K* 537 (medium hic obvium haud multum ab activo distat); *Λ* 289; *M* 62; *O* 259; *P* 496. 614; *Ψ* 13. 346/47 (de certo quodam equo). 536; *o* 215.

β. cum adiectivo alius generis *Ψ* 322.

b. Obiectum est sine adiectivis: *Λ* 488; *Ψ* 357. 514; *Ω* 696[2]); ε 371 (κέληθ' ὡς ἵππον ἐλαύνων i. e. equitans). Homerus artem equitandi non commemorat nisi in imaginibus. Obiecta sunt non equi, sed muli *Ω* 325. Obiectum est ἅρμα *Ψ* 531, ἅρματα καὶ ἵππω *E* 237; ἅρμα καὶ ἵππους *Ψ* 334 (τῷ σὺ μάλ' ἐγχρίμψας ἐλάαν σχεδὸν ἅρμα καὶ ἵππους). Hos accusativos Doederleinius[3]) a participio ἐγχρίμψας pendere verbumque ἐλάαν intransitive esse positum opinatur; mea autem sententia accusativi et ad participium et ad ἐλάαν pertinent.

c. Obiectum verbi deest, facile vero e superioribus,

---

[1]) ἵππους primo „equos, equos iugales" significat, sed iam apud Homerum in notionem „currum" abscessit; cf. *Γ* 265, *E* 13, quibus locis sola translatio „currus" convenit. Sic multo facilius illas dictiones ἐλαύνειν ἵππους et (ἵππους per ellipsin abiecto) ἐλαύνειν sibi induisse notionem „vehi" potest intellegi.

[2]) Seilerus in lex. Hom. h. l. sub intransitiva notione iniuria enumerat; obiectum initio sequentis versus diserte nominatum est.

3) Gloss. Hom. nr. 493.

ubi iam commemoratum est, suppleri potest. Obiectum est e superioribus retrahendum:

α. ἵππους *E* 327; *Π* 713; *Ψ* 429. 434; *Ω* 691.

β. δίφρον *Λ* 273—274 = *Λ* 399—400; *Ω* 322/23[1]) (σπερχόμενος δ' ὁ γεραιὸς ἑοῦ ἐπεβήσετο δίφρου, ἐκ δ' ἔλασε προθύροιο καὶ αἰθούσης ἐριδούπου). δίφρον cum Faesio[2]) totum currum, non sellam vel capsum intellego.

His locis ἐλαύνειν iam simpliciter Latine verbo „vehi" reddi potest. Commemoratione dignum est *Ω* 323, versum recentissimi Iliadis carminis, ter in Odyssea iteratum esse: γ 493[3]); ο 146. 191. Quibus tribus locis e superioribus ἵππους (vel ἅρματα) subaudiendum est. In *N* 27 porro: ἑοῦ δ' ἐπεβήσετο δίφρου· βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματ'· antecedit δίφρον. At vix crediderim hoc vocabulum subaudiendum esse; locutio potius βῆ δ' ἐλάαν ἐπὶ κύματ' ex analogia locutionis βῆ δ' ἰέναι adhibita esse videtur et intransitive significat „vehi".

d. Obiectum ex cohaerentia rerum descriptarum colligi potest; substantivum, quo obiectum adumbratur, saepius sequitur, imprimis in forma pronominis

---

[1]) Hoc loco adverbium ἐκ additum est.

[2]) Cf. adnott. ad *Ω* 322. 326.

[3]) γ 493 ex optimorum codicum (cf. Gotschlich, J. f. Ph. 1876 p. 23) auctoritate ab Ameisio et La Rochio in ed. crit. deletur. Bekkerus contra hoc versu servato v. 494 perinde ac v. ο 192 suppositicium esse censuit, fortasse quia in hoc contextu in singulari numero μάστιξεν offendit. At ut auctoritatem codicum, qui omnes γ 494 et ο 192 tuentur, praetereamus, ex ipsis causis, quae ad continuationem seriemque rerum pertinent, Bekkeri sententia mihi displicet. Etenim γ 494 et ο 192 omissis graviorem descriptionis partem aperte tollimus. Dein mutatio pluralis et singularis in enuntiatis continuis non est apud Homerum inaudita; postremo emendatione μάστιξαν pro μάστιξεν, quam exhibent nonnulli codices, neutiquam opus est, quoniam unus equos regens instigansve est cogitandus. Quamquam, ut ad γ 493 redeam, hunc versum, qui in hoc contextu nullam prorsus habet molestiam, neglegentia librariorum in praestantioribus libris excidisse putari potest. Versus γ 486—494 respondent versibus ο 184—192. Atque cum versum ο 191 omnes defendant codices, cur non γ 493 repetitus sit? Haesito igitur, an melioribus libris improbantibus tamen hic versus iure suum teneat locum.

demonstrativi. Versus iteratus est: *μάστιξεν δ'*[1]) *ἐλάαν, τὼ δ' οὐκ ἀέκοντε πετέσθην* E 366; Θ 45; X 400; γ 484. 494; ο 192; (primum hemistichion repetitum est ζ 82, quo in versu *ἡμιόνοιιν* subsequitur). Neque Doederleinius nr. 493 *ἐλάαν* his locis intransitivum satis bene explicat „vorwärts laufen" transferens. Immo versus significat „verberavit, ut equos agitaret" obiecto e subsequente *τώ* subaudito. Sic etiam recte Seilerus. De Ω 349 cf. quae sub *παρεξελαύνω* exposui.

e. Obiectum neque ex antecedente neque ex sequente sermone potest suppleri. Atqui fortasse quispiam ambigat, utrum omissi substantivi Graeci memores fuerint necne. Neque enim certa nota, velut illo novo dativo sive instrumentali addito, verbum prorsus esse accipiendum pro intransitivo potest demonstrari. Verumtamen verbum plane in intransitivam significationem transgressum esse mihi quidem verisimillimum est et paene constat. Ψ 356: *τῷ δ' ἐπὶ Μηριόνης λάχ' ἐλαυνέμεν.* Hic cum sequente versu: *Τυδεΐδης, ὄχ' ἄριστος ἐών, λάχ' ἐλαυνέμεν ἵππους* comparatus insignis est. Etenim uno tenore, ut ita dicam, poëta *ἐλαύνω* sine obiecto atque cum obiecto usurpat, sicuti unum alterumve versus ei videbatur exigere. Ψ 615: *Μηριόνης δ' ἀνάειρε δύω χρυσοῖο τάλαντα* | *τέτρατος, ὡς ἔλασεν*; δ 2: *πρὸς δ' ἄρα δώματ' ἔλων Μενελάου κυδαλίμοιο*; ο 50: *Τηλέμαχ', οὔ πως ἔστιν ἐπειγομένους περ ὁδοῖο* | *νύκτα διὰ δνοφερὴν ἐλάαν.*

Omnes coniunctiones, quas modo dixi, latius per Iliadem sparsas esse quam per Odysseam ob diversitatem duorum argumentorum consentaneum est.

II. De omisso obiecto *νῆα* vel *νῆας*.

Illa dictio *ἐλαύνειν νῆα* (vel *νῆας*) paulo rarius in Homero quam *ἐλαύνειν ἵππους* conspicitur, atque tantummodo in Odyssea. Eandem dispositionem quam sub I sequor.

a. Obiectum cum adiectivis coniunctum, praecipue cum epithetis ornantibus, velut *μέλαιναν, θοήν*: η 109; μ 276; ο 503 (secundum hemistichion idem est quod μ 276).

b. sine adiectivis *ἐλαυνομένην* (scil. *νῆα*): ν 155. 169.

[1]) X 400 *ῥ'* pro *δ'* legitur. Cf. Hiller., Herm. XXI p. 564.

c. Obiectum e superioribus suppletur *ν* 22.

d. Obiectum indicatur subsequente pronomine demonstrativo *γ* 157.

e. Obiectum nusquam est indicatum; ellipsis eius, ut opinor, non animadversa, verbum ad significationem intransitivam inclinatum est *μ* 124: *ἀλλὰ μάλα σφοδρῶς ἐλάαν* et, si Seileri vera est opinio, *η* 319: *οἱ δ' ἐλόωσι γαλήνην*. Ex Seileri sententia verbum altero loco postquam intransitivum plane factum est, novum accusativum spatii, quod quis permetitur, pariter atque intransitivum *πλεῖν* sibi adiunxit. Ebelingius autem verbum *η* 319 interpretatus transitivum hac cum significatione „maris aequor ferire i. e. remis" *H* 5—6: *ἐυξέστης ἐλάτῃσιν* | *πόντον ἐλαύνοντες*[1]) adsimulat. At quis est, quin nostro loco illum ipsum dativum instrumentalem *ἐλάτῃσιν* ad dictionem explanandam necessarium desideret? Praeterea similitudines huius brevissimae elocutionis nullae suppeditant.

2. *παρελαύνω.*

Hoc verbum apud Homerum transitivum legitur nonnisi cum eo obiecto coniunctum, quo omisso postea intransitivus usus nascitur. Exempla vero, in quibus obiectum ipsum ad verbum appositum sit, desunt. Obiectum potius e contextu subaudiendum est.

I. De omisso obiecto *ἵππους*.

Obiectum *ἵππους* est in contextu prius denotatum *Ψ* 427; *Ψ* 382: *καί νύ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν*. Secundo loco Ebelingius et Autenriethius obiectum esse *ἅρμα* putant, Seilerus liberum arbitrium supplendi *ἵππους* aut *ἅρμα* permittit. E v. 381: *ἐπ' αὐτῷ γὰρ κεφαλὰς καταθέντε πετέσθην* (scil. *ἵπποι*) manifesto apparet nihil aliud posse esse ob-

[1]) Escher, Der Accusativ bei Sophocles, Zürich, diss. 1876, p. 136, ne *H* 6 quidem accusativum intellegi transitivum vult, sed putat eum esse accusativum spatii, quod quis permetitur, *ἐλαύνω* intransitivum accipiens. At altera interpretatio sine dubio ut simplicior commendatur, praesertim cum elocutio „mare remis ferire" usitata fuisse videatur. Sic consimiliter dicitur *ι* 104: *ἅλα ἐρετμοῖς τύπτειν*; cf. etiam Hesychii glossam: *ἐλαύνοντες· τύπτοντες*.

iectum nisi ἵππους, quod etiam in omni antecedente obversatur sermone. Consimilem locum addo Ψ 527: τῷ κέν μιν παρέλασσ' οὐδ' ἀμφήριστον ἔθηκεν. Hic autem propterea, quod non antecedit obiectum ἵππους, de illo obiecto supplendo nequit cogitari. Verbum potius, postquam plane intransitivum est factum, accusativo ad intransitivum verbum denuo accedente novam notionem transitivam sibi induit. Item res se habet de Ψ 638: οἴοισίν μ' ἵπποισι παρήλασαν Ἀκτορίωνε. Dativo instrumentali ἵπποισιν apposito memoriam prisci obiecti ἵππους iam totam esse deletam luce clarius est. Novus accusativus, qui hoc loco et Ψ 527 et μ 197 ad παρελαύνω accedens verbum denuo ad transitivam designationem admovit, e praepositione παρά in παρελαύνω pendet.[1])

II. De omisso obiecto νῆα.

Etiam hic de intransitiva vi propter dativum instrumentalem νηὶ μελαίνῃ μ 186: οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηὶ μελαίνῃ nihil debet dubitari. Non cum dativo instrumentali, sed cum novo accusativo τὰς (Σειρῆνας) verbum conspicitur in eodem carmine μ 197: αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τάς γε παρήλασαν eadem significatione „praetervehi aliquid vel aliquem". Iam cum manifesto in recentiore Iliadis libro et in Odyssea intransitiva notio verbi legatur, cur nobis non liceat suspicari in alia quoque composita verbi ἐλαύνω et in simplex ipsum aliaque cognata verba, etiamsi dativus instrumentalis non accessit, intransitivam potestatem irrepsisse in eisdem partibus Homeri?

3. παρεξελάω, παρεξελαύνω.

Item ac παρελαύνω hoc verbum invenitur in carminibus Ψ et μ, sed nusquam alias.

I. De omisso obiecto ἵππους.

Obiectum e contextu potest aliquo modo desumi Ψ 344: εἰ γάρ κ' ἐν νύσσῃ γε παρεξελάσῃσθα διώκων. Spitznerus[2]),

---

[1]) Scite de hac re disputaverunt et multa alia similia exempla attulerunt Kruegerus, gr. Gr. I, 46, 6, 8 et La Rochius, Homer. Stud. § 63 et § 71.

[2]) Excurs. XVIII ad Il.

qui de tenore, littera finali, structura voculae παρέξ subtiliter tractavit, consociat Ω 349: οἱ δ' ἐπεὶ οὖν μέγα σῆμα παρὲξ Ἴλοιο ἔλασσαν praepositionem παρέξ cum verbo ita, ut accusativus a verbo solo pendeat; alii παρέξ praepositionem postpositam esse putant. Ac cum et tmesis, quae vocatur, in carminibus Homericis et multae postpositionis praepositionum reliquiae[1]) insint, nequit dirimi, utra interpretatio sit anteponenda.

II. De omisso obiecto νῆα.

a. Structura νῆα παρεξελάαν exstat μ 109. Forma παρεξελάαν hic tradita Doederleinii[2]) illa suspicio, ex qua formae ἐλάω ubique inhaeret intransitiva potestas, collabitur.

b. Inter certam transitivam vim (μ 109) et certam intransitivam vim in medio relinquitur μ 47 ἀλλὰ παρεξελάαν. Talis locus illustrat, quam propinquae sibi sint transitivae et intransitivae significationes, quomodo se hic quasi attingant et altera significatio in alteram transgrediatur. μ 55: αὐτὰρ ἐπὴν δὴ τάς γε παρεξελάσωσιν ἑταῖροι novus accusativus pendens a praepositione παρέξ, quacum verbum est compositum, additus est.

Consideremus nunc reliqua composita, quatenus haec quoque usum verbi simplicis secuta sint.

4. ἐπελαύνω

tantum in Iliade transitive construitur; sed aetate posthomerica saepius intransitiva potestas apud Herodotum, Xenophontem, Arrianum legitur. Significat hic „infesto incursu in aliquem ferri, equitare", etiam „progredi". Proxima notio per ellipsin obiecti στρατιάν exorta est.

5. εἰσελαύνω

vel rectius εἰσελάω (nam verbum hac sola forma legitur), etsi non plane factum est intransitivum, tamen ν 113: ἔνθ' οἵ γ' εἰσέλασαν πρὶν εἰδότες· ἡ μὲν ἔπειτα ἠπείρῳ ἐπέκελσεν (ἡ scil. νηῦς) intransitivae notioni sane quam appropinquavit.

---

[1]) Cf. Delbrueck., Synt. Forsch. IV, 153.

[2]) Gloss. Hom. nr. 493.

Pariter atque in verbo simplici pronomen subsequens docet, quid pro obiecto sit subaudiendum.

Transitive verbum significat „intro agere“ *κ* 83 *ποιμὴν εἰσελάων*, ubi obiectum *ποίμνην* vel *πώεα* ut supervacaneum omissum est, quoniam subiectum *ποιμήν* illud obiectum quasi in se complectitur; cum obiecto *ἵππους* verbum coniunctum est *O* 385: *ἵππους δ' εἰσελάσαντες ἐπὶ πρύμνῃσι μάχοντο*, „equos immittere“.

6. *ἐξελάω, ἐξελαύνω.*

Ut in *εἰσελάω* ellipsis obiecti *νῆα*, ita in *ἐξελάω* ellipsis obiecti *ἵππους* praeparatur. Aeque atque in simplici verbo adiectus accusativus *ἵππους* saepe reperitur aut e superioribus potest subaudiri; illae dictiones *ἵππους ἐξελαύνειν* vel *ἐξελαύνειν* sine *ἵππους* significantes „evehi“ tantum in Iliade exstant.

a. cum accusativo *καλλίτριχας ἵππους* *E* 323/24; *ἵππους* *N* 400/401 (*N* 401 = *E* 324).

b. Obiectum *ἵππους* antea est memoratum *E* 264; *Θ* 255; *K* 499. (*E* 264 e genetivo *ἵππων* praecedentis versus accusativus *ἵππους* supplendus est.)

Optimo iure *Λ* 360 *καὶ ἄψ ἐς δίφρον ὀρούσας* | *ἐξέλασ' ἐς πληθύν* dubitari potest, utrum verbum iam intransitivum sit factum necne. Diceres obiectum ut supervacaneum esse omissum, quippe quod et e rebus ipsis et e sermonis contextu (antecedit *ἐς δίφρον ὀρούσας*) eluceat. Quaeritur, num hoc loco ellipsis graviter sit sensa. Equidem hoc negarim. Certe h. l. verbi notio valde propinqua est intransitivae notioni.

Restat, ut exponam, quid de composito *συνελαύνω* sentiam.

7. *συνελαύνω*[1]), *ξυνελαύνω.*

Haud longe absit, quin huius verbi usum intrans. *X* 129: *βέλτερον αὖτ' ἔριδι ξυνελαυνέμεν ὅττι τάχιστα* exstantem ex analogia ceterorum compositorum et verbi simplicis obiecto velut *ἵππους* per ellipsin omisso interpretari conemur. Huic vero coniecturae obstare videntur duae causae: primum nostro loco

---

[1]) *συνελαύνω* tantum *Λ* 677 traditum est.

de congrediendo per currus nequit sermo esse, dein nusquam alibi coniunctionem συνελαύνειν ἵππους vel simile quid neque apud Homerum neque apud ullum scriptorem posthomericum scriptam legimus.

Tamen verbum συνελαύνω ex analogia simplicis reliquorumve compositorum intransitive dictum esse cogitari potest. Origo intransitivae illorum verborum notionis in cogitatione hominum vel eius, qui primus hoc verbo intransitivo usus est, iam plane obscurata erat. Usum verborum aliorum intransitivum imitati ad compositum συνελαύνω traduxerunt et de pedestri quoque pugna usurpaverunt. Conferri potest usus verbi αἴρειν: proprie ἄγκυραν omissum est; ergo primum de itinere maritimo, tum etiam de itinere pedestri dictum. Similis fuit sors verbo ἐλαύνω ipsi. Apud Homerum intransitivum ἐλαύνω aut „curru" aut „navi vehi" sonat; apud scriptores vero posthomericos et bonos prosaicos et poëtas non raro generaliorem notionem progrediendi sibi paravit. Cf. Xen. Cyr. I, 6, 39; Her. II, 124. V, 50; Soph. Oed. R. 1160; Eur. Heracl. 904. Bacch. 853. Quae generalior notio aperte ex ea enata est, quam perhibet Homerus angustioribus limitibus circumclusam. Sermonis enim vivi saepissime est locutiones, si quando usu receptae erant, etiam ad alias personas et res, ad quas initio non pertinent, transferre, quo facto etiam notio generalior fit.

B. De verbö διώκω.

Omnes etymologi[1]), etsi de radicis huius verbi forma dissident, verbum ad eandem radicem recedere consentiunt, a qua in lingua Graeca verbum δίω („curro, fugio") deductum est. De verbi διώκω mira formatione, cuius explicatio multum habet difficultatis, conferas eam coniecturam, quae in G. Meyeri grammatica Graeca[2] § 45 profertur. Hoc vero mihi constare videtur verbum, si eius et in Homero et in omnibus scriptoribus posthomericis usum contemplamur, semper propemodum fuisse transi-

[1]) Cf. Curtium, Et.[4] 647; 848 (in quintam editionem verbum non receptum est); Vaniček. I, 363; Fick.[3] II, 130; L. Meyer., Vgl. Gramm.[2] I, 338.

tiva vi. Quodsi Buttmannus[1]) διώκω in numerum rettulit eorum verborum, quorum transitiva vel, ut ait, causativa significatio ex intransitiva vel immediativa vi nata est, verbi usum plane neglexit; etenim luce clarius est intransitivum usum haud ita saepe obvium, ubicumque invenitur, ex ellipsi substantivorum factum esse. Sic verbum iam apud Homerum, prout obiecta ἵππους vel ἅρμα aut νῆα sunt omissa, similiter atque ἐλαύνειν „curru vehi" aut „navi vehi, navigare" significat. Verumtamen notiones verborum ἐλαύνειν et διώκειν, si intransitive usurpantur, inter se prorsus pares non sunt; nam ut iam L. Dindorfius in Stephani thesauro recte animadvertit, verbum διώκειν, si cum illis obiectis ac sine eis intransitive ponitur, fere idem est quod σπουδαίως ἐλαύνειν. In διώκω inest, ut ita dicam, notio summae industriae ac celeritatis, qua quis agitat aliquam rem, aut qua quis vel quid fertur.

Transitive verbum saepissime adhibetur; etiam aetate posthomerica transitivus usus multo frequentior quam intransitivus est.

I. De omisso obiecto ἵππους vel ἅρμα.

Etiamsi structura illa διώκειν ἵππους vel ἅρμα semel apud Homerum, aliquotiens apud posteriores legitur, aliter intransitivam notionem esse ortam nisi per ellipsin horum obiectorum vix cogitari potest. Nam verbum, si apud Homerum intransitive usurpatur, significationem curru vehendi aut navi vehendi prae se fert. Huc accedit, quod iam apud Homerum generalior illa notio primaria „efficio, ut quis vel quid currat vel fugiat (i. e. moveatur)" sensim obscurata est cessitque singulari significationi usitatissimae persequendi vel insequendi. Sed hoc non dixi, illius generalioris notionis vestigia non esse relicta, sed tritam notamque notionem persequendi vel insequendi et in Homero et in posterioribus praevalere.

Illam magis universam notionem praeter alios retinuerunt illi quoque loci, quibus διώκειν cum obiecto ἅρμα vel ἵππους et cum obiecto νῆα iungitur. Semel, ut iam dixi, in Homero adest obiectum ἅρμα καὶ ἵππους Θ 439; aliquotiens apud scriptores posthomericos obiectum ἅρμα in hymn. Hom. 9, 4;

[1]) Lexil. I, 219.

Her. VII, 140 (in oraculo quodam Delphico); Aesch. Pers. 84; obiectum *ἵππους* legitur Achill. Tat. I, 12 p. 18, 18. Obiectum *ἵππον* e superioribus facile subaudiri potest in Plut. Eum. c. 7: *ἀναβληθεὶς ἐπὶ τὸν ἵππον ἐδίωκε πρὸς θἄτερον κέρας*, et in Alex. c. 6: *Ὡς δ' ἑώρα .... ὀργῶντα (τὸν ἵππον) πρὸς τὸν δρόμον ἀφεὶς ἐδίωκεν.* Quae exempla e posterioribus scriptoribus ideo attuli, ut illustrem dictiones eiusmodi si non frequenter usurpatas, at certe haud ita insolitas fuisse.

Intransitive verbum invenitur in eodem carmine *Ψ*, in quo verbi *ἐλαύνειν* eiusque compositorum intransitivus usus exstat. *Ψ* 344: *εἰ γάρ κ' ἐν νύσσῃ γε παρεξελάσῃσθα διώκων.* Quo loco quamquam obiectum *ἵππους*, ut iam s. v. *παρεξελαύνω* commemoravi, e superioribus (v. 341) subaudiri potest, tamen simplicius est et verbum *παρεξελάσῃσθα* et participium *διώκων* pro intransitivis accipere. *Ψ* 424: *ὀλίγον δὲ παρακλίνας ἐδίωκεν.* Eleganter *ἐδίωκεν* Ameisius ad h. l. et Seilerus reddiderunt „jagen, daherjagen". At concedendum est etiam fieri posse, ut, quoniam versus antecedens obiectum *μώνυχας ἵππους* continet, illud ex eo sine nimia difficultate suppleatur. *Ψ* 547: *τῷ κ' οὔτι πανύστατος ἦλθε διώκων* intransitivam notionem agnoscere pariter ac 344 multo praestat quam alicunde obiectum simul audire. Nam obiecta quae sint, haud ita bene e contextu colligi potest.

II. De omisso obiecto *νῆα*.

Ellipsis obiecti *νῆα* tantum in Odyssea exstat.

a. Structura *νῆα διώκειν* semel in passivo legitur, *ν* 182.

b. Obiectum *σχεδίην* (non *νῆα*, ut L. Dindorfio placet) e superioribus subaudiri oportet *ε* 332.

c. Prorsus intransitivum est verbum *μ* 182: *ἀλλ' ὅτε τόσσον ἀπῆμεν, ὅσον τε γέγωνε βοήσας, | ῥίμφα διώκοντες.*

Hoc addam aetate posthomerica novam ellipsin eamque obiecti *πόδα* incessisse ita, ut significatio currendi vel festinandi oreretur. Etiam haec significatio in principali vi posita est. Sic structuram *διώκειν πόδα* scriptam videmus in Aesch. Eum. 403 et Eur. Orest. 1344, intransitive vero cum hac significatione verbum usurpatum est in hymn. Merc. 350 et Aesch. Sept. 91.

C. De verbo ἔχω eiusque compositis.

1. ἔχω.

Iamdudum Boppii opinio, ex qua verbum recedit ad radicem „vah" (cf. Latinum verbum „veho"), obsoleta est. Immo prima consona radicis non *v* (Ϝ), sed *s* (σ) fuit, cuius vestigia in metro quoque Homerico relicta sunt.[1]) Nunc iure ac merito verbum a recentioribus etymologis[2]) ad radicem revocatur, cui inest principalis notio habendi et tenendi.

Transitivus verbi usus multo et apud Homerum et apud posteros scriptores praevalet, sed etiam intransitivus usus haud raro reperitur. Ex eis compositis, quae habet Homerus, *ἀμπέχω, ἀντέχομαι, ἀπέχω, κατέχω, παρέχω, ὑπέχω* semper transitive sunt adhibita (ὑπέχω non solum apud Homerum, sed ubique semper transitivum est), *διέχω* vero, *περιέχομαι, προέχω, συνέχω* semper intransitive; *ἀνέχω, ἐπέχω, ὑπερέχω* sola utramque offerunt significationem.

Sed si quaerimus, qua ratione vis intransitiva influxerit in verbum nostrum, id non cito diiudicari potest, praesertim cum vis intransitiva discedat in complures notiones, quae inter se dissimiles esse videntur. Hoc vero unum, opinor, pro certo haberi potest notionem quandam intransitivam ab ellipsi obiectorum *ἵππους* aut *νῆα* (*νέας*) originem duxisse.

Priusquam tamen enumeremus singulos locos, quibus verbum cum illis obiectis et sine illis exstat, hoc quaeramus, quid valeant illae locutiones *ἔχειν ἵππους* et *ἔχειν νῆα*. Savelsbergius[3]) sub illis locutionibus eandem subicit sententiam quam sub *ἐλαύνειν ἵππους* et *ἐλαύνειν νῆα* (*νέας*), at, ut mihi quidem videtur, iniuria. Etenim in *ἔχειν* nusquam significatio agitandi inest. Ipsa similitudine locutionis *ἔχειν τόξον* (*τόξα*) *τινί* (cf. Pind. Ol. 2, 98 et Eur. Herc. 9, ubi perinde atque in dictione *ἔχειν ἵππους* vel *νῆα* obiectum aliquo referri adicitur) Savelsbergium deterreri oportuit, ne istum sensum structurae *ἔχειν ἵππους* vel *νῆα* supponeret. Neque enim in locutione illa *ἐπέχειν τό-*

---

[1]) Cf. Ameisii appendicem ad τ 113.

[2]) Cf. Curt. Et.[5] 193; Vaniček. II, 1004; Fick.[3] I, 224; II, 260; L. Meyer., Vgl. Gr.[2] I, 89.

[3]) Quaestt. lexicol. Progr. v. Aachen, p. 30.

ξον τινί de arcu agitando sermo esse potest. Denique quomodo ille hac significatione agitandi locos, ut *Π* 712: Ἕκτωρ δ' ἐν Σκαιῇσι πύλῃς ἔχε μώνυχας ἵππους et *κ* 95: αὐτὰρ ἐγὼν οἶος σχέθον ἔξω νῆα μέλαιναν explicabit? Immo vero res similiter atque in verbo Germanico „halten", quo reddere solemus ἔχειν, se habet; nam etiam „halten" dupliciter dici potest. Si enim obiectum aliquo referri indicatur, nascitur notio dirigendi vel flectendi pariter atque in nostra dictione „die Rosse, das Schiff halten auf etwas hin", quae significatio eadem est ac „die Rosse, das Schiff lenken, richten auf etwas hin". Sin autem obiectum aliquo referri non indicatur, notio sustinendi fit pariter atque in nostra dictione „die Rosse, das Schiff halten", quae significatio transit in hanc „die Rosse, das Schiff still halten, anhalten, mit ihnen halten".

I. De omisso obiecto ἵππους.

Saepissime verbum cum isto obiecto connectitur non secus atque ἐλαύνω.

a. Obiectum est cum adiectivis coniunctum, imprimis autem cum epithetis ornantibus, quae vocant, ut ἐρυσάρματας, κεντρηνεκέας, μώνυχας, ὠκέας: *Γ* 263; *E* 240. 752 = *Θ* 396; *E* 829 paene idem qui v. 841; *Θ* 139. 254; *Λ* 513. 760; *O* 354; *T* 424; *Ψ* 398 fere idem qui v. 423; 516.

b. Obiectum est sine adiectivis: *M* 124; *N* 386 τῷ δὲ (scil. ἵππω) ἔχε ἡνίοχος θεράπων.

Alterum obiectum praeter ἵππους ad verbum apponitur *E* 230: Αἰνεία, σὺ μὲν αὐτὸς ἔχ' ἡνία καὶ τεὼ ἵππω. Ameisius hic verbum interpretatur „behalten", sed, quantum scio, verbum nusquam ostendit hanc significationem. Potius etiam hic verbum de dirigendis et habenis et equis intellegi necesse est, quae notio nexui sententiarum plane non adversatur. Sic iam Vossius scite vertit: „Lenke du selbst, Aeneias, dein Rossegespann mit den Zügeln." *I* 708: καρπαλίμως πρὸ νεῶν ἐχέμεν λαόν τε καὶ ἵππους, cf. adnott. Ameisii et Faesii ad hunc locum.

Qua in enumeratione locorum adhuc consulto praetermisi eos locos, quibus ἔχειν non sonat „flectere, dirigere", sed „sustinere". *Δ* 227: καὶ τοὺς (scil. ἵππους) μὲν θεράπων ἀπάνευθ'

ἔχε φυσιόωντας | Εὐρυμέδων; *Λ* 341: τοὺς (scil. ἵππους) μὲν γὰρ θεράπων ἀπάνευθ' ἔχεν. Utroque loco currus a servo quodam sustinetur, ut paratus sit omni tempore ad dominum recipiendum. Poëta manifesto noluit dicere servum procul equos rexisse vel flexisse. Haud dubie eadem notio sustinendi subest *Π* 712: Ἕκτωρ δ' ἐν Σκαιῇσι πύλῃς ἔχε μώνυχας ἵππους atque etiam *Δ* 302: τοὺς γὰρ ἀνώγειν | σφοὺς ἵππους ἐχέμεν μηδὲ κλονέεσθαι ὁμίλῳ, quo loco verbum sibi induit retinendi notionem.

Sed quomodo *Λ* 127: ὁμοῦ δ' ἔχον ὠκέας ἵππους sit accipiendum, ambigere licet. Ameisius e versu subsequente: ἐκ γάρ σφεας χειρῶν φύγον ἡνία σιγαλόεντα concludit utrumque Antimachi filium conari viribus coniunctis equos sustinere et retinere, Faesius contra explicat „zugleich suchten sie beide die Rosse zu lenken". Utrumque ferri potest; sed cum obiectum aliquo referri vulgo illi notioni flectendi adiciatur, quod additamentum hic desideratur, Ameisii interpretatio probabilior et rerum connexui accommodatior videtur.

c. Obiectum non est diserte indicatum, sed facile e superioribus subaudiri potest *Ο* 448; *Π* 378; *Ψ* 325. 401.

d. In eodem carmine *Ψ*, in quo ellipsin obiecti ἵππους inveniri iam vidimus et saepius videbimus, obiectum ἵππους in verbo ἔχειν deest neque in superioribus aut in sequentibus memoratum est. Hoc quidem fortasse concedere licet obiectum, etsi nusquam indicatum est, e contextu colligi posse. *Ψ* 422: τῇ ῥ' εἶχεν Μενέλαος ἁματροχιὰς ἀλεείνων et 466: οὐδὲ δυνάσθη | εὖ σχεθέειν[1]) περὶ τέρμα καὶ οὐκ ἐτύχησεν ἑλίξας.

---

[1]) Non dubitavi formas ad ἔσχεθον pertinentes, quamquam eas ab ipso verbo ἔχω fictas esse non credo, sub ἔχω eiusque compositis enumerare propterea, quod illae formae ad eandem stirpem quam ἔχω reducendae in cogitatione loquentium artissime cum ἔχω coniunctae erant. Wentzelium, „Qua vi posuit Homerus verba, quae in -θω cadunt", Progr. Oppeln (1836) p. 19, ceterosque, quorum libros a grammatica comparativa abhorrentes Curtius, Verb.[2] II, 367, attulit, hic vir doctissimus II, 373 gravissimis causis refutavit. Illi enim ἔσχεθον significationem aoristi habere contenderant. At nusquam certa aoristi notio eius formis inhaeret. Ac quomodo consonae θ illa vis insit? Ne infinitivo quidem σχεθέειν, sicuti Curtius exposuit, cogimur putare

II. De omisso obiecto νῆα, νέας.

Verbum cum hoc obiecto nonnisi in Odyssea legitur idque in mediis eius partibus.

a. Obiectum cum epitheto ornanti coniunctum est, ut εὐεργέα, μέλαιναν, ἀμφιελίσσας: ι 279; κ 91; λ 70. Quibus locis verbum sonat „navim, naves dirigere". Notio vero sustinendi vel retinendi agnoscatur oportet κ 95: αὐτὰρ ἐγὼν οἶος σχέθον ἔξω νῆα μέλαιναν.

b. Obiectum e contextu elucet γ 182: αὐτὰρ ἐγώ γε Πύλονδ' ἔχον „navigavi", quem locum Seilerus in numero intransitivorum non iniuria duxit.

Ut iam συνελαύνω in generaliorem abscessit notionem congrediendi et στρέφω, ὑποστρέφω ex propria vi ac potestate equos vel naves vertendi in generaliorem notionem revertendi transiit, ita principalis notio intransitiva verbi ex ellipsi obiectorum ἵππους aut νῆα suborta non solum de equis vel navibus dirigendis, sed etiam de cursu cuiusque generis dirigendo adhibita est. Hoc igitur modo efficitur notio progrediendi et irrumpendi. *N* 326: νῶιν δ' ὧδ' ἐπ' ἀριστέρ' ἔχε στρατοῦ; hic Meriones ab Idomeneo iubetur antegredi. χ 75: ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν, „in eum omnes invadamus". Cf. τ 71: δαιμονίη, τί μοι ὧδ' ἐπέχεις κεκοτηότι θυμῷ; ubi ἐπέχειν translate de invehendo in aliquem, i. e. increpando dicitur.

Ameisius ad τ 71 et Passovius in lexico suo[1]) hanc generaliorem notionem alia via atque ea, quam ego descripsi, nempe ex ellipsi obiecti, ut τόξον vel cuiuslibet teli, quocum genere obiectorum ἔχω saepe coniungatur, natam esse autumant. Hoc negare nolim illi intransitivae notioni hanc fuisse posse originem; at tamen altera explicatio, quam ipse dedi, verisimilior videtur. Etenim illae dictiones „ἔχειν, ἐπέχειν τόξον vel quodlibet telum" ab Homeri sermone alienae sunt et postea demum haud ita fre-

ἔσχεθον esse aoristi designatione. Nam, ut Wentzelius ipse confitetur, σχεθέειν ex analogia formae ἐρέχθεον, quae certe est pro imperfecto habenda, formatum esse potest. Curtius ipse σχεθέειν ad praesens σχεθέω, quod similiter atque εἰκαθέω, ὀρεχθέω fictum est, et ἔσχεθον eiusque formas ad praesens σχέθω refert.

[1]) s. v. ἐπέχω.

quenter occurrunt. Dein aperte ea verba supra allata, in quibus singularis notio simillime generalior est facta, sententiam nostram firmissime stabiliunt. Quid? In verbo nostro „losfahren“ nonne exemplum maxime idoneum habemus, quo istam amplificationem singularis notionis illustrare possimus? Principio enim „losfahren“ de curru vehendo usurpatur, deinde ad concursionem, quae praecipue in pugna fieri solet, denique ad increpandum transfertur.

Sed non modo de personis verbum cum intransitiva illa notione irrumpendi dicitur, verum etiam de rebus, quae quasi animatae finguntur; sic imprimis de hasta *N* 520: *δι' ὤμου ὄβριμον ἔγχος ἔσχεν*. Cf. *E* 100: *ἀντικρὺς δὲ διέσχε* reliquosque locos, quibus *διέχω* eundem offert sensum intransitivum.

Supersunt duae singulares notiones verbi intransitivi *ἔχειν* nondum a nobis examinatae, notio obsistendi („Stand halten, sich halten“) et se habendi („sich verhalten“). Si mihi contingat, ut hasce duas notiones revocem ad vim modo tractatam, res nihil iam habeat negotii. At ubi est ea notio, qua illae significationes inter se copulentur? Si forte significationem obsistendi („sich halten“) ex significatione, quae inest locis ut *Π* 712 cet., nempe equos sustinendi, per ellipsin profectam paulatimque generaliorem esse factam putes, hoc nimis audax videatur. Quapropter existimare cogimur illas notiones intransitivas altera via in verbum descendisse.

Si enim perlustramus eos locos, quibus saepius iniuria quidem Ebelingius notionem obsistendi attribuit, complures locos reperimus, quibus verbum transitivum est putandum, obiectum tamen ut supervacaneum omittitur. *M* 4: *οὐδ' ἄρ' ἔμελλε | τάφρος ἔτι σχήσειν Δαναῶν καὶ τεῖχος*. Hic recte obiectum *Τρῶας* ex antecedente versu substituunt Ameisius et Faesius. *M* 184 = *Ψ* 398: *οὐδ' ἄρα χαλκείη κόρυς ἔσχεθεν*. Etiam hic obiectum *δόρυ* substituendum est; cf. *Λ* 96: *οὐδὲ στεφάνη δόρυ σχέθε χαλκοβαρείη*. *N* 608: *ἔσχεθε γὰρ σάκος εὐρύ*. Ex antecedente versu subaudi *χαλκόν*. Omnibus locis, quos adhuc attuli, interpretes Ameisius et Faesius in obiectis supplendis congruunt. *Π* 340 tamen (*ἔσχεθεν δ' οἶον | δέρμα*) et 740 (*οὐδέ οἱ ἔσχεν | ὀστέον*) duo illi interpretes inter se dissentiunt: Ameisius verbum utroque loco pro intransitivo accipit,

Faesius autem in v. 340 ξίφος et in v. 740 λίθον e superioribus audit. Quae dissensio interpretum nobis quodammodo documento esse potest vix fieri posse, ut hic transitiva notio et intransitiva distineatur. Intransitiva notio ex absoluto usu, i. e. omisso obiecto oritur. Obiectum, ut paucis comprehendam, ut supervacaneum praetermittitur. Tum verbum sine obiecto collocatur, i. e. certum obiectum nequit subaudiri. Itaque fit, ut verbum obiecto deficiente postea quasi intransitivum sentiatur.

Vis igitur vere intransitiva legitur *E* 492: ἀρχοὺς λισσομένῳ τηλεκλειτῶν ἐπικούρων | νωλεμέως ἐχέμεν. *M* 433: ἀλλ' ἔχον ὥς τε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής. *M* 461: οὐδ' ἄρ' ὀχῆες ἐσχεθέτην. *N* 679: ἀλλ' ἔχεν, ᾗ τὰ πρῶτα πύλας καὶ τεῖχος ἐσᾶλτο. *Ψ* 720: οὔτ' Αἴας δύνατο, κρατερὴ δ' ἔχεν ἲς Ὀδυσῆος.[1] *Ω* 27: ἀλλ' ἔχον, ὥς σφιν πρῶτον ἀπήχθετο Ἴλιος ἱρή, ubi verbum translate dictum est. *τ* 494: ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος ἠὲ σίδηρος.[2]

Reliquum est, ut de altera significatione se habendi („sich verhalten") loquar. Verisimile mihi quidem videtur istam significationem ex ea, quam modo tractavi, nempe obsistendi, circuitu notionis amplificato fluxisse, i. e. singularem illam significationem („sich halten"), ut saepe fit, minutatim ad subiecta cuiuslibet generis traductam in generalem abscessisse usum. Qua ratione

[1]) Hic Seilerus e praecedente Αἴας obiectum Αἴαντα ad ἔχειν desumpsit. Hoc fieri posse confiteor, sed altera explicatio magis commendatur, quia sensum aptiorem et elegantiorem efficit.

[2]) Perverse Ebelingius praeter illos locos, quos supra commemoravi, sub intransitiva notione posuit hos versus Odysseae: *δ* 289: τόφρα δ' ἔχ', ὄφρα σε νόσφιν ἀπήγαγε Παλλὰς Ἀθήνη, ubi obiectum e contextu dilucide apparet et notio obsistendi sensu prorsus cassa est. *δ* 419: ὑμεῖς δ' ἀστεμφέως ἐχέμεν μᾶλλόν τε πιέζειν, ubi sequens illud πιέζειν necessario transitivam verbi ἐχέμεν vim reposcit. *χ* 128: σανίδες δ' ἔχον εὖ ἀραρυῖαι, ubi obiectum τὴν ὁδόν ex praecedente ὁδός facillime subauditur et intransitiva notio obsistendi omni caret sensu. Idem valet de *ψ* 42 = *χ* 128, ubi e θαλάμων obiectum θαλάμους desumi oportet. — Praeterea sub intransitiva vi idem collocavit perperam hosce Iliadis locos: *K* 264: λευκοὶ ὀδόντες | ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα, ubi obiectum κυνέην e contextu (cf. v. 261) facillime nobis comparet, et *O* 653: περὶ δ' ἔσχεθον ἄκραι νῆες, ubi obiectum e contextu elucet. Ceterum illa significatio eminendi verbo attributa hic haud satis bonum sensum praebet.

altera notio in alteram possit transire, i. e. quam arte duae notiones inter se cohaereant, vs. τ 494 supra allatus nos docere videtur, ubi eodem fere iure generalis notio se habendi potest admitti. Quo loco duae notiones obsistendi et se habendi qnasi se attingunt.

Verbo, si hac vi generali est praeditum, semper apud Homerum adverbium ad verbi notionem accuratius definiendam appositum esse solet. Ἔχω cum apud Homerum tum temporibus posterioribus propemodum idem et tantundem valet ac verbum εἰμί. *N* 557: *οὐδέ οἱ ἔγχος ἔχ' ἀτρέμας,* ubi Seilerus et Ebelingius[1]) aperte contra verum sensum statuerunt significationem obsistendi.

Dictio illa εὖ ἔχειν ex soluta oratione notissima semel in Odyssea, ω 245: *ἀλλ' εὖ τοι κομιδὴ ἔχει,* reperitur.

Significationem tamen paulo magis singularem duo loci Odysseae exhibere videntur: μ 435: *ῥίζαι γὰρ ἑκὰς εἶχον* et τ 38: *καὶ κίονες ὑψόσ' ἔχοντες | φαίνοντ'.* Utroque loco notio singularis „pertineo, porrigor" magis quam universa se habendi apta esse videtur. Ceterum confiteor me non satis perspexisse, utrum illi universae notioni se habendi uterque locus adnumerandus sit necne.

Vidimus igitur vim intransitivam ellipsi et obiectorum ἵππους atque νῆα et aliorum obiectorum cuiuslibet generis in verbum irrepsisse. Ne autem cogerer verbum diversis pertractare locis, prout diversa notionis intransitivae origo flagitat, atque hoc modo in duas partes discindere, iam hic omnes notiones absolvi, ut verbum sub uno aspectu poneretur.

2. ἀνέχω.

Cf. Curt. Et.⁵ 306; Vaniček. I, 29; Delbrueck., Syntaktische Forschungen IV, 128 de ἀνά, cuius significatio „sursum" est; ergo ἀνέχω significat „sursum teneo".

---

[1]) Nomine Ebelingii brevitatis causa significo omnes partes lexici Homerici, quod a compluribus hominibus doctis compositum et ab Ebelingio editum est.

I. **Transitive** verbum saepissime reperitur. Dativus ad personam significandam, ad quam quid sursum tollitur, accedit: *Γ* 318[1]) = *H* 177; *E* 174; *Z* 257. 301; *Π* 412; *K* 460; *T* 254; *Ω* 301; *ι* 294. Ille dativus est pro genuino dativo remotioris obiecti[2]), non pro locali casu habendus.

Mira, ne hoc praeteream, notio retinendi, quae primario significatui vocis *ἀνά* repugnat, semel reperitur in Il. *Ψ* 428 *ἀλλ' ἄνεχ' ἵππους*. Ex G. Hermanni[3]) opinione illa altera significatio „retro" voculae *ἀνά* ex ea observatione nascitur, qua saepe motiones „sursum" cum motionibus „retrorsum" in mente

---

1) *Γ* 318: *λαοὶ δ' ἠρήσαντο, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον.* Ptolemaeus Ascalonita et Nicanor *ἠρήσαντο θεοῖς ἰδὲ χεῖρας ἀνέσχον* legerunt, quae scriptura in Laur. nr. 3 et Stuttg. quoque tradita est. Quae lectionum discrepantia aperte levissima est, quia litteris aliter separatis efficitur. At tamen Ameisii tribus causis, quas ad Nicanoris lectionem tuendam in app. ad h. l. affert, assentiri nequeo. Neque enim duo illa enuntiata per *δέ*, ut Ameisius contendit, graviter inter se opponuntur, sed tantum levissime inter se coniunguntur. Nam *δέ* saepe ad enuntiata simpliciter copulanda valet; cf. *A* 43 sqq. Deinceps rhythmus versus lectione plurimorum codicum recepta non fit deterior, nam caesura *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* ante *δέ* statuenda non est. Quod porro Ameisius docet dativum personae, si verbum precandi (*εὔχεσθαι* et *ἀρᾶσθαι*) ad formulam *χεῖρας ἀνασχεῖν* accedat, semper ad verbum precandi spectare, hoc praeceptum ex libidine datum esse mihi quidem videtur. Nam dativus personae formulae *χεῖρας ἀνασχεῖν*, si nullum verbum precandi appositum est, adiungi solet saepissime; cf. *E* 174; *Z* 257. 301; *Ω* 301; *ι* 294. Eis locis autem, quibus verbum precandi accedit, velut *T* 254; *Θ* 347 = *O* 369 (ubi *ἀνίσχοντες* idem significans legitur), dativus personae, sicuti ex collocatione eius apparet, et ad participium et ad verbum finitum referendus est. Id vero maxime Ameisii sententiae obstat, quod omnes loci, quos affert ad praeceptum suum adiuvandum, semper formulam illam *χεῖρας ἀνασχών* praebent, non duo enuntiata ut hic, in quibus formula illa verbum finitum est. Quapropter illi loci ab Ameisio in appendice allati cum nostro loco non possunt conferri. Absoluto verbi *ἀρᾶσθαι* usu non debemus impediri, quominus illam lectionem in plurimis optimisque codicibus traditam comprobemus, praesertim cum hic e contextu subaudiamus numen deorum, qui implorantur; cf. *E* 114; *K* 283; *Ψ* 149; *γ* 62. 64; *η* 1. Itaque Ameisii causis refutatis non est, quod de integritate lectionis optime confirmatae dubitemus.

2) Cf. Kuehneri gr. Gr.[2] § 423, 4; Delbrueck., Syntakt. Forsch. IV, 54. 57.

3) opusc. V, 43.

coniunctas ac connexas esse videmus. Nam e. c., simulac dura illisa sunt duris, et sursum moventur et retro truduntur, atque aqua fluminum mole obiecta vel vento obnixo et in se ipsa surgit et simul retro pellitur.

II. **Intransitive**[1]) verbum bis legitur. *P* 310: *αἰχμὴ χαλκείη παρὰ νείατον ὦμον ἀνέσχεν,* vernacule „hervordringen" (cf. *N* 520: *δι' ὤμου ὄβριμον ἔγχος ἔσχεν*; *E* 100: *ἀντικρὺς δὲ διέσχε*) et *ε* 319: *οὐδὲ δυνάσθη* | *αἶψα μάλ' ἀνσχεθέειν μεγάλου ὑπὸ κύματος ὁρμῆς,* vernacule „auf-, emportauchen".

3. *ἐπέχω.*

Duo tantummodo loci sunt digni, de quibus dicatur. *τ* 71: *δαιμονίη, τί μοι ὧδ' ἐπέχεις κεκοτηότι θυμῷ;* Cuius loci intransitiva notio quomodo sit explananda, iam sub *ἔχω* p. 24 sq. satis disseruisse mihi videor. La Rochii[2]) vero sententiam, qui verbo h. l. notionem se habendi („sich halten, sich verhalten, gesinnt sein") attribuit, probare nequeo, quia haec notio nimis universa est. Haudquaquam licet cum versu nostro comparare *χ* 75: *ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν,* quem versum La Rochius adhibet ad notionem illustrandam, quia *χ* 75 de vere irrumpendo et invehendo, *τ* 71 autem de increpando est dictum. Ac ne *χ* 75 quidem ista nimis universa notio locum habere potest. — Alterius vero loci *φ* 186: *Ἀντίνοος δ' ἔτ' ἐπεῖχε καὶ Εὐρύμαχος θεοειδής* significatio a notione, quae subest *τ* 71, prorsus diversa est; etenim hic cum Ameisio et Faesio vertimus „hielt noch zurück", i. e. illi duo duces procorum nondum conabantur arcum Ulixis tendere.[3]) Transitiva significatio inhibendi vel retinendi ab Homero neutiquam abhorret, cf. *Φ* 244: *ἐπέσχε δὲ καλὰ ῥέεθρα* | *ὄζοισι πυκινοῖσι* et *υ* 266: *ὑμεῖς δὲ μνηστῆρες ἐπίσχετε θυμὸν ἐνιπῆς* | *καὶ χειρῶν.*

Eadem notio intransitiva, quae *φ* 186 exstat, recurrit

---

[1]) Kruegeri Di. § 52, 2, 4 adnotatio ut plane falsa corrigenda est.

[2]) Zeitschr. f. d. österr. Gymn. 1870 p. 137.

[3]) Schol. interpretationi *Ἀντίνοος ἐπεῖχεν, ἐκώλυεν αὐτοὺς πρὸς τὸ παρὸν χρήσασθαι τῷ τόξῳ* totus rerum ac sententiarum nexus obnititur; cf. vv. 184 et 185.

postea non solum in poëtis posthomericis, sed etiam in bonis prosae orationis scriptoribus.

4. ὑπερέχω.

Ter verbum intransitive occurrit. *Λ* 735: εὖτε γὰρ ἠέλιος φαέθων υπερέσχεθε¹) γαίης; *ν* 93: εὖτ' ἀστὴρ ὑπερέσχε φαάντατος. Intransitiva huius compositi notio non ex ellipsi obiectorum ἵππους et νῆα nata est (neque enim hoc compositum cum his obiectis apud Homerum aut apud posteros scriptores unquam connectitur atque omnino vix cum eis construi potuit), sed a generali significatu verbi simplicis, qui quidem ipse ex ellipsi illorum obiectorum profectus est, ad compositum nostrum atque hic ad subiecta solis et stellarum transducta est.

Paulo generalior quam locis modo allatis est notio *Γ* 210: στάντων μὲν Μενέλαος ὑπείρεχεν εὐρέας ὤμους (acc. relationis) „eminebat, praestabat". Quae notio eminendi vel praestandi postea in soluta oratione usitatissima fuit.

---

§ 2.

De verbis, quae nonnisi per ellipsin obiecti ἵππους intransitiva facta sunt.

Apud Homerum ex eis inveniuntur στρέφω, μεταστρέφω, ὑποστρέφω.

A. στρέφω.

Hoc verbum ad radicem, cui transitiva notio vertendi vel torquendi inhaeret, iure revocari constat; cf. L. Meyer., Vgl. Gr.² I, 1005. Quacum deductione usus verbi ipsius eiusque compositorum convenit. Sed videmus etiam composita μετα-, ὑποστρέφω, fortasse etiam verbum simplex aliquotiens a tralaticio usu

---

¹) De vi ac potestate illi formae ὑπερέσχεθε inhaerente cf. Ameisii adnotationem: „ὑπερέσχεθε bezeichnet hier die dauernde Folge des ὑπερέσχε 'über der Erde stand'."

in intransitivam notionem deflexisse. Itaque investigandum erit, qua via illa notio intransitiva sit orta. De intransitivi usus origine ausim hoc coniectare: si obiecta percensemus, quibuscum verbum *στρέφω* et composita eius sunt iuncta, obiectum *ἵππους* ante omnia usitatum esse observamus. Quare moveri possumus, ut intransitivam significationem hoc obiecto omisso similiter atque in verbis *ἐλαύνειν* et *διώκειν* natam esse iudicemus. Addendum tamen est etiam in hoc verbo perinde atque in verbis *συνελαύνω* et *ἔχω* significationem propriam equos vel currus convertendi iam apud Homerum in generaliorem notionem revertendi transisse.

Nemo homo doctus, quantum video, hanc ellipsin obiecti *ἵππους* statuit, sed alii alia ratione intransitivam notionem explicare conati sunt. Eorum sententias in verbis singulis tractandis breviter perstringam.

a. Obiectum *ἵππους* epitheto ornanti *μώνυχας* instructum legitur *P* 699: *Λαοδίκῳ, ὅς οἱ σχεδὸν ἔστρεφε μώνυχας ἵππους*, ubi *ἵππους στρέφειν* habet singularem illam notionem „huc et illuc versare", prout Antilochus pedibus proelians locum suum mutat, ut currus ad illum recipiendum sit paratus. Cf. *Δ* 229, ubi simile facere Eurymedon, Agamemnonis auriga, iubetur.

b. Obiectum *ἵππους* sine epitheto legitur *Θ* 168; *N* 396; *Y* 488. Tribus his locis verbum eandem fere habet vim quam „retro flectere". *ο* 205 verbum simpliciter significat „flectere, vertere".[1])

c. Obiectum e superioribus suppleri potest *E* 505. Hic obiectum *ἵππους* e praecedente genetivo *ἵππων* in versu 504 desumendum est. *Ψ* 323 ex antecedente obiecto *ἥσσονας ἵππους* est *ἵππους* ad *στρέφει* trahendum. *Σ* 544 vero: *οἱ δ' ὁπότε στρέψαντες ἱκοίατο τέλσον ἀρούρης*, et *Σ* 546: *τοὶ δὲ στρέψασκον ἀν' ὄγμους*, qui loci ad descriptionem scuti, recentiorem Iliadis partem, pertinent, dubitari potest, utrum verbum illis locis, si e superioribus obiectum *ζεύγεα* (vs. 543) subaudiveris, transitivum an iam intransitivum sit intellegendum. Utrumque ferri potest; certe tamen significatio verbi imprimis in v. 546 haud longe ab intransitiva vi distat.

---

[1]) Cf. Ameisii adnot. ad h. l.

Deinceps nobis dicendum est de composito

B. μεταστρέφω.

In hoc verbo coniunctio illa ἵππους μεταστρέφειν desideratur; ne proprius quidem sensus in activo servatus est. Qua vi ac potestate sit praepositio μετά cum στρέφω composita, Funckius[1]) prudenter explicuit.

Cum Seilero censeo verbum intransitive esse positum *O* 203 τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε, | ἦ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν. Hic de convertendo curru vel omnino de remeando sermo nequit esse, sed notio ad animum translata est. Conversio animi (cf. *O* 52: μεταστρέψειε νόον et *K* 107: μεταστρέψῃ φίλον ἦτορ) cum currus conversione comparata videtur. Eleganter hanc imaginem reddidit Ameisius verbo nostro „umlenken", qua in locutione eadem cogitatio currus convertendi in animo obversatur, nisi quod ille usum verbi perperam absolutum appellat.

Vix crediderim alio modo melius hunc locum explicari posse. Ceterae quidem interpretationes virorum doctorum huic loco non satis convenire videntur. Sic sunt, qui νόον[2]), alii, qui ad τι simul audiant τοῦ μύθου[3]). At aperte ellipsis obiecti νόον permira est. Nec minus obiectum τι apud Homerum insolitum est, neque illa dictio „aliquid verbi vertere, mutare" praebet bonum sensum. Ceterum coniunctio illa μῦθον μεταστρέφειν inusitata fuisse videtur; nam neque illa nec similis coniunctio, quae potest conferri, usquam invenitur.

Reliquum est, ut dicam, quid sentiam de β 67: θεῶν ὑποδείσατε μῆνιν, μή τι μεταστρέψωσιν ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα, cui loco intransitivam notionem subesse nonnulli putant. Isti „sententiam mutare, proposito decedere" vertunt. At vero illa significatio in hoc contextu incommoda est, quia non satis perspicitur, quam sententiam dei mutaturi sint. Etenim putari oportet deos semper procis scelestis succensuisse. Immo vero poëta dicere vult: „timete iram deorum, ne forte exacerbati in-

---

1) Curt. Stud. IX, 152 et 157.

2) Hoc volunt subaudire Duentzerus et Spitznerus ad h. l.

3) Haec est sententia Doederleinii. Funckius l. l. μῦθον subaudiri vult.

iurias a vobis fieri nolint pati neve impunitas dimittant". Hic profecto verbum absolute, i. e. sine certo obiecto collocatum est. Quapropter Ameisii interpretatio „einen Umschlag herbeiführen" mihi maxime arridet. Haudquaquam tamen licet cogitari de obiecto *κακὰ ἔργα* subaudiendo, quod Faesius ac Funckius l. l. ad *μεταστρέψωσιν* trahunt explicantes „die bösen Werke gegen euch umkehren, auf euch zurückfallen lassen". Sed ubinam in versibus illis illud „gegen euch" indicatum est? In nuda dictione *μεταστρέφειν κακὰ ἔργα* illud „gegen euch" inesse nequit. Praeterea dictio *μεταστρέφειν ἔργα* Homerica quidem non videtur esse, quippe quae nimis artificiosa sit neque ingenio Homeri apta. Denique, ut Nitzschii explicationem „vergelten" attingam, quemadmodum ex notione „umwenden" notio „vergelten" oriatur, perobscurum est.

Denique agam de

C. *ὑποστρέφω*.

Semel tantummodo obiectum *ἵππους* epitheto ornanti instructum reperitur *E* 581: *ὁ δ' ὑπέστρεφε μώνυχας ἵππους*. Praeter hunc locum verbum nusquam alias apud Homerum transitive usurpatum est.

Reliquis locis Homericis intransitiva notio invenitur. *M* 71: *εἰ δέ χ' ὑποστρέψωσι, παλίωξις δὲ γένηται*; *ϑ* 301: *ἦλϑε* | ... *αὖτις ὑποστρέψας πρὶν Λήμνου γαῖαν ἱκέσϑαι*; termino ad quem, quem vocant, addito *Γ* 407: *μηδ' ἔτι σοῖσι πόδεσσιν ὑποστρέψειας Ὄλυμπον*; *Λ* 446: *καὶ ὁ μὲν φύγαδ' αὖτις ὑποστρέψας ἐβεβήκει*. Omnibus locis verbum generaliter de gressu convertendo, pede referendo, i. e. revertendo dictum est.

Proinde post Homerum cum apud poëtas tum apud scriptores et superiores et inferiores eadem generalis notio in usu fuit.

---

§ 3.

De verbis, quae nonnisi per ellipsin obiecti *νῆα* intransitiva sunt facta.

Apud Homerum ex iis inveniuntur haec: *ἐνίημι, ἐπιπροΐημι, κέλλω, ἐπικέλλω*.

Composita ἐνίημι et ἐπιπροΐημι lexicographis Seilero Ebelingioque dissidentibus in numerum eorum verborum, quae ellipsi obiecti νῆα utuntur, Kruegero, Di. § 52, 2, 8 et Kuehnero, § 373, 2 β auctoribus adscribere non dubitavi.

A. ἐνίημι

proprie significat „immitto"; de etymologia verbi ἵημι cf. infra § 4.

I. **Transitive** cum propria significatione ter, translate duodecies[1]) est usurpatum.

II. **Intransitivus** usus tantum in Odyssea reperitur. Exstat forma ἐνήσομεν cum dat. loc. coniuncta (ἐνήσομεν εὐρέι πόντῳ exeunte versu) β 295; μ 293. At hisce locis non usus plane intransitivus, sed brachylogia potius statuenda est; etenim νῆα ex antecedentibus potest subaudiri.

At extra dubitationem positum est, quin ἐνίημι intransitive collocatum sit in eodem carmine μ 401: ἡμεῖς δ' αἶψ' ἀναβάντες ἐνήκαμεν εὐρέϊ πόντῳ, ubi accusativus νῆα ex antecedentibus verbis non potest suppleri. Credibile mihi est ἐνιέναι sine νῆα sicuti ἀποβαίνειν, ἀναβαίνειν vulgo in sermone nautarum cum hac significatione „altum petere" ortum esse.[2]) Etenim nautae nihil ultra requirunt nisi verbum, praesertim cum eis satis notum sit, ad quod obiectum actio verbalis referatur.

B. ἐπιπροΐημι,

„mitto protinus ad aliquem, aliquid".

I. **Transitive**: propria et vera significatio servata est Δ 94; Ι 520; Ρ 708; Σ 58[3]) = 439. In primo horum locorum Δ 94:

---

[1]) Frohwein., Verbum Homericum (Lips. 1881), Ρ 156 praetermisit.

[2]) Cf. Faesii adnot. ad μ 401.

[3]) Σ 58: νηυσὶν ἐπιπροέηκα κορωνίσιν Ἴλιον εἴσω superior aetate videtur esse quam Σ 439. Etenim cum multi critici descriptionem scuti eamque partem, quae illam cum toto carmine connectit, a versu 369 usque ad finem carminis Σ postea esse insertam autumant, tum versus 437—443 ex Σ 56—62 iterati secundo loco minus quadrant. Priore enim loco illud ἰοῦσα Thetis commode de se dicere potest, quandoquidem ad filium se collatura est, altero autem loco ei minus convenit. Huc accedit, quod multi alii versus in eam partem, quae v. 444 se-

τλαίης κεν Μενελάῳ ἐπιπροέμεν ταχὺν ἰόν, Ameisius[1]) pro hoc verbo, quod vocant ῥῆμα τριπλοῦν (ἐπιπροέμεν), Aristarcho praeeunte, at invitis plurimis optimisque libris et repugnante usu scribi vult ἔπι προέμεν, ἔπι ad Menelaum referens. Nam si quis hostis contra aliam personam sagittas mittit, ex Ameisii iudicio nudum dativum personae ad verbum iaciendi adiungi non licet. Sane quidem in verbis iaciendi exempla, quibus Ameisii sententia refutetur, non inveniuntur; at vss. *E* 459 et 884 cum versu nostro, ut equidem opinor, comparari possunt, qui loci ἐπισσεύεσθαι cum dativo personae exhibent. Neque quisquam ἐπισσεύεσθαι ibi infestum incursum significare negabit. Quare neque hic[2]) neque alibi[3]) praepositio ἐπι a verbo separanda est. Ἐπιπροϊάλλω, alterum decompositum (qua significatione utitur Spitznerus[4]), praeter ἐπιπροΐημι apud Homerum traditum, itidem non est partiendum; ex eo igitur comparet eiusmodi decomposita ab Homero non esse aliena.

II. **Intransitive** verbum adhibetur uno loco Odysseae *o* 299 „cursum ad insulas direxit". Paene non ausus sum hoc verbum in intransitivorum numero ducere, nisi analogia verborum ἐνίημι, κέλλω, ἐπικέλλω perductus essem. Videmus h. l. verbum iam eam viam esse ingressum, qua ad perfectam intransitivam potestatem pervenire potest. Nam etiam h. l. is, qui vult, e contextu acc. νῆα subaudire potest. Utrum ellipsis accusativi graviter sit sensa necne, diiudicari nequit.

C. κέλλω.

Curtius, Et.[5] 148, Vaniček. I, 122, Leo Meyer., Vgl. Gram.[2] I, 30, 153 radici naturalem significationem impellendi tribuunt. Latine respondet „cello" servatum in compositis „per-cello", quod transitive, et „prae-, ex-cello", quod fortasse olim transi-

---

quitur, e diversis Homeri carminibus congesti sunt, adeo ut haec pars conglutinata et consuta esse videatur. Cf. praeterea Spitzneri adnot. ad vv. 444 sqq.

1) Cf. Anh. ad *Δ* 94.

2) Etiam Menecrates Milesius ἐπιπροέμεν coniunxit.

3) Cf. Spitzner. ad *Σ* 58.

4) Cf. Spitzner. ad *Λ* 628.

tive (cf. adiectivum „excelsus"), postea tantum intransitive usurpatum est. At in „ex-, prae-cello" intransitiva notio non est ad substantivi cuiusdam ellipsin revocanda.

Apud Homerum κέλλω tantum in Odyssea et cum transitivo accusativo νῆα et sine νῆα intransitive construitur. Notatu dignum est κέλλω tantum in libris ι — μ usurpari, qui alias quoque sermonis proprietates[1]) ostendunt.

I. „Navem appellere ad litus": κ 511, ι 546 = μ 5 = λ 20 (at λ 20 exitus ἐν ψαμάθοισιν deest).

II. Memorandum est intransitivam vim huius verbi in eodem carmine ι 149[2]): κελσάσῃσι δὲ νηυσὶ καθείλομεν ἱστία πάντα exstare, in quo idem poëta verbo usus est transitivo. Hoc loco nequit ullus accusativus velut νῆας subaudiri; νηῦς enim ipsum subiectum factum est. Res potius sic se habet: cum paulatim memoria et recordatio ellipseos ex animis elapsa sit, verbum ipsum vice intransitivi fungi incipit et iam quolibet subiecto instrui potest. Sic nostra in lingua „antreiben", quo κέλλω redditur: „ich treibe das Schiff ans Land = lande"; „ich treibe ans Land"; „das Schiff treibt ans Land = landet". Adsimulari potest compositum ἐπικέλλω, cf. ι 148, ν 114; sed de hoc vide infra.

Addam, quae Grasshofius[3]) adnotavit de proprio sensu verborum κέλλω et ἐπικέλλω: „Ein Mittelding zwischen dem Flottlegen und dem gänzlichen Aufziehen auf das Trockene ist das κέλσαι und ἐπικέλσαι, welches ν 114, ι 138 geschieht, indem man das Schiff mit dem Vorderbug auf den Sand laufen lässt, sodass das Steuerende noch im Wasser steht. Aber auch hierbei ist ein Anbinden durch Taue vorgenommen worden."

D. ἐπικέλλω

item legitur tantum in Odysseae mediis partibus, in ι et ν.

Lexicographi, ut Autenriethius, Seilerus, Ebelingius, huic

---

[1]) Cf. Faesii prooemium Odysseae ed. p. 40.

[2]) Cf. schol. ad h. l.: τὸ κέλσαι καὶ ἐπικέλσαι ἐν λιμένι στῆναί ἐστιν; quocum consentit Eust. 1620, 21: καταπλεῦσαι καὶ κέλσαι καὶ ἐπικέλσαι τὸ ἐλλιμενισθῆναί ἐστιν.

[3]) Das Schiff bei Homer u. Hesiod, Düsseldorf, Progr. 1834, p. 29.

composito ι 138: ἀλλ' ἐπικέλσαντας μεῖναι χρόνον transitivam vim attribuendam esse censuerunt. Quamquam illa per se ipsa ferri potest, tamen multo praestat alteram notionem statuere, praesertim si in hac non debet offendi. Etiamsi Ap. 73, 23 adnotans: ἐπὶ τὸ ξηρὸν ἀγαγόντας, ὁρμήσαντας transitivum hoc verbum esse accipiendum vult, tamen recentioribus editoribus Ameisio et Faesio assentior, qui hanc sententiam repudiarunt.[1]) Memineris, quaeso, eorum, quae in simplici κέλλω sub II exposui. Potest quidem substantivum (νῆας) cogitatione subaudiri, sed in antecedentibus enuntiatis non est commemoratum; ergo verbum respondet nostrae dictioni „sie treiben ans Land“.

Nonnulli porro ι 148 (πρὶν νῆας ἐυσσέλμους ἐπικέλσαι) ἡμέας ut accusativum subiecti subaudiri volunt, verbum transitivum intellegentes. At cf. intransitivam vim simplicis κελσάσῃσι in subsequente versu et ν 114: ἡ (scil. νηῦς) μὲν ἔπειτα | ἠπείρῳ ἐπέκελσεν, ubi ἐπικέλλω quoque ad subiectum νηῦς spectat.

---

§ 4.
De verbo ἵημι per ellipsin obiecti ὕδωρ intransitivo facto.

Optimam de verbi ἵημι etymologia coniecturam mihi quidem protulisse videntur Curtius, Et.[5] 401, eumque secutus Vaničekius II, 748.[2]) Quorum ex opinione ἵημι causativum radicis *i* („ire“) est et significat „efficio, ut eatur“. Nostra non transitivam, sed intransitivam huius verbi usurpationem interest contemplari.

Duobus Odysseae locis η 130 et λ 239 fieri nullo modo potest, ut ὕδωρ alicunde suppleatur. Quapropter ex Kuehneri[3]), Kruegeri[4]), Seileri sententia verbum intellegere intransitivum

---

[1]) Item schol. *R* verbum intrans. accipiunt: ἐν λιμένι στῆναι.

[2]) Fickius[3] II, 258 verbum ad radicem *sa* („movere“) reducit (σί-ση-μι pro ἵημι). Principales vero notiones haud ita multum a se differunt.

[3]) § 373, 2 β.

[4]) Di. § 52, 2, 8.

cogimur. Atque per ellipsin vocis *ὕδωρ*, ut equidem suspicor, intrans. vim accepit. Dictio vero *ἱέναι ὕδωρ*, si copiam respicias locorum, raro apud Homerum nobis in conspectum venit, sed quid refert? Aperte minus trita erat neque saepe occasio eius usurpandae dabatur. Aliquoties tamen sic loquitur poëta: *M* 33: *ᾗπερ πρόσθεν ἵεν*[1]) (i. e. *ποταμοί*) *καλλίρροον ὕδωρ*. Similiter compositum *προΐημι B* 752: *ὅς ῥ' ἐς Πηνειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ*. *Φ* 158: *Ἀξιοῦ, ὃς κάλλιστον ὕδωρ ἐπὶ γαῖαν ἵησιν*. Qui versus etiamsi optimo iure a criticis in interpolationis suspicionem est vocatus, tamen illam dictionem fuisse usitatam confirmare potest.

Peculiaris notio effundendi praeterea invenitur *M* 25: *ἐννῆμαρ δ' ἐς τεῖχος ἵει ῥόον* (de Apolline dictum).

Compositis *ἐσίημι, ἐξίημι* nondum Homerus, sed sermo posthomericus similiter ac simplici verbo usus est. Cf. Her. VII, 109: *ἐς τὴν ποταμοὶ δύο ἐσιεῖσι τὸ ὕδωρ*; *ἐξίημι* intrans. Herod. I, 61: *Ἅλυς ποταμὸς ἐξίει ἐς τὸν Εὔξεινον καλεόμενον πόντον*; Strab. XII, 544: *ὁ Ἅλυς ἐξίησιν ἐς τὸν κόλπον* (cf. schol. adn. *ἐλλειπτικῶς τὸ ὕδωρ*). Manifesto in eis enuntiationibus, quarum subiecta sunt fluvii aquaeve, et simplex et composita possunt intransitive usurpari.

Intransitivum, ut iam dixi, verbum scriptum videmus illis duobus Odysseae locis: *η* 130: *ἡ* (*κρήνη*) *δ' ἑτέρωθεν ὑπ' αὐλῆς οὐδὸν ἵησιν*; *λ* 239: *ὃς* (*ποταμὸς*) *πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησιν*.

---

§ 5.
De verbo *διατρίβω* per ellipsin obiecti *χρόνον* intransitivo facto.

Διατρίβω ex consensu omnium etymologorum[2]) primitus transitivum est cum principali significatione conterendi. Quae

---

[1]) Etsi nonnulli codices veteresque grammatici dissentiunt et diversam lectionem praebent, hanc scripturam solam esse probandam recte admonet Spitznerus ad h. l.

[2]) Cf. e. c. Curtium, Et.[5] 222, Vaniček. I, 299.

propria notio uno tantummodo loco apud Homerum servata est *Λ* 847: *ἐπὶ δὲ ῥίζαν βάλε πικρὴν* | *χερσὶ διατρίψας*. Reliquis vero locis translata retardandi notio invenitur, intransitiva morandi semel *T* 150: *οὐ γὰρ χρὴ κλοτοπεύειν ἐνθάδ' ἐόντας οὐδὲ διατρίβειν· ἔτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον*. De huius intransitivae notionis origine tacent lexicographi Homerici, sed vix dubium esse potest, quin intransitivus usus ex ellipsi obiecti *χρόνον* sit profectus. Tametsi locutio ipsa *διατρίβειν χρόνον* ab Homero aliena est, non potest cogitari, qua alia via significatio et retardandi et morandi in verbum irrepserit.

Ceterum locutio *διατρίβειν χρόνον* exemplis ex Herodoto et bonis scriptoribus Atticis solutae orationis satis comprobata est; praeterea coniunctiones similes *διατρίβειν βίον, ἡμέραν, ἔτος, ἐνιαυτόν* usitatae fuerunt.

Si forte quaerit quispiam, cur veteres poëtae epici illiuscemodi dictiones vitaverint, respondeam causam vitandi poëtis fortasse fuisse eam, quod illae dictiones parum poëticae, i. e. eleganti sermoni parum decorae consentaneaeque esse videbantur. Qua de causa eiusmodi dictiones etiam a sermone omnium poëarum posthomericorum abhorrent. Sed etiam casu factum esse potest, ut eiusmodi dictiones ab Homero alienae sint, quippe quod verbum *διατρίβω* haud ita saepe apud Homerum inveniatur. Certe iam ante Homerum pariter atque in aliis verbis dictiones cum obiecto et sine obiecto in usu sermonis cotidiani versabantur; tantum vero in hoc verbo nostro plenam dictionem (*διατρίβειν χρόνον*) ut poëtico sermoni minus convenientem poëtae consulto vitabant.

Postremo quod ad originem locutionis *διατρίβειν χρόνον* attinet, mirum videri potest, quod verbum ad obiectum *χρόνον* translatum est. At certe nobis solis haec translatio mira esse videtur, quippe quae nobis sit inusitata. Nonne in Latina dictione „tempus terere", qua Graeca illa dictio *διατρίβειν χρόνον* reddenda est atque in qua „terere" ad eandem radicem spectat quam *τρίβειν*, eandem translationem observamus? Doederleinii[1]) suspicio, ex qua fortasse e sequentibus verbis *ἔργον ἄρεκτον* pro obiecto ad *διατρίβειν* attrahendum est, aperte absurda est.

---

[1]) Hom. Gloss. nr. 670.

Accusativo apposito verbum denuo transitivum factum est cum nova significatione retardandi vel retardando impediendi *Δ* 42; *υ* 341.

β 265: *τὰ δὲ πάντα διατρίβουσιν Ἀχαιοί.* Interpretatio Stephani „atterunt et absumunt“ vel Ebelingii „male consumunt, profundunt“ naturae loci non accommodata est.

β 204 sq.: *ὄφρα κεν ἥ γε διατρίβῃσιν Ἀχαιοὺς | ὃν γάμον.* Ad accusativum propioris obiecti accusativus verbalis, quem vocant, accedit: *γάμον* est cum Ameisio ad h. l. pro *διατριβὴν γάμου* accipiendum.

De *β* 404: *μὴ δηθὰ διατρίβωμεν ὁδοῖο* in diversas abeunt partes sententiae interpretum. Alii, ut Ameisius, Faesius, Seilerus, e v. 402 obiectum *ἑταίρους* ad verbum supplent et *ὁδοῖο* genetivum, qui ablativi munere fungitur, explicant, ut *διατρίβειν* similiter ac *βλάπτειν τινὰ κελεύθου* *α* 195 et *δεῖν τινα κελεύθου* *δ* 380 constructum sit; alii, ut Doederleinius Ebelingiusque, *ὁδοῖο* genetivum partitivum e verbo ipso suspensum esse existimant. Sed cum non satis perspiciatur, quid genetivus partitivus ad verbum *διατρίβω* appositus sibi velit, priorem antefero sententiam.

Caput II.

In hoc capite secundo pertractabo ea verba, quorum intransitiva notio non ex obiectorum ellipsi enata est. Iam supra p. 3 sq. commemoravi in istis verbis ellipsin pronominis reflexivi, qua verbum intransitivum fieri grammatici putaverunt, statui prorsus non licere. Sic Lobeckius[1]), ut unum ex eis nominem, pronomen reflexivum esse omissum inde collegit, quod id e. c. imprimis verbis remittendi, concedendi, laxandi eorumque synonymis centies additum est. At minime Lobeckius sententiam Bernhardyi[2]) labefactavit, qui isto supplemento ad intransitivam notionem explicandam uti nos vetat. Etenim hoc Lobeckio obicias, locis tantummodo scriptorum posthomericorum pronomen reflexivum ad illa verba adiunctum esse, non in ipso Homero, apud quem proprium pronomen reflexivum nondum est excultum. Cf. Ameisii append. ad *Z* 522. Ceterum intransitivam vim verbi *μεθίημι*, a quo Lobeckius in disputatione sua proficiscitur, plane alio modo explicare studui; vide infra p. 78 sq.

Gravissimum tamen argumentum contra Lobeckii opinionem statim afferam. Lobeckius enim omnesque ii, qui in eadem sunt sententia, partim ea, quae grammatica comparativa, quae dicitur, de verbo eiusque vi docet, ignoraverunt partim neglexerunt. Itaque disputatio nostra, ut rectam ingrediatur viam, in fundamento grammaticae comparativae nixa initium faciet a principali cuiusque verbi notione, quae ex verbi in singulis linguis Indogermanicis significationibus cognosci potest. Atque prout prima

---

[1]) In commentario ad Aiacis v. 250.

[2]) Synt. p. 340.

cuiusque verbi vis est intransitiva aut transitiva, verba in diversas partes dividenda sunt. Si omnia verba huc pertinentia percensebimus, inveniemus multo plurima verba principali esse vi intransitiva, pauca tantummodo transitiva. Qua de causa in plurimis verbis de ellipsi pronominis reflexivi sermo nequit esse.

Quod porro ad ea verba, quorum principalis vis est transitiva, attinet, notio intransitiva multiplici ratione in ea irrepsit. Quomodo intransitivae notiones ex mea quidem suspicione sint ortae, id in singulis verbis notavi. Verumtamen confiteor me nescire, quomodo vis intransitiva in compluria verba penetrarit. Fortasse id suspicari licet homines Graecos analogia multorum verborum duplici notione praeditorum, quae primitus intransitiva causativam acceperant vim, adductos esse, ut verbis primitus transitivis duplicem tribuerent notionem.

Nunc nonnulla de partitione verborum adiciam. Primum mihi agendum erit de verbis primitus intransitivis, deinde de verbis primitus transitivis, tum de iis verbis, quibus principio vis et transitiva et intransitiva inhaeret, postremo de iis, quorum principalis notio certo erui non potest. Quibus verbis sunt in appendice quadam ea verba subnectenda, in quibus utramque notionem inesse homines docti censuerunt, sed meo quidem iudicio sola altera inest.

§ 1.

De verbis primitus intransitivis.

Quorum transitiva notio causativa est appellanda. Ista causativa notio, nisi alia via, qua transitiva vis in verbum influere potest, dilucide indicatur, plerumque eo orta est, quod transitiva notio, quae activi propria esse videbatur, in eius formas descendere coepit. Cum enim formae medii et activi notione accurate distingui coeptae essent, medio principalis notio intransitiva reservabatur, causativa vero activi formas coepit occupare.[1]) Profecto in permultis verbis causativae notioni

[1]) In hac disputatiuncula in universum sequor G. Kuehnii sententiam, quam ille Curtii auctoritate nisus pronuntiavit in dissertatione sua Marburgensi 1877, quae inscribitur „de aoristi passivi formis atque usu Homerico“, p. 4 sqq.

contigit, ut principalem intransitivam vim omnino ex activo ad medium exturbaret; contra in nonnullis verbis pauca vestigia prioris notionis intransitivae in activo relicta sunt. In multis tamen verbis intransitiva notio in certis formis activi, quae in loquentium cogitatione ab activo separatae esse videntur, ut in aoristo et perfecto secundo, penitus insedit. At ista verba, in quibus intransitiva notio in aoristo et perfecto secundo activi inveteravit, accuratius perscrutari parum hoc loco interest, quia ipsa notio intransitiva semper tantum in illis formis inhaeret.[1]) Denique causativa notio in reliquis verbis plus minusve activo potita est.

Dubium non potest esse, quin causativa notio in illis verbis posterior sit. Non praesto erat Graecis id adiumentum, quo aliae linguae Indogermanicae ad causativam notionem efferendam utuntur, i. e. formatio novorum verborum causativorum. Sic e. c. lingua Sanscritica suas illi causativae notioni formas effingit nec minus lingua Gotica, quae, ut causativam notionem verbi intransitivi exprimat, e praeteriti singulari numero verbi intransitivi suffixo *i* adnexo nova conformat verba. Cf. Braunii gramm. Got.[2] § 188. Graecos, quippe qui carerent eiusmodi formatione, activo causalem sensum tribuisse facilem habet explicationem.

Hoc vero infitiari noluerim, verba causativa, ut ita dicam, a Graecis unquam esse ficta; etenim verba in -*όω* et in -*ίζω* cadentia nonne causativa significatione saepissime sunt instructa? At vero ista verba a Graeca lingua multo post novata sunt eaque tamquam circuitu quodam non ab ipso verbo intransitivo, sed a substantivo ad verbum intransitivum spectante derivata.

---

[1]) Ea verba, quorum intransitiva vis in formis quibusdam activi insedit, non solum ex Homero, sed ex universa lingua Graeca collegit G. Kuehnius in libello, qui inscribitur: „Das Causativum in der griechischen Sprache“ (Progr. Doberan 1882), p. 19 sqq. Idem attulit ea verba primitus intransitiva, in quibus causativa notio exoritur eo, quod formae quaedam activi, imprimis aoristus I, novantur, quamobrem eorum enumeratione supersedeo; cf. e. g. *ἔβησα* aoristum I vi causativa instructum, qui ad intransitivum *βαίνω, ἔβην* pertinet.

A. Multo maximam partem verborum primitus intransitivorum complectuntur ea verba, quibus communis est notio se movendi.

1. ἐπισπέρχω.

Etymologi[1]) cum verbo σπέρχω contulerunt verbum Sanscriticum „sparh", quod ad animum translatum significat „streben, eifern, begehren", verbumque nostrum „springen".[2]) Translata illa notio verbi Sanscritici suborta est aperte e principali vi sensibus subiecta ruendi vel saliendi, quae subest verbo Graeco σπέρχω. Neque enim illa ex transitiva notione incitandi, quae in verbo composito ἐπισπέρχω praeter intransitivam invenitur, potest derivari. Prima igitur notio est intransitiva, ex qua in lingua Graeca causativa vis nata est. Quae coniectura de prima notione prolata adiuvatur intransitiva significatione, quae et activo et medio verbi σπέρχω apud Homerum et posteriores inest.

Nonnulli tamen, ut Papius et Vaničekius (II, 1189), ex activo verbi σπέρχω apud Homerum intransitivam notionem exturbari volunt verbumque *N* 334: ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι et γ 283: νῆα κυβερνῆσαι, ὁπότε σπέρχοιεν ἄελλαι pro transitivo accipiunt. At etiamsi γ 283 νῆα e superioribus pro obiecto suppleri posse concedo, tamen hoc uno loco *N* 334 verbum posse intellegi transitivum pernego ex hisce tribus causis. Primum non est perspicuum, quid pro obiecto sit subaudiendum; dein illud additum ὑπὸ λιγέων ἀνέμων transitivae notioni vix aptum est; postremo v. 337 ὣς ἄρα τῶν ὁμόσ' ἦλθε μάχη a transitiva notione verbi σπέρχωσιν in v. 334 dissentit; etenim manifesto pugnatores impetuose in se irruentes cum procellis irruentibus poëta comparare vult. Cui loco quoniam versus 283 carminis γ est consimilis, hoc quoque Odysseae loco intransitivam potestatem transitivae praeferendam esse probabile est.

I. Compositi ἐπισπέρχω intransitiva notio agnoscatur oportet ε 304 ἐτάραξε δὲ πόντον, ἐπισπέρχουσι δ' ἄελλαι | παν-

---

[1]) Cf. Curt. Et.[5] 191; Vaniček. II, 1189; Fick.[3] II, 281; L. Meyer., Vgl. Gr.[2] I, 929.

[2]) Cf. Kluge, Etymolog. Wörterbuch der deutschen Sprache, Strassburg 1889[4], p. 335 s. v. „springen".

τοίων ἀνέμων, ubi transitiva notio locum habere nequit, praesertim cum vv. *N* 334 et *γ* 283 ei simillimi sint.

II. Causativa notio incitandi invenitur *Ψ* 430 *Ἀντίλοχος δ' ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἔλαυνεν | κέντρῳ ἐπισπέρχων*, ubi poëtae animo obiectum *ἵππους* obversatur, et *χ* 451 *σήμαινε δ' Ὀδυσσεὺς | αὐτὸς ἐπισπέρχων, ταὶ δ' ἐκφόρεον καὶ ἀνάγκῃ*, ubi obiectum *γυναῖκας* e superioribus subaudiendum est, i. e. in recentiore Iliadis carmine et in Odyssea.

2. *τρέπω* et *ἐπιτρέπω*.

a. τρέπω.

Utrum propter notionem verborum et Latini „trepido" et Sanscritici „trap" (proprie „me averto", vulgo „pudet me") cum verbo Graeco *τρέπω* collatorum[1]) intransitivam radicis potestatem statuere nobis liceat necne, nescio. Certe transitivus usus activi et in verbo simplici et in composito per universas Graecorum litteras regnat. Fortasse vero intransitiva vis pro vetustiore habenda est. Eandem notionem commendat aoristus II activi *ἔτραπον*[2]), in quo vestigia pristinae notionis intransitivae relicta esse videntur. Res in hoc verbo similiter se habet atque in verbo *τρέφω*, cuius aoristus II *ἔτραφον* vim primitus intransitivam retinuit, nisi quod ex aoristo *ἔτραπον* intransitiva notio a causativa notione per totum activum regnante paucis locis exceptis expulsa, in aoristo autem *ἔτραφον* uno loco excepto servata est.

Cognoscimus autem vim intransitivam in aoristo *ἔτραπον* *κ* 469 *περὶ δ' ἔτραπον ὧραι*, fortasse etiam *Π* 657 *ἐς δίφρον δ' ἀναβὰς φύγαδ' ἔτραπε*. Tamen hoc loco etiam de ellipsi obiecti *ἵππους* cogitari posse Ameisio ac Faesio libenter concedo.

b. ἐπιτρέπω.

Transitive hoc compositum proprie significat „aliquid alicui advertere". Sed iam apud Homerum haec notio sensibus

---

1) Cf. Fick.³ II, 110.

2) Recte Kuehnius, Das Causativum, p. 19, hunc aoristum, quem aoristum e radice formatum nominat, in numerum eorum aoristorum, a quibus notionem primitus intransitivam reservari videmus, veluti *ἔτραφον*, *ὦρον* etc., rettulisse videtur.

subiecta evanuit induitque sibi verbum translatum sensum aut committendi aut permittendi.

Sine certo obiecto verbum legitur in Odyssea *τ* 502 *ἐπίτρεψον δὲ θεοῖσιν* et *φ* 279 *ἐπιτρέψαι δὲ θεοῖσιν,* quibus locis obiectum generalis notionis subaudiendum est, Germanice „stelle es den Göttern anheim", i. e. „permitte cetera, exitum rei deis". Similiter ait Horatius in carm. I, 9, 9 „permitte divis cetera". Quod obiectum tam universi generis homines Graeci haud difficile e toto sermonis contextu intellegebant, praesertim cum iis talis brevis dicendi modus qualis nobis non suppeteret. Hic dicat quispiam eiusmodi locutionem non esse significationi confidendi dissimilem.

Etiam in hoc composito aoristus II intransitivum usum tenuit, sed cum translata notione confidendi, quae ex significatione se committendi suboritur, *K* 59 *τοῖσιν γὰρ ἐπετράπομέν γε μάλιστα.* Hoc loco recte Iacobitzius Seilerusque ac Papius in lexicis Graecis verbum intellegi volunt intransitivum. Iniuria vero Seilerus postea in lexico Homerico a superiore interpretatione recedens ex anteeunte *φυλάκεσσι* verbum *φυλάσσειν* pro obiecto simul audit. Sed quanto simplicior altera explicatio fuit?

Intransitiva porro notio, tametsi Ebelingius obiectum esse omissum censet, haud dubie subest *K* 79 *ἐπεὶ οὐ μὲν ἐπέτρεπε γήραϊ λυγρῷ,* ubi omnes editores Aristarchi suffragio plerumque permoti *ἐπέτρεπε* scribunt. At equidem putaverim hoc loco restituendum esse aoristum II *ἐπέτραπε,* quem profecto plurimi praestantissimique codices, in quibus Venetus A (*ἐπέτρεπε* supra scripto) et Laurentianus B, exhibent. Sensus huius loci est: „Nestor miserae senectuti non indulsit". Iam schol. Townl. eandem significationem indicat adnotans *ἀντὶ τοῦ οὐκ ἐδίδου ἑαυτὸν τῷ γήρᾳ οὐδὲ ὑπετάττετο αὐτῷ.* (Similiter Hesych. *ὑπεχώρει.*) Quae significatio indulgendi ex intransitiva notione se permittendi suboritur.

Verbum *ἐπιτρέπω* etsi iam non significat proprie motionem, tamen hoc loco enumeravi, ne compositum a verbo simplici disiungatur.

3. ὁρμάω.

Hoc verbum est denominativum a substantivo ὁρμή ductum. Ὁρμή, quantum perspicio, apud Homerum significat impetum cursumque atque ad animum translatum notionem studii voluntatisque in se suscipit. De eius etymologia cf. Curt. Et.[5] 347; Vaniček. II, 1020; Fick.[3] I, 227.

Nobis quaerentibus, utra significatio sit antiquior, transitiva an intransitiva, Pfordtenus[1]) transitivam indicat notionem, L. Meyerus[2]) vero intransitivam. Atque Meyeri sententiam rectam esse censeo. Etenim per se ipsum consentaneum est, siquidem nominis ὁρμή notio est „impetus, incursio, cursus" vel simile quid, verbum a nomine derivatum idem in forma actionis verbalis significare ac nomen, nempe „impetu ferri, ruere, irruere". Ex ipsa igitur nominis natura ac significatione efficitur necessario intransitiva vis ac potestas verbi. Transitiva contra notio excitandi ex ipsa nominis natura non statim potest effici. Immo nobis licere videtur transitivam notionem iudicare causativam. At causativa notio non potuit in activo ita consistere ut in multis aliis verbis, quorum ex activo principalem notionem intransitivam aut funditus eiecit aut ita eiecit, ut exempla pauca pristinae notionis relinquerentur.

Etiam post Homerum causativae notioni, etsi saepius adhibetur, non contigit, ut intransitivam vim ex activi formis plane exturbaret. Etenim intransitiva vis etiamtum in activo maxime regnat. Ceterum transitiva notio activi bis tantummodo in prosa oratione Attica apud Xenophontem legitur.

I. Intransitive activum quater in Iliade invenitur: *Δ* 335 cum genetivo; *N* 64; *Φ* 265; *X* 194 cum infinitivo finali. Eadem intransitiva vi totum medium utitur.

II. Cum transitivo accusativo personae activum coniungitur *Z* 337, cum accusativo rei *σ* 376.[3])

---

[1]) von der Pfordten, Zur Geschichte der griechischen Denominativa, Leipzig 1886, p. 11.

[2]) Vgl. Gr.[2] I, 89.

[3]) Tertius locus *ϑ* 499 ὁ δ' ὁρμηϑεὶς ϑεοῦ ἤρχετο, ubi transitiva activi constructio in passivam conversa esse dicitur, a lexicographis interpretibusque transitivae huius verbi notioni adnumeratur. Hic

Composita huius verbi apud Homerum modo solam transitivam modo intransitivam vim habent, sed post Homerum ad alteram altera notio accessit. Similiter res se habet in verbo *ὁρμαίνω*, quod pariter ac verbum *ὁρμάω* ab eodem nomine *ὁρμή* ductum est; apud Homerum sola transitiva vis adest, aetate autem posthomerica utraque notio et transitiva et intransitiva in usu versatur.

4. *δειδίσσομαι.*

Hoc verbum pertinet ad *δείδω*, cuius de etymologia varias homines docti sententias protulerunt. Cf. Curt. Et.[5] 61; Vaniček. I, 374; Grassmann, KZ. XI, 11. Utrumque verbum et *δείδω* et *δειδίσσομαι* e radice „di", cuius prima notio secundum Curtium (Et.[4] 645) „scheue Eile, Furcht" est, radicis syllaba duplicata conformatum est. Equidem cum Fulda[1]), quamquam is verbum ad aliam radicem reducit, notionem fugiendi fuisse naturalem autumo, unde verbo ad animum translato (*θυμῷ* nempe additum est) significatio timendi exorta est.

Quod porro attinet ad singularem notionem, qua verbum nostrum a simplici verbo *δίω* discrepat, hoc monendum est,

---

vero genetivum *θεοῦ* non distrahendum esse a participio *ὁρμηθείς* neque cum *ἤρχετο* coniungendum contra Bergkium, Griech. Lit. Gesch. I, 434 adnot. 31, recte animadvertit Duentzerus, Die homer. Fragen Lipsiae 1874 p. 159. Iam schol. Pal. ambigunt, quemadmodum illud *ὁρμηθεὶς θεοῦ* sit interpretandum; adnotant enim *ἀπὸ τῆς μούσης ἐμπνευσθείς· ἢ ἀπὸ θεοῦ ἀρξάμενος.* Quorum prior explicatio quin verum sensum reddat, nemo post Nitzschii commentationem (in libro, qui inscribitur „erklärende Anmerkungen zur Odyssee", vol. II, Hannover 1831) ad *θ* 499 dubitabit. Verumtamen *ὁρμηθείς* passivum esse propter nudum genetivum *θεοῦ*, qui ablativi vice fungitur, non crediderim; exempla Homerica, in quibus nudus genetivus sive ablativus pro praepositione *ὑπό* locum habere potest, mihi quidem non sunt nota. Quare aoristo *ὁρμηθείς* tribuam medii intransitivam notionem, quam servatam esse ab aoristo I passivi in aliis verbis Homericis videbimus. Ita si interpretamur, genetivus ille personae *θεοῦ* non iam praebet explicandi difficultates. Hoc modo Faesii adnotationem ad h. l. „von der Gottheit der Muse ausgehend, d. h. von ihr angeregt" recte explanasse atque illustrasse mihi videor.

[1]) Untersuchungen über die Sprache der homer. Gedichte I: der pleonastische Gebrauch von *θυμός, φρήν*. Duisburg 1865, p. 99.

verba, quorum prima syllaba duplicata est, aut intensivam aut causativam vim prae se ferre.[1]) In verbo nostro utraque vis coniuncta est; et causative usurpatur et intransitive usurpatum intensiva praeditum est vi.

De usu verbi cf. praeter lexica etiam La Roche, Hom. Stud. § 77, 8.

I. Intransitive verbum legitur semel *B* 190 δαιμόνι', οὔ σε ἔοικε κακὸν ὣς δειδίσσεσθαι. Tametsi interpretes omnes notionem timendi huic loco subesse iudicant, tamen vetustam significationem fugiendi aptiorem esse toti rerum et sententiarum nexui quam trepidandi equidem censeam. Omnes enim Achaei, cum Agamemnonis consilium redeundi exaudiverint, contento cursu petunt naves, quibus in Graeciam effugiant. Ulixes a Minerva admonitus fugientes retinere studet et ad eum regum, quemcumque fugientem conspicit, loquitur illa verba, quae supra attuli. Mihi quidem et propter antecedens ἐρητύσασκε et propter subsequentem cohortationem ἀλλ' αὐτός τε κάθησο[2]) propria significatio fugiendi longe melius quam illa universa „perterreri" in contextum quadrare videtur. Accedit, quod in Agamemnonis oratione (vv. 110—141) multo minus inest, quo Achaei ad metum terroremque quam quo ad fugam possint perduci.

II. Transitive vel rectius causative verbum ponitur. Etiam e causativa vi prior designatio tamquam pellucet; significat enim verbum causativum manifesto „efficio, ut quis fugiat, i. e. abigo" *Σ* 164 ὥς ῥα τὸν οὐκ ἐδύναντο δύω Αἴαντε κορυστὰ | Ἕκτορα Πριαμίδην ἀπὸ νεκροῦ δειδίξασθαι. Ad *Δ* 184 θάρσει, μηδέ τί πω δειδίσσεο λαὸν Ἀχαιῶν similem interpretationem habet schol. B εἰς φυγὴν παρακάλει διὰ τοῦ ἐμοῦ θανάτου. Fortasse eadem notio etiam *O* 196 χερσὶ δὲ μή τί με πάγχυ κακὸν ὣς δειδισσέσθω agnosci posse videtur.

Reliquis autem locis *N* 810 τί ἢ δειδίσσεαι αὔτως | Ἀργείους; *Y* 201 = 432[3]) μὴ δή μ' ἐπέεσσί γε νηπύτιον ὣς |

[1]) Scite de notione eorum verborum, quorum prima syllaba duplicata est, disputavit G. Curtius, Die Bildung der Tempora und Modi im Griechischen und Lateinischen, Berlin 1846, p. 154.

[2]) Cf. etiam infra in vv. 200 sqq. Ulixis orationem ad viros fugientes habitam.

[3]) Cf. Ameisii et Faesii adnotationes ad hunc locum.

ἔλπεο δειδίξεσθαι liquidoque *M* 52 ἀπὸ γὰρ δειδίσσετο τάφρος | εὐρεῖ᾽ iam nova potestas territandi reperitur, sub qua lexicographi primam notionem falso assumpserunt.

Multo vero facilius potest cogitari generaliorem territandi notionem ex notione fugiendi magis sensibus subiecta manavisse, quam contrarium factum esse.

Qua mea huius verbi notionum explicatione cum illam notionem a Fulda statutam dimidio fere exemplorum aptam esse perspexerimus, Fuldae coniecturam aliquantulum stabilivisse mihi videor.

5. De βάλλω eiusque compositis.

a. βάλλω.

Verisimile est Curtium[1]) recte coniectasse, qui intransitivam huius verbi notionem pro vetustiore quam transitivam habuit. Sed hoc haud multum nostra refert. Etenim hoc pro certo haberi oportet, iam diu ante Homerum praeter intransitivam vim in activo exstitisse causativam eamque paulo post tantopere praevaluisse, ut ad extremum paucae intransitivae designationis reliquiae servarentur.

Principalis significatio fuisse dicitur „cadere, labi, volare"[2]). Saepissime verbum de aqua adhibitum est. Cf. βάλλω in Homerico versu infra afferendo; ἐσβάλλω Thuc. I, 46, 4 Ἀχέρων ποταμὸς ῥέων ἐσβάλλει εἰς αὐτήν (i. e. Ἀχερουσίαν λίμνην); ἐμβάλλω Xen. anab. I, 28 (ὁ Μαρσύας ποταμός) ἐμβάλλει εἰς τὸν Μαίανδρον; Plat. Phaed. 112 D ἐμβάλλει εἰς τὸν Τάρταρον; Dem. 55, 11 τὸ ὕδωρ ἐμβαλὸν τὰ χωρία ἐλυμήνατο (cf. ἐμβολή ostium); ἐκβάλλω cf. Plat. Phaed. p. 113 A Τρίτος δὲ

---

[1]) Et.[5] 474. Cum Curtio faciunt etiam Vaniček. I, 212; L. Meyer., Vgl. Gr.[2] I, 719; G. Meyer., Graeca gr.[2] § 193. Ex Curtii sententia, ut miras Doederleinii, hom. Gl. nr. 322, suspiciones mittam, βάλλω cum Sanscritico verbo „galâmi" („herabträufeln") et cum verbo Germanico priscae aetatis „quillu" (scaturio), i. e. nostro „quelle" cohaeret.

[2]) Naturali etiam sensui huius verbi documento sunt hi loci, ubi verbum iam causativum est: δάκρυ δ 114. 198. 223; ἐκβάλλω δάκρυα τ 362; ὕπνον α 364; λύματ᾽ εἰς ἅλα *A* 314, ubique significans „efficio, ut quid cadat".

ποταμὸς τούτων κατὰ μέσον ἐκβάλλει multaque alia similia exempla.

Bis tantummodo apud Homerum verbi intransitiva vis servata est. Λ 722 ἔστι δέ τις ποταμὸς Μινυήιος εἰς ἅλα βάλλων. Vetusta cadendi significatio agnoscenda est. Ψ 462 ἦ τοι γὰρ τὰς (i. e. ἵππους) πρῶτα ἴδον περὶ τέρμα βαλούσας „equas circum metam actas, currentes conspexi“.. Ameisius et Faesius in edd. Kurtzio[1]) obsecuti hunc et sequentes vv. 463, 464 iure expunxerunt, quod illi versibus 465 sqq. obstant.

b. ἐμβάλλω.

Etiam in hoc composito transitivus vel causativus usus praevalet; etenim verbum duobus tantum locis Homericis notionem primitus intransitivam[2]) retinuit. Post Homerum demum intransitiva significatio paulo saepius legitur.

Lexicographi, ut Passovius et Papius, intransitivum huius verbi usum ex ellipsi diversorum obiectorum natum esse arbitrantur. Aperte illi principalis notionis intransitivae verbi βάλλω, quam supra commemoravi, ignari fuerunt.

Sed consideremus Homeri usum. Bis tantummodo, ut iam dixi, in Odyssea intransitivam notionem invenimus: ι 489 ἑτάροισι δ' ἐποτρύνας ἐκέλευσα | ἐμβαλέειν κώπης[3]), ἵν' ὑπὲκ κακότητα φύγοιμεν = κ 129. Quibus locis quam apta sit significatio illa cadendi, nos docere potest ι 490 οἱ δὲ προπεσόντες ἔρεσσον, quo in versu iussum ab Ulixe datum (cf. ι 489) ab eius sociis perfici narratur. Hic enim eadem actio, quae ι 489 verbo ἐμβαλέειν denotatur, verbo προπεσόντες significatur. Videmus igitur κώπης ἐμβάλλειν vel προπίπτειν artis navalis vocabula, ut ita dicam, fuisse.

De ellipsi obiecti χεῖρας his locis cogitari nequit ob eam causam, quod dictio χεῖρας ἐμβάλλειν plane inusitata fuisse videtur; etenim illa ne semel quidem, tametsi verbum satis multis exemplis comprobatur, neque apud Homerum neque apud

---

[1]) Philol. XXXVI, 562 sqq.

[2]) Kruegerus Di. § 52, 2, 7 intransitivam vim huiusce verbi ab Homero abesse perperam contendit.

[3]) Hic dativus est localis. Cf. πεδίῳ πέσε (Delbrueck., Synt. Forsch. IV, 57).

scriptores posthomericos exstat. Atque, ut vidimus, in eis verbis, quae per ellipsin obiecti cuiusdam intransitiva sunt facta, ea dictio, ex qua obiecto omisso notio intransitiva oriebatur, aliquotiens quidem usurpari solebat.

Eadem dictio *ἐμβάλλειν κώπαις* in Pind. Pyth. 4, 201 et Apoll. Rhod. II, 591 recurrit.

c. ἐπιβάλλω.

I. Semel verbum apud Homerum intransitive construitur cum accusativo, quo actionem verbalem aliquo referri indicatur *ο* 297 *ἡ δὲ Φεὰς ἐπέβαλλεν* „navis rectum cursum Pheas tenuit"; cf. schol. V *προσήει· ἀντὶ τοῦ παρήει.*

II. Causative verbum legitur *Ψ* 135; *ζ* 320.

d. συμβάλλω.

Etiam in hoc composito nonnulla principalis notionis intransitivae vestigia et apud Homerum et apud posteros scriptores sunt relicta.

Apud Homerum verbum causative sexies decies legitur, ter tantummodo intransitive. *Π* 565 *Τρῶες καὶ Λύκιοι καὶ Μυρμιδόνες καὶ Ἀχαιοί, | σύμβαλον ἀμφὶ νέκυι κατατεθνηῶτι μάχεσθαι.* Eandem sententiam quam h. l. activum praebet medium *Μ* 377; *Γ* 70 etc.

Praeterea intransitivam vim in formis activi aoristi secundi[1]), qui cum metathesi et sine vocali coniunctiva fictus est, inhaesisse videmus *Φ* 578 *πρίν γ' ἠὲ ξυμβλήμεναι ἠὲ δαμῆναι.*

Duobus locis, quos adhuc posui, verbum significat „congredi cum hoste"; de notione singulari, quae invenitur *Φ* 578, cf. adnotationes Ameisii et Faesii ad hunc locum. Idem porro aoristus secundus exstat *φ* 15 *τὼ δ' ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιιν,* ubi simpliciter valet „convenire, obviam venire alicui".

6. De verbis sidendi vel sedendi.

Utraque vi apud Homerum praedita sunt haec sola verba: *ἵζω, καθίζω, ἱζάνω*; contra cetera composita simplicium *ἵζω*

---

[1]) De formatione huius aoristi cf. Curt., Verb.[2] I, 194; II, 229. 379.

et ἱζάνω (ἐφίζω, μεταΐζω, παρίζω, προκαθίζω; ἀμφιζάνω, ἐφιζάνω) semper potestatem intransitivam ostendunt.

a. ἵζω.

De praesentis formatione cf. G. Meyer., Gr. gr.[2] § 500. — Haud dubie principalis vis est intransitiva, sicuti verba verbo ἵζω respondentia in plurimis linguis Indogermanicis eadem intransitiva notione sunt instructa. Affine est verbum nostrum „sitzen"; cf. Fick.[3] II, 260; Curt. Et.[5] 240.

Quod ad significationem attinet, ἵζω ceteraque similia verba notiones et sedendi et considendi habere possunt. Duplicis eiusmodi notionis exempla non desunt; etenim res haud secus se habet de verbo Theodisco mediae aetatis „sitzen", quod in significationes et „sitzen" et „sich setzen" discedit. Itidem verba Theodisca mediae aetatis „ligen" utramque notionem et „liegen" et „sich legen", „stên" significationes et „stehen" et „sich stellen" habere possunt.

Quacum verbi vi primitus intransitiva usus Homericus bene congruit. Etenim ἵζω quattuor et triginta locis omnino, sed duobus tantummodo transitive apud Homerum legitur. Sexies habes medium intransitivum.

Notatu dignum videtur illos duos locos, quibus verbum causative construitur, in recentioribus Iliadis membris exstare: *Ω* 553 μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε et *B* 53 βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων | Νεστορέῃ παρὰ νηί. Quo loco codices omnes transitivum accusativum βουλήν exhibent. Nominativus βουλή, quo restituto verbum est intransitivum, gravi Aristophanis Aristarchique nititur praesidio. Ameisius ipse in appendice ad h. l. permire veterum criticorum lectionem commendat propterea, quod, si illa scriptura adoptata sit, actio in vv. 53sqq. descripta melius faciliusve anteeuntem excipiat actionem. At vero dubitari, opinor, non potest, utra sit genuina scriptura. Etenim, si nominativum Aristarcho obsecuti revocaverimus, non satis quisquam perspiciet, qua causa commoti illi senes ad concilium convenerint atque resederint. Si quis antecedentia accuratius inspexerit, nonne ei ille senum conventus inexspectatus esse videbitur?

Ceterum in universis Graecorum litteris causativa notio

praeter locos Homericos bis tantummodo invenitur in sermone poëtico apud Aesch. Eum. 18 et Apoll. Rhod. II, 36, primaria vero notio frequentissime.

b. καθίζω.

In hoc composito causativa notio frequentior quam in simplici verbo est. Sed regnat hic quoque intransitiva potestas, quae quater et vicies legitur. Ebelingius verbo attribuit notionem sedendi; at ista nonnisi in duos locos *Γ* 394 et *O* 50 [1]) cadit. Reliquis locis illud compositum „considere" significat.

Causative verbum octies reperitur. Formae aoristi I activi sexies apud Homerum obviae semper causativa utuntur potestate: *Γ* 68 = *H* 49; *I* 480; *T* 280; *δ* 659 *μνηστῆρας δ' ἄμυδις κάθισαν καὶ παῦσαν ἀέθλων* (*μνηστῆρας*, non *μνηστῆρες* esse scribendum mihi est persuasum; cf. ea, quae sub *παύω* de huius loci lectione disseram); *ρ* 572; *Z* 360; *β* 69.

c. ἱζάνω.

Hoc verbum in praesenti tempore et imperfecto tantummodo usitatum est. Stirps ἱζ est per *αν* amplificata. Ceterum et linguae Graecae et Sanscriticae est stirpes praesentis temporis suffixis nasalibus adiunctis acuere et firmare.[2]) Quid vero illud novum suffixum *αν* sibi velit, homines docti adhuc ignorant.[3]) Neque discrepantia inveniri poterit inter significationes verborum ἵζω et *ἱζάνω*.

Id mentione dignum est verbum *ἱζάνω* tantum in recentissimis carminibus Iliadis et in Odyssea legi.

I. Intransitive verbum adhibetur *ω* 209, translate *K* 92 de somno ad oculos delabente. Pariter translate *ἐφιζάνω* occurrit *K* 26.

II. Causativa notio adest *Ψ* 258 *αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς | αὐτοῦ λαὸν ἔρυκε καὶ ἵζανεν εὐρὺν ἀγῶνα*; cf. *B* 53. Hoc uno loco in omnibus Graecorum litteris, quantum scio, *ἱζάνω* causative adhibetur.

---

1) Cf. schol. V ad *O* 50 *ἀπὸ μέρους ἀντὶ τοῦ εἵης*.

2) Cf. R. Fritzsche, Curt. Stud. VII, 383.

3) Cf. G. Meyer, Gr. gr.² § 504.

7. θύω.

Cum in hoc verbo duae notiones furendi et sacrificandi, quae a se longe distare videntur, sint coniunctae, saepenumero grammatici et etymologi in disceptationem vocarunt, quomodo hae duae significationes inter se cohaereant. Curtius igitur in Et.[5] 259 eumque secutus Vaničekius I, 407; 410 duas notiones ad eandem radicem revocant, cui vim vehementis motionis attribuunt. Quae vis principalis ex istorum opinione discessit in hasce notiones: 1) „brausen — erregen“, 2) „rauchen — räuchern“, 3) „opfern“, in quibus altera notio et tertia artissime inter se connexae sunt. Attamen non licet, opinor, cum illis hominibus doctis regredi ad primariam vim tam generalem, ut eodem fere iure ex ea notiones currendi, ruendi, fluendi multarumque aliarum vehementium motionum deduci possint. Quodsi illi etymologi principalem notionem statuerunt quam maxime universam, illa notio mihi tamquam philosophicae cogitationis ope statuta esse videtur, ut sub hac diversae notiones possint assumi.

Quapropter, si notiones ex una communi vi derivandae sunt, multo praestabit ad antiquiorem illam explicationem, quae exstat in Passovii lexico, redire. Iste enim notionem exardescendi et vehementer surgendi statuit, qua illae duae notiones inter se copulantur. Unde fluxerunt primum notio causativa efficiendi, ut quid exardescat, vel comburendi praecipue ad sacra translata, deinde intransitiva notio generalior „impetu quodam ferri, furere“. Similiter in lingua Latina notio ardendi et fervendi de igne ad furorem animi concitati traducta est. Quacum notionum deductione concinit significatio nominum ab eadem stirpe derivatorum θυιάδες, θῦσαι, θυστάδες, in quibus non solum inest notio sacrificii, sed etiam animi concitati.

Complures vero notiones inter se dissimiles ex una radice proficisci posse elucet e verbo πρήθω, cuius principalis vis „sprühen“, prout ad aquam aut ad aërem aut ad ignem traducta est, discurrit in notiones effundendi aut flandi aut cremandi; cf. Curt. Stud. IV, 228 sq.

Quamquam Passovii illa explicatio mihi quidem non prorsus certa videtur, quia non satis intellego, qua via notio ex-

ardescendi ad generalem illam „ferri cum impetu“ pervenerit Quamobrem ista deductio aliquid artificiosi continere videtur. Praeterea permirum est verbum *θύω* cui inhaeret sacrificandi notio semper, versu *ο* 222 [1]) excepto, omniaque eiusdem stirpis derivata vocabula plerumque vocalem *υ* habere correptam, verbum contra *θύω* cui inhaeret furendi notio omniaque huiusce stirpis derivata vocabula vocalem *υ* habere semper productam

Fortasse igitur cum Autenriethio et L. Meyero [2]) verbum similiter atque *ἐρωέω* (vide infra) in duo verba secandum erit. At concedo me non esse tam gnarum praeceptorum grammaticae comparativae, ut hanc quaestionem ad liquidum possim perducere.

B. De verbis splendendi et ardendi.

1. *προφαίνω.*

φαίνω (ex *φάν-jω*) spectat ad „bhan“, radicem secundariam e „bha“ profectam, cui, sicuti ex verbo Sanscritico „bhâ“ (splendere, apparere) colligere nobis licet, intransitivam vim fulgendi vel lucendi inhaerere verisimile est. Cf. Curt. Et.[5] 296; Vaniček. II, 572; Fick.[3] II, 163; L. Meyer., Vergl. Gr.[2] I, 749, maximeque de prima significatione statuenda Kluge, Et. Wb. d. deutschen Spr.[4], Strassburg 1889, s. v. „bohnen“.

Quae intransitiva potestas servata est non solum a mediis cunctorum verborum, quae ad eandem stirpem lucendi utcunque pertinent, sed etiam ab activis nonnullorum verborum, ut *παμφαίνω* (verbum intensivum est syllaba *φαν* duplicata fictum), quod verbum semper intransitivum est; adde etiam formam *φάε*. Ad illa accedunt *προφαίνω,* quod verbum semel apud Hom. intransitivam prae se ferre notionem mihi videtur, et *φαίνω,* quod tamen ex mea quidem opinione a posterioribus tantum poëtis, non ab Homero intransitive usurpatum est. De verbi *φαίνω* usu Homerico infra agam. Verbi *προφαίνω* intransi-

---

[1]) Opinio Doederleinii, hom. Gl. nr. 2474, qui *θῦε* in *θῦσε* emendari vult, prorsus spernenda est; etenim imperfectum *θῦε* propter antecedentia imperfecta *πονεῖτο* et *εὔχετο* retineri oportet. De vocalis *υ* productione coniecturam protulit Faesius ad h. l.

[2]) Vgl. Gr.[2] I, 662 sq.

tivus usus invenitur ι 145 οὐδὲ σελήνη | οὐρανόθεν προὔφαινε, κατείχετο δὲ νεφέεσσιν, „neque luna e caelo splendebat“.

Inutile mihi quidem videtur Doederleinii[1]) propositum, qui, ne cogatur intransitivum usum statuere, αὐτά, quod obiectum plane inane est, vel τὰ πρὸ ποδῶν suppleri vult. Praeterea id unum addam, nec φαίνω nec προφαίνω transitive de collustrando usquam offerri.

Aliquotiens tantummodo certa notio intransitiva post Homerum legitur; causativa enim notio efficiendi, ut quid in lucem prodeat, vel praemonstrandi intransitivam vim multo superavit.

In hoc verbo fortasse, ut opinor, cognosci potest, qua via quarumque cogitationum ope intransitiva notio in causativam sit transgressa. Quem transitum equidem conicio factum esse hoc fere modo. Intransitiva notio quasi duas partes complectitur. Res, quae splendida est („hell ist“) sive splendet, ea non solum per se ipsa splendida est, sed etiam, sicuti consentaneum est, in se ipsa habet facultatem ac potestatem lucem vel splendorem ex se effundendi (Helligkeit verbreiten). Quae notio lucis effundendae haud longe abest a transitiva notione. Denique simulatque accusativus se applicavit, verbum prorsus transitivam vim ac potestatem in se suscipit ita, ut significet „lucem super aliquid fundere, i. e. collustrare, illustrare“ (Helligkeit verbreiten über etwas, i. e. hell machen, erleuchten, zeigen), quae propria significatio identidem atque in Latino vocabulo „illustrare“ generalem ac translatum sensum sibi assumpsit.

(Istum usum significationis „lucem fundere“, qua actio verbalis obiecto deficiente indicari videtur, absolutum ex vulgari lexicographorum consuetudine significem.)

Quodsi Papius absolutum usum subesse Odysseae locis η 100—102 χρύσειοι δ' ἄρα κοῦροι ἐυδμήτων ἐπὶ βωμῶν | ἕστασαν αἰθομένας δαΐδας μετὰ χερσὶν ἔχοντες | φαίνοντες νύκτας κατὰ δώματα δαιτυμόνεσσιν et τ 25 δμῳὰς δ' οὐκ εἴας προβλωσκέμεν, αἵ κεν ἔφαινον animadvertit, iste recte sensit significationem vere intransitivam locis citatis non posse inveniri propterea, quod non res, quae ipsae splendent, sed personae, quae non ipsae splendent, sed nonnisi lucem prae-

---

[1]) Hom. Gl. nr. 2188.

ferunt vel praebent, hic nominantur. Sic videmus hic actionem inesse, non condicionem. Tum notio lucem ex se effundendi gradatim se convertit in generaliorem lucem praebendi vel efficiendi, ut lux oriatur, sive quod lux ex ipso subiecto effunditur, sive quia a subiecto efficitur, ut lux aliqua ratione oriatur. His rebus expositis non opus est cum Doederleinio *η* 102 *νύκτας* pro transitivo accusativo habere et *τ* 25 *τὴν νύκτα* vel *ὁδόν* subaudire, quae coniunctiones ex causa supra commemorata multum habent offensionis.

Quare cum verbum *φαίνω* aperte non eadem utatur vi qua *προφαίνω· ι* 145, Seilerus et Ebelingius lexicographi illis locis verbo *φαίνω* intransitivam notionem iniuria attribuerunt.[1])

Eodem modo ac de illis locis, de quibus modo disserui, de *σ* 308 et 343, ubi *φαείνω,* et de *σ* 310, ubi *ἀναφαίνω* legitur, erit iudicandum.

Aetate tamen posthomerica, ut iam memoravi, *φαίνω* intransitive usurpatur. Quodsi Papius hunc usum adesse negare ac solum absolutum illum usum agnoscere videtur, errat; cf. e. c. *Φαίνων,* cognomen Saturni, stellae vagae, in quo notio vere intransitiva agnoscatur oportet. Etenim aperte illi stellae ob splendorem hoc nomen inditum est.

Causative, ut ad *προφαίνω* revertar, illud verbum semel apud Hom. usurpatur *μ* 394 *τοῖσιν δ' αὐτίκ' ἔπειτα θεοὶ τέραα προὔφαινον.*

2. *φλεγέθω.*

Hoc verbum a Graecis demum (una cum *φλέγω*) a radice *φλεγ* novo suffixo adiuncto derivatum est. Propinqua sunt verbum Latinum „fulgere“ et Theodiscum priscae aetatis „bleechen“, quorum utrumque tantum intransitivam prae se fert notionem. Principalis igitur notio est „fulgeo, splendeo“. Cf. Curt. Et.[5] 188;

---

[1]) Admonere velim formam iterativam *φάνεσκε(ν)* *Λ* 64; *λ* 587; *μ* 241. 242, quae intransitivum sensum habet, huc non esse referendam, quia non ab aoristo II activi *ἔφανον* semel in varia lectione *Π* 299 tradito, sed ab aoristo II passivi *ἐφάνην* repetenda est. Cf. Thierschii gr. Gr.[3] § 210 c et Ameisii Faesiique adnott. ad *λ* 587 contra Kuehneri gr. Gr.[2] § 215, 2 b. Quacum derivatione significatio apparendi, quam praebet illud *φάνεσκε*, melius concinere videtur.

Vaniček. II, 617. Ut saepissime ita hic notiones fulgendi et flagrandi confluxerunt. Verbi φλεγέθω causativam vim incendendi vel cremandi Homerus semel *P* 738 praebet, verborum autem φλέγω, ἐπιφλέγω causativam solam, non intransitivam novit vim.

Verbum φλεγέθω et φλέγω atque ἐπιφλέγω, verba eiusdem generis, tantum in Iliade leguntur.

Wentzelius[1]) ut in omnibus verbis in -θω exeuntibus ita in verbo φλεγέθω significationes inesse paululum discrepantes a significationibus eorum verborum, a quibus originem suffixis adiunctis duxerunt, diligentissime disputavit. Qua ratione notio alterius verbi cum θ suffixo conformati ab alterius primarii verbi significatione differat, statim exponam: Wentzelius enim comparat verba in -θω desinentia cum verbis frequentativis linguae Latinae similiter formatis, quibus repetita vel continuata actio proponitur. Verborum in -θω exeuntium usum Homericum percensens et in parabolis et in descriptionibus status alicuius et in enuntiatis, in quibus actio vel iterata vel nondum absoluta sit, locum eis praecipuum esse ille perspexit. Itaque fit, ut nonnulla verba intensivam notionem, quam vocant, sibi induant. At fieri non potest, ut hanc Graeci sermonis elegantiam in lingua nostra apte reddamus.

I. Significatio intransitiva legitur *Σ* 211 πυρσοί τε φλεγέθουσιν ἐπήτριμοι; *Φ* 358 οὐδ᾽ ἂν ἐγώ σοί γ᾽ ὧδε πυρὶ φλεγέθοντι μαχοίμην. Quo loco alii interpretes, in quibus La Rochius, Ameisius, supplent obiectum ἐμέ aut ἐναντίους, verbum transitivum esse rati. Per se ipsa illa sententia ferri potest. Sed si sine ullo sensus detrimento intransitiva vis poterit agnosci, intransitivam notionem causativae haud dubie anteponemus. Nec dissimiliter nostro loco, quo Vulcanus aptissime πυρὶ φλεγέθων nominatur, *κ* 513 nomen Πυριφλεγέθων fluvio cuidam infernorum locorum est inditum, in quo φλεγέθων sine ulla dubitatione pro intransitivo necesse est accipi.

II. Causativa notio invenitur *P* 738. Passivum causativae significationis lexicographi statuerunt *Ψ* 197 ὄφρα τάχιστα

---

[1]) Qua vi Homerus posuit verba, quae in -θω cadunt. Quaest. de dictione Homerica. Fasc. I. Oppoliae, progr. 1836, p. 14. 16; de verbo φλεγέθω p. 37.

πυρὶ φλεγεθοίατο νεκροί. At mihi quidem non passivum, sed medium intransitivum h. l. inesse videtur, quod quidem certe prope ad passivum accedit. — Tametsi adhuc nemo passivi apud Homerum usum accuratius perscrutatus est, tamen eum tam late, quam vulgo lexicographi Homerici putare videntur, iam apud Hom. diffusum esse negare audeo. Etenim sicubi medium intransitivum statuere poterimus, in hoc quidem iudicio nobis licebit acquiescere.[1]) Sensus ille „ut mortui flagrarent (in) igne“ optime quadrat.

C. *παρακλίνω.*

Klugio[2]) aliisque auctoribus principalis vis radicis Indogermanicae, ad quam Latinum verbum „(de)clino“ et Theodosicum priscae aetatis „hlinên“, i. e. nostrum „lehnen“ pertinent, fuit intransitiva, „sanft ansteigen, eine schiefe Stellung, eine schräge Lage einnehmen“. Etiam verbum Latinum „declino“ et transitive et intransitive pariter ac *παρακλίνω* adhibetur.

In verbo Graeco iamdudum ante Hom. causativum usum praevaluisse apparet; vestigia tamen pristinae notionis intransitivae in verbo *κλίνω,* cuius intrans. notio aetate posthomerica exemplis probatur, et in composito *παρακλίνω* sunt relicta *Ψ* 424 *ὀλίγον δὲ παρακλίνας ἐδίωκεν.*

Causativa significatio invenitur *υ* 301 *ὁ δ' ἀλεύατ' Ὀδυσσεὺς ἦκα παρακλίνας κεφαλήν.*

D. De verbis nascendi et crescendi.

1. *φύω.*

Ex significatione eorum verborum, quae in aliis linguis verbo Graeco respondent, velut Scr. „bhû“ (werden, sein) et Lat. „fui“, licet cum Curt. Et.[5] 304 colligere principalem notionem fuisse intransitivam „wachsen, werden“. Cf. Vaniček II, 633; Fick.[3] II, 172.

Quam vim intransitivam in lingua Graeca medium *φύομαι*

---

[1]) Cf. argumentationem Delbrueckii in „Synt. Forsch. IV, 78 sq.“

[2]) Et. WB. d. deutschen Spr.[4] s. v. „lehnen“. Cum Klugio consentit L. Meyer, Vgl. Gr.[2] I, 639.

retinuit, activum vero, ut in multis aliis verbis, aoristo secundo et perfecto exceptis, causativum sensum in se suscepit.

Commemoratione dignum est non solum perfectum II πέφυα, sed etiam perfectum I intransitivam reservasse notionem.

Activum praeter aoristum II et duo illa perfecta primariam servavit notionem in forma praesentis *Z* 149 ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει, quo de loco sub verbo λήγω fusius dicam. Ad ea argumenta, quae ibi attuli ad refellendam illam opinionem, ex qua φύει pro transitivo verbo accipitur, id addam, φύει ideo esse intransitivum intellegendum, ut comparatio illa, quam hoc loco habemus, in se habeat veritatem quandam; etenim non procreans, sed procreatum manifesto comparatur.[1])

Ceterum intransitiva praesentis significatio non modo apud Hom. reperitur, verum etiam apud posteriores poëtas cf. Theocr. 4, 24; 7, 75[2]), rarissime in oratione soluta.

2. τρέφω.

Si animo reputamus ea verba, quae etymologi[3]) ex aliis linguis Indogermanicis petita revocarunt ad eandem radicem quam τρέφω, velut Sanscriticum „tarp" (sich sättigen) et Lithavicum „tàrp-ti" (gedeihen), natura esse intransitiva, vim intransitivam etiam verbo Indogermanico tribuere nobis fortasse licet, ut in lingua Graeca causativam notionem, ut saepius factum est, activo potitam esse statuamus. Intransitiva notio ad medium confugit, in activo autem a perfecto II τέτροφα et aoristo II ἔτραφον[4]) servata est.

Editores vero Homeri grammaticique in angustias dubitationesque eo inciderunt, quod cum in veteribus commentariis tum in libris manuscriptis Homericis formae aoristi ἔτραφον

---

1) Bekker., Hom. Blätter I, 13.

2) Meinekius ad h. l. eam sententiam, ex qua intransitiva notio ex praesenti coniectura eicienda est, iure infregit.

3) Cf. Curt. Et.[5] 224; Fick.[3] II, 103; L. Meyer., Vgl. Gr.[2] I, 51. 1001.

4) Homerus hac forma ἔτραφον pro aoristo utitur, non pro imperfecto, ut Dorienses, qui solum praesens tempus τράφω noverunt, quandoquidem Homerus imperfectum ἔτρεφον usurpat. Cf. Curt., Verb.[2] II, 1.

confusae sunt cum formis aoristi II passivi ἐτράφην. Itaque factum est, ut alii, veluti Thierschius in gr. Gr. § 215, 45[1]), iudicio Herodiani nixi eas formas, quae vulgo ad aoristum II activi referebantur, pro formis aoristi passivi acciperent, alii, in quibus Buttmannus (A. G.² II, 307 sqq.), Ahrensius (Formenlehre p. 91), quin etiam Curtius (Verb.² II, 21) aoristum passivi, cum ille posterior esset formatio, ex Homero tolli ac pro eo ubique levibus mutationibus aoristum activi restitui vellent.

At utraque sententia, ut mihi quidem videtur, nimis audax fuit. Nam, ut primum ad Thierschii opinionem nos convertamus, correptio vocalis η in aoristo passivi inaudita est in omnibus personis omnium reliquorum verborum excepta tertia persona pluralis. Quae correptio, quae in tertia pluralis persona reperitur, aperte in eo posita est, quod suffixum ν, non σαν ut in dialecto Attica, ad stirpem temporalem accessit. Ceterum hanc sententiam plurimi grammatici recentioris aetatis repudiarunt, quamobrem eam diligentius examinare supersedeo.

Quod porro attinet ad alteram sententiam huic contrariam, a qua etiam Curtius non abhorrere videtur, haud satis intellego, quo iure aoristus II ille passivi ab Homeri carminibus abiudicandus sit, utpote quem et codices optimi Homerici et veteres grammatici satis testentur. Num Homero aoristi II passivi similiter ficti ignoti sunt? Unius aoristi simillime formati ἐτάρπην saepius apud Homerum obvii commonefacere mihi liceat. Dicat quispiam linguae Homericae non opus fuisse aoristum passivi ἐτράφην novare, quippe quae iam aoristum ἔτραφον idem quod ἐτράφην significantem haberet. At lingua Graeca numquam verebatur novas formas creare, etiamsi eae formae, quae iam in usu versabantur, ei abunde sufficiebant. Eodem iure Homerum vituperes, quod ille praeter formam ἐτάρπην nulla significationis differentia formis ἐτέρφθην et ἐτάρφθην usus sit. — Denique Curtius aliique, qui hanc defendunt sententiam, admonent omnibus locis, quibus aoristus passivi ἐτράφην traditus sit, formas aoristi activi facili negotio reponi posse provocantque

[1]) In formis ut ἐτραφέτην etc. vocalem η correptam esse et in forma ἔτραφ' potius alteri syllabae (ἐτράφ') accentum adiciendum Thierschius existimat.

sententiae magis fulciendae causa ad vestigia, quae illis locis in codicibus Homericis sint relicta. — At, si veram rei rationem exigis, ex novem locis, quibus codices aoristum passivi exhibent, duobus tantummodo *δ* 723 et *κ* 417 in singulis codicibus pro *τράφεν* varia lectio *τράφον* exstat, reliquis autem locis formae aoristi passivi (*τράφη* *Γ* 201; *Λ* 222; *ἐτράφημεν* *Ψ* 84[1]); *ἔτραφεν* sive *τράφεν* *Α* 251. 266; *Ψ* 348; *ξ* 201) codicum omnium vel certe plurimorum testimoniis confirmantur.

Aoristus II activi *ἔτραφον* cum intransitiva significatione invenitur *Β* 661[2]); *Ε* 555; *Η* 199; *Φ* 279; *γ* 28.

Semel tantummodo in recentiore Iliadis carmine *Ψ*, quod iam tot loquendi proprietates ostendit, in v. 90 *ἔνθά με δεξάμενος ἐν δώμασιν ἱππότα Πηλεὺς | ἔτραφέ τ' ἐνδυκέως καὶ*

---

[1]) *Ψ* 84 *ἀλλ' ὁμοῦ, ὡς ἐτράφημεν, ἐν ὑμετέροισι δόμοισι* vulgaris scriptura est, in qua acquiescimus. Ita versus in cod. Laur. A, Syr. Pal. nonnullisque aliis codicibus et ab Eustathio legitur. Recentiores autem editores, ut La Rochius, Nauckius, Christius Buttmanno (A. G. II² 308) praeeunte a codicum scriptura digressi scripserunt ex coniectura partim *ἀλλ' ὁμοῦ, ὡς τραφομέν περ*, partim multo minus bene *ὡς δ' ὁμοῦ ἐτράφομέν περ*. Lectionem meliorum librorum *ἀλλ' ὁμοῦ, ὡς ἐτράφην περ* sententiarum connexui ob singularem numerum parum esse aptam La Rochio aliisque libenter concedo. Hoc vero nego, etiam lectionem *ὡς ἐτράφημεν* emendandam esse propterea, quod vocalis *ε* augmenti in verbo *τρέφειν* nusquam apud Homerum correpta est. Etenim id frequenter evenire solet, ut apud Homerum muta cum liquida iuncta ut *τρ* modo efficiant, ut brevis vocalis praecedens producatur, modo quantitatem eius integram relinquant, prout compositio versuum poëtae exposcere videtur. Contemplati igitur Homericas formas verbi *τρέφω* ab augmento incipientes videmus omnes eiusmodi formas in hexametro nullam aliam mensuram admittere nisi eam, in qua augmentum *ε* ante *τρ* producitur; formam autem *ἐτράφημεν* poëta, si modo eam adhibere voluit, nullo alio modo rhythmo dactylico accommodare potuit nisi sic, ut primam syllabam ante mutam cum liquida iunctam corriperet.

[2]) Cum La Rochio (cf. ed. crit.) legendum est *Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ ἐυπήκτῳ* omnibus fere codicibus adstipulantibus. Quo iure Spitznerus et Dindorfius, quamquam codicum lectio ne minimam quidem offensionem habet, Barnesii illud *τράφη ἐν*, quod iste scripsit memor locorum *Γ* 201 et *Λ* 222 *ὃς τράφη ἐν* (quod quidem unus deterior codex et schol. ad Pind. Ol. VII, 36 praebent) contra codicum auctoritatem tenuerint, nescio.

σὸν θεράποντ' ὀνόμηνεν causativa vel transitiva notio aoristi ἔτραφον invenitur.

Quam transitivam notionem ut removeret, Spitznerus contra plurimos optimosque libros imperfectum ἔτρεφε nonnullos deteriores libros et testimonia veterum secutus scripsit. Verumtamen in lectione optimorum codicum fide confirmata permanere posse mihi videor. Quidni enim e praesenti tempore atque aoristo I activi semper transitive usurpatis transitiva notio quandoque in aoristum II activi irrepere potuerit, praesertim cum transitivam notionem etiam in perfectum II activi intransitivum τέτροφα aetate posthomerica velut in Soph. Oed. C. 186 et in posterioribus poëtis pedetentim descendere observemus?

E. De verbis desistendi et quiescendi.

1. λήγω.

De huius verbi principali significatione varias ac discrepantes explicationes etymologi prodiderunt. Buggius, Curt. Stud. IV, 334, verbum ad radicem „lagh" revocans transitivam notionem „lege nieder, weg, lasse aufhören, besänftige" esse principalem censuit, sed hanc sententiam impugnavit Curtius, Verb.[2] I, 224. Ex omnibus ceteris opinionibus, quas homines docti, ut Schoenbergius K. Z. XVIII, 311, Leo Meyerus K. Z. XXIII, 412, proposuerunt, probabilissima videtur ea, quam habent Curtius Et.[5] 183; Vaniček. II, 830; Fick.[3] II, 217. Ex eorum sententia λήγω verbo Latino „langueo" cognatum est. Verbi igitur principalem vim fuisse intransitivam atque ex ea causativam notionem esse ortam verisimile est. Composita huius verbi apud Homerum obvia ἀπολήγω, μεταλήγω revera solo intransitivo munere funguntur. Notatu dignum est causativam notionem verbi λήγω nusquam alibi nisi in Homero legi.

Quoniam vero Leo Meyerus[1]) de verbi λήγω significatione copiosissime disserens ad contrariam pervenit opinionem, eius causas exactissimo iudicio examinare opus erit. Is enim tran-

---

[1]) Cf. Bezzenbergers Beiträge zur Kunde der indogermanischen Vorzeit VI, 298 sqq.

sitivae notioni maiorem aetatem quam intransitivae tribui vult. Quod ut demonstret, universum huius verbi eiusque compositorum usum Homericum perlustrans sibi videtur reperire verbo conspicuam notionem actionis ab ipso subiecto profectae contineri neque eo umquam significari, ut Meyeri ipsius verbis utar, „ein zu Ruhe kommen“, sed semper „ein Ende machen, ein gewolltes Aufhören“. — Hanc tamen significationem non omnibus locis Homericis subesse docet *Z* 149 *ὣς ἀνδρῶν γενεὴ ἣ μὲν φύει, ἣ δ' ἀπολήγει,* de quo loco, ut illum sensum modo commemoratum ei subdere possit, miram interpretationem pronuntiat. *Φύει* enim transitivum verbum intellegens sententiam illius loci sic reddit: aliud genus hominum efficit, ut homines nascantur, aliud desinit (ad quod alterum verbum e contextu subaudit „efficere, ut homines vivant“).[1] Eiusmodi interpretationem permiram esse nemo non sentiet; neque enim quisquam e contextu ad *ἀπολήγω* umquam supplet „efficere, ut homines vivant“. Nullus homo, nedum poëta ille egregius, unquam dicet genus hominum cessando id efficere, ut homines moriantur. Immo vero verbum intransitive valet id unum „interire“, in quo omnes lexicographi et interpretes concinunt.

Nec minus mihi displicet illa suspicio Meyeri, qui intransitivam notionem ex transitiva ortam esse omisso obiecto *χεῖρας* putat. Etenim parum verisimile est obiectum *χεῖρας* esse per ellipsin omissum, praesertim cum hoc obiectum semel tantummodo, Odysseae loco *χ* 63, verbo adnexum videamus. Hunc locum *οὐδέ κεν ὣς ἔτι χεῖρας ἐμὰς λήξαιμι φόνοιο* cum *Z* 107 *λῆξαν δὲ φόνοιο,* sicut iam Meyerus fecit, comparare possis. At *Z* 107 est certe unus locus, quo de ellipsi obiecti *χεῖρας* possit cogitari. Quam male haec ellipsis iis locis convenit, quibus *λήγω* cum participio construitur *I* 191; *Φ* 224; *ϑ* 87! Idcirco si Meyeri suspicionem sustentare vellemus, iam antiquissimis temporibus memoriam originis notionis intransitivae evanuisse putare cogeremur.

[1]) Iam ante L. Meyerum Heynius in editione sua *φύει* transitive esse positum ratus ad *ἀπολήγει* subaudire *φύειν* conatus est. Adversus Heynium cf. Bekkerum, Hom. Blätter I, 13 eaque, quae sub *φύω* dixi.

cipalis inhaeret vis fluendi. Quam ad radicem verbum ῥέω, quod eandem vim profecto praebet, in lingua Graeca pertinet.

Etiam duobus locis Homeri *Α* 303 = *π* 441 in verbo ἐρωέω ad hanc stirpem spectante eadem notio servata est. Verumtamen haec prima notio in vocibus, quae ad stirpem ῥωϝ[1]) ex ῥοϝ productam recedunt, plerumque in generaliorem[2]) vim cuiusvis vehementis motus se vertisse videtur. Hoc imprimis ex significatione nominis ἐρωή comparet, in quo iam nusquam retenta est significatio illa vetusta fluendi. Plurimis enim locis de iactu usurpatur, *Γ* 62 vero et *Ν* 590 de vi vibrandi, *Δ* 542 de impetu.

Alteram autem vocem etymologi illi, quos supra nominavi, repetiverunt ab ea radice, quae olim significasse dicitur „quiescere, desistere". Nostrum vocabulum „Ruhe" ut cognatum cum Graeco ἐρωή iure meritoque affertur.[3]) Eadem significatio vocis ἐρωή „Ruhe, Aufhören" sola est accommodata locis duobus Iliadis *Π* 302 = *Ρ* 761 πολέμου δ' οὐ γίγνετ' ἐρωή, quam locutionem Et. Magn. 380, 45 bene intellexit explicans τὴν κατάπαυσιν τοῦ πολέμου. Theocritus porro, qui 22, 192 huius versus exitum aperte imitatus est, ἐρωή non aliter nisi de cessatione usurpavisse potest. Sed pro hac interpretatione commendat schol. D ad *Π* 302 νῦν ὁρμή. ἔστι δὲ ὅτε καὶ τὴν ἡσυχίαν καὶ ἀνάπαυσιν δηλοῖ, atque Ebelingius in lex. ad hoc adnotat: „atque certe minore in tempus cum vi pugnabatur, etsi non omnino cessabant pugnantes, quare dubium esse potest, utra interpretatio praeferenda sit". At ego mihi persuasi illam scholii D interpretationem ἐρωή. ὁρμή (impetus) ineptam esse propter sequentem enuntiationem causalem οὐ γάρ πώ τι Τρῶες ἀρηιφίλων ὑπ' Ἀχαιῶν | προτροπάδην φοβέοντο. Nec magis eiusdem scholii interpretatio *Ρ* 761 convenit.

Consulto in hos locos diligentius ideo inquisivi, ut nomen

---

[1]) Cf. Vaničekium II, 1211.

[2]) Rem propemodum ex contrario se habuisse Fickius, K. Z. XXII, 375 docet. Sed de eo nihil firmi ac certi sciri potest. Quod tamen ille quoque vir grammaticae comparativae gnarissimus denegat alteram notionem huius verbi, nempe quiescendi, ex altera vi fluendi posse derivari, id gravissimi momenti est.

[3]) Cf. etiam Klugium s. v. „Ruhe".

iam ipsum aeque ac verbum duplici illa significatione esse praeditum demonstraretur.

Transire nunc licet ad tractationem verbi ipsius, quod unus ex omnibus lexicographis Autenriethius iure in duo verba secare ausus est.

I. ἐρωέω ad radicem pertinet, cui peculiaris notio fluendi fuit. Quamquam verbum hac notione praeditum intransitive tantum usurpatur nec propterea ad disputationem nostram pertinere videtur, tamen, quia sententiam eorum, qui diversas notiones ex una stirpe succrevisse putant, hodie maxime vulgatam esse video, exponere studebo, quo pacto singuli loci, quibus homonymon illud legitur, utrique verbo sint assignandi.

Ut supra commemoravi, de fluendo verbum dicitur *Α* 303 = *π* 441 *αἶψά τοι αἷμα κελαινὸν ἐρωήσει περὶ δουρί.*[1])

Dubitari potest, ubi composita ἐξερωέω et ὑπερωέω collocanda sint.

ἐξερωέω *Ψ* 468 *αἱ δ' ἐξηρώησαν* de equabus Eumeli dictum est. Hic facere non possumus, quin eisdem verbis sensum huius enuntiati circumscribamus quibus schol. B *ἔξω τοῦ δρόμου ὥρμησαν* et Eust. 1309, 33 *ἐκτὸς ὥρμησαν τῆς ὁδοῦ,* in quibus cunctae recentiorum interpretationes sunt positae. Praeter hunc Homeri locum ἐξερωέω semel tantummodo in litteris Graecis recurrit in Theocr. 25, 189 *ὥς εἰπὼν μέσσης ἐξηρώησε κελεύθου | Φυλεύς,* ubi ἐξερωέω eundem praebet sensum.

ὑπερωέω *Θ* 122 = 314 = *Ο* 452 *ἤριπε δ' ἐξ ὀχέων, ὑπερώησαν δέ οἱ ἵπποι.* Ap. Lex. 159, 8 verbum reddit *ὑπεχώρησαν,* quae explicatio ab omnibus interpretibus comprobata est.

In his igitur compositis, ut eorum notionis originem explanemus, verbum ἐρωέω haud secus ac nomen ἐρωή generaliorem notionem cuiusvis vehementis motus accepisse arbitrari cogimur.

II. ἐρωέω proprie significat „quiescere, cessare, desistere". Qua significatione omnes locos ad hoc alterum verbum ἐρωέω pertinentes optime interpretari possumus. Itaque non egemus interpretatione plurimorum lexicographorum, qui vertentes „recedo, retrogredior" scholiorum sententiam reddiderunt.

---

[1]) Pro *τοι* *π* 441 *οἱ* legitur.

A. **Intransitive verbum adhibetur:**

a. Absolute, i. e. sine ullo additamento, quo actio verbalis accuratius describatur, verbum ponitur *B* 179 *ἀλλ' ἴθι νῦν κατὰ λαὸν Ἀχαιῶν, μηδέ τ' ἐρώει; X* 185 *ἔρξον, ὅπῃ δή τοι νόος ἔπλετο, μηδέ*[1] *τ' ἐρώει.* Utroque loco Spitznerus *μηδ' ἔτ'* scribi iussit interpretatus „neve diutius cuncteris", cui Duebnerus in editione sua obsecutus est. Etiam Faesius, quamquam *μηδέ τ'* in textum recepit, significationem cunctandi probat. Sed recte admonuit Doederleinius verbo *ἐρωεῖν* „cunctari" nusquam designari. Offensionem autem, quam coniunctio *μηδέ τε* habere videtur, sustulerunt Naegelsbachius[2]) imprimisque Ameisius[3]), qui argumenta in sententiarum nexu posita atque exempla similium coniunctionum afferens et scripturam *μηδ' ἔτ'* et interpretationem Spitzneri esse perversam docet. Schol. L iam recte verbum intellexit explicans *μὴ παύου.* Recentiores vero interpretes, quoniam verbo *ἐρωεῖν* (quiescere) genetivus ablativi vice fungens more verborum desistendi adici solet, id, de quo Minerva *B* 179 non desistere iubetur, diverso modo subaudire studuerunt; ita Naegelsbachius supplet *τοῦ ἔργου,* Doederleinius *τοῦ ἐρητύειν.* Nec vero video, quo iure Doederleinius illud simul audiat; *ἐρητύειν* enim in v. 180 sequitur. Quid Doederleinius *X* 185 subaudiet, praesertim cum hoc loco oratio finita sit? Utroque igitur loco similiter atque in verbis nostris „ruhen, lässig sein" quicquam subaudire mihi quidem non necessarium videtur; sed quandoquidem id, quod nos notamus nostris verbis „ruhen, lässig sein", ad actionem, quae ei actioni, quam indicat verbum „ruhen", praecessit, se referre consentaneum est, *B* 179 illud *μηδέ τ' ἐρώει* ad antecedens *ἴθι* ac *X* 185 ad antecedens *ἔρξον* referendum est.

---

[1]) La Rochius in ed. crit. *X* 185 *μηδέ* multis codicibus auctoribus in *μή* et *δέ* dissecandum esse censet, etsi *B* 179 *μηδέ* scripsit. At si consideramus, qua ratione duae illae enuntiationes *B* 179 et *X* 185 sint compositae, adhortationem utroque loco primum affirmative datam, deinde negative repetitam esse videmus. Cur in enuntiationibus pariter compositis altera altero loco coniunctio ponatur, nemo satis dispicere potest. Optima coniunctio duorum imperativorum utroque loco haud dubie est *μηδέ τ',* quippe quae sententiae maxime conveniat.

[2]) Cf. adnot. ad *B* 179.

[3]) Cf. Neue Jahrbb. f. Phil. 59, 274.

Praeterea verbum ἐρωεῖν eo, de quo desistitur, non addito invenitur Ψ 433 αἱ δ' ἠρώησαν ὀπίσσω | Ἀτρεΐδεω, de equabus Menelai dictum „liessen nach"[1]) (Seilerus vertit „blieben zurück"). Ὀπίσσω ut vulgo ad verbum λείπεσθαι, ita hic ad ἐρωεῖν accessit. E praecedente ἐπιδραμέτην est δραμεῖν desumendum; etenim actio currendi aperte actioni desistendi et cessandi antecedit. Complures interpretes veterum explicationem ὑπεχώρησαν, ἀνεχώρησαν probant; Buttmannus verbum h. l. etiam fortiore dictione „zurückscheuen" reddit. At de recedendo equarum nequit sermo esse. Nam huic interpretationi adversantur ea verba in v. 443 μή μοι ἐρύκεσθον μηδ' ἕστατον ἀχνυμένω κῆρ, quibus Menelaus equas suas cohortatur. Maxime vero e subsequente enuntiato causali αὐτὸς γὰρ ἑκὼν μεθέηκεν ἐλαύνειν elucet illam interpretationem esse ineptam; etenim manifestissimum est equas propterea relaxare cursum, quod Menelaus ipse eas incitare desierat.

Postremo verbum absolute exstat μ 75 νεφέλη δέ μιν (sc. σκόπελον) ἀμφιβέβηκεν | κυανέη· τὸ μὲν οὔ ποτ' ἐρωεῖ. Etiam hoc loco non opus esse e superioribus σκοπέλου ad ἐρωεῖ simul audire cum Ahrensio iudico; vertit enim hic rectissime „lässt nie nach, ruhet nimmer". Illud τό, quod subiectum verbi ἐρωεῖ est, ad totam anteeuntem sententiam pertinet[2]) ac fere idem est quod τὸ κεκαλύφθαι τὸν σκόπελον τῷ νέφει, quam circumscriptionem iam veteres perhibent.

b. Genetivus rei ablativi vice fungens ad verbum accedit *N* 776 ἐρωῆσαι πολέμοιο, idem versus exitus *T* 170 adest; *Ξ* 101; *P* 422, quibus locis compositum ἀπερωέω *Π* 723 adnumerandum est.

B. Transitive verbum legitur *N* 57 τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν. Significatio est causativa[3]) „efficio, ut quis cesset", i. e. „averto, repello" (minus apte Ebelingius verbum Latino „retineo" reddit); illa causativa notio ut in aliis verbis, sic in hoc quoque ex intransitiva succrevit.

---

[1]) Hanc interpretationem habent Ameisius ad h. l. et Ahrensius, Ῥᾶ, ein Beitrag zur griech. Etymologie und Lexicographie, Programm Hannover 1873, p. 15 sqq.

[2]) Cf. Krueg. Di. § 58, 4, 1.

[3]) Cf. adnot. schol. V ἡσυχάσαι ποιήσαιτε.

Hoc loco Doederleinius ut transitivam ex activo excludat notionem, formam elisam ἐρωήσαιτ' non pro ἐρωήσαιτε, sed pro ἐρωήσαιτο accipiendam esse opinatur; subiectum θεῶν τις, quod e versu 55 deprompsit, eius opinione ad optativum huius medii spectat. At quicumque contextum et orationis Neptuni et rerum inspexerit, mecum illam interpretationem aspernabitur. Neptunus enim, qui in animo habet utrumque Aiacem admonere, ut Hectorem a navibus propulsent, vult dicere orationem concludens: „si quis deorum vobis animum iniecerit, Hectorem repellere poteritis". Quam perversum est dicere: „deorum aliquis Hectorem repellet!"

Ex transitiva vi ac potestate verbi nomen ἀπερωεύς deductum est Θ 361 obvium ἐμῶν μενέων ἀπερωεύς „qui consilia mea prohibet".

Eadem causativa vis huius verbi aetate posthomerica aliquotiens apud posteriores poëtas, ut Theocritum, Callimachum, Quintum Smyrnaeum occurrit.

Denique notatu digna videtur transitiva significatio relinquendi apud Theocr. 13, 74; 24, 99 et Anton. Lib. c. 7 p. 50 obvia, quam ex eadem transitiva vel causativa vi, quam modo commemoravi, esse ortam Ahrensius[1]) suspicatur. Ad hoc ille addit significationem „verlassen" ex notione „in Ruhe lassen", quae idem fere valeat atque causativa „zur Ruhe bringen", profluxisse. Sed notionem „in Ruhe lassen" ab illa causativa notione „zur Ruhe bringen" valde differre manifesto iste neglexit. Immo vero transitiva significatio „verlassen, in Ruhe lassen" significationi „ruhen, ablassen von etwas" satis propinqua est. Cum iungi soleret cum notione „ruhen" genetivus significans id, ad quod illa actio verbalis spectabat, paulatim factum est, ut hoc membrum magis magisque arte cum verbo cohaerere sentiretur. Ergo ad angustiorem cohaerentiam designandam pro genetivo accusativus est positus, atque intransitiva significatio cessandi transitivae significationi relinquendi cessit.

F. κυδάνω.

Verbi huius conformatio grammaticis magnam ambigendi ac disceptandi materiam attulit. Complures enim homines docti,

---

[1]) Ῥᾷ, ein Beitr. etc. p. 16.

ut lexicographi Autenriethius, Seilerus, Ebelingius, verbum esse denominativum a substantivo *κῦδος* non secus atque *κυδαίνω, κυδιάω* repetitum iudicant. Eandem sententiam L. Meyerus[1]) quoque habere videtur, dum *κυδάνω* alteram formam denominativi *κυδαίνω* esse censet. Suspicatur enim antiquam semivocalem *j* in verbis in *-άνω* exeuntibus sine vestigiis interiisse, sive ut aliter rem describam, epenthesin, quam vocant, quae verbis denominativis in *-αίνω* = *-άνjω* desinentibus subest, non esse factam. Sed praestat, cum verba in *-άνω* cadentia semper tantum in praesenti tempore et imperfecto reperiantur, cum G. Meyero[2]) *-άνω* pro elemento ad stirpem praesentis temporis formandam accedente habere verbumque ad ipsam radicem reducere. Quae radicis significatio fuerit, certo dirimere non ausim. Haud scio an intransitiva notio „magna vi felicitateque esse“ [3]) principalis fuerit, et transitiva notio a transitivo denominativo *κυδαίνω* in verbum *κυδάνω* sit translata.

Verbum non legitur nisi in Iliade

I. intransitive *Υ* 42 *τεῖος Ἀχαιοὶ μὲν μέγ᾽ ἐκύδανον, οὕνεκ᾽ Ἀχιλλεὺς | ἐξεφάνη,* proprie „Achaei impleti erant magna vi bonoque animo“ („waren voll stolzer Zuversicht“ L. Meyer., vgl. Gramm.^{2} I, 1036; Ameisius). Confer locutionem Homericam *κύδεϊ γαίων* („strahlend in herrlicher Kraft“). Vix recte Seilerus explicat „sich rühmen, stolz sein“. Etenim minus est, cur Achaei glorientur, quod Achilles ab ira desistens arma rursus contra Troianos cepit, quam cur bono animo magnaque vi impleantur, quia Achillem, fortissimum virum omnium Achaeorum, arma contra hostes ferentem videbant. Papii porro interpretatio „gloriam habere, referre“ nec minus Autenriethii Ebelingiique „superiores esse“ nimis ampla est. Neque enim Achaeis occasio gloriae referendae oblata est[4]), ut e vv. 41—46 elucet, in qui-

---

[1]) Cf. vgl. Gramm. II, 73.

[2]) Cf. gr. Gramm.^{2} § 506. Verbum a nomine *κῦδος* ducere licere Duentzerus ad *Ξ* 73 negat.

[3]) Substantivo *κῦδος* magnam vim felicitatemque denotari Ameisius in app. ad *Θ* 51 Suhlio praeeunte ex usu huius substantivi affiniumque verborum colligit.

[4]) Kammerus, Zur homer. Frage, II, Königsberg 1870, hac causa commotus versus 41—43 spurios esse existimat, at iniuria; cf. Ameisii

bus nihil de pugna aut fortitudine Achaeorum dicitur. Versus 47 demum, qui versibus 41 et 42 opponitur, refert deos supervenientes pugnam incendisse.

II. Transitive verbum legitur Ξ 73 ὅτι τοὺς μὲν ὁμῶς μακάρεσσι θεοῖσι | κυδάνει eadem notione qua κυδαίνω.

G. Ad extremum commemorentur duo verba, quorum duplex notio ex natura medii intellegitur: διαείδομαι et ἐςαγείρομαι.

1. διαείδομαι.

Activum διαείδω aeque atque simplex εἴδω numquam in monumentis linguae Graecae traditum est. Ut in lingua Graeca, ita in lingua Sanscritica nonnulla inveniuntur verba, quae tantum formam medii habeant. Cur ipsa haec verba hoc uno genere utantur, haud ita facile dici potest. Certe sermonis consuetudo quandoque medium adeo anteposuit, ut activum in usum aut numquam reciperetur aut, etiamsi in usum receptum est, tamen raro adhiberetur atque postea exolesceret.

Principalis vis radicis, ad quam propinqua verba in quinque linguis Indogermanicis pertinent, est „videre aliquid ita, ut co-

---

app. fasc. VII Iliadis p. 48. Primum enim ἐκύδανον non habet eam notionem, quam Kammerus ei tribuit, deinde, si versus 41—43 eicerentur, sequentes versus 44—46, qui Troianos Achillem conspicientes timore esse affectos narrant, narrationi praecedenti et subsequenti, quae est de deis, male convenirent. Ceterum concedo versus 41—42, etiamsi ἐκύδανον aliter verto, tamen non apte versibus 47—48 opponi, quae vituperatio in poëtam ipsum cadit. Nam manifesto exspectares, cum v. 48 respondere oporteat versui 42 (illi enim versus sunt sibi contrarii), in v. 48, ut oppositio recte se habeat, de Achaeis, non de deis sermonem esse. Fortasse igitur, ut haec offensio removeatur, si quidem versus sunt expungendi, non solum vv. 41—43, sed etiam vv. 44—46 pro insiticiis sunt habendi, quia actionis continuationem moleste interrumpunt. Incommode illi inter narrationes, quae sunt de deis, inserti sunt. Si vv. 41—46 eicimus, versus 47 sqq., qui deos in certamen descendisse ac pugnam incendisse narrant, aptissime excipiunt versus 31—40, qui deos Iove monente in dimicationem proficisci narrant.

gnoscatur". *Εἴδομαι* aliquid oculis cerni vulgo indicat, *εἴσομαι* tamen, quod ut futurum ad *οἶδα* refertur, semper indicat animum aliquid animadvertere.

διαείδομαι apud Homerum tantum in Iliade legitur; *N* 277 *ἐς λόχον, ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν* intransitive cum notione translucendi usurpatur. Hoc loco verbum translate dictum est. Iniuria Ebelingius aliique hoc loco passivum statuerunt; cf. ea, quae sub *φλεγέθω* de passivo apud Homerum statuendo disserui.

Verbum transitive legitur *Θ* 533 *αὔριον ἣν ἀρετὴν διαείσεται, εἴ κ' ἐμὸν ἔγχος | μείνῃ.* Alii, ut Ameisius, interpretantur: „virtutem suam ostendet, prae se feret, prae se ferre poterit, si . . .", alii, ut Faesius, scholiastis adsentientes: „virtutem suam dignoscet, si . . .", propterea quod futurum verbi simplicis *εἴσομαι* tantum de animo animadvertente usurpatur. Ceterum Faesius hunc versum et sequentes usque ad v. 541 iure reprehendit. Utraque interpretatio sententiae apta est. Fortasse vero, cum futurum ob significationem formae *εἴσομαι* inhaerentem ad perfectum *δίοιδα* referri videatur, Faesii interpretatio est anteponenda. Itaque verbum proprie huc non pertinet. Sed hoc constat, *διαείσεται* ob formationem suam ad praesens tempus *διαείδομαι* spectare.

2. *ἐςαγείρομαι.*

Hic pariter atque in verbo *διαείδομαι* causa duplicis notionis est forma medii, quod dupliciter usurpari posse notum est, nisi quod huius verbi etiam activum (in tmesi) *A* 142 et *π* 349 reperitur.

I. Intransitivum medium legitur *ξ* 248 *ἐσαγείρετο λαός* significans „congregari".

II. Medium indirecte reflexivum, ut ita dicam, legitur *O* 240 = *Φ* 417 *ἐσαγείρετο θυμόν* significans „animum recolligere".

§ 2.

De verbis primitus transitivis.

Relego ad ea, quae in exordio capitis secundi de eis exposui.

A. De iis verbis, quibus inest notio movendi.

1. ἐκφέρω; ὑπεκφέρω.

Horum utriusque verbi intransitiva potestas apud Hom. invenitur. Verbi contra simplicis aliorumque compositorum ἀνα-, δια-, προφέρω etc. intransitivus usus nondum apud Homerum, sed apud posthomericos scriptores haud ita raro legitur. Quin intransitiva notio posterior sit transitiva, dubitari nequit ob eam causam, quod ceterae linguae Indogermanicae eis verbis, quae verbo Graeco φέρω respondent, semper transitivis utuntur.

Commemoratione dignum videtur intransitivam significationem et verbi ἐκφέρω tantum in carmine illo Iliadis recentiore Ψ et verbi ὑπεκφέρω in Telemachia quam vocant, satis recenti Odysseae parte, inesse.

Transitivus vero usus utriusque verbi multo praevalet apud Hom.

a. ἐκφέρω quater decies transitive adhibetur, ter tantummodo intransitive his locis libri Ψ: 376 αἱ Φηρητιάδαο ποδώκεες ἔκφερον ἵπποι; 377 τὰς δὲ μέτ' ἐξέφερον[1]) Διομήδεος ἄρσενες ἵπποι; 759 ἔκφερ' Ὀιλιάδης. Quibus tribus locis verbum significare „erumpere e carceribus cursorum" indicant in lex. suis Stephanus, Passovius, Papius; Seilerus hanc significationem Ψ 759 tantummodo subesse putat. At, sicuti e similitudine contextus apparet, omnes tres loci eodem modo sunt intellegendi. Nec tamen verbum valet „erumpere e carceribus". Quod putare nos vetant illa antecedentia ἄφαρ

---

[1]) Hoc loco verbum μετεξέφερον, quam lectionem complures praebent codices Eustathiusque probat, non esse agnoscendum iam Spitznerus ad h. l. prudenter monuit exemplaque postpositae praepositionis attulit. Μετεκφέρω in universis Graecorum litteris nusquam reperitur. Papii illa adnotatio s. v. μετεκφέρω „heraus- und fort-, wo anders hin tragen" in hunc locum, ut mecum fatebere, omnino non quadrat.

δ' ἵπποισι τάθη δρόμος (cf. v. 375) atque τοῖσι δ' ἀπὸ νύσσης τέτατο δρόμος (cf. v. 758), ex quibus equos (v. 375) et cursores (v. 758) iam currentes esse colligi necesse est. Post haec antecedentia quis est qui opinetur poëtam de exeundo ex carceribus loqui? Rectum potius viderunt Autenriethius et Ebelingius, qui tribus illis locis notionem „prae ceteris curro, primus sum cursu" tribuunt. Difficilius vero est dictu, qua via et quarum cogitationum ope ἐκφέρω illam acceperit significationem. Mihi quidem verbum intransitivum videtur denotare eum, qui ex ordine, quem equi vel cursores certamine cursus incipiente tenebant, evehitur et excedit (ἐκφέρει), i. e. celerius currendo ceteris praestat.

b. ὑπεκφέρω ter transitive in Iliade reperitur, semel tantummodo intransitive in Od. γ 496 τοῖον γὰρ ὑπέκφερον ὠκέες ἵπποι. Passovius et Papius vertentes „von dannen tragen" verbum h. l. transitivum intellegunt. Verbum transitivum intellegi posse libenter concedimus illis hominibus doctis; sed altera interpretatio, quam plurimi habent interpretes Homerici, ut simplicior commendatur. Illorum enim sententiam si probamus, e superioribus ad verbum obiectum subaudire cogimur, id quod in hac sermonis continuatione haud ita facile fieri potest.

Quod ad significationem huius verbi cum duabus praepositionibus consociati attinet, ea subiungam, quae Kissnerus[1]) apte animadvertit: „Neque ullo alio vocum coagmento praeclarius potuit celeritas movendi exprimi, quam voce ὑπέκφερον est expressa ita, ut currum e conspectu subterfugere paene oculis cernamus".

Restat, ut disputem de X, 202 sqq.

πῶς δέ κεν Ἕκτωρ κῆρας ὑπεξέφυγεν θανάτοιο,
εἰ μή οἱ πύματόν τε καὶ ὕστατον ἤντετ' Ἀπόλλων
ἐγγύθεν, ὅς οἱ ἐπῶρσε μένος λαιψηρά τε γοῦνα.

Quo de loco, tametsi criticis compluribus summam ambigendi ac disceptandi materiam obtulit, nolo esse longus. Nixi auctoritate Aristarchi, quem ὑπεξέφερεν pro ὑπεξέφυγεν scripsisse

---

[1]) De praeverbio ὑπό in compositis abundante, Lyck. progr. 1854, § 25, p. 38.

scholia tradunt, Heynius et post eum Hoffmannus[1]) Aristarchi lectionem etiam in Syr. cod. exstantem adoptaverunt. Quod M. Schmidtius[2]) ad lectionem Aristarcheam magis adiuvandam monet imperfectum *ὑπεξέφερον* melius imperfecto *ἤντετο* in subsequente enuntiato condicionali exstanti respondere, id non satis magni momenti est. Nam illa mutatio temporum in periodis hypotheticis ne a soluta quidem oratione Attica aliena est. cf. Xen. Anab. V, 8, 13: *εἰ δὲ τοῦτο πάντες ἐποιοῦμεν, ἅπαντες ἂν ἀπωλόμεθα*[3]).

Ut vero taceam M. Schmidtii coniecturam l. l. prolatam *πῶς δέ κεν Ἕκτορα κῆρες ὑπεξέφερον θανάτοιο,* quae omni sensu propemodum caret, id imprimis est indagandum, quid sibi velit illud *ὑπεξέφερεν.* Heynium, qui verbum esse transitivum ac significare „differre" existimavit, iam Spitznerus ad h. l. satis refutavit. At superest interpretatio Hoffmanni et Rumpfii[4]) nondum a nobis examinata. Illi verbum *ὑπεξέφερεν* vertunt „Vorsprung haben", vel melius „enteilen vor". Rumpfius ut miram huiusce verbi cum accusativo constructionem explanet, confert *Z* 252 *Λαοδίκην ἐσάγουσα,* at quo iure hunc locum attulerit, mihi non satis perspicuum est. Ceterum illo loco *ἐσάγουσα* non pro intransitivo, sed pro transitivo verbo habendum est.[5]) Quoniam constructionis eiusmodi, ut *υπεκφέρειν κῆρας,* satis luculentum exemplum deest, Aristarchi lectio spernenda est. Si quidem est Aristarchi: nam Lehrsius ac Ludwichius[6]), viri illi de cognoscendis Aristarchi praeceptis optime meriti, valde dubitarunt, num re vera Aristarchus hanc proposuerit scripturam.

2. *ἀμείβω.*

Etymologi[7]) hoc verbum reducunt ad radicem principali vi movendi et urgendi („schieben, drängen") praeditam, ad

---

[1]) Das einundzwanzigste und zweiundzwanzigste Buch der Ilias, Clausthal 1864, Pars II, p. 73.

[2]) J. f. Phil. 73, 94.

[3]) Cf. Kruegeri gr. Gr. I, 54, 10, 4; II, 54, 10.

[4]) J. f. Phil. 93, 98.

[5]) Cf. Faesium ad h. l. Ameisiumque in appendice ad h. l.

[6]) Aristarch's homerische Textkritik nach den Fragmenten des Didymus, Lipsiae 1884, I, 476. — Cf. praeterea p. 113.

[7]) Cf. Curt. Et.[5] 324; Vaniček. II, 735; Fick.[3] II, 192.

quam verba Latina „moveo, muto" et Sanscr. mîv („bewegen") spectant.

Delbrueckius[1]) et Heilmannus[2]) in dictione Homerica *γόνυ γουνὸς ἀμείβων* Λ 547 propriam vim radicis esse servatam arbitrati ita, ut *γουνός* putandum sit pro genetivo, qui ablativi munere fungitur, vertunt „alterum genu ab altero amovere", qua locutione vicissitudo quaedam exprimitur. Kruegerus[3]) autem et Kuehnerus[4]) *γουνός* genetivum pretii interpretati explicant „genu mutare genu". Si Kruegerus et Kuehnerus genetivum recte definissent, verbum *ἀμείβω*, quod reliquis locis „mutare" significat, hoc loco translate de mutandis genibus esset dictum, quae translatio certe mira videtur. Sed cum Iliadis carmen Λ in antiquissimis partibus sit numerandum, nemo miretur, quod reliquiae antiquioris notionis ibi reperiuntur; atque certe Delbrueckii explicatio multo simplicior esse videtur.

Eadem antiqua notio subest participio *ἀμείβοντες* Ψ 712 *ἀγκὰς δ' ἀλλήλων λαβέτην χερσὶ στιβαρῇσιν | ὡς ὅτ' ἀμείβοντες, τούς τε κλυτὸς ἤραρε τέκτων | δώματος ὑψηλοῖο*, quod participium substantivi munere fungitur. Ea autem significatio verbi, a qua hoc participium in substantivi munus transiens proficiscitur, intransitiva fuerit necesse est. Etenim proprie *ἀμείβοντες* significat ea, quae tamquam se inserunt in culmine, i. e. tigna culminis.[5]) Classenus[6]), qui usum participiorum medium, ut ita dicam, inter substantivum et verbum tenentium subtilissime perscrutatus est, *ἀμείβοντες* vocabulum fabris usitatum fuisse eorumque ex sermone a poëta delibatum demonstrat. — Hae sunt reliquiae vetustioris illius notionis. Vulgaris verbi significatio mutandi (tauschen) aeque atque in

---

[1]) Ablativ, Localis, Instrumentalis im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen. Berlin 1867, p. 6.

[2]) De genetivi Graeci maxime Homerici usu, diss. Marburg. 1873, p. 30.

[3]) Dial. § 47, 17, 1.

[4]) Gr. Gr.[2] § 418, 6 b.

[5]) Cf. schol. A *ἀμείβοντες δοκοὶ μεγάλαι ἀλλήλαις προσπίπτουσαι ὥστε βαστάζειν τὴν ὀροφήν* et schol. B *οἱ συστάται οἳ τὸ σχῆμα τοῦ Λ ἀποτελοῦσιν.*

[6]) Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch, 1855 —1857, pag. 48.

verbo Latino „muto“ eo orta est, quod rem aliquam et a loco quodam et ad alium locum moveri notioni verbi adiciebatur.

3. μεθίημι.

De etymologia ac prima significatione relego ad ea, quae sub ἵημι p. 35 dixi. Jam supra cognovimus simplex ἵημι per ellipsin obiecti ὕδωρ eiusque composita ἐνίημι et ἐπιπροΐημι per ellipsin obiecti νῆα intransitiva esse facta. Nunc quaeramus, qua via compositum μεθίημι, cuius intransitiva vis ac potestas propemodum aeque frequenter ac transitiva et apud Homerum et apud scriptores posthomericos invenitur, intransitivam assecutum sit notionem.

Proficiscendum est a locis, quales sunt ε 460 καὶ τὸ μὲν (scil. κρήδεμον) ἐς ποταμὸν ἁλιμυρήεντα μεθῆκεν et Α 48 μετὰ δ᾽ ἰὸν ἕηκεν, quibus locis cum praepositio μετά[1]) tum verbum principalem retinuit significationem. Utroque enim loco subiecta est sub verbo vis immittendi. Priore loco Passovius, Seilerus aliique rati sunt verbum eadem esse vi „fallen; fahren lassen“, quae subest permultis locis; sed istam significationem contextui atque continuationi rerum non esse accommodatam mihi persuasi. Ulixes enim perficiens id, quod facere a Leucothea in v. 349 iussus est, i. e. βαλέειν (scil. κρήδεμνον) εἰς οἴνοπα πόντον, in hoc v. ε 460 describitur.

Plerisque vero locis illa nova notio „fahren lassen, los lassen“ nobis occurrit.[2]) Eandem notionis mutationem etiam in verbo Latino „dimitto“, quo verbum Graecum redditur, observare possumus. Ac profecto significationes „entsenden“ et „loslassen“ artissime inter se connexae sunt. Etenim in notione „los lassen, fahren lassen“ minus obiectum, ut ita dicam, quam subiectum respicitur; actio, quae in verbo est, si non tollitur,

---

[1]) Cf. Funck., Curt. Stud. IX, 152.

[2]) In hac notione mutata propria praepositionis μετά vis, qua quem vel quid aliquo dimitti indicatur, plane propemodum evanuit. Idem accidit praepositioni μετά in μεθίστημι („mutare“), μετέστην („secedere“) et adverbio „dis“ in verbo Latino „dimitto“. Sive ut rectius dicam, eius notionis, quae in praepositione inest, quia per se ipsum perspicuum est actionem dimittendi aliquo tendere, ratio non habetur.

at certe minuitur. Quo modo altera in alteram transgrediatur notio[1]), exempla Homerica illustrare possunt, ut *K* 449 *εἰ μὲν γάρ κέ σε νῦν ἀπολύσομεν ἠὲ μεθῶμεν* et *ο* 212 *οὔ σε μεθήσει,* qui loci, etsi notio „loslassen" in eos melius quadrat, paene utramque interpretationem et „fortsenden" et „loslassen" admittunt.

Tum vero verbum usurpatum est ad indicandas res, a quibus desistitur, *οὐχὶ μεθίει* *O* 716; *Π* 762; *Φ* 72 et translate de obiecto *χόλον* *A* 283[2]); *O* 138; *α* 77.

Genetivus, qui ablativi vice fungitur, *P* 539 *κῆρ ἄχεος μεθέηκα* ad verbum accedens effecit, ut verbum notioni „ab aliqua re levandi" appropinquaret. Adnotatione paraphrastae *μικρόν τι τῆς τοῦ Πατρόκλου θανόντος λύπης τὴν ψυχὴν κεκούφισμαι* Duentzerus et Faesius adducti videntur, ut verbum esse intransitivum accusativo relationis *κῆρ* apposito iudicent. Contra eorum sententiam conferas Ameisii commentationem ad h. l., qui dictionem contrariam *ἄχος πύκασε φρένας* *P* 83 ac *πετάσειε θυμόν* *σ* 160 recte comparat. Ceterum grammatici, ut infra s. *φθίνω, φθινύθω* docebo, in accusativis relationis nimis saepe statuendis multum peccaverunt.

Iam vero notio generalis „loslassen" in singularem notionem deserendi se convertit (obiectum est persona aliqua) cf. *Γ* 414; translate *ε* 471, aut in singularem concedendi (obiectum est res aliqua) cf. *Ξ* 364; *P* 418.

Verbum non solum transitive cum accusativo, sed etiam intransitive cum genetivo construitur. Hermannus (ad Soph. El. 1239), cui Passovius et Papius assentiuntur, duas illas constructiones ita distinguit, ut verbum genetivum exposcat, si de remissione, quae ex parte fit, et accusativum, si de tota remissione sermo sit.

At vero si eos locos, quibus activum *μεθίημι* modo cum

---

[1]) Similem notionis mutationem etiam in aliis verbis Homericis, ut *βάλλειν, χέειν, λανθάνεσθαι, ὑποδέχεσθαι* aliisque compositis verbi *ἱέναι*, observari posse primus ostendit Ameisius in app. ad *ε* 316.

[2]) Vitiose Naegelsbachius h. l. *Ἀχιλλῆι μεθέμεν χόλον* explicat „den Zorn gegen Achilleus fahren lassen". Immo vero dativus e tota locutione *μεθιέναι χόλον* pendet. Cf. Ameisii adn. ad *A* 283 et Krueg. Di. § 48 9, 2.

genetivo modo cum accusativo eiusdem substantivi coniungitur, φ 377 καὶ δὴ μεθίεν χαλεποῖο χόλοιο | Τηλεμάχῳ cum Α 283 λίσσομ' Ἀχιλλῆι μεθέμεν χόλον (cf. etiam Ο 138 et α 77), ubi significatione desistendi verbum praeditum est, atque Λ 841 ἀλλ' οὐδ' ὣς περ σεῖο μεθήσω τειρομένοιο cum Γ 414 μή χωσαμένη σε μεθείω, ubi verbum significatione deserendi instructum est, inter se comparaveris, id discrimen, quod fecit G. Hermannus, in illos locos non cadere mecum fateberis. Etenim notio verbi iis locis, qui possunt inter se conferri, semper eadem est; φ 377 de remissione, quae ex parte fit, et Λ 841 de destitutione, quae ex parte fit, neutiquam potest cogitari. Res potius plane aliter se habet. Nam genetivus ad verbum accedens non, ut G. Hermanno aliisque placet, partitivus est, sed ablativi munere fungitur. Illa notio verbalis dimittendi itidem ac verbum nostrum „loslassen" in se ipsa continet notionem discedendi, i. e. subiectum a persona vel re aliqua, ad quam actio verbalis refertur, discedens fingitur; eam personam vel rem, a qua subiectum discedit, denotat iste genetivus sive ablativus, in verbo nostro „loslassen" praepositio „von". Transitivus contra accusativus, qui e nostro quoque verbo „loslassen" pendere potest, indicat actionem verbalem ad obiectum aliquod pertinere.

Genetivi sive ablativi, quibuscum potissimum verbum iungitur, sunt ἀλκῆς, πολέμοιο, μάχης: Δ 234 μεθίετε θούριδος ἀλκῆς = Μ 409 = Ν 116; Δ 240 similis est v. Ζ 330; Δ 351; Ν 97; 114; 118; Μ 268. Praeterea verbum cum aliis genetivis construitur: Φ 177 τρὶς δὲ μεθῆκε βίης[1]) = φ 126; φ 377 accedente dativo, de cuius natura iam in adnot. ad Α 283 disserui.

Semel verbum cum genetivo personae legitur Λ 841, ubi verbum significationem deserendi prae se fert.

Pro genetivo sive ablativo sequitur infinitivus Ν 234; Ψ 434. Ω 48 ἀλλ' ἤτοι κλαύσας καὶ ὀδυράμενος μεθέηκεν Ameisius iure monet, ne participia illa aoristi ex ipso verbo μεθέηκεν pendere putemus; immo ex istis participiis aoristi

[1]) Genetivum Φ 177 dativi traditi loco ex φ 126 Homero reddendum esse omnes editores post Bekkerum consentiunt.

participia praesentis *κλαίων* et *ὀδυρόμενος* ad verbum attrahenda sunt. cf. etiam Spitzneri adnot. ad h. l.

Reliquis locis, quibus verbum vere intransitivum est, verbum absolute ponitur, i. e. sine ullo casu, sive quod obiectum, ad quod actio verbalis spectat, per se ipsum perspicuum est, velut *Δ* 516; *Z* 523; *N* 229, sive quia similiter atque in nostra dictione „sie raubten und plünderten" tam generali est significatione, ut illud diserte addere non sit opus, veluti *K* 121; *δ* 372. Itaque fit, ut notiones et remittendi contentionem vel cessandi et cunctandi oriantur. cf. praeterea *O* 553; *Y* 361; *π* 377.

B. De verbis ad stirpem *φθι* pertinentibus.

1. *φθίω, φθίνω.*

Curtius Et.[5] 63; 705, Vaničekius II, 1060, Fickius[3] II, 270 ex usu affinium verborum statuunt radicem, in qua notio delendi vel perdendi inest; Boethlingius Rothiusque in lex. suo principalem vim urendi indicant. Apud Homerum certe invenitur illa generalior significatio perdendi vel conficiendi, quae ex aliqua vi sensibus magis subiecta profecta est.

Quod attinet ad formam *φθίνω,* cuius praesens tempus solum occurrit, eam e *φθίνϝω, φθι-νῳ-ω* ortam esse verisimillimum est; cf. Curt. Verb.[2] I, 247 sqq.; G. Meyer, gr. Gr.[2] § 293.

In hoc verbo transitiva notio, quam modo vidimus vetustiorem esse, et intransitiva variantur, sed duae formae significatione sic discernuntur, ut stirpi littera *ν* amplificatae et apud Hom. et apud omnes[1]) posthomericos scriptores intransitiva inhaereat vis ac potestas, stirpi *φθι* autem formisque ex ea ductis plerumque transitiva. Similiter aetate posthomerica forma *δύνω* semper intransitivam prae se fert notionem, *δύω* vero plerumque transitivam. (Apud Homerum quidem *δύω* raro obvium

[1]) Ii pauci loci, quibus *φθίνω* transitive usurpari videtur, iamdudum a criticis mutati sunt. Sic fortasse recte G. Hermannus in Soph. El. 1414 *νῦν σε μοῖρα καθαμερία φθίνει, φθίνει* in *φθίνειν, φθίνειν* correxit, ita ut *φθίνειν* intransitive adhibeatur (cf. G. Wolffium ad h. l.) iustoque iure E. Hillerus in Theocr. 25, 122 e cod. Paris. D et edd. Iunt. Call. *καταφθείρουσι* pro *καταφθίνουσι* restituit.

intransitivo significatu praeditum est, apud posteriores contra transitivus usus solus regnat).

I. Intransitivus usus praesentis temporis φθίνω tantum in Odyssea exstat. ε 161 μηδέ τοι αἰὼν φθινέτω. λ 183 = ν 338[1]) = π 39 φθίνουσιν νύκτες τε καὶ ἤματα δάκρυ χεούσῃ.[2]) § 162[3]) = τ 307 τοῦ μὲν φθίνοντος μηνὸς, τοῦ δ' ἱσταμένοιο. κ 470 = τ 153 = ω 143 μηνῶν φθινόντων, περὶ δ' ἤματα μακρὰ τελέσθη. Omnibus tribus locis illum versum languidum ineptumque esse atque incommode ex Hes. theog. 59 in Odysseam illatum iamdiu critici cognoverunt. Adde, quod ille versus κ 470 et ω 143 a praestantioribus codicibus, τ 153 ab uno codice abest. cf. Faesii adnott. ad hos locos et Ameis. in comment. et in app. ad κ 470.

II. φθίω semper transitive usurpatur in futuro φθίσω et aoristo I activi ἔφθισα. Futurum scriptum videmus Z 407; Π 461; X 61; aoristum I δ 741; π 369[4]); 428; υ 67.

Imperfectum reperitur transitive Σ 446 ἢ τοι ὁ τῆς ἀχέων φρένας ἔφθιεν. Alii vero, ut L. Dindorfius in Stephani thesauro et L. Meyerus, vgl. Gr.[2] I, 645, φρένας accusativum relationis esse rati verbum pro intransitivo accipiunt. Doederleinius[5])

---

[1]) Hic versus in parte, cuius de integritate iam Aristarchus dubitavit, invenitur. Nam manifesto contextus vehementer turbatus videtur. Qui tamen quotque versus uncis sit includendi, difficile est diiudicatu. Quare critici inter se valde discrepant. Cf. Faesii adnot. et Ameisii append. ad ν 333—338.

[2]) Classen., Beobachtungen über den homer. Sprachgebrauch, pag. 156.

[3]) Vix facere possumus, quin sententias Faesii et Ameisii (cf. Am. app. ad h. l.) secuti vv. 162—164 pro suspectis habeamus, in quo iam veteres praeiverunt.

[4]) Τηλέμαχον λοχόωντες, ἵνα φθίσωμεν ἑλόντες | αὐτόν. Hic αὐτόν in initio sequentis versus postpositum Bekkerus, quocum facit Schnorr de Carolsfeld (Verborum collocatio Homerica quas habeat leges et qua utatur libertate, Berol. dissert. 1864, p. 64), in αὐτοῦ mutari vult, quia αὐτόν abundare videtur neque nos quidquam nisi μιν inclinatum exspectamus; Nauckius αὐτίκα scribi vult. Iure Hentzius has mutationes repudians interpretatur: „αὐτόν 'ihn selbst'. Diese nachdrückliche Bezeichnung nach Τηλέμαχον, wie 372 die nachdrückliche Apposition Τηλεμάχῳ zum vorhergehenden οἱ, ist die Sprache des leidenschaftlichen Hasses."

[5]) Cf. Gl. Hom. nr. 2204.

ἔφθιεν, quod vulgo pro imperfecto habetur, aoristum II esse, intransitiva vi praeditum, censet interpretatus „macerari coepit". At aoristum ἔπιον a πίνω derivatum, ad quem Doederleinius provocat, non licet comparare. Etenim verbum πίνω non habet formas respondentes formis φθίσω, ἔφθισα, ex quibus colligitur ad illas formas e stirpe φθι fictas praesens φθίω pertinere non secus atque ad formas δύσω, ἔδυσα praesens δύω. Imperfectum vero, in quo Doederleinius offendit, eo excusatur, quod respondet sequenti ἐείλεον in v. 447, quae actio verbalis eodem tempore fit. Analogia similium locutionum, ut καταδάπτειν ἦτορ, ἔδειν θυμόν, nos perducimur, ut in dictione ἔφθιε φρένας significationem transitivam intransitivae praeferamus. cf. ea, quae de dictione φθινύθειν φίλον κῆρ s. v. φθινύθειν copiosius disputabo.

Semel tamen φθίω intransitive reperitur β 368[1]) ὥς κε δόλῳ φθίῃς.

2. φθινύθω.

De formatione verbi cf. Curt. Verb.[2] I, 24.

Wentzelius l. l. p. 34 hoc quoque verbo, ut omnino omnibus verbis in -θω cadentibus notionem perpetuitatis, continuationis, repetitionis contineri demonstravit perlustrans singulos locos, quibus φθινύθω invenitur. Ac profecto φθινύθω scriptum videmus iis locis, quibus vel sententia frequentativa subest vel universa et communis ratio atque consuetudo vel in parabola quadam vel sub imagine aliquid depingitur. Wentzelius egregie omnibus huius verbi et compositi ἀποφθινύθω exemplis sententiam suam illustravit ac comprobavit. cf. illius enumerationem.[2])

---

[1]) Quod Doederleinius nr. 2203 huic loco transitivam tribuit notionem, eum valde errasse apertum est.

[2]) L. Meyerus (Vgl. Gr.[2] I, 645) Λ 491 ἀλλὰ φθινύθεσκε φίλον κῆρ | αὖθι μένων Wentzelio lexicographisque improbantibus φθινύθω esse intransitivum et φίλον κῆρ relationis accusativum existimat explicans „er vergieng vor Gram". At si principalis significatio transitiva nullam offensionis praebet ansam, cur illa non agnoscatur? Huc accedit, quod Homerus id, quod aetate posthomerica pronomine reflexivo indicatur, vocabulis cor significantibus circumscribere solet.

Sed admonebo non solum verbo *φθινύθω* et *ἀποφθινύθω* continuationem actionis verbalis vel interitum, quo qua res sive singulae alicuius rei partes paulatim consumuntur, sed etiam verbo primitivo *φθίω, φθίνω* exprimi. Comparare te velim *κ* 485 cum *Σ* 446 et *λ* 183 = *ν* 338.

3. *ἀποφθινύθω.*

In hoc composito propria significatio praepositionis *ἀπό*, quae indicat aliquid ab aliquo proficiscens tabescere vel efficere, ut quid tabescat ab aliquo proficiscens, iam non sentitur; praepositio potius tantum ad augendam et cumulandam vim ac potestatem verbi simplicis valet. Similiter principalis vis praepositionis *ἀπό* evanuit in verbis *ἀπεκλανθάνομαι*, quod verbum *ω* 394 significat „plane oblivisci", et in *ἀπασπαίρω* cf. Eur. Jon. 1207.

Quod ad singulos locos et verbi *φθινύθω* et compositi *ἀποφθινύθω* attinet, relego ad Wentzelii l. l. p. 34 enumerationem.

C. De verbis actionem quandam significantibus, cui notio perpetuitatis inhaeret.

1. *στηρίζω.*

Hoc verbum est denominativum a substantivo *στῆριγξ* (fultura) derivatum. cf. Pfordtenum p. 99, L. Meyer., vgl. Gr.[2] I, 620; Curt., Verb.[2] II, 299. Cum *στῆναι*, ut E. M. 727, 50 et Lobeckio in Rhem. 226 placet, illud non licet conferre. cf. Curt. Et.[5] 213; Vaniček II, 113. Consentaneum videtur significationem activi verbi ab isto nomine deducti transitivam esse, quae notio profecto et apud Homerum et apud posteriores regnat. Verba enim in *-ίζω* exeuntia plerumque causativam notionem, nisi valent „se gerere pariter atque eum, quem stirps nominalis nuncupat", in se suscipere consueverunt.

Unde notio intransitiva, quae semel tantummodo in Odyssea

Similiter Homerus transitive adhibet *φθινύθειν κῆρ* *κ* 485 *οἵ* (scil. *ἑταῖροι*) *μευ φθινύθουσιν φίλον κῆρ* | *ἀμφ' ἔμ' ὀδυρόμενοι*, ubi aperte non licet verbum pro intransitivo accipere, *θυμὸν ἔδειν* *ι* 74 etc., *καταδάπτειν ἦτορ* cf. Ameisii app. ad *ι* 74 praecipueque ad *Z* 524.

μ 434 οὐδέ πῃ εἶχον | οὔτε στηρίξαι ποσὶν (dat. instrum.) ἔμπεδον οὔτ' ἐπιβῆναι conspicitur, in activum irrepserit, vix dirimi potest; fortasse ea est ex analogia similium verborum utramque vim habentium orta vel inde, quod intransitiva medii vis in activum translata est. Apud posteros et poëtas (cf. Eur. Bacch. 972; Hipp. 1207) et prosaicos verbum (plerumque de morbo in corporis partem aliquam incumbente cf. Thuc. II, 49) intransitive esse usurpatum reperimus.

2. ἔχω.

Tantum duae illae singulares significationes et obsistendi (Standhalten) et se habendi (sich verhalten), quae ortae sunt ex absoluto usu, in hanc dissertationis partem referendae sunt. Sed de eis iam supra sub ἔχω satis superque dictum est.

3. ἰσχάνω et ἰσχανάω.

Utrique verbo subest verbum ἴσχω, e quo novis suffixis adnexis ἰσχάνω et ἰσχανάω orta sunt. Verbum ἴσχω ipsum recedit ad antiquius *σίσχω, quod e radice σεχ (cf. ἔχω) syllaba radicis duplicata natum est. cf. G. Meyer., gr. Gr.[2] § 500; L. Meyer., vgl. Gr.[2] I, 928; Curt. Verb.[2] I, 255. De formatione eorum verborum, quae cadunt in -άνω, conferas adnotat. meam ad ἱζάνω datam. Etiam hic pariter atque in verbis ἵζω et ἱζάνω inter verbum ἴσχω et ea verba, quae secundas formas novis suffixis adiunctis ortas repraesentant, i. e. ἰσχάνω et ἰσχανάω significationum discrimina nescio an non possint reperiri.

ἰσχάνω et ἰσχανάω verba poëtica sunt; ἰσχάνω praeter Homerum perraro invenitur, ἰσχανάω tantum in carminibus Homericis.

a. ἰσχάνω.

I. Transitive semper de tenendis personis adhibetur. Facillime fieri potuit, ut cum hac notione iungeretur notio retinendi Ξ 387; P 747 αὐτὰρ ὄπισθεν | Αἴαντ' ἰσχανέτην, ὥς τε πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ. Quo loco neque cum Seilero vel Ebelingio πολεμίους neque cum Faesio Τρῶας subaudiendum est, sed cum Ameisio e vv. 752 et 753 μάχην Τρώων. Ipse quidem Ameisius ambigit, utrum obiectum μάχην an Τρῶας

praestabilius sit, sed neutiquam potest dubium esse, quin *μάχην Τρώων* (i. e. pugnantes Troianos) obiectum sit. Poëta enim narrationem, quae est de utroque Aiace Troianos prohibente, antequam perduxerit ad finem, interrumpit, ut ibi demum magnificam intericiat imaginem, sub qua Aiacum propulsantium vim describat. In v. 752 abruptam narrationem novo praedicato denuo excipit tum demum obiectum *μάχην Τρώων* addens. Illi enuntiatorum connexui vivum sermonem subesse inspicienti patebit. Is enim poëta, qui carmina litteris consignat, multo minus commovetur, ut hoc dicendi modo utatur, quam is, qui carmina memoria concipit.

II. Intransitivum explicat verbum Seilerus, cui iam Ameisius in editione priore Odysseae praeiverat, *τ* 42 *σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε, μηδ' ἐρέεινε* circumscribens hisce: „halte an dich in deinem Sinn". At non satis perspicuum est, quid illud *κατὰ νόον* sibi velit. Praeterea haec dictio hoc uno loco excepto apud Homerum non invenitur. Quapropter fortasse magis comprobes interpretationem eorum, qui *κατά* ad verbum finitum *ἴσχανε* attrahunt vertentes „quid sentias, retine". Quam interpretationem si sequeris, verbum ad hanc disputationem non pertinet.

b. ἰσχανάω.

Hoc verbum[1]) ex *ἰσχάνω* suffixo *-άω* accedente fictum est.

I. Transitive verbum tantum de personis retinendis aeque atque *ἰσχάνω* usurpatur *E* 89; *O* 723; *o* 346 (obiectum e posterioribus elucet). *M* 38 *νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐελμένοι ἰσχανόωντο*; *T* 234 *μηδέ τις ἄλλην | λαῶν ὀτρυντὺν ποτιδέγμενος ἰσχαναάσθω*; *η* 161 *οἵδε δὲ σὸν μῦθον ποτιδέγμενοι ἰσχανόωνται* passivum exstare lexicographi Seilerus et Ebelingius perperam contenderunt, immo *ἰσχανάομαι* medium intransitivum existimandum est.

---

[1]) Exempla verborum in *-αν-άω* exeuntium collegit G. Meyerus, gr. Gr.[3] § 507. Ex hoc verbo nonnullisque aliis verbis, quae non sunt denominativa, concludere nobis licet Graecos exitum horum verborum *-ανάω* ut suffixum sensisse. Etenim haec verba ex analogia verborum vere denominativorum in *-αν-άω* terminantium ficta esse videntur. Cf. Pfordten., p. 8.

II. Intransitivum verbum cum genetivo partitivo aeque ac verba tangendi coniungitur. Genetivus autem in hoc verbo semper rem aliquam nuncupat. Rectè lexicographi hanc statuerunt significationem „sich an etwas halten". Quae signifi catio in notionem gestiendi transiit *Ψ* 300 *τὴν ὅ γ' ὑπὸ ζυγὸν ἦγε μέγα δρόμου ἰσχανόωσαν*; *ϑ* 288 *ἰσχανόων φιλότητος ἐυστεφάνου Κυθερείης; P* 572 sequente infinitivo epexegetico *ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο ἰσχανάᾳ δακέειν*. Nauckius in Hom. ed. et L. Dindorfius in Stephani thesauro linguae Graecae G. Hermanno ad Aesch. suppl. 816 suasore dubitant, an pro *ἰσχανάω* „cupio" significante Homero formam *ἰχανάω* reddant. Etenim quosdam veteres scripsisse *ἰχανάω* constat ex Et. M. 478, 44 et ex Hes. glossis, qui explicat *ἰχανάω· ἐπιθυμέω* etc. Praeterea *Ψ* 300 nonnulli codices lectionem *ἰχανόωσαν* praebent. *Ἰχανάω* est Fickio[3] I, 10; 28 auctore ad radicem „igh" notione cupiendi instructam revocandum. Verumtamen codicum auctoritatem, qui omnes ubique isto uno loco excepto exhibent *ἰσχανάω*, non debemus contemnere, dein perbene potest cogitari ex notione „sich an etwas halten", si ea ad animum, qui est subiectum, refertur, exstitisse notionem „begehren". (Cf. Hesychii glossam *ἰσχανάω· ἐπιθυμέω*.)

D. λαγχάνω.

Sine dubio verbo transitiva vis ac potestas principio inest cf. de principali vi et forma radicis Fick.[3] I, 748; II, 216; Vaniček. II, 827. Verbum apud Homerum significat „sorte accipere, auferre, sortiri"; plerumque cum transitivo accusativo construitur, bis tantummodo cum genetivo *Ω* 76 et *ε* 311[1]), in recentioribus Homeri partibus.

Praeter aoristum *ἔλαχον* aoristus *λέλαχον* quater cum causativa notione „participem aliquem reddo alicuius rei" legitur. Causativa notio aperte aoristo isti inhaeret, quia syllaba duplicata fictus est, pariter ac similibus aoristis *λέλαθον*[2]) *O* 60;

---

[1]) De huius verbi constructione vide La Rochium, Hom. Stud. § 82, 7.

[2]) Fusius de hac re disseruit exemplaque collegit G. Curtius, Bildung der Tempora und Modi, Berlin 1846, p. 155; Verb.[2] II, 34.

ἐκλέλαθον *B* 600 (efficio, ut quis obliviscatur); *κεκαδών* *Λ* 334 et futuro *κεκαδήσω* *φ* 153 (cf. *χάζομαι*) praesentique tempori *δειδίσσομαι* etc.

Intransitiva notio, quam lexicographi Homerici in sola Odyssea *ι* 160; 334 observant, eo, opinor, orta est, quod verbum absolute, i. e. sine certo obiecto positum ex significatione „durchs Loos etwas erhalten" in generalem „das Loos ziehen" transgressum est. Ac profecto absolutus usus verbi compluribus Iliadis locis cum illa significatione „das Loos ziehen" invenitur. Illi loci illustrare possunt, qua via significatio „durchs Loos etwas erhalten" in notionem „das Loos ziehen" transeat. cf. *H* 171 *κλήρῳ νῦν πεπάλασθε διαμπερές, ὅς κε λάχῃσιν.* *H* 179 *ἢ Αἴαντα λαχεῖν.* *K* 430 *πρὸς Θύμβρης δ' ἔλαχον Λύκιοι Μυσοί τ' ἀγέρωχοι·* *Ψ* 354 *μετὰ τὸν δὲ λάχε κρείων Εὔμηλος.* *Ψ* 862 *Τεῦκρος δὲ πρῶτος κλήρῳ λάχεν.* His omnibus locis Ebelingius infinitivum quendam ad verbum e sententiarum nexu subaudiri vult. Concedo infinitivum nonnullis locis revera e contextu facile subintellegi posse, veluti *K* 430 *εὕδειν* e v. 425; *Ψ* 354 *ἐλαυνέμεν* (*ἵππους*) e. v. 356 et 357, sed *H* 179 et *Ψ* 862[1]) vix quicquam simul audire possumus.

Ei notioni, quae locis modo allatis subest, valde propinqua est vis loci *ι* 334 *οἱ δ' ἔλαχον, τοὺς ἄν κε καὶ ἤθελον αὐτὸς ἑλέσθαι,* quem proprie vertere possumus „die zogen das Loos", quae significatio eundem praebet sensum quem „die kamen durchs Loos heraus". Quapropter verbum hoc loco intransitivum appellare non licet, quia notio eius vix discrepat a notione eorum locorum, quibus verbum sine obiecto collocatum est, sed verbum h. l. quasi medium inter transitivam vim et intransitivam tenet.

Altero autem loco *ι* 160 *ἐς δὲ ἑκάστην | ἐννέα λάγχανον αἶγες* verbi vis vere intransitiva statui potest. Iis enim locis, quos adhuc commemoravi, agitur de personis, quae ipsae sortiuntur, quo facto sors eorum excidit; hic vero actio verbalis videtur translata ad subiectum, quod non ipsum sortitur, sed cuius sors excidit, de quo alii sortiuntur, ita ut paene haec fiat notio „sorte designari".

---

1) Ameisius adnotat: scil. *τοξεύειν*; hoc tamen nusquam exstat.

E. De duobus aoristis II activi ὤρορον et ἤραρον (sive sine augmento ἄραρον) causativa vel transitiva vi principali instructis.

1. ὄρνυμι.

Ex intransitiva notione verborum una ex stirpe prognatorum Sanscritici „ar" (sich in Bewegung setzen, erheben) et Latini „orior" et Gotici „rinnan" (rennen, laufen, sich stürzen)[1]) haud scio an liceat colligere verbum Indogermanicum fuisse intransitivum. In verbo Graeco ὄρνυμι intransitiva vis ac potestas a medio ὄρνυμαι et ab activi perfecto II ὄρωρα et aoristo II ὦρον[2]) retinetur. Praeter hunc aoristum ὦρον raro obvium lingua Graeca formarum verbalium fertilis et aoristum I ὦρσα cum temporis signo σ et aoristum II ὤρορον syllaba radicis duplicata formatum procreavit. Eis aoristis, qui syllaba radicis duplicata ficti sunt, semper propemodum notio causativa inhaerere solet: cf. aoristos Homericos ἀκαχεῖν, ἀραρεῖν, δεδαεῖν, κεκαδεῖν, λελαθεῖν, λελαχεῖν (cf. supra λαγχάνω). Curt. Verb.[2] II, 34.

Ita causativa notio aoristi ὤρορον saepius legitur *B* 146; *δ* 712; *τ* 201 (quo loco cum Faesio aperte e superioribus obiectum Βορέην, ἄνεμον μέγαν desumendum est); *ψ* 222, nonnumquam tamen intransitiva notio. Quae e perfecto II ὄρωρα, quod similiter atque aoristus ὤρορον sonat, in aoristum influxisse videtur. Itaque factum esse videtur, ut ob miram significationem intransitivam formas aoristi ὤρορον nonnulli ex veterum grammaticorum[3]) auctoritate pro perfecti formis iis locis, ubi intransitiva exstat vis, habuerint metathesin quantitatis, quae vocatur, statuentes. At vero per se ipsum non est

---

[1]) Cf. Curt. Et.[5] 346; Fick.[3] II, 46; L. Meyer., Vergl. Gramm.[2] I, 676.

[2]) Aoristus ὦρον non apud Homerum, sed apud Hes. scut. 437 reperitur. Homerus tamen novit aoristum medialem similiter fictum ὠρόμην, ὤρετο (ὦρτο sine vocali coniunctiva fictum).

[3]) Choerob. 567, 8 ὄρω, ὦρα, ὄρωρα, τὸ γὰρ ὑπώρορε (coll. ω 62) διὰ τὸ μέτρον ὑπερβιβασμὸν ἀνεδέξατο, cf. Ep. Cram. I, 446, 8 et schol. AB *B* 146, unde apparere videtur eandem Herodiano fuisse sententiam (Lentz. Herod. rel. II p. 381 sq. adn.). Schol. Townleyana adnotant ὤρορε] ἀπὸ τοῦ ὄρωρε Ἀττικοῦ· ὑπέρθεσις ἐγένετο τοῦ χρόνου.

verisimile eandem formam modo pro aoristo, modo pro perfecto esse accipiendam. Insuper perfectum ω 62 in contextum prorsus non quadrare facile apparet.

Intransitiva notio aoristi *ὤρορον*, ut locos afferam, subest *N* 78 *καί μοι μένος ὤρορε; ϑ* 539 *ἐξ οὗ δορπέομέν τε καὶ ὤρορε ϑεῖος ἀοιδός*, quibus locis adnumerandus est vs. 62 carminis ω *τοῖον γὰρ ὑπώρορε Μοῦσα λίγεια*. Non recte Seilerus aliique verbum h. l. transitivum intellegi volunt vertentes „so sehr rührte die Muse", i. e. „das (Klage) Lied" (obiectum *Ἀργείους* e superioribus facile subaudiri potest); neque enim usquam verbum simplex aut eius composita illam translatam significationem „rühren" ostendunt.

2. *ἀραρίσκω.*

Vix e notione affinium verborum in lingua Sanscritica et Zendica obviorum concludi potest, utra significatio in verbo Indogermanico principalis fuerit, intransitiva an transitiva. Sed si animo reputaveris perfectum II activi *ἄρηρα* semper apud Homerum[1]) nec minus apud posteros scriptores intransitiva uti significatione pariter ac perfectum II *ὄρωρα* ad *ὄρνυμι* spectans, quod verbum *ὄρνυμι* aoristos et perfectum activi similiter ficta atque *ἀραρίσκω* habet (cf. *ὦρσα — ἆρσα, ὤρορον — ἤραρον, ὄρωρα — ἄρηρα*), fortasse intransitiva perfecti *ἄρηρα* notio ex primaria vi residua esse tibi videbitur. Qua de argu-

[1]) Semel transitiva perfecti notio apud Homerum tradita esse videtur ε 248 *γόμφοισιν δ' ἄρα τήν γε καὶ ἁρμονίῃσιν ἄρηρεν*. At hoc loco libris invitis, quia omnia scholia praeter minora et Eustathium scripturam *ἁρμονίῃσιν ἄρασσεν* dilucide testantur, eam ut genuinam esse restituendam iamdudum critici intellexerunt. Itaque omnes editores recentiores hanc lectionem iure ac merito Nitzschio, erkl. Anm. zur Od. II, 36, Hannover 1831, aliisque praeeuntibus in textum receperunt. Ceterum Briegerus in Phil. XXIX, 193 sqq. haud inepte pro *ἁρμονίῃσιν ἄρασσεν* scribendum esse *ἁρμονίης συνάρασσεν* proposuit, quae scriptura v. 616 Apoll. Rhod. Argon. II, ubi legitur verbi *συναράσσειν* eadem significatio colligandi vel conglutinandi, paululum adiuvatur. At non credo nos egere ea notione, quae in praepositione *σύν* inest, non magis quam in verbo *ἀραρίσκω Δ* 110 *καὶ τὰ* (scil. *κέρα*) *μὲν ἀσκήσας κεραοξόος ἤραρε τέκτων*, ubi *ἤραρε* iam notionem conglutinandi in se continet. — Verbum *ἀράσσειν* est, ut ait Ameisius, per eminentiam adhibitum significatque „pulsando, tundendo conficere" i. e. „conglutinare".

mentatione quamvis dubitari possit, tamen id constat, aoristo ἤραρον (sive sine augmento ἄραρον), qui radicis syllaba duplicata fictus est, natura inhaerere causativam notionem; cf. Curt. Verb.[2] II, 34 eaque, quae sub ὄρνυμι exposui.

Quod ille aoristus ἤραρον praeter causativam notionem prae se fert intransitivam, de eo agere nobis opus est.

Causativa huiusce aoristi significatio sexies legitur *Δ* 110; *M* 105; *Π* 212; ε 252; translata notio ε 95; π 169.

Ut in verbo ὄρνυμι, sic in hoc verbo intransitiva notio ex intransitivo perfecto in aoristum II perfecto propter syllabae duplicationem simillimum irrepsisse videtur. Quae duobus locis subest *Π* 214 ὣς ἄραρον κόρυθές τε καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι (similiter perfectum usurpatur *N* 800 ὣς Τρῶες πρὸ μὲν ἄλλοι ἀρηρότες et *O* 618 ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες) et δ 777 μῦθον, ὃ δὴ καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶν ἤραρεν ἡμῖν. Hoc loco translatam significationem placendi verbum praebet; quapropter εὕαδεν in nonnullis codicibus adscriptum est. Quae translata significatio quomodo cum propria vi cohaereat, Curtius in Et.[5] 340 demonstrare conatur. Recte homo ille doctissimus monet etiam apud Homerum posse observari et δ 777 et *A* 136 (ἄρσαντες κατὰ θυμόν scil. γέρας), qua ratione altera notio in alteram transgrediatur.

Notandum est ἀραρεῖν ceterosque aoristos II, qui radicis syllaba duplicata formati sunt, aoristis ἀγαγεῖν, εἰπεῖν, ἐνεγκεῖν exceptis plerumque tantum in usu sermonis poëtici versari maximamque partem iam in dictione Homerica ad priscam vetustatem pertinere. cf. Curt. Verb.[2] II, 29.

F. De duobus deponentibus δέχομαι et ἐέλδομαι.

1. δέχομαι.

Uno tantummodo loco Iliadis *T* 290 ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεὶ notio verbi insolita et a principali vi transitiva diversa reperitur. Quomodo verbum h. l. sit interpretandum, haerere possis, et haeserunt viri doctissimi. Alii enim, ut Autenriethius, verbum passive esse usurpatum putaverunt, alii, ut Vaničekius I, 334 et Ameisius, intransitive, alii denique, in quibus Seilerus et Ebelingius, dirimere non ausi sunt, utra sententia anteponenda sit.

Ac primum quidem consideremus sententiam eorum, qui verbum esse passive adhibitum existimant. Quam ad sententiam adiuvandam fortasse verbi *ἐέλδομαι,* quod revera *Π* 494 passive esse positum vix quisquam negabit, exemplum expromas. At illi passivae notioni praepositio *ἐκ* haud ita bene convenire videtur; maxime vero natura duorum locorum, quibus verbum eadem constructione utens in Graecorum litteris praeter hunc locum Homericum legitur, Her. VII, 176 *ἐκ δὲ στεινοῦ τὸ Ἀρτεμίσιον δέκεται αἰγιαλός* imprimisque Hes. theog. 800 *ἄλλος δ' ἐξ ἄλλου δέχεται χαλεπώτερος ἆθλος* sub loco nostro Homerico passivum sensum subici vetat. Illi enim Herodoteo loco quam non accommodatus sit sensus passivus, quoniam regiones vel loca describuntur, facile quisque sentiet; in versu autem Hesiodeo passivum intolerabile videtur propterea, quod exoritur haec prava sententia: „alius difficilior labor alio excipitur". Immo e contrario sententia recte se habebit, si interpretabimur: „alius difficilior labor excipit alium laborem", i. e. „alius difficilior labor sequitur ex alio".

Tota difficultas loci in constructione verbi posita est, quam recte Faesius explanasse mihi quidem videtur. Huius enim opinione statuenda est constructio ad intellectum sive *κατὰ σύνεσιν,* quam vocant. Haec mira constructio mihi ita orta esse videtur, ut duae cogitationes quasi confluxerint. Cogitatio enim *κακὸν δέχεται κακόν* „malum excipit malum" miscetur cum cogitatione *κακὸν ἐκ κακοῦ γίγνεται* „malum sequitur ex malo" ita, ut constructio alterius sententiae ad alteram transferatur. Hoc modo verbum intransitivam notionem accepit. Ad dictionem nostram illustrandam adsimulari potest *Π* 111 *πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο,* ubi poëta sub alia imagine de continuitate malorum loquitur.

2. *ἔλδομαι, sive ut frequentius legitur, ἐέλδομαι (cupio, desidero).*

Postremo in hoc ordine verborum primitus transitivorum commemoretur hoc deponens, cuius significatio *Π* 494 *νῦν τοι ἐελδέσθω πόλεμος κακός* multo maiore iure passiva quam in verbo *δέχομαι* nominari potest. Etenim vix ille locus aliter explicari potest. Huius verbi usus passivus hoc solo loco neque

usquam alias in universis Graecorum litteris invenitur. Aetate posthomerica (nam e toto Homero hoc unum testimonium passivi usus potest afferri) alia quoque verba, quae medii forma utuntur, simillime et transitive et passive usurpantur. Notissima sunt haec exempla, quae in optimis scriptoribus solutae orationis inveniuntur: *αἱρεῖσθαι*, quod significat et „creare" et „creari", *μεταπέμπεσθαι*, quod significat et „arcessere" et „arcessi"; cf. Kruegeri gr. Gr. I, 52, 10, 11.

---

§ 3.

De eis verbis, quibus principio et transitivam et intransitivam vim inhaesisse cogitari potest.

Haec verba sunt a Graecis novata. Quapropter fieri potuit, ut statim principio ambigua notio eis tribueretur.

δινεύω, δινέω.

Horum utrumque verbum est denominativum. De radice, quae eis substantivis subest, a quibus illa verba sunt derivata, cf. Curt. Et.[5] 236; Vaniček. I, 362; Fick.[3] II, 129.

Duo illa verba, quae lexicographi confuderunt, et quae iam ab ipsa lingua confusa sunt, ut prima notio duorum dispici possit, distinenda sunt.

a. δινεύω.

Qui verba Homerica in -*εύω* cadentia perlustraverit, multa ex iis non recedere ad substantiva in -*εύς* cadentia cognoscet. Eiusmodi verba ex analogia aliorum verborum, quae ipsa a substantivo in -*εύς* desinente sunt ducta (cf. *ἱερεύω* ab *ἱερεύς*, *βασιλεύω* a *βασιλεύς* etc. deducta), postea ficta sunt. Sic res de *δινεύω* quoque se habere videtur· Exstat quidem substantivum *δίνη* (vortex), deest autem substantivum *δινεύς* apud Homerum et in toto sermone Graeco.[1])

---

[1]) Cf. L. Meyer., Bezzenbergers Beiträge zur Kunde der indogermanischen Vorzeit I, 32. Praeterea in universum de verbis in -*εύω* cadentibus disputat Curtius, Verb.[2] I, 367 sqq.

Cetera verba in -εύω cadentia semper indicare solent aliquem exercere eam actionem, quam denotat substantivum. Eorum significatio primo est intransitiva, veluti ἱερεύω „als Opferpriester thätig sein", confestim autem accusativo apposito in transitivam vim transit. Sic ἱερεύω vulgo notionem transitivam aliquid sacrificandi accepit. Idcirco conveniens est, si naturam ac rationem ceterorum verborum in -εύω exeuntium respicimus, in δινεύω propriam vim transitivam vorticis instar circumagendi vel rotandi inesse. Sed si huius verbi usum Homericum consulueris, reperies intransitivam notionem multo frequentius quam transitivam, semel tantummodo obviam, exstare. Haec notio intransitiva a verbo δινέω simillime sonante, quocum δινεύω oriens statim mixtum est, in hoc influxit. Huc accedit, quod intransitiva vis eo facilius verbo δινεύω potiri poterat, quo minus memoria, ut ita dicam, iuvabatur, cum substantivum δινεύς deesset.

I. Verbum transitive Σ 543 legitur.

II. Intransitive exstat Σ 606 δοιὼ δὲ κυβιστητῆρε κατ' αὐτοὺς | μολπῆς ἐξάρχοντος ἐδίνευον κατὰ μέσσους[1]); δ 19 = Σ 606; sed δ 19 in contextu locum suum non habet item ac vv. 17 et 18. Illi versus sunt aperte e Σ 604—606 in Odysseae locum transfusi. Wolfius et Bekkerus vv. 15—19 condemnaverunt secuti Athen. V p. 181 c, qui Aristarchum ipsum arguit, quod his versibus illum Odysseae locum interpolaverit. Qua permira accusatione Aristarchum liberavit imprimis Rumpfius, de γαμοποιία Menelai, Giessen 1846; cf. Ameisii append. ad δ 15—19. Ceterum tantum vv. 17—19 spurios esse cum Faesio iudico. Praeterea verbum intransitive reperitur Δ 541; Ψ 875; Ω 12; τ 67.

b. δινέω.

δινέω e substantivo δῖνος (vortex), cuius loco apud Hom. occurrit femininum δίνη, est fictum. Quod ad primam attinet notionem, verbum intransitivum fuisse crediderim; etenim in

[1]) Hunc versum et antecedentes versus (a 590 usque ad 606) in scuti descriptionem, cui ipsi serior attribuitur aetas, postea esse insertos primus Clemens, de Homeri clipeo Achilleo, Bonn 1844, ostendit eumque secuti Ameisius et Faesius ad h. l. dubitaverunt, num illi una cum reliqua parte descriptionis scuti sint conscripti.

universum multo maximam copiam denominativorum in -*έω* exeuntium principio intransitivam significationem in se suscepisse videmus. Duplex autem notio, sicuti mihi quidem verisimillimum est, exstitit eo, quod iam mature lingua verbum *δινέω* confudit cum verbo *δινεύω*. Quae verba inter se facillime commisceri potuerunt propter formarum maximam similitudinem. Huc accedit, quod nonnulla verba, quibus pariter ac verbis *δινεύω* et *δινέω* exitus est et -*εύω* et -*έω*, iam eandem habebant notionem; cf. verba Homerica *ποντοπορεύω* — *ποντοπορέω*[1]) („in mari navigo") et *οἰνοχοεύω* — *οἰνοχοέω* („vinum infundo"), quorum utraque forma iam ab initio idem valebat. Homerus, ut ad eum revertar, formis utriusque verbi sic utitur, ut cuique versus loco aptum est.

I. Activum verbi *δινέω* semel tantummodo *Σ* 494 *κοῦροι δ' ὀρχηστῆρες ἐδίνεον* intransitive reperitur. Item *ἐδίνευον* *Σ* 606 = *δ* 19 de saltando erat dictum.

Medium tantum intransitivam notionem habet. *P* 680 *δινείσθην* dicitur de oculis, qui instar vorticis circumvolvuntur. Bis in Odyssea *ι* 153 *νῆσον θαυμάζοντες ἐδινεόμεσθα κατ' αὐτήν* et *π* 63 *φησὶ δὲ πολλὰ βροτῶν ἐπὶ ἄστεα δινηθῆναι | πλαζόμενος* medium cum intransitiva notione vagandi legitur. Altero loco *π* 63, ubi aoristus I passivi, quem vocant, exstat, verbum non est passivum intellegendum.[2]) Immo aoristus ille intransitivam notionem habet, quae in aoristis in -*ην* et -*θην* terminantibus antiquior quam passiva est putanda. Item intransitivam aoristi passivi in -*θην* exeuntis notionem agnoscimus *X* 165 *ὣς τὼ τρὶς Πριάμοιο πόλιν πέρι δινηθήτην | καρπαλίμοις πόδεσσι*. Sic (*πέρι δινηθήτην*) Heynius primus eumque secuti Spitznerus, Dindorfius, La Rochius, Faesius scripserunt; codices plurimi atque praestantissimi compositum praebent *περιδινηθήτην*, quod lexicographi Seilerus, Autenriethius Ebelingiusque probarunt ac recentiores editores Frankius et Ameisius in

---

[1]) Hoc verbum aperte a *ποντοπόρος* derivatum apud Pfordtenum l. l. p. 22 desideratur.

[2]) Cf. Delbrueck., Synt. Forsch. IV, 78 sq.; Curt., Verb.[2] II, 381. De aoristis passivis, quibus notio inest intransitiva, copiosius quaesivit G. Kuehnius, de aoristi passivi formis atque usu Homerico, de *δινέω* pag. 27.

textum receperunt. Hanc lectionem auctoribus nonnullis deterioribus codicibus Heynius ceterique homines docti, quos supra nominavi, in *πόλιν πέρι δινθήτην* immutaverunt duabus ex causis: primum Hector et Achilles ter circum Troiae moenia currentes eis displicuerunt, tum illi circa Troiam currere omnino non posse videbantur propterea, quod antiquae illius urbis situs, quem nobis descripserunt recentiores geographi, cursum circa moenia fieri vetabat. — Quas difficultates Hercherus[1]) prorsus removit. Etenim Troiam Homeri opinione in plano sitam esse iste docuit. Quod attinet ad priorem causam, quam attulerunt homines illi docti, Homerus, ut satis est notum, fingit heroas suos gerentes res, quas mortales homines eius aetatis, qua poëta ipse vivit, perficere iam non possint. Faesii miram explicationem illius *πόλιν πέρι δινηθήτην* iam Frankius repudiavit.

Participium aoristi passivi notione mediali instructi *δινηθείς* legitur *χ* 85 *περιῤῥηδὴς δὲ τραπέζῃ* | *κάππεσε δινηθείς* in permultis codicibus, in quibus est optimus Harleianus, sed iam variae illae lectiones aliorum codicum *δινωθείς*, *δηνηθείς*, *ἰθνωθείς* docent nostris in codicibus h. l. duas inesse recensiones, quarum altera *δινηθείς*, altera *ἰδνωθείς* habebat.[2]) De ea quaestione, utra lectio praeferenda sit, *δινηθείς* an *ἰδνωθείς*, sententiae editorum in diversas abeunt partes. *Δινηθείς* mihi quidem inepte de Eurymacho dictum esse videtur, non quo sub *δινεῖσθαι*, ut La Rochio in ed. crit. placet, sola notio vagandi subiecta sit (cf. contra La Rochium *Γ* 680 *ὅσσε δινείσθην*), sed quia *δινηθείς* significans „sich im Kreise drehend" ad Eurymachum in mensam cadentem haudquaquam quadrat. Iam vero *δινηθείς* admodum abundare videtur, si antecedens adiectivum *περιῤῥηδής* Duentzero[3]) auctore „schwankend, taumelnd" vertendum est.

Illud vero *ἰδνωθείς*, quod duo codd. a La Rochio in ed.

---

[1]) Ueber die homerische Ebene vor Troia, Abhandlungen der Berliner Akademie, 1875, p. 133.

[2]) Autenriethius in „Naegelsbachs Anm. zur Il.[3] 1864" ad *B* 266 *δινηθείς* *χ* 85 antiquissimam glossam esse auguratur.

[3]) Cf. K. Z. XIII, 7. Duentzeri coniecturae Curtius, Et.[5] 352, quoque adstipulatur. Etymologia huius adiectivi vexatissima est; melior interpretatio adhuc nondum est reperta.

crit. C et N notati et Harleianus ipse supra scriptum exhibent, optimum praebet sensum.[1]) Quo participio ἰδνωθείς ratio cadendi sub adspectum subicitur. Eurymachus enim, postquam eius iecur Ulixis sagitta confixum est, curvatus cadit. Diligentius et rerum connexum et verborum constructionem Ameisius in append. ad χ 84 et 85 tractavit, cuius interpretationem huius difficilis loci in universum sequor.

---

§ 4.

De eis verbis, quorum principalis notio certo erui nequit.

A. De tribus verbis in -άζω exeuntibus.

1. ὀπάζω.

Hoc verbum a Graecis ex ὀπάων novatum est[2]), cui nomini ad radicem ἑπ (Sanscr. „sak") recedenti inest notio comitis; cf. Vaniček. II, 982. Verbum ὀπάζω tantum in sermone poëtico apud Homerum obvium significat et „comitari" sive „persequi" et „comitem dare aliquem, aliquid" sive „sequi iubere", quibus ex significationibus haec, si cum illa altera confertur, causativa appellari potest. Sed cum illa significatio comitandi semper sit transitiva, verbum proprie non est numerandum in verbis et causative et intransitive usurpatis. At vero manifesto illa significatio comitandi ex significatione primitus intransitiva „comes sum" gignitur non secus ac notio transitiva verbi φιλεῖν, quae e principali vi intransitiva „von freundlicher Gesinnung erfüllt sein" accusativo apposito in transitivam „lieben" se convertit.

Si quaeris, utra notio sit principalis, illa notio comitandi ex intransitiva prognata an causativa, notionem comitandi, quoniam causativa notio melius ex intransitiva illa potest derivari

---

[1]) Hesychius II, 344 glossam servavit ἰδνωθείς· καμφθείς, vix recte ταννσθείς.

[2]) Pfordtenus hoc verbum in collectione sua verborum denominativorum praetermisit.

quam notio comitandi ex causativa, principio attribuendam esse verbo verisimilius videri possit. Attamen res non facile potest diiudicari, quia verbis in -άζω cadentibus non est certus mos aut solam intransitivam aut solam transitivam notionem accipiendi. Itaque rem in hoc verbo et duobus aliis verbis huc pertinentibus πελάζω et ἀνιάζω integram relinquamus.

Significatio comitandi apud Homerum in malam partem adhibita notionem molestiae sibi assumpsit, ita ut significationes et persequendi et premendi orerentur.

Sic significatio persequendi subest Θ 341 ὣς Ἕκτωρ ὤπαζε καρηκομόωντας Ἀχαιούς, significatio premendi de senectute usurpata Δ 321 εἰ τότε κοῦρος ἔα, νῦν αὖτέ με γῆρας ὀπάζει et Θ 103 σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει. Verbum cum eadem significatione semel passive legitur Λ 493 ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισι | χειμάῤῥους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ, ubi pro ὀπαζόμενος Nauckius[1]) scribi vult ἀεξόμενος vel ὀφελλόμενος.

Sine obiecto verbum exstat Ε 334 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκίχανε πολὺν καθ' ὅμιλον ὀπάζων et Ρ 462 ῥεῖα δ' ἐπαΐξασκε πολὺν καθ' ὅμιλον ὀπάζων, quibus locis verbo notionem instandi („an-, vordringen") Seilerus et Ebelingius lexicographi atque Ameisius tribuunt. Sed haec notio iam intransitiva est disceditque a principali vi persequendi. Equidem credam obiectum utroque loco animo obversari. Ε 334 obiectum Κύπριν, ut e superioribus discimus, et Ρ 462 obiectum Τρῶας (cf. antecedens ὑπὲκ Τρώων ὀρυγμαδοῦ) animo obversatur. Nam id non dixerim (quod statuit Faesius), haec obiecta ad verba esse supplenda. Aptissime igitur illud ὀπάζων, si principalem notionem tenere volumus, nostro „nachfolgend" reddendum est.

Causativa vis creberrime et apud Homerum et apud posteros poëtas obvia, cum actio verbalis ad res transferretur, ex singulari notione „comitem do, sequi iubeo, do qui sequatur" in generalem sensum dandi abscessit.

---

[1]) Bulletin de l'Académie de St. Pétersbourg, tome VI, 1, 27 (cf. Philol. XXII, 371). Cf. etiam Kayserum, Philol. XXII, 514. In editione Homerica Nauckius pro ὀπαζόμενος dubitans proponit ἀεξόμενος.

2. πελάζω.

πελάζω denominativum est ab ea stirpe, quae inest in adverbio πέλας („prope"), pariter ac πυκάζω ab ea stirpe, quae inest in adverbio πύκα, repetitum ex analogia aliorum verborum in -άζω desinentium, quae iam erant ficta.[1])

Fortasse dixerit quispiam ad sublevandam eam opinionem, ex qua verbum primitus intransitivum est, id aliquid habere momenti, quod transitiva notio propius admovendi non invenitur nisi apud poëtas, intransitiva contra notio appropinquandi cum apud poëtas tum apud prosae orationis scriptores, ut Herodotum et Platonem. Sed cogitari potest principalem notionem e cotidiano sermone itaque e prosa oratione paulatim evanuisse.

Apud Homerum quidem transitiva vel causativa notio regnat, quae tricies quinquies legitur.

Intransitiva vero vis scripta legitur bis tantummodo *M* 112 *μ* 41.

3. ἀνιάζω.

Hoc verbum est denominativum, quod dicunt, a substantivo ἀνία repetitum. Curtius, Et.[5] 546, Vaniček. I, 38, Fick.[3] II, 20 hoc nomen ἀνία ad radicem reducunt, cuius primam significationem statuunt „krank sein". Benfeyus[2]) autem statuit significationem „lechzen, nach Luft schnappen", ex qua notio „erschöpft sein" facile provenire potuit. Quam transitionem significationum facili negotio fieri posse L. Meyerus[3]) frustra conatur negare.

Fulda[4]) ἀνιάζω proprie principioque de corporis languore dictum esse, apud Homerum vero propriam significationem illam in notionem animi languoris transisse arbitratur. At equidem non crediderim omnibus locis Homericis hanc significationem animi languoris agnoscendam esse, praesertim cum, si de languore sermo est, is persaepe et corporis et animi languor esse soleat. Quae duae partes hominis tam anguste inter se cohaerent, ut inter se accurate nequeant discerni. Ceterum in Fuldae

---

[1]) Cf. Pfordten. p. 92; Curt., Verb.[2] I, 345.

[2]) Sanscrit WB. I, 341.

[3]) Is de voce ἀνία et de vocabulis ab hoc nomine repetitis explicatius K. Z. XVI, 1—8 egit.

[4]) l. l. p. 207 sq.

sententiam verbi significatio, quae τ 323 exstat, non convenit. Sed de hoc loco paulo post agam.

I. Intransitive verbum usurpatur. Defatigatio pertinet et ad corpus et ad animum.

δ 460 ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀνίαζ' ὁ γέρων ὀλοφώια εἰδώς Proteus senex cum iam saepe se mutasset et impetus Menelai eiusque comitum subisset, corpore confectus est, ergo taedio se amplius transfigurandi animus captus est. Similiter res se habet δ 598 ἀλλ' ἤδη μοι ἀνιάζουσιν ἑταῖροι | ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, ubi socii Telemachi exspectando defessi sunt et taedio diutius exspectandi affecti.

Sub imagine poëta verbum adhibet Σ 300 Τρώων δ' ὅς κτεάτεσσιν ὑπερφιάλως ἀνιάζει, | συλλέξας λαοῖσι δότω καταδημοβορῆσαι „qui e Troianis se extra modum opibus suis oneratum esse putabit", i. e. „quem earum pertaesum erit quique eam ob causam eas libenter abicere volet, is . . ." Poëta Hectorem haec verba ironice loquentem facit. Hector enim, si consilio Pulydamantis se intra moenia recipiendi obtemperarent Troiani, opes in Achaeorum manus esse perventuras pro certo habet. Scholiorum autem interpretationem, quae compluribus arrisit interpretibus, Frankius ad h. l. in editione Faesiana et Ebelingius in lex. optimo iure refutaverunt.

Vocabulo θυμῷ addito sola altera pars languoris, i. e. languor animi, quippe quae sit gravissima languoris pars, respicitur. Duo loci sunt commemoratione digni, Φ 270 ὁ δ' ὑψόσε ποσσὶν ἐπήδα | θυμῷ ἀνιάζων et χ 87 ὁ δὲ χθόνα τύπτε μετώπῳ | θυμῷ ἀνιάζων. Notio verbi ἀνιάζω, quae subest χ 87, a notione eiusdem verbi, quae subest Φ 270, discrepat. Fulda l. l. p. 208 significationem singularis illius doloris animi ex languore facti χ 87 evanuisse et in generalem designationem doloris animi transisse sagacissime suspicatur. At quo probabilior fiat Fuldae suspicio, equidem addam haec: poëtae carminis χ ille Iliadis versus Φ 270 ob oculos versatus est. Ille poëta, cuius sollertia et ars in pugnis depingendis[1]) haud ita magni est aestimanda,

[1]) Comparare te velim illud Ulixis certamen contra procos factum cum egregiis Iliadis pugnis: videbis descriptionem proeliorum, quae in Odyssea exstat, multo inferiorem esse proeliorum plerisque descriptionibus in Iliade obviis.

Iliadis istum locum imitatus aut neglegenter illud *θυμῷ ἀνιάζων* tamquam formulam deprompsit, praesertim cum etiam versus praecedens *χ* 86 similiter ac *Φ* 269 compositus esset, aut formula illa usus notionem verbi consulto in universam mutavit.

II. Verbum cum transitivo accusativo construitur causative *Ψ* 721 *ἀλλ᾽ ὅτε δή ῥ᾽ ἀνίαζον ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς.* Nonnulli homines docti, in quibus Passovius in lexico suo et Hentzius in editione nominativum *ἐυκνήμιδες Ἀχαιοί,* quem complures codices exhibent et Eustathius 1326, 44 agnoscit, accusativo praetulerunt. At ut praetermittam huic scripturae maiorem auctoritatem ceterorum codicum accusativum praebentium et scholia[1]) adversari, accusativus continuationi rerum accommodatior quam nominativus esse videtur. Etenim si Aiax et Ulixes, qui aperte nimis diu luctati oculos Achaeorum languefecerunt, ut subiecta ad *ἀνίαζον* spectant, nemo non intellegit, qua re Aiax permotus sit, ut Ulixem ad luctatum finiendum cohortaretur. Similiter L. Meyerus[2]) interpretatur: „die Achäer quälten, ihnen Langeweile und Missmut verursachten, dadurch dass sie (Aiax et Ulixes) nicht fertig wurden" et ad hanc interpretationem fulciendam *β* 115 et *γ* 117 adsimulat.

In generaliorem vim vexandi verbum se convertit *τ* 323 *τῷ δ᾽ ἄλγιον, ὅς κεν ἐκείνων | τοῦτον ἀνιάζῃ θυμοφθόρος.* Hic versus manifesto et ad ictum Antinoi *ρ* 462 et ad ictum Eurymachi *σ* 394 spectat. Praeterea ex adiecto *θυμοφθόρος* elucet hoc verbum de corpore vexando intellegendum esse. Notio taedii subsequentis hic deest.

B. *μινύθω.*

μινύθω aeque ac *φθινύθω* et *φλεγέθω* a Graecis novatum pertinet auctoribus Curtio Et.[5] 334, Vaničekio II, 675, Fickio[3] II, 190 ad radicem „mi". Ex radice *μι* provenit suffixo *νυ* adnexo *μινύω* (quae forma *μινύω* apud Hippocratem tradita esse videtur; respondet *μινύω* verbo Latino „minuo"), quod *μινύω θ* consona accedente amplificatum est. Eodem modo ex

---

[1]) Sic accusativum Aristonicus legit verbumque explicat transitivum: *ἀντὶ τοῦ εἰς ἀνίαν ἦγον καὶ ἐχρόνιζον.*

[2]) K. Z. XVI, 6.

φθι exorta sunt φθί-ω, φθί-νω, φθι-νύω, φθι-νύ-θω; cf. R. Fritzschium, Curt. stud. VII, 385; G. Meyerum, gr. Gr.[2] § 492.

Sed difficile est dictu, utra sit prior verbi significatio, intransitiva an transitiva; nam ne radicis quidem principalis vis certo statui potest, quia verba ex aliis linguis allata et Sanscriticum et Latinum „minuo" iam utramque notionem in se coniungunt. Fortasse igitur in verbo Indogermanico duplex notio inerat.

Quod ad singularem notionem huius verbi in -θω cadentis attinet, relego ad ea, quae sub φλεγέθω et φθινύθω planius de hac quaestione exposui, et de locis singulis, quibus verbum reperitur, ad Wentzelium l. l. p. 33 et 34.

C. ἄω.

De primaria vi constituenda homines docti in diversas discedunt partes; cf. Curt. Et.[5] 397 sq. et Vaničekium II, 979 contra Fickium[3] II, 27. Notandum est radicem Sanscriticam utraque uti vi. Hoc certum est, verbum Indogermanicum aut „se satiare" aut „satiare" significavisse.

Apud Homerum utraque vis tantum in Iliade invenitur. Res, qua quis satiatur, in genetivo adici solet, semel in dativo instrumentali Λ 818. Praeter propriam vim apud Homerum iam impropria notio conspicua est.

I. Transitivum verbum proprie de vere satiando dicitur Ι 489 (σε) ὄψου τ' ἄσαιμι προταμών; Λ 818 ἄσειν ἐν Τροίῃ ταχέας κύνας ἀργέτι δημῷ; Τ 307 μή με πρὶν σίτοιο κελεύετε μηδὲ ποτῆτος | ἄσασθαι φίλον ἦτορ. Kruegerus[1]) aoristum ἄσασθαι in numerum ascribit eorum verborum, quorum formis medialibus inhaeret vis ac potestas passiva, φίλον ἦτορ accusativum relationis explicans. Sed iam Kuehnius[2]) Kruegeri sententiam refutavit adnotans: „(Kruegerus) neglexisse videtur activi quoque formis eandem notionem, quam ille passivam appellavit, infuisse". At etiam Kuehnius medium esse intransitivum ratus φίλον ἦτορ pro accusativo relationis accipit. Equidem potius similitudine exemplorum, ut φθινύθειν κῆρ reliquorumque, quae

---

1) Di. § 52, 9, 1.
2) De aoristi passivi formis atque usu Homerico, p. 25.

Ameisius in app. ad ι 74 enumerat, adducor, ut *φίλον ητορ* pro transitivo accusativo habeam verbumque medium esse indirecte reflexivum sive id, quo quem sua causa aliquid perficere indicatur, statuam. H. l. medium haud ita longe ab activi significatione distat. *Ἄσασθαι κῆρ* significat „cor suum, i. e. se ipsum satiare". Ut iam saepius, sic in hoc verbo tractando de circumscriptionibus *ἦτορ, θυμόν, κῆρ, φρένας,* quae in eiusmodi locutionibus, in quibus nos simpliciter utimur pronomine reflexivo, apud Homerum usitatissimae sunt, ad Ameisii app. ad *Z* 524 relego. Praeterea si Kuehnii sententiam probaremus, nobis accusativus relationis *φίλον ἦτορ* („heisst mich nicht vorher an Speise und Trank mich sättigen im lieben Herzen") abundare videretur, praesertim cum ille *Ω* 717 *ἄσεσθε κλαυθμοῖο* desit. Perverse L. Meyerus[1]), qui nobiscum conspirans medium recte intellegit, transitivum accusativum reddit „zu sättigen meinen Leib".

Praeterea verbum trans. de vere satiando adhibetur *Ω* 211, sub imaginibus autem *E* 289 = *Υ* 78 = *X* 267. Hic dicas verbum et proprie et improprie dici. Denique verbum admodum translate *Σ* 281 usurpatur.

II. Intransitive verbum non adhibetur nisi in imaginibus aut metaphoris *Λ* 574 = *O* 317 *δοῦρα* | *λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι,* similiter *Φ* 168 *λιλαιομένη χροὸς ἆσαι*; *Φ* 70 *ἐγχείη* . . . | *ἱεμένη χροὸς ἄμεναι ἀνδρομέοιο* (cf. Ameis. adnot. ad h. l.). His locis hasta tamquam animata et se corpore hominum satiare cupiens cogitatur.

Prorsus translate usurpatum verbum legitur *T* 402 *ἐπεὶ χ ἑῶμεν πολέμοιο,* si forma *ἑῶμεν*[2]) ad verbum *ἄω* reducenda est; *Ψ* 157 *γόοιο μὲν ἔστι καὶ ἆσαι*; *Ω* 717 *ἄσεσθε κλαυθμοῖο* (*ἄσεσθε* medium intransitivum est).

De forma *ἆσαι* intransitiva notione instructa hoc subiungam.

---

[1]) K. Z. XXII, 469.

[2]) Haec insolita forma cum veterum tum recentiorum sagacitatem et multiplicem industriam exercuit. Nihil certi de ea adhuc est expeditum. Conspicias praeter alias commentt. Buttmanni disputationem in lexil. II, 131 sqq., Spitzneri excurs. XXXI ac de variis derivationibus huius formae Seileri adnot. sub *ἑῶμεν*; cf. etiam L. Meyerum, K. Z. XXII, 473.

Veitchius[1]), ut ex infinitivo aoristi ἄσαι, quo quater transitivam contineri notionem vidit, intransitivam eiciat vim ac potestatem, ἄναι (inf. aor. II) pro ἄσαι iis locis, quibus ἄσαι intransitive legitur, proponit scribendum esse. At hoc propositum incertissimum est. Etenim scrupulus mihi eo inicitur, quod Veitchius formam ἄναι nusquam alibi traditam, quam ipse effinxit, in Homerum indidit pro ἄσαι, quam formam vi intransitiva praeditam quattuor locis *Λ* 574 = *Ο* 317; *Φ* 168; *Ψ* 157 omnes codices tuentur. Praeterea inter homines doctos ne constat quidem, utra significatio transitiva an intransitiva vetustior sit iudicanda; paene Fickio et Kuehnio[2]) assentior, qui intransitivam vim huius verbi principalem fuisse autumant. Postremo ex omnibus verbis, quae adhuc in hoc capite secundo enumeravi, elucet illam duplicem notionem plane non esse inauditam. Quapropter non video, cur in forma ἄσαι omnium codicum fide confirmata offendamus.

---

§ 5.

Sequuntur in appendice ea verba, quae secundum virorum doctorum opiniones duplicem usum, sed meo quidem iudicio solam alteram vim ac potestatem, aut transitivam aut intransitivam, habent.

A. De eis verbis, quae mea sententia tantum transitive usurpantur.

1. ἐρείδω.

De prima huius verbi notione nihil certi proferri potest; etenim verba huic affinia, quorum e significatione, quae sit verbi Indogermanici vis principalis, possit cognosci, in ceteris linguis Indogermanicis non reperiri videntur. Ac ne id quidem satis constat, quae sit etymologia illius verbi. Ut vero praetereamus Buttmanni[3]) suspicionem, qui in verbo ἐρείδω eandem stirpem atque in substantivo neutrius generis ἔρμα et Germanico nostro

[1]) Greek verbs s. ἄω, p. 107.
[2]) De aoristi passivi formis atque usu Homerico, p. 25.
[3]) Lexil. I, 111 sqq.

„Hort" recurrere censet, quam quidem etymologiam recentiores improbarunt, Froehdii[1]) sententia, ἐρείδω cum Latina voce „ridica" („Weinpfahl") esse comparandum, Curtio[2]) maxime arrisit. At ex hac comparatione nihil ad principalem verbi vim constituendam concludi potest.[3])

Sed ut ad verbi usum veniamus, illud apud Homerum intransitive usurpatum non videtur; etenim iis locis Homericis, quibus homines docti verbum intransitivum subesse autumarunt, non modo simplicius, verum etiam rectius transitivus usus agnoscitur. Quamquam id nequit negari, aetate posthomerica usum intransitivum verbi apud poëtas, ut Aeschylum maximeque Aristophanem, et apud scriptores posteriorum temporum, ut apud Plutarchum, exstare.

Transeamus nunc ad tractandos singulos locos Homericos, quibus viri docti verbo addixerunt significationem intransitivam.

Sic sub intransitiva notione afferunt Passovius et Ebelingius in lexicis suis ex Iliade *Π* 108 *οὐδὲ δύναντο* | *ἀμφ' αὐτῷ πελεμίξαι ἐρείδοντες βελέεσσιν*. Ebelingius h. l. verbum incommode reddit „an ihm anstemmend mit den Geschossen". Nemo, opinor, erit, quin, ubi accurate perlegerit contextum et continuationem sermonis, obiectum aliquod et ad infinitivum *πελεμίξαι* et ad participium *ἐρείδοντες* e superioribus haud magno negotio non solum subaudiri posse, sed etiam necessario subaudiendum esse concedat. Ac quoniam ea verba, quae exscripsi, negative accuratius explicant id, quod indicant confirmative illa antecedentia *ἔμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον,* aptissime, credo, ex istis verbis obiectum *σάκος* desumitur. Sic recte Ameisius versum illum interpretatur „obwohl sie den Schild schwer trafen mit Geschossen" itemque Faesius.[4]) Nec nos offendere

---

[1]) K. Z. XXII, 263.

[2]) Et.[5] 724.

[3]) Quod L. Meyerus, vgl. Gr.[2] I, 1062, et Kuehnius, de aor. pass. formis etc., p. 27, primam vim verbi ἐρείδω esse intransitivam iudicaverunt, hoc magis finxerunt quam demonstraverunt. Kuehnio, si verbum utraque utitur vi, semper propemodum intransitiva notio, quam minutatim causativa vel transitiva vis ex activo expellere conetur, aetate superior esse videtur.

[4]) Doederleinii (hom. Gl. nr. 567) sententiae breviter mentionem facere velim. Ille enim ex *ἀμφ' αὐτῷ* obiectum *αὐτόν* ad *πελεμίξαι*

debemus in mutatione significationis, quia verbum saepius significat „premere aliquid“, velut *N* 131 = *Π* 215 ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ; λ 426 σύν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

Ἐρείδω porro lexicographi Ebelingius et Seilerus pro intransitivo acceperunt *Λ* 235 = *P* 48 νύξ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἔρεισε, βαρείῃ χειρὶ πιθήσας „er selbst drückte nach der Wucht des Armes freien Spielraum lassend“. Sic Ameisius. Hic verbum esse reflexivum, i. e. actionem verbalem urgendi a subiecto profectam ad idem redire equidem non crediderim; immo vero actionem urgendi ad obiectum aliquod pertinere mea quidem opinione oportet. Nemo enim, si ista verba exaudiverit, actionem urgendi in hocce sententiarum ac rerum connexu ad hastam referendam esse negabit; quod obiectum quasi ante animos nostros obversatur, praesertim cum antegrediente verbo νύξε eius rei, qua pulsatur, cogitatio continetur. Nec magis molesta est omissio obiecti in hoc verbo quam in verbo ἱέναι, quod sine obiecto valet „hastas vel sagittas mittere“, prout contextus exigit, veluti *P* 515 ἥσω γὰρ καὶ ἐγώ, φ 328 = ω 177 διὰ δ' ἧκε σιδήρου, quibus locis obiecta in superioribus diserte notata non sunt. Ceterum interpretatio illa „er stemmt sich nach“ haud satis bonum sensum praebet, quandoquidem pugnator proprie non se, sed hastam promovet. Nec dissimiliter compositum ἐπερείδω, quod *H* 269 = ι 538 ἐπέρεισε δὲ ἶν' ἀπέλεθρον transitivum est, *E* 856 ἐπέρεισε δὲ Παλλὰς Ἀθήνη | νείατον ἐς κενεῶνα, quamquam Ebelingius dissuadet, ex eadem causa, quam modo in verbo simplici attuli, pro transitivo accipiendum est. Hic dubium esse nequit, quin verbum sit transitivum, quod in eodem versu ἔγχεϊ χαλκείῳ antecedit, unde obiectum ἔγχος χάλκειον facillime potest simul audiri.[1])

Ad extremum intransitiva vis verbi in editionibus ante Bekkerum (II.) et Dindorfium vulgo legebatur χ 450 καὶ δ' ἄρ' ὑπ' αἰθούσῃ τίθεσαν (scil. νέκυας) εὐερκέος αὐλῆς | ἀλλήλῃ-

---

et ἐρείδοντες suppleri vult. Quae opinio quam perversa sit, confestim is sentiet, qui illud οὐδὲ δύναντο αὐτὸν ἀμφ' αὐτῷ πελεμίξαι ἐρείδοντες βελέεσσιν vertere studebit.

[1]) Idem docet La Rochius, Zeitschr. f. d. österreich. Gymnasien 1870, p. 135.

σιν ἐρείδουσαι, quam scripturam omnes recentiores editores in *ἀλλήλοισιν ἐρείδουσαι* mutaverunt itaque transitivum usum restituerunt. Etiam schol. V, si modo sub eius adnotatione *ἐπιτιθεῖσαι τοὺς νεκρούς* sententiam aliquam subicere volumus, hanc lectionem *ἀλλήλοισιν ἐρείδουσαι* haud dubie ante oculos habuit. De altera autem lectione *ἀλλήλῃσιν ἐρείδουσαι* iure dubitatur; etenim aperte permirum est, quod ancillae in mortuis efferendis sibi invicem innituntur. Maxime artificiosus nobis videtur Faesii ille conatus explicandi „je zwei trugen einen Leichnam, und eine bildete einen Widerhalt gegen die andere", quippe quo plus verbis istis supponatur, quam re vera in eis inest. Quapropter Kayserus in editione Faesiana ab hac falsa lectione ad rectam rediit, quae optimum praebet sensum „mortuos alios super alios coacervantes"; cf. etiam *ψ* 46 sq.[1]), ubi de cadaveribus procorum coacervatis dicitur *οἱ δέ μιν ἀμφὶ κραταίπεδον οὖδας ἔχοντες | κεῖατ' ἐπ' ἀλλήλοισιν.*

2. *αρμόζω.*

Curtius, Et.[5] 340, Vaniček ius I, 47 aliique primam significationem coagmentandi et accommodandi („fügen") statuendam esse consentiunt. Deliberant, an verbum denominativum sit ab *ἁρμός* („coagmentum, compages") deductum; cf. Curt., Verb.[2] I, 346.

Apud Homerum verbum significat „coagmentare, adaptare, efficere, ut quid sit accommodatum", cum trans. acc. constr. *ε* 247 (ex antecedente hemistichio accusativus *πάντα* subaudiendus est), *ε* 162 (medium hic obvium non multum ab activi significatione abest).

Tribus autem locis Iliadis nonnulli interpretes et lexicographi Homerici, in quibus Naegelsbachius, Kuehnerus[2]), Seilerus, Ebelingius, intransitivam potestatem subesse censuerunt. *Γ* 332 sq. *δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνεν | οἷο κασιγνήτοιο Λυκάονος, ἥρμοσε δ' αὐτῷ*; *P* 209—212 *ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. | Ἕκτορι δ' ἥρμοσε τεύχε' ἐπὶ χροΐ, δῦ δέ μιν Ἄρης | δεινὸς ἐνυάλιος, πλῆσθεν δ' ἄρα οἱ μέλε*

---

[1]) Cf. Eustath. 1933, 39.

[2]) Cf. Gr. Gramm.[2] § 373, 2 *β*.

ἐντὸς | ἀλκῆς καὶ σθένεος; *T* 384—385 *πειρήθη δ' ἕο αὐτοῦ ἐν ἔντεσι δῖος Ἀχιλλεύς, | εἰ οἷ ἐφαρμόσσειε, καὶ ἐντρέχοι ἀγλαὰ γυῖα.* (*ἐφαρμόζω* hoc uno loco apud Homerum invenitur.)

Quod iudicium multi recentiorum editorum et interpretum reiecerunt atque id merito. Considerantibus nobis *Γ* 333 nonne occurrit in tota Alexandri armatus descriptione (vv. 328—338) semper fere Alexandrum subiectum esse? Illud additamentum „lorica autem ei convenit" in descriptionem illustrissimam interiectum mihi quidem ieiunum et poëta indignum esse videtur. Praeterea (ut mirum non sit, quod lorica Lycaonis Alexandro statim convenit) nescio an subiecto mutato *ὁ δέ* vel simile quid exspectetur. — Iam Doederleinius[1]) rectissime intransitivam notionem h. l. improbavit et propter aoristum *ἥρμοσε* et propter grave pronomen *αὐτῷ*, cuius ponendi non satis magna causa est. Sed si verbum pro transitivo accipitur, obiectum *θώρηκα* ex antecedente enuntiato facillime suppleri potest. De huius loci interpretatione cf. adnotationes Ameisii ad h. l. et Faesii ad h. l. et *E* 99. Cur transitiva vis, quae per se est sine ulla offensione, non est praeferenda intransitivae?

Venimus ad *P* 210. Etiam hic transitiva notio aptissima est; Iupiter enim efficit, ut armatura Achillis Hectori conveniat.

Tertio loco *T* 385, si compositum *ἐφαρμόζω* pro intransitivo esset habendum, optativus praesentis *ἐφαρμόζοι* posceretur. Ceterum mirum esset, nisi arma a Vulcano confecta Achilli convenirent. Itaque h. l. verbum transitivum est.

Ceterum concedo causas a me contra intransitivam verbi vim allatas non satis graves esse ad intransitivam notionem damnandam. Post Homerum intransitiva verbi *ἁρμόζω* significatio usitata est.

3. *πυκάζω*.

Intransitiva significatio huius verbi, quae in universis Graecorum litteris semel tantummodo in Odyssea *λ* 320 inveniri dicitur, h. l. manifesto ex falsa interpretatione oritur.

Praemittam verbum denominativum esse ab ea stirpe, quae

---

[1]) Cf. Gloss. Hom. nr. 533.

adverbio πύκα („firmiter, dense") subest[1]), repetitum et ubique transitivo fungi significatu.

λ 319—320 πρίν σφωϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους | ἀνθῆσαι πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ.[2]) Etiam Faesius intransitivam notionem „priusquam genae operirentur lanugine" commendat. At, ut transitivam verbi tueamur significationem, simplicissime aptissimeque cum Ameisio aliisque ἰούλους accusativum subiecti vice fungentem et ad ἀνθῆσαι et ad πυκάσαι referendum esse puto, ita ut vertendum sit „priusquam pili molliores crescerent genasque operirent lanugine".

Grashofius[3]) vero interpretationem nostram ferri non posse arbitratur duabus ex causis: primum verbis ἰούλους πυκάσαι γένυς λάχνῃ tautologiam effici, quia vox ἴουλοι idem significet quod λάχνη; dein vocabulum ἰούλους significare barbam genis increscentem, quae quidem mentum (γένυς) operire nequeat. Quare Grashofius pro εὐανθέϊ λάχνῃ scribi vult εὐανθέα λάχνην. Quod quam inconsiderate proposuerit, nunc breviter explicare studebo. Omittam postpositionem illius accusativi subiecti vice fungentis εὐανθέα λάχνην mihi displicere, omittam illam coniecturam nulla codicum auctoritate niti: id solum commemorabo, neque ἰούλους idem esse quod λάχνην neque γένυς significare mentum. Etenim ἴουλοι sunt singuli pili, λάχνη contra sub imagine lanae, quacum voce Latina „lana" vox Graeca λάχνη confertur (cf. Curt. Et.[5] 344), significat cunctos pilos, qui ut mollis lana genas tegunt. Ἴουλοι porro nusquam barbam genis demissam significat, sed tantum primos molliores pilos, quos nos „Milchhaare, Milchbart" nominamus. In adnotatione Et. M. 472, 31 ἴουλοι· αἱ κατὰ παρειῶν ἐπ' εὐθείας ἐν πυκνότητι πρῶτον ἀναβλαστάνουσαι τρίχες, ad quam Grashofius provocat, additamentum κατὰ παρειῶν non debet nimium premi. Praeterea γένυς[4]), ut docet pluralis, non

---

[1]) Cf. Pfordten. p. 92; Curt., Verb.[2] I, 345: L. Meyer., vgl. Gr.[2] I, 823.

[2]) Stephanus et Passovius hunc locum in thesauris suis praetermiserunt.

[3]) Das Fuhrwerk bei Homer und Hesiod, Progr. Duesseldorf, 1846, pag. 7.

[4]) Quod ad etymologiam attinet, γένυς par est voci Latinae

mentum significat, sed malas sive maxillas, quae magnam partem genarum efficiunt.

4. κατακρύπτω.

Hoc verbum, tametsi alii etymologi[1]) aliam ad radicem revocaverunt, natura esse transitivum plerique concinunt.

Bis tamen lexicographi, ut Passovius et Papius, verbum intransitive esse positum censent idque in Odyssea.

δ 247 ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤισκεν. Hic iamdudum ab interpretibus Homericis αὐτόν[2]) ut pronomen reflexivum non modo ad verbum finitum, verum etiam ad participium relatum est. Sic iam recte schol. E interpretatur ἀντὶ τοῦ κατακρύπτων ἑαυτὸν ὡμοιοῦτο. Ceterum ille locus a criticis in interpolationis suspicionem vocatus est; cf. Ameisii app. ad δ 246.

Iam vero iidem lexicographi κατακρύπτω intransitivum interpretati sunt η 205 εἰ δ' ἄρα τις καὶ μοῦνος ἰὼν ξύμβληται ὁδίτης, | οὔ τι κατακρύπτουσιν vertentes „so verbergen sie sich durchaus nicht". Sed hic quoque alii interpretes, ut intransitivam notionem removerent, novam explicandi viam inierunt. Sic Kayserus in ed. Faes. τὶ pro transitivo accusativo accipi vult adnotans „sie verbergen nichts, allgemein, also auch ihre Gestalt nicht", quam interpretationem Ebelingius probare videtur. Cui sententiae compluria obnituntur: primum reputandum est eiusmodi dictionem „dei nihil occultant (ne formas quidem figurasve) in ingenium ac mores hominum, quos depingit nobis poëta, non convenire; etenim eiusmodi locutio est nimis artificiosa parumque definita. Praeterea in coniunctione οὔ τι pronomen τι nusquam apud Homerum transitivus accusativus

---

„gena" et Germanicae „Kinn", cf. Curt. Et.[5] 307. Significationes „gena" et „mentum" non solum in prisca lingua Indogermanica, sed etiam in linguis singulis, ut in nostra, fluctuare videntur. Cf. Kluge s. v. „Kinn".

[1]) Cf. Vaniček. II, 1090; Curt. Et.[5] 557. Secus iudicat Fickius[3] II, 74.

[2]) De casibus obliquis pronominis αὐτός pro pronomine reflexivo usurpatis vide exempla, quae ex Homero attulit Kruegerus, Di. § 51, 2, 4.

est, quoniam obiecta illiusmodi parum definita ab Homero abhorrent, sed accusativus relationis, ita ut οὔ τι significationem „nequaquam, neutiquam“ recipiat. Itaque nobis una superest interpretatio Ameisii, quam Seilerus sequitur, „dei prorsus non dissimulant i. e. se deos esse“ („so haben sie durchaus kein Hehl“), i. e., si conferas φαίνονται ἐναργεῖς 201, „apparent, quales re vera sunt“. Hic res similiter se habet atque in verbo φαίνω, quod sine obiecto collocatum significat „Helligkeit verbreiten“. Per se intransitiva notio illi loco haud ita inepta est; sed ea, cum nusquam alibi conspiciatur in ullo litterarum Graecarum monumento, vel hanc ob causam valde dubia fit. Obstat insuper principalis vis transitiva. Ac siquidem Ameisii interpretatio, ut credo, nullam habet offensionem, cur illam non anteponamus?

5. παύω.

Pottius, E. F. I, 280, verbum παύω (e παύ-jω ortum) cum verbo Sanscritico „svās-ajāmi“ confert, quod significat „efficere, ut quis respiret“. Fickius[3] II, 153, transitivam notionem „gering machen“ indicat principalem; cf. Curt. Et.[5] 270; Vaniček. I, 529.

Frequentissime verbum transitive apud Homerum adhibetur. Sed uno Telemachiae loco δ 659 viri docti, in quibus sunt Hermannus (h. Cer. 351) et post eum grammatici Kruegerus, Di. § 52, 2, 6, et Kuehnerus, gr. Gr. IIa p. 80, intransitivum verbi usum agnoverunt. Quo melius possim exponere, mihi transitivum usum h. l. etiam ex causis in contextu ac rerum continuatione positis magis placere, totum locum exscribam: ὣς ἄρα φωνήσας (i. e. Noëmon) ἀπέβη πρὸς δώματα πατρός, | τοῖσιν δ' ἀμφοτέροισιν (i. e. Antinoo et Eurymacho) ἀγάσσατο θυμὸς ἀγήνωρ. | μνηστῆρες δ' ἄμυδις κάθισαν καὶ παῦσαν ἀέθλων. | τοῖσιν δ' Ἀντίνοος μετέφη. Codices partim μνηστῆρες partim μνηστῆρας praebent. Accusativum, quem agnoscit etiam schol. Ambros. B (τοὺς μνηστῆρας δὲ οἱ δύο ἀρχηγοί, ὅ τε Ἀντίνοος καὶ Εὐρύμαχος, κατέπαυσαν τῶν ἀγώνων, ἐξ ὧν ἐτέρποντο) restituit Buttmannus[1]) eumque omnes recentiores editores iure secuti sunt (de codicum scriptura cf. La Rochium ad h. l.). Nam sensus et sententiarum nexus hanc scripturam commendat et quodam-

[1]) Ausf. Gr.[2] II, 264.

modo reposcit. Etenim si nominativum *μνηστῆρες* recipimus, nobis non satis perspicuum est, qua re proci moti sint, ut a certaminibus repente desisterent et considerent. Sin accusativum *μνηστῆρας* comprobamus, actiones singulae optime inter se cohaerent. Antinous et Eurymachus, qui certaminum non sunt participes, ira afficiuntur oratione Noëmonis. Quamobrem ipsi procos adducunt, ut congregentur. Nam exacerbati nuntio Noëmonis socios suos certiores facere volunt Telemachum navi profectum esse. Simulque Antinous, qui orationes ad procos habet, a sociis navem petere vult, ut Telemacho insidias instruat.

Post Homerum intransitivus huius verbi usus in imperativo *παῦε* potissimum observari posse videtur.

B. De eis verbis, quae mea opinione tantum intransitive usurpantur.

1. *περιτροπέω.*

Ut *παρατροπέω* a *παράτροπος*[1]), sic verbum *περιτροπέω* a *περίτροπος* deducendum esse videtur. Sane illud adiectivum *περίτροπος* in litteris Graecorum semel tantummodo invenitur in Plut. Lys. 12 *κίνησις περίτροπος*, ubi *περίτροπος* manifesto intransitivum praebet sensum. Omnino omnia ea adiectiva, quorum alterum membrum -*τροπος* est, apud Homerum intransitiva vel passiva vi sunt praedita; cf. *ἀπότροπος* „remotus, seiunctus“ ξ 372; *πολύτροπος* „multum versatus“ α 1; κ 330; *ὑπότροπος* „redux“ Z 501 etc.; apud posteros scriptores *παράτροπος* „aversus“ (Pind. Pyth. 2, 35 etc.).

Non verisimile esse mihi quidem videtur verba *παρατροπέω* et *περιτροπέω* ita esse conformata, ut ante simplex verbum *τροπέω* praepositiones *παρά* et *περί* collocarentur. Etenim exspectares illa composita esse transitiva, quia *τροπέω* a nomine *τρόπος* derivatum verisimile est transitivum fieri. At huic derivationi intransitiva utriusque verbi vis ac potestas repugnat. Verbum *περιτροπέω* omnibus locis pro intransitivo esse accipiendum mox exponam.

---

[1]) Cf. Pfordten. p. 22.

Sine ulla controversia verbum intransitive adhibetur *B* 295 *ἡμῖν δ' εἴνατός ἐστι περιτροπέων ἐνιαυτὸς | ἐνθάδε μιμνόντεσσι*. Sed interpretes valde ambigunt ac disceptant, utrum *ι* 465 (*καρπαλίμως δὲ τὰ μῆλα, τανύποδα πίονα δημῷ, | πολλὰ περιτροπέοντες ἐλαύνομεν*) *περιτροπέοντες* transitivum sit an intransitivum. Duentzeri interpretationem „oves saepe huc illuc versantes, quia illae in contrarium, ut in monte pabularentur, tendebant“ Ebelingio, ut videtur, probatam Ameisius in append. ad h. l. propter *καρπαλίμως* Duentzeri cogitationi illi obstans impugnavit.

Alii verbo similem tribuunt sensum ac verbo *περιτέμνομαι*, cf. e. c. *λ* 402 *βοῦς περιταμνόμενος ἠδ' οἰῶν πώεα καλά* („ab omni parte cingere, intercipere, i. e. rapere, praedari“). Gravissimis tamen causis impulsus hanc explicationem repudio. Primum enim is, qui diligentius illum locum inspiciet, notionem intercipiendi minime quadrare in contextum cognoscet; deinde quid sibi vult illud *πολλά*? Postremo, id quod caput est, ex primaria verbi notione se versandi ulla ratione enasci notionem intercipiendi nequit cogitari.

Quapropter intransitiva notio est statuenda. Sed intransitivam quoque significationem viri docti varie ac discrepanter reddiderunt. Haud dubie spernenda est Passovii et Papii interpretatio „nos saepe in omnes partes convertentes, i. e. viam saepe flectentes“ propter *καρπαλίμως* praepositum, quod ut Duentzeri opinioni, ita huic quoque explicationi obnititur. Sensus potius est hic: „nos saepe (*πολλά* = *πολλάκις*) versantes, i. e. circumspicientes timore perterriti, ne Polyphemus ab ulla parte nos persequatur“. Sic recte Ameisius, Faesius, Seilerus interpretantur. Id vero solum quaeri potest, quomodo illud *περι* in *περιτροπέω* intellegendum sit. Fortasse, ut Doederleinius[1]) censet, illud *πολλὰ περιτροπέοντες* non accipiendum est pro „uns nach allen Seiten wendend“, sed simpliciter pro „uns oft umkehrend“. Certe tamen Doederleinii causae si non ambiguae, at certe leves sunt. Crediderim *περιτροπέω* simpliciter posse significare „se vertere ad aliquem, sich umwenden, umkehren“; cf. *περιστρέφομαι* apud Plat. Lys. p. 207 A *περιστρεφόμενος . . . θαμὰ ἐσκοπεῖτο ἡμᾶς*.

---

[1]) Gl. Hom. nr. 667.

Paucis reliquis locis, quibus verbum praeter locos modo laudatos apud alios scriptores exstat, eadem recurrit intransitiva vis.

2. δίεμαι.

Hoc medium pertinet ad activum δίημι, cuius unam formam ἐνδίεσαν transitiva notione incitandi instructam Homerus praebet. Ex activo δίω haud dubie ex eadem radice qua δίημι prognato elucet radici vim intransitivam[1]) fugiendi vel currendi fuisse, quae vis in verbo δίω, ut iam Homerus docet, in generaliorem timendi notionem transiit. Nam semel tantum X 251 τρὶς περὶ ἄστυ μέγα Πριάμου δίον vetusta currendi notio servatur, reliquis autem locis notio timendi iam regnat.

Magna vero dissensio est inter lexicographos eo excitata, quod apud Hom. formae medii δίεμαι confusae esse videntur cum formis medii δίομαι. Ebelingius igitur, cum et indicativus praesentis δίομαι et imperfectum ἐδιόμην ab Homero absint, formas coniunctivi δίωμαι et optativi διοίμην, δίοιο etc. apud Homerum obvias pro formis medii δίεμαι, non δίομαι habet. Illi modi ex more aliorum verborum in -μι exeuntium, quorum coniunctivi et optativi accentum non in paenultima, sed in antepaenultima syllaba collocant (Ebelingius aperte cogitat de notissimis verbis ἄγαμαι, δύναμαι, ἐπίσταμαι, κρέμαμαι), ficti esse ei videntur. Huic tamen sententiae maxime repugnat forma optativi διοίμην, δίοιο; etenim exspectares e stirpe δίε, quae subest medio δίεμαι, optativum διείμην more optativorum τιθείμην et ἱείμην e stirpibus τιθε, ἱε genitorum formatum esse.

Curtius[2]) et formas istas Homericas (coniunctivum δίωμαι atque optativum διοίμην, δίοιο) et participium διόμενος apud Aeschylum aliquotiens obvium inde explanare studet, quod verbum δίεμαι ex ea declinatione, in qua suffixa verbalia sine vocali coniunctiva quam vocant ad stirpem verbalem adiunguntur, transgressum sit in eam declinationem, in qua suffixa cum vocali coniunctiva ad stirpem adnectuntur.

---

[1]) Cf. Curt. Et.[5] 236; L. Meyer., vgl. Gr.[2] I, 642. Eadem notio intransitiva inest in radice Sanscritica „dî" („festinare, volare"), quae cum verbis illis Graecis comparatur.

[2]) Verb.[2] I, 179; II, 107.

Quam suspicionem etsi perversam esse dicere nolo, tamen res mea quidem opinione aliter se habere potest. Etenim si significationis rationem et apud Homerum et apud posteros scriptores habueris, perspicies formis e *δίεμαι* fictis semper intransitivam notionem fugiendi vel verendi, qua altera notione scriptores posthomerici utuntur, inhaerere (cf. apud Homerum *δίενται* *Ψ* 475; *δίεσθαι* *M* 304; praeterea *δίεμαι* apud Aesch. in Pers. 700 „vereri" significans, ubi scriptura *δίεμαι* anteponenda est scripturae *δίομαι*), formis contra e *δίομαι* fictis semper transitivam notionem fugandi. Cf. *δίωμαι* *φ* 370; *ἐξ-αποδίωμαι* *E* 763; *δίηται* *H* 197; *O* 681; *Π* 246 [1]); *X* 189. 456; *δίωνται* *P* 110; *δίοιτο* *ρ* 317; *δίεσθαι* (infinitivus enim *δίεσθαι* et ad *δίεμαι* [cf. *M* 304] et ad *δίομαι* spectare potest) *M* 276; *Σ* 162; *ρ* 398; *υ* 343. Quibuscum locis Homericis loci apud scriptores posthomericos, imprimis apud Aeschylum obvii concinunt.

Ad medium *δίεμαι* referendum est activum in forma illa *ἐνδίεσαν* servatum, unde apparet activum verbi pariter ac multa alia activa causativam sibi induisse notionem. Ad formas autem medii *δίομαι* referendum est activum *δίω*. Ne mireris, quod medium *δίομαι* causativa, activum *δίω* intransitiva notione est praeditum. Haec causativa notio mediorum apud Homerum non inaudita est; cf. *ἑταιρίζομαι* „efficio, ut quis mihi socius sit, i. e. socium mihi capio" *N* 456 et *ἑταιρίζω* „comes, socius sum" *Ω* 335 multaque alia media a Doederleinio [2]) enumerata.

Cum medium discedat in duo verba, quae et forma et significatione distinentur, non video, cur non liceat Herodiano (*M* 276 et *Ψ* 475) praeeunte duo verba *δίημι* et *δίω* statuere ex eadem radice prognata, quorum alterum *δίημι* ob antiquitatem decli-

[1]) *Π* 246 *αὐτὰρ ἐπεί κ' ἀπὸ ναῦφι μάχην ἐνοπήν τε δίηται,* | *ἀσκηθής μοι ἔπειτα θοὰς ἐπὶ νῆας ἵκοιτο.* Sententiarum connexus, ut iam Doederleinius, Oeff. Red. p. 340, et Ameisius in app. ad h. l. monuerunt, necessario postulat, ut *δίηται* coniunctivus aoristi sit. Ad hunc aoristum medii rettulerunt activi illam formam *δίον* *X* 251. Idem quod de *δίηται* *Π* 246 fortasse iudicari licet de *δίηται* *X* 456 *δείδω, μὴ δή μοι θρασὺν Ἕκτορα δῖος Ἀχιλλεὺς* | *μοῦνον ἀποτμήξας πόλιος πεδίονδε δίηται* | *καὶ δή μιν καταπαύσῃ ἀγηνορίης ἀλεγεινῆς* ob sequentem aoristi coniunctivum *καταπαύσῃ*.

[2]) Gl. Hom. nr. 172.

nationis multo rarius usurpabatur. Quapropter iure Seilerus et Autenriethius formas medii separaverunt.

3. πτήσσω.

Vix ei, qui totum huius verbi eiusque compositorum ac maxime affinis verbi πτώσσω usum respexerit, dubium esse poterit, quin verbum sit primitus intransitivum significetque „demittere corpus". Etenim illa verba semper solent intransitive usurpari excepto verbo πτήσσω, quod uno loco Homerico Ξ 40, qui et magistris antiquis et recentioribus interpretibus iure meritoque fuit suspectus, causativam notionem praebet. Hunc locum mox accuratius tractabo. Antea ea, quae etymologi de verbo praecipiunt, breviter referam. Vaničekius I, 539 verbum ex ea radice, cui transitiva notio feriendi vel trudendi inest, prognatum esse censet. Hoc tamen, si eum sequi vellemus, incertum subobscurumque esset, qua ratione illa significatio corporis demittendi manaverit ex ista radicis transitiva vi. Curtius in Et.[5] 61 huius verbi mentionem faciens de notione et origine tacet, L. Meyerus[1]) vero a nostra parte stat.

Ξ 40 ὁ δὲ ξύμβλητο γεραιός, | Νέστωρ, πτῆξε δὲ θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν Ἀχαιῶν, ut ad locum Homericum transeam, iam veteres critici, ut supra dixi, in transitiva verbi significatione offenderunt. Itaque Aristarchus hunc locum condemnavit, Zenodotus, Dionysius Sidonius, Herodianus legerunt πῆξε, quam lectionem unus codex exhibet, alii grammatici πλῆξε. Quoquo modo res se habet, mutationes grammaticorum arridere nobis non possunt, quia verbis πήγνυμι et πλήσσω tribuuntur translatae significationes; sed exempla, in quibus illae translatae notiones reperiantur, nusquam alibi exstant. Hoc constat, genuinam lectionem in textu Homerico πτῆξε fuisse. Ad Aristarchi iudicium adiuvandum aliae causae accedunt; neque enim licet illum versum tantum ob mirum usum causativum pro suppositicio habere. Manifesto Ἀχαιῶν de tribus illis heroibus vulneratis Diomede, Ulixe, Agamemnone, ad quos ille genetivus referatur oportet, non apte dictum est. Quid? quod Fulda in egregia illa dissertatione, quam conscripsit de vocabulorum θυμός et

---

1) Vgl. Gr.[2] I, 604. 825.

φρήν usu abundante[1]), eiusmodi coniunctionem velut *πτήσσειν θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν* Homero ignotam esse demonstravit. Idem cadit in coniunctiones *πηγνύναι* et *πλήσσειν θυμόν,* quas supra iam perstrinxi. Quibus causis subnectam hoc: quam inutilis et ineptus versus iste sit, inspicienti e contextu patebit; etenim iam in versibus 38 sq. *ἄχνυτο δέ σφιν | θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν* commemoratur tres illos heroas maerore esse affectos. Praeterea Nitzschio[2]) auctore conicere licet, qua causa versificator aliquis sit motus, ut hunc versum in textum insereret. Versum enim addidit, ut praecedens illud *ὁ γεραιός,* quod per se est perspicuum, accuratius explicaret. At illud ipsum nomen additum *Νέστωρ* versificatorem prodit; nam iste neglexit Homerum voce *γεραιός* semper substantivo, non adiectivo usum esse. Quapropter iniuria ille versus a Duentzero, Dindorfio, La Rochio in textu servatus est.

Notandum est transitivam notionem verbi *πτήσσω* praeter hunc locum Homericum insiticium semel tantummodo in universis Graecorum litteris apud scriptorem aetate postremum Paul. Sil. ecphras. 1, 26 legi. Sed notio, quae invenitur illo loco, plane dissimilis est ei notioni, quae loco Homerico subest; nam in coniunctione *πτήσσειν ζυγόν,* quam praebet Paul. Sil., accusativus aeque atque in multis aliis verbis primitus intransitivis[3]) apponitur, ut id significet, propter quod quis corpus demittit timide vel omnino se timidum praebet.

---

[1]) l. l. p. 41.

[2]) Sagenpoesie der Griechen, Braunschweig 1852, p. 170.

[3]) Eiusmodi accusativus iam apud Homerum usitatissimus est; reperitur enim apud eum in hisce verbis simile quid ac *πτήσσω* significantibus: *πτώσσω* ex eadem stirpe qua *πτήσσω* prognatum, cf. *Υ* 427 *οὐδ᾽ ἂν ἔτι δὴν | ἀλλήλους πτώσσοιμεν, χ* 304 *ταὶ μέν τ᾽ ἐν πεδίῳ νέφεα πτώσσουσαι ἵενται, αἰδέομαι, αἰσχύνομαι, ἀτύζομαι, δείδω, ὑποδείδω, ῥιγέω, ταρβέω, τρέω, ὑποτρέω, τρομέω, τρομέομαι, ὑποτρομέω, ὑπεκπροθέω.*

Corrigenda.

In pag. 47 sexto decimo versu est pro „attnli“ legendum „attuli“.
In pag. 96 tertio versu est pro „δινθήτην“ legendum „δινηθήτην“.

HERMANNUS PUSCH:

QUAESTIONES ZENODOTEAE.

In Zenodoti Ephesii studiis examinandis et illustrandis cum nostra aetate viri docti, imprimis Duentzerus[1]), Ribbeckius[2]), Roemerus[3]) haud exiguam operam consumpserint, solam fere Homericam Zenodoti recensionem tractandam sibi proposuerunt, cetera eius opera aut attigerunt aut prorsus neglexerunt, ut, quid Zenodotus praeter diorthosin praestiterit, nondum sit satis ab omni parte enucleatum. Quam ob rem disquisitionem reliquiarum Zenodotearum omissa recensione Homerica[4]) instituere inutile esse non videtur, quippe cum ad Zenodoti Ephesii artem et rationem adhibitam in studiis grammaticis, de qua re satis discrepant viri docti, recte intellegendam nonnihil lucis inde afferri posse nobis persuaserimus. Cum autem res ita sit comparata, ut de libris et sententiis, quae sub Zenodoti nomine circumferuntur, plerumque dubitatio oriatur, utrum Ephesio an alii homini eiusdem nominis sint tribuendae, facere non possumus, quin omnino Zenodotos grammaticos ad partes vocemus.

Quas quaestiones ita absolvere constituimus, ut accurate perpensis, quae adhuc proposuerint viri docti, a Zenodotorum nominibus vel cognominibus investigandis exorsi de singulis grammaticis quid possit proferri disseramus neglecta, ut antea diximus, Zenodoti Ephesii recensione Homerica.

---

[1]) De Zenodoti studiis Homericis. Gotting. 1848.

[2]) Zenodotearum quaest. spec. I. Diss. Berol. 1852; Philol. VIII p. 652—712; IX p. 45—73.

[3]) Ueber die Homerrecension des Zenodot. Abhandl. der philos. philol. Klasse der kgl. bair. Akad. der Wissensch. XVII p. 639—722.

[4]) Computationem dierum Iliadis Zenodoteam, quod a recensione Homerica separari vix potest, ab hac disputatione abesse voluimus.

Pars prima.

Inter Zenodotos primum tenet locum Ephesius, de quo Suidas s. v. *Ζηνόδοτος* haec exhibet:

Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, ἐποποιὸς καὶ γραμματικός, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου· ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο καὶ τῶν ἐν Ἀλεξ-ανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν προὔστη καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν.

Quibus in verbis cum de nomine nihil insit difficultatis (nam apparet Zenodotum hunc Ephesi natum Alexandriae domicilium constituisse), quaestio exsistit difficillima, quid censeamus de aetate definienda, qua in re varie versati sunt viri docti. Atque ut finibus quam angustissimis circumscribere conemur, quonam anno sit natus Zenodotus Ephesius quoque mortem obierit, haud ad nostram disputationem pertinere putavimus, quam ob rem in universum qua aetate Zenodotum vitam degisse mihi persuaserim exposuisse satis habeo.

Veniunt autem in censum praeter Zenodoti vitam, quam paulo supra adscripsimus, ea quae Suidas sive Hesychius de Aristophane tradidit: *Ἀριστοφάνης Βυζάντιος γραμματικός, υἱὸς Ἀπελλοῦ ἡγουμένου στρατιωτῶν, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου, ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος, τοῦ δὲ παῖς ἤκουσε κτλ.*

Iam primum disserendum est de notione *γεγονώς*, quae occurrit in vita Zenodoti. Quodsi reputas eum, qui vitam composuit, exhibentem *ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου* et deinde *τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν* certe utroque loco de Ptolemaeo primo cogitasse[1]), dubium esse non potest, quin

[1]) Cf. Gercke, Alexandrin. Stud., Rhein. Mus. XLII p. 602 adn. 4.

vox γεγονώς significet aetatem, qua floruerit Zenodotus, Buschii[1]) autem sententia, qui intellexit natales, improbanda sit. Nam verisimillimum] esse videtur Hesychium rettulisse in Ptolemaei primi tempora ἀκμήν Zenodoti, quem regis puerorum educatorem factum esse tradidit. Quae vocis γεγονώς interpretatio vel ea re commendatur, quod apud Suidam[2]) usitatissima est. Statuit igitur Hesychius Zenodotum fuisse Ptolemaei primi s. Soteris aequalem.

Quae temporum computatio ab Hesychio tradita num ab omni parte recte se habeat, iure dubitaverunt viri docti propter testimonia aliunde repetita. Neque enim verisimile est Zenodotum et Ptolemaei Soteris puerorum educatorem et Philetae discipulum[3]) et Aristophanis magistrum[4]) fuisse. Aristophanes enim natus est anno fere 260[5]), ut Zenodotus, qui eum puerum[6]) instruxit, vix ante a. 245 diem supremum obire potuerit. Quod si tenemus, non miramur, quod Zenodotum disciplina Philetae Coi usum esse traditum est, quem ante annum 336 natum[7]) esse et aetate Ptolemaei Soteris inter vivos fuisse, quippe qui docuerit Philadelphum[8]), Hesychius, ut alia mittamus, testatus est.

At quomodo Zenodotus Ptolemaei primi liberorum educator dici potuerit, non intellegitur, id quod primus Manso[9])

---

[1]) De bibliothecariis alexandrinis qui feruntur primis. Diss. Rostoch. 1884, p. 4.

[2]) Cf. E. Rohde, Rhein. Mus. XXXIII p. 161.

[3]) Cf. vitam Zenodoti.

[4]) Cf. pag. 4.

[5]) Cf. Gercke, Alex. Stud., Rhein. Mus. XLIV p. 257.

[6]) Spectant l. c. verba τοῦ δέ ad Zenodotum; cf. Clinton, Fasti Hell. III p. 407. Kr.; Ritschl, Chronologie der ersten alexandrinischen Bibliothekare, Opp. I p. 66; Susemihl, Anal. Alex. chronol. Ind. lect. Gryphisw. 1888/89, p. XVII. Aliter censuit Busch l. c. p. 6, qui recedens ab explicatione simplici sine iusta causa illud ἀλλὰ τοῦ μὲν νέος rettulit ad Zenodotum. — Ceterum cum Aristophanem Zenodoto morte abrepto a Callimacho instructum esse verisimile sit, iure ex hoc loco colligitur Callimachum post Zenodotum mortuum esse.

[7]) Cf. Suid. s. v. Φιλητᾶς: ὢν ἐπί τε Φιλίππου καὶ Ἀλεξάνδρου. Ritschl p. 66. 72; Busch p. 3; Susemihl p. XXVII.

[8]) Cf. Suid. s. v. Φιλητᾶς.

[9]) Vermischte Schriften I p. 291.

contendit, quem secuti sunt Ritschelius alii. Nam cum post Philadelphum natum, cuius natales ad a. 309 referuntur, Ptolemaeus Soter filium, quantum scimus, non genuerit, puerorum regis educator Zenodotus esse non potuit. Neque enim de Philadelpho, ut non dicamus de ea re, quod complures regis filii commemorantur, cogitare licet, atque hac quidem de causa. Cum Zenodotus, etiamsi concedimus eum vitam usque ad annos octoginta produxisse, ante a. 325[1]) natus esse non possit, Philadelphum, qui natus est a. 309, educandum ei traditum esse a probabilitate abhorret, quod nimis exiguum annorum spatium inter utriusque aetatem intercedit.

Quodsi consentiunt inter se testimonia, Zenodotum fuisse Philetae discipulum Aristophanis magistrum, pronum est suspicari male se habere, quae de Zenodoto Soteris filiorum educatore perhibentur. Quae sententia haud scio an etiam hoc argumento commendetur. Dixit enim Duentzerus[2]) Zenodotum Philadelphi educatorem non fuisse, quia Philadelphus ipse Philetae discipulus aeque ac Zenodotus fuerit. Etsi negari non potest hoc argumentum per se grave non esse, cum fieri potuerit, ut Zenodotus Philetae disciplina usus sit, postea utriusque Philadelphus[3]), tamen hanc potissimum rationem intercessisse iam non est cur putemus.

Duae autem, si recte hucusque versati sumus in hac quaestione tractanda, exstant ratiocinandi viae, altera, ut narrationem, quae ad filios educandos spectat, prorsus falsam putemus[4]), altera, ut Hesychium ad Ptolemaei primi s. Soteris aetatem rettulisse censeamus, quae Ptolemaeo altero s. Philadelpho rege facta tradere debuerit. Neque dubium esse potest, quin haec explicatio sit praeferenda. Nam cur quae de Zenodoto regis puerorum educatore traduntur, commenticia ducamus, causa satis iusta non est; contra Zenodotum floruisse Ptolemaei secundi

---

[1]) Cf. Heffter, De Zenodoto eiusque studiis Homericis, Progr. Brandenburg. 1834, p. 4 (annum proposuit 320); Busch p. 4 (c. ol. 116); Ritschl p. 67. 72 (c. Ol. 114/115); Susemihl p. XXVII (c. 330—320).

[2]) pag. 23 adnot. 1.

[3]) Cf. Parthey, Das alexandrin. Museum, 1838, p. 71; Heffter p. 3; Busch p. 4.

[4]) Daub, Studien zu den Biographica des Suidas, 1882, p. 81.

aetate eiusque filios educasse multum habet probabilitatis. Philadelphi enim ad tempora revocatur Zenodotus a Tzetza in Prolegomenis scholiorum ad Aristophanem.[1]) Accedit quod verba *τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν* aptissime referuntur ad Ptolemaei Philadelphi filios. Qui cum a. 283 in matrimonium duxisset Arsinoen, filiam Lysimachi[2]), tres ex ea tulit liberos: Ptolemaeum, Lysimachum, Berenicen.[3]) Quodsi de Philadelphi filiis cogitamus, illud *τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν* bene se habere concedes.

Sequitur, ut explicemus, quid sit statuendum de Hesychii verbis, qui Zenodotum S o t e r i s aetate floruisse et eius filios educasse tradidit. Atque ut non dicamus de Partheyi[4]) coniectura, quae parum videtur probabilis, aut *πρώτου* in *δευτέρου* corrigendum aut fortasse *μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονότος τοῦ πρώτου* legendum esse dixerunt viri docti.[5]) Daubius[6]) censuit Zenodotum revocatum esse ad Ptolemaei primi imperium, ne, cum Philadelpho rege Callimachum floruisse proponatur, Ptolemaeo tertio Eratosthenem et Apollonium, primi Ptolemaei aetas illustris grammatici mentione careat. Quas coniecturas a probabilitate abhorrere minime contendo tamen res, ut mihi videtur, faciliorem habet explicatum. Nihil enim obstat, quominus censeamus *ἀκμήν* Zenodoti ab Hesychio relatam esse ad Soteris tempora, quia fortasse iam tum regis iussu instituendae bibliothecae Alexandrinae[7]) negotiis interfuit, et confusa esse praeterea quae ad Ptolemaei primi et quae ad alterius aetatem spectent. Ceterum hac de re iudicium certum fieri posse praefracte est negandum.

---

[1]) Cf. Ritschl, Opp. I p. 206.

[2]) Cf. Droysen, Geschichte des Hellenismus, III, 1 p. 265.

[3]) Cf. schol. Theocr. 17, 128. Busch p. 5. 6.

[4]) l. l. p. 71: „Will man bei Suidas die Worte *τοῦ πρώτου* als späteren Zusatz weglassen, so könnte Ptolemaeus Philadelphus gemeint sein und dann hat es Nichts Unwahrscheinliches, dass dieser König seinem gleichaltrigen Mitschüler Zenodot die Erziehung seiner Kinder anvertraut habe."

[5]) Rohde p. 173; Flach, Hesych. Miles. Onomat. quae supersunt, 1882, pag. 80.

[6]) l. l. p. 81.

[7]) Certum fundationis bibliothecae annum constitui non posse docuit Ritschl l. c. p. 68; cf. Busch p. 2.

Sed haec hactenus. Satis enim mihi comprobasse videor Zenodotum Ephesium temporibus Ptolemaei Philadelphi floruisse, etsi eum iam antea i. e. extremis Soteris regiminis annis gloriam litterarum studiis assecutum esse verisimile est.

Praeter Zenodotum Ephesium Suidas mentionem facit Zenodoti Alexandrini verbis his:

Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός, ὁ ἐν ἄστει κληθείς. πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ. ἔγραψε[1]) *πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν. περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας. λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων. εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν καὶ ἄλλα συχνά.*[2])

Quibus de verbis quantopere disceptaverint viri docti, ex quo Wolfius „Prolegomena ad Homerum" publici fecit iuris, dici vix potest. Quaestionis totius cardo in ea re vertitur, quod cum praeter Zenodotum Alexandrinum in veterum testimoniis Zenodoti Mallotae saepius et Cratetei semel nomen perhibeatur, diiudicandum est, utrum haec tria vel quattuor cognomina *Ἀλεξανδρεύς, ὁ ἐν ἄστει, ὁ Μαλλώτης, ο Κρατήτειος* ad unum an ad plures grammaticos, quibus Zenodoti fuerit nomen, spectent; accedit quod Suidae vel Hesychii locus corruptela carere non videtur. Atque eorum sententia[3]), qui unum praeter Zenodotum Ephesium sibi finxerunt, ea re potissimum nititur, quod in tabula Hesychiana Alexandrino liber *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* attribuitur, ut haud sine veri specie eundem Crateteum nominari tibi persuadeas; Zenodoti autem Mallotae doctrinam, qua de re infra disseremus, ad Cratetis proxime accedere neminem fugit. Cum ab horum virorum doc-

---

[1]) Hanc interpunctionem praebet codex praestantissimus Parisinus A.

[2]) Legitur *συχνά* ex auctoritate codicum ABV pro vulg. *ἄλλα πολλά*; cf. Suid. s. v. *Δαμάστης Σιγειεύς*; *Σαραπίων* alia.

[3]) Wolf, Prolegg. ad Hom. p. 199[2]; Graefenhan, Geschichte der klass. Philol. im Alterthum I p. 419, II p. 121; Wegener, De aula Attalica p. 158; Heffter l. l. p. 2; Osann, Quaestiones Hom. I p. 12. 13; Meier, Quaest. Andoc. VI (= Opp. academ. II p. 51); Wachsmuth, De Cratete Mallota, Lips. 1860, p. 6; Schrader, Porphyrii quaest. Hom. rel. p. 431; La Roche, Hom. Textkrit. p. 76; Daub l. c. p. 81; Christ, Griechische Litteraturgesch. p. 455 (Handb. d. klass. Alterthumswiss. vol. VII).

torum parte me stare negem, ante omnia id dico nihil habere miri, quod in grammaticorum numero Zenodoti plures occurrunt; nam etsi Muetzellio disputanti[1]) „multis autem diversissimae aetatis grammaticis quum illud nomen (sc. Zenodoti) fuerit inditum sqq.“ non plane assentior, tamen non rarum Zenodoti nomen exstitisse apud Graecos satis constat.

Sed redeo, unde deflexi. Qui Zenodotum Alexandrinum et Mallotam cognominatum eundem esse probare studuerunt, operam dederunt, ut hanc nominum diversitatem explicarent. Et Heynii[2]) quidem sententia reicienda mihi videtur, qui adnotat pro „Zenodoto Mallota“ fortasse „Cratetem Mallotam“ scribendum esse; nam errorem talem semel admissum esse concedi potest, non saepe. Neque minus omni probabilitate caret Daubii coniectura, qui aut cum Heynio Cratetis nomen pro Zenodoti restituendum aut Cratetis cognomen falso Zenodoto Crateteo attributum esse censuit. Wolfius, cuius argumentationem pars virorum doctorum sunt amplexi, nominum diversitatem Alexandrini et Mallotae — cetera enim nunc mitto — explicare conatus est dicens eam ita natam esse, ut „ab aliis a patria Mallotes, ab aliis ex more aetatis illius Alexandrinus a domicilio sit dictus“. Attamen etsi ab urbe, cuius civis aliquis factus est, cognomen ei inditum esse satis constat[3]), in vita Zenodoti Alexandrini hanc rationem intercedere posse nego. Nam cum Zenodotus Ephesius, qui inter eiusdem nominis grammaticos, quantum scimus, antiquissimus et praeclarissimus fuit, e patria cognomen duxerit, verisimile est ceteros eodem modo fuisse notatos, ut probabilius esse videatur Hesychium vel eum quem exscripsit sedem, unde Zenodotus ille altero loco commemoratus erat oriundus, quam civitatem, in qua domicilium collocavit, perhibuisse. Quam sententiam etiam alia re commendari censeo. Zenodotus enim Ephesius, postquam Alexandriam commigravit, certe Alexandrinus est factus, ut alterum Zenodotum grammaticum, qui Malli erat natus, a domicilio Alexandria, quo uterque est usus, cognomen duxisse vix crediderim. Quae cum ita sint, Zenodotum, quem Hesychius

---

1) De emendand. theog. Hesiod. p. 281.

2) Var. lectt. et observatt. in Iliadem VI p. 498.

3) Cf. Suid. s. v. *Ἀριστοφάνης*: *Ῥόδιος ἢ Λίνδιος, θέσει Ἀθηναῖος κτλ.* *Ἀρίσταρχος*: *θέσει Ἀλεξανδρεύς, τῇ δὲ φύσει Σαμοθρᾴξ.*

praeter Ephesium profert, Alexandriae natum esse censeo. Iam sequitur, ut de cognomine ο ἐν ἄστει disseramus, qua de re non consentiunt viri docti. Et Daubius quidem coniecit hoc nomen ita esse interpretandum, ut a Zenodoto, qui Epheso Alexandriam se contulerit et Alexandrinus factus sit, separetur is, qui natus sit in urbe ipsa, ubi aetatem degit. Neque tamen, ut hanc viam explicandi comprobem, impetrare a me possum; nam in hoc cognomine vocabulum γεγενημένος vel simile subaudiendum esse exemplis demonstrare difficile sit, cum verbi substantivi vim facillime adieceris. Aeque reicio sententiam Duentzeri, qui p. 25 dicit Zenodotum „tam constanter in hac urbe sc. Alexandria domicilium fixisse, ut inde ὁ ἐν ἄστει diceretur"; nam et artificiosior mihi esse videtur neque Zenodotum quendam grammaticum modo hic modo illic sedem collocasse traditum est. Immo vero Schneiderum[1]), quem secutus est Schmidtius[2]), iure contendisse arbitror Zenodoto τῷ ἐν ἄστει cognominato alterum opponi, qui ἐν αὐλῇ aut ἐν προαστείῳ aut ἐν κωμυδρίῳ commoratus sit. Qua de re etsi assentior his viris doctis, tamen errasse mihi videntur, quod hoc cognomen Zenodoto Alexandrino eam ob rem inditum esse censuerunt, ut a Mallota distingueretur, cum de Ephesio non cogitaverint, quem Alexandrinum factum esse supra docuimus. Putat enim Schneiderus assentiente Schmidtio Zenodoto τῷ ἐν ἄστει κληθέντι opponi Zenodotum Mallotam, qui in vico[3]) prope Alexandriam sito vixerit. Quam coniecturam ineptam esse etsi contendere non audeo, tamen novam proponere non dubito, qua comprobata non opus est putare Zenodotum Mallotam quoque Alexandriae aetatem degisse; neque enim quidquam hac de re est traditum. Distinguitur Zenodotus ὁ ἐν ἄστει ab Ephesio, qui in regia est versatus; nam et regis puerorum[4]) educatorem eum fuisse vidimus et in museo, quod regiae fuit pars[5]), sedem habuisse, qui bibliothecae

---

[1]) Jenaer Allg. Litt. Zeitung 1848, nr. 218.

[2]) Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1858, p. 253.

[3]) Cf. Suid. s. v. Καλλίμαχος . . . . πρὶν δὲ συσταθῇ τῷ βασιλεῖ γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας.

[4]) Cf. p. 124. 125.

[5]) Strabo p. 793: τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ καὶ τὸ μουσεῖον ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν καὶ οἶκον μέγαν ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν.

praefuit, apparet. Ceterum hanc explicandi rationem ea re stabiliri dico, quod occurrit cognomen ὁ ἐκ μουσείου.[1])

Denique Schmidtii coniecturam adnotaverim, qui pro verbis ὁ ἐν ἄστει fortasse ἐνστάτης[2]) legendum esse censuit; sed neque opus est mutatione, si recte exposuimus, neque liber πρὸς τὰ ὑπ᾽ Ἀριστάρχου ἀθετούμενα, quem Schmidtius Zenodoto Alexandrino tribuendum esse sibi persuasit, inter ἐνστατικούς eum referre sinit.[3])

Quodsi demonstravimus Zenodotum Alexandrinum a patria hoc cognomen accepisse, ea certe restat ratiocinandi via, ut Zenodotum Alexandriae natum a sede Mallo, quo se postea contulerit, cognomen Mallotae duxisse contendamus. Sed haec sententia dubitationibus tam gravibus est obnoxia, ut eam probare non possim. Nam primum Zenodotum Ephesium a patria cognomen cepisse nemo nescit, ut, si mentio fit Zenodoti Mallotae, hunc Malli natum esse verisimile sit; deinde in ea re est offendendum, quod, si Zenodotum Mallotam et Alexandrinum eundem statuimus, esse ad eum quattuor redeunt cognomina: Ἀλεξανδρεύς, Μαλλώτης, ὁ ἐν ἄστει, Κρατήτειος — nam hoc nomen convenire Zenodoto Mallotae infra demonstrabitur —; tum causa esse non videtur, cur Zenodotus, qui Alexandria oriundus nomen ὁ ἐν ἄστει acceperat, postea, si Mallum transmigraverit, Mallota nominatus sit neque cognomen illud satis singulare retinuerit; praeterea cum tabula Hesychiana operum Zenodoti Alexandrini ita sit comparata[4]), ut pristinam formam depravatam esse nemo non intellegat, remoto libri πρὸς τὰ ὑπ᾽ Ἀριστάρχου ἀθετούμενα titulo, qua re nititur argumentum gravissimum eorum, qui Zenodotum Alexandrinum et Mallotam eundem esse censent, facillime locus emendatur, ut mihi quidem videtur. Denique mirum est in reliquiis, quae sub Zenodoti Mallotae nomine circumferuntur, locum non esse, qui spectet ad eos libros, quorum tituli in tabula Suidiana inde a verbo ἔγραψε exstant[5]); contra

---

[1]) Affero exempli gratia Suid. s. v. Θέων: ὁ ἐκ μουσείου.

[2]) Cf. Suid. s. v. Πτολεμαῖος γραμματικός: ὁ ἐπιθέτης κληθείς, sim.

[3]) Schrader l. l. p. 431.

[4]) Cf. p. 131.

[5]) Cf. p. 134.

illud est tenendum apte referri ad librum πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα, quem a genuina librorum Zenodoti Alexandrini enumeratione abfuisse probare studebimus, scholion T ad Il. ν 730 (Eust. 957, 10), ubi nominatur Zenodotus Mallota. Quae argumenta si collegeris, vix credideris eam rationem probabilem esse, ut Zenodotum Alexandriae natum postea Malli commoratum esse indeque cognomen accepisse censeamus.

Distinguendos igitur esse Zenodotum Alexandrinum et Mallotam[1]) verisimillimum est.

Restat, ut diiudicemus, quid sit statuendum de Zenodoto illo Crateteo, cuius semel mentio fit in scholiis Ven. A ad Il. ψ 79. Atque si legimus Ζηνόδοτος ὁ Κρατήτειος, facere non possumus, quin hunc Zenodotum aliis eiusdem nominis grammaticis, qui Cratetis scholae non adhaeserint, opponi arbitremur, ita ut Crateteum unum Zenodotum fuisse iure colligas. Neque dubium esse potest, quin Mallotae cognomen Cratetei sit tribuendum, quod scholiis, quae ad eum redeunt quaeque infra proponam, clare apparebit. At quaerat quispiam, cur non potius Zenodotum Alexandrinum Pergamenorum scholae sectatorem putemus, quippe qui Hesychio[2]) auctore librum πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα composuerit. Qua in re illustranda, quid accurata interpretatione vitae Zenodoti Alexandrini, quam exhibuit Hesychius, proficiamus, nunc est circumspiciendum.

Atque ut non dicamus de Duentzeri[3]) opinione, qui in enumeratione librorum offendit dicens: „verba ἔγραψε πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν ante πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα ponenda videntur, ne scripta ad Homerum pertinentia male dirimantur", cum et liber ille de diis conscriptus a rebus Homericis minime abhorruisse videatur (qua de re infra dicemus) et apud Suidam similia saepius reperiantur[4]), collocatio verbi

---

[1]) Cf. B. Thiersch, Ueber das Zeitalter und Vaterland des Homer, p. 26; Muetzell p. 281; Duentzer p. 25; Schneider l. l. nr. 218; Flach, Glossen und Scholien zur hesiodeischen Theogonie, 1876, p. 110. In medio reliquit quaestionem Schneidewin, Philol. II p. 764.

[2]) Ita brevitatis causa scribere mihi liceat, quamquam ad epitomam libri Hesychiani vita referenda est.

[3]) Cf. p. 23 adn. 2.

[4]) Cf. Suid. s. v. Ἡρακλέων Αἰγύπτιος: ἔγραψεν ὑπόμνημα εἰς

ἔγραψε, ante quod in codice optimo Parisino A interpungitur, scrupulum nobis iniciat necesse est, quippe quod ex regulis enarrandi et ex Hesychii ratione scribendi offendat, qui in vitis scriptorum postquam de nomine, sede, schola, aliis rebus disseruit, plerumque *ἔγραψε* vel simile verbum in initio enumerationis librorum ponere solet, media in operum serie ad unum librum *ἔγραψε* adscribere non potuit. Quae cum ita sint, vix quemquam fugere potest in Zenodoti Alexandrini vita mendum latere[1]), quod cuiusnam sit generis nunc est enucleandum. Iam liceat mihi proponere coniecturas, quae a viris doctis sunt prolatae. Bekkerus[2]) vocem *ἔγραψε* librarii errore insertam esse ante *πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν* censuit, quam ob rem post *κληθείς* eam collocavit. Qua mutatione admissa etsi locum bene se habere non negaverim, tamen haec coniectura non tam facilis est, ut valde commendetur. Daubius[3]) legendum esse docuit .... *κληθείς, ὃς πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ ἔγραψε* collatis vitis: *Κάδμος Πανδίονος Μιλήσιος, γραμματικός, ὃς πρῶτος κατά τινας συγγραφὴν ἔγραψε καταλογάδην, μικρῷ νεώτερος Ὀρφέως. συνέταξε δὲ κτίσιν Μιλήτου καὶ τῆς ὅλης Ἰωνίας ἐν βίβλοις δ'. — Πωλίων Ἀλεξανδρεύς, ὁ Οὐαλέριος χρηματίσας, φιλόσοφος γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ, οὗ παῖς Διόδωρος φιλόσοφος ὁ γράψας ἐξήγησιν τῶν ζητουμένων παρὰ τοῖς ι' ῥήτορσιν. ἔγραψε κτλ.* Sed his exemplis nihil demonstrari apparet. Nam ut non agamus de vita Polionis, quae toto caelo discrepat a vita Zenodoti ex Daubii sententia emendata, si paulo accuratius in rem inquires, alterum quoque exemplum videbitur ineptum; affertur enim in enuntiato relativo non libri titulus, sed perhibet Hesychius, qua re potissimum notitiam consecutus sit ille homo.[4]) Schneiderus fortasse scribendum esse *ἔγραψε*

Ὅμηρον κατὰ ῥαψῳδίαν, καὶ εἰς λυρικούς, περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ προστακτικῶν ῥημάτων; s. v. *Νικάνωρ*: *περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ κτλ. περὶ στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ, κωμῳδούμενα, περὶ ναυστάθμου κτλ.*; s. v. *Πρόκλος*, alia.

[1]) Cf. Bernhardy, Suid. s. v. *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς*.

[2]) Suid. s. v. *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς*.

[3]) l. l. p. 80.

[4]) Cf. Suid. s. v. *Ἴππυς Ῥηγῖνος*; *Ξενοφῶν Γρύλλου Ἀθηναῖος, φιλόσοφος στωικός*; *Φίλιστος Ναυκρατίτης*. Aliter est iudicandum

καὶ κτλ. arbitratus est[1]), ut esset sententia: non solum Aristarchum, sed etiam Platonem impugnavit; neque tamen facile quisquam hanc coniecturam probabilem esse contendet, cum tale dicendi genus offensione non careat. Flachius[2]) verbum *ἔγραψε* removit, quo facto loci offensionem tolli est concedendum. Denique dixerit quispiam verba inde ab *ἔγραψε* usque ad *θεῶν* esse abicienda, cum hoc concesso locus sanatus sit eaque sententia primo adspectu ea re confirmetur, quod libellum *πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν* philosopho quam grammatico tribuere malis. Huc accedit quod Zenodotum philosophum[3]) Diogenis stoici discipulum fuisse tradit Laertius Diogenes VII, 30. Attamen ego quidem a me impetrare non possum, ut hanc opinionem comprobem; accuratius enim si de commentatione illa egerimus, apparebit eam esse huius libri naturam, ut nihil obstet, quominus grammatico eum adscribamus, quam ob rem causa satis iusta non est, cur Zenodoti stoici hominis alioquin paene ignoti libellum falso in Zenodoti Alexandrini vitam irrepsisse censeamus.

Quodsi comprehendimus quae de emendando loco Hesychianò disseruimus, coniecturis Bekkeri et Flachii, quorum alter *ἔγραψε* post *κληθείς* inserendum, alter omnino delendum esse arbitratus est, comprobatis difficultatem expediri elucet. Iam restat, ut de iis dicamus, qui, cum gravius mendum latere sibi persuaserint, ratione longe alia sunt usi. Quos inter viros doctos, etsi de rebus singulis discrepant, in ea re certe convenit inde a verbis *ἔγραψε πρὸς Πλάτωνα κτλ.* enumerationem librorum grammatici alicuius initium capere. Proficiscentibus autem nobis hoc ab argumento duae praesto sunt explicandi viae: altera ut pars vitae prior praebeat Zenodoti Alexandrini notitiam verbis his *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς, ὁ ἐν ἄστει κληθείς· πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα,* cetera ad alium grammaticum

---

de vitis: *Ἀντίμαχος, ἕτερος Ἡλιοπολίτης ἀπ' Αἰγύπτου; Ἀστράμψυχος; Ἱερώνυμος Καρδιανός.*

1) l. c. nr. 218.

2) l. l. p. 81.

3) Cf. Zeller, Die Philosophie der Griechen III, 1 p. 48, qui Alexandrinum Zenodotum et stoicum fortasse eundem esse putat; sed nihil video, quod nos cogat, ut ei assentiamur.

redeant, cuius nomen interciderit[1]); altera, qua ego progrediendum esse mihi persuasi, ut falso in textum incurrisse titulum libri πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα ponamus. Quam meam coniecturam praeferendam esse opinionibus Schneideri, Schmidtii, Schraderi nunc sum demonstraturus. Primum libellum de versibus Homericis ab Aristarcho damnatis compositum Zenodoto Mallotae tribuimus, quem Crateteae scholae discipulum fuisse constat, ut non opus sit facere cum iis, qui, cum Alexandrinos quoque grammaticos Aristarchi doctrinam impugnasse recte dixerint, in eorum numerum Zenodotum Alexandrinum recipere studuerunt, cum multo sit verisimilius, si Zenodotum quendam impugnasse Aristarchum traditum est, eum fuisse Crateteum; deinde non est desudandum in ea re, ut explicemus, quem in modum intercidere potuerit nomen, cui rei satis gravia obstant. Atque Schneiderus quidem Zenodoti Mallotae vel Cratetei cognomen in Hesychii loco facile perire potuisse censuit, cum Alexandrini nomen Crateteo quoque fuisse contenderet, dicens cognomine ὁ ἐν ἄστει opus non fuisse, nisi alter Zenodotus Alexandrinus nempe Mallotes Alexandriae domicilium fixisset. Quam sententiam improbamus, quod cognomen ὁ ἐν ἄστει bene locum habere docuimus respecto Zenodoto Ephesio, ut tertium illum Zenodotum Mallotam factum esse Alexandrinum mera sit coniectura. Quodsi datur optio, utrum Mallotae vel Cratetei nomen intercidisse an inter Zenodoti Alexandrini opera Mallotae librum receptum esse censeamus, ego quidem horum partes sequi non dubito, praesertim cum non forte fortuna factum esse videatur, ut iuxta positi sint libri, qui ad aliorum sententias infringendas et refutandas erant conscripti.[2]) De Schraderi opinione paulo infra verba faciemus. Quam si nunc mittimus, restat, ut demonstremus, cur Bekkeri aut Flachii coniectura reiecta novam explicandi rationem, quam supra adumbravimus, proferre constituerimus. Et primum quidem has tres coniecturas aeque aptas

---

[1]) Hanc rationem secuti sunt Schneiderus l. c. nr. 218; Schraderus l. l. p. 431; Schmidtius l. c. p. 253, e quibus Schraderus verba ἔγραψε sqq. ad Zenodorum refert, Schneiderus et Schmidtius ad Zenodotum Mallotam. Qua de causa Schraderus de Zenodoro grammatico cogitaverit, infra fusius disseremus.

[2]) Cf. Daub, Jahrbb. f. Phil. Suppl. XI p. 460.

esse ad diluendam difficultatem non negabis, si ad tabulam Zenodoteorum operum spectas. Sequitur ut diiudicemus, quae mutatio habeat facillimum explicatum. Iam si naturam vitarum Hesychianarum respicis, librorum enumerationem plerumque a verbo ἔγραψε vel simili initium capere apparet, ut in loco corrupto intellegendo et emendando hanc rem summi esse momenti contendam, cum Bekkeri et Flachii rationes hac ex parte licentiae obnoxiae esse videantur. Denique cum libellus, qui antecedit enumerationem incipientem a verbo ἔγραψε, optime quadret in Zenodotum Mallotam, quem alium fuisse atque Alexandrinum varias ob causas supra demonstrare studuimus, neque in fragmentis, quae sub Zenodoti Mallotae nomine circumferuntur, ullum vestigium exstet, ex quo libri ceteri ab Hesychio enumerati ei tribui possint, duorum grammaticorum libros commemorari multum habet probabilitatis.

Quodsi recte hucusque iudicavimus, haec ut breviter comprehendamus demonstrata sunt: distinguendos esse Zenodotum Alexandrinum *τὸν ἐν ἄστει* cognominatum et Mallotam Crateteum, cui librum *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* falso Zenodoto Alexandrino adscriptum tribuendum esse verisimile est.

Pars altera.

In perlustrandis Zenodotorum reliquiis, quantum quidem ad nostram disputationem pertinent, ex Zenodoto Alexandrino initium facere constituimus, etsi temporum ordinem relinquimus.

Iam priusquam ad studia Zenodoti Alexandrini cognoscenda librosque ab eo compositos recensendos accedamus, de libro *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας* in Hesychii catalogo Zenodoto adscripto, quem, cum alii de Zenodoto cogitaverint, nos quidem ad Zenodorum grammaticum redire censemus, agendum est. Quam quaestionem hanc potissimum ob rem primo loco proponere voluimus recedentes a tabulae Hesychianae ordine, quod ea soluta indicare licet de Schraderi coniectura, quam supra[1]) leviter tantum et in transcursu attigimus.

Sunt autem testimonia, quae in censum veniunt, haec:

Schol. ad Il. σ 356[2]): *Ζεὺς δ' Ἥρην] Ζηνοδώρῳ*[3]) *τῷ συγγράψαντι περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας τὰ δέκα βιβλία συγγέγραπται καὶ περὶ τούτου τοῦ τόπου· ἐν ᾧ συγγράμματι πειρᾶται ἀποδεικνύναι διεσκευασμένον τοῦτον τὸν τόπον, ἐπῶν ιγ'. πρῶτον γάρ φησι τὰς εἰςαγομένας τῶν θεῶν ὁμιλίας οὐκ ἐκτὸς τῆς ὑποθέσεως παραλαμβάνεσθαι, ἀλλ' ἢ ὑπὲρ διδαχῆς τινος τῶν εἰς τὴν Ἰλιάδα συντελούντων ἢ καὶ ὑπὲρ ἐπιδείξεως ἱστορίας παλαιᾶς, οἷον τὴν Διώνην πρὸς*

---

1) Cf. p. 133.

2) Textum proposuimus ex scholiorum Ven. B recensione Dindorfiana; quae mutavimus ex auctoritate scholiorum Townleianorum [Scholia Graeca in Hom. Iliad. Townleiana. Ed. Maas. 1888.], quorum *ἀπόγραφον* sunt Victoriana, diligenter adnotavimus.

3) Cod. Leidensis habet *Ζηνοδότῳ*.

Ἀφροδίτην λέγουσαν „τέτλαθι τέκνον ἐμόν· πολλοὶ γὰρ δὴ τλῆμεν· τλῆ μὲν Ἄρης“ (Il. ε 382)· ἱστορίαν γὰρ παλαιὰν ἐπιτίθεται. τὴν δὲ Ἀθηνᾶς[1]) πρὸς Δία ἐπικερτόμησιν. „Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά τί μοι κεχολώσεαι, ὅττι κεν εἴπω; ἦ μάλα δή τινα Κύπρις“ (Il. ε 421)· διδάσκει γὰρ ὅτι ὑπὸ Ἀφροδίτης ἠπατήθη Ἑλένη. καὶ τὰς ἄλλας δὲ ὁμιλίας τῶν θεῶν οὐκ εἰκῆ φησι παραλαμβάνεσθαι. ταύτην δὲ οὔτε ἱστορίαν φησὶ λέγειν οὔτε τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασι πλέον τι προστιθέναι. ἔπειτα μέλλοντα τὸν Ὅμηρον διατίθεσθαι τὰ παρὰ[2]) Ἡφαίστου πρὸς Θέτιν, οὐκ ἂν πρὸ αὐτῆς ἄλλην διάλεξιν θεῶν παραλαβεῖν, ποικίλλειν ἀεὶ εἰωθότα τὴν ποίησιν, καὶ ἀπὸ μὲν τῶν ἀνθρωπίνων ἐπὶ τὰ θεῖα, ἀπὸ δὲ τῶν θείων ἐπὶ τὰ ἀνθρώπινα μεταβάλλειν. εἶτα ἀνόητον τὸ λέγειν „ἔπρηξας καὶ ἔπειτα“, ὡς ἐκ πείσματος παρηκολουθηκότος τοῦ γενομένου· οὐδὲ γὰρ ῥητῶς δεδήλωκεν ὁ ποιητής, ὅτι ταῦτα ὕστερον ἔμαθεν ὁ Ζεύς, ὡς ἐν τῇ Α (522) „ἀλλὰ σὺ μὲν αὖτις ἀπόστιχε“ καὶ (Il. α 536) „οὐδέ μιν Ἥρη ἠγνοίησεν.“ εἶτά φησιν, ὅτι ἄλογον, τῇ μὲν Ἥρᾳ χαλεπαίνειν αὐτὸν ἐπὶ τῇ τῆς Ἴριδος ἀποστολῇ, τῇ δὲ Ἀθηνᾷ μηδὲ κατὰ βραχύ, τῇ καὶ συμπραξάσῃ Ἀχιλλεῖ καὶ τὸ πῦρ δειξάσῃ πρὸς κατάπληξιν τῶν πολεμίων, ὁπότε ἔμπροσθεν (Il. θ 406) τῇ μὲν Ἥρᾳ συγγινώσκειν φησὶ τὸν Δία, τῇ δὲ Ἀθηνᾷ χαλεπαίνειν πλέον, καὶ ὅτι πολλὴ ἡ ἀλογία φαίνεται, εἰ παρὰ καιρὸν ἡλίου δύναντος ὑπὸ Ἥρας (Il. σ 241) οὐδὲν περὶ τούτου ἐγκαλεῖ ὁ Ζεύς, παρεγχειρουμένης τῆς τοῦ κόσμου τάξεως. πῶς δὲ οὐκ ἐναντίον φάσκειν περὶ Διὸς (Il. ρ 272) „μίσησε δ' ἄρα μιν δηίων κυσὶ κύρμα γενέσθαι“, νῦν δὲ ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ αὐτοῦ ἀγανακτεῖν; οὐδὲν γὰρ ἄλλο πέπρακται ἐκ τῆς Ἀχιλλέως ἀναστάσεως ἢ τὸ μηδὲν παθεῖν. πῶς τε τὴν ἀπὸ Ἴδης μετάβασιν τοῦ Διὸς οὐ δεδήλωκεν; ἀλλὰ τοῦτο μὲν συγχωρητέον κατὰ τὸ σιωπώμενον γεγενῆσθαι. τὰ δὲ ἄλλα σαθρά ἐστι καὶ ὕποπτα. ἥ γε μὴν ἀπολογία τῆς Ἥρας καὶ ἀνοήτως ἔχει· δέον γὰρ προβαλέσθαι ὅτι κακὸν οὐδὲν εἰργάσατο τοὺς Τρῶας σώσασα Πάτροκλον, ὅπερ καὶ τῷ Διὶ ἐκεχάριστο, ἡ δέ φησιν ὅτι „οὐκ ὄφελον Τρώεσσι κοτεσσα-

---

[1]) Legitur in libris Ἥρας; Ἀθηνᾶς nomen restituimus secuti Valckenaerium, Diss. de scholiis in Hom., 1747, p. 140; Maas l. l.

[2]) Falso περὶ in B legi apparet.

μένη κακὰ ῥέξαι". οὐδὲν γὰρ ἄλλο πράττει νῦν ἢ συκοφαντεῖ ἑαυτήν. ταῦτα ὡς ἐν κεφαλαίοις ὑπὸ Ζηνοδώρου συγγέγραπται. ἀφαιρουμένων δὲ τῶν ιγ' στίχων τὸ λοιπὸν ἁρμονίαν ἔχει.

Schol. A ad Il. σ 22: τὸν δ' ἄχεος νεφέλη ἐκάλυψε] Πλάτων ἐν τρίτῳ πολιτείας κατηγορεῖ τῶν ὀδυρομένων, λέγων ὑπὲρ τῶν τεθνεώτων μὴ δεῖν τοῦτο ποιεῖν ὡς δεινόν τι πεπονθότων .... Ζηνόδωρος δὲ ἀπολογεῖται λέγων ὅτι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῶν πεπραγμένων θρηνεῖ καὶ ἄλλως συνήθη ταῦτα τῷ τότε[1]) βίῳ „τοῦτό νυ καὶ γέρας οἷον ὀιζυροῖσι βροτοῖσι, κείρασθαί τε κόμην βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν" (Od. δ 197. 198).

Schol. BL ad Il. ρ 263: Ζηνόδωρος δὲ διιπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσιν· διὰ τοῦτο καὶ γράφει διειπετῆ διὰ τῆς ει διφθόγγου. — Cf. schol. EHQ ad Od. δ 477; cod. Vat. quaest. Porphyr. λ: Ζηνόδωρος[2]) δὲ διιπετῆ τὸν διαυγῆ ἀποδίδωσι. διὰ τοῦτο καὶ γράφει διιπετέος διὰ τῆς ει διφθόγγου.

Apoll. Soph. s. v. ζῶστρα: Ἀπίων τὰ ἐνδύματα τῶν ἀνδρῶν· „ζῶστρά τε καὶ πέπλους καὶ ῥήγεα σιγαλόεντα (Od. ζ 38), ὁ δὲ Ζηνόδωρος βέλτιον τὰ ζώματα, τὰς ζώνας.

Schol. H ad Od. κ 124: ἀτερπέα δαῖτα πένοντο] Ἀρίσταρχος φέροντο ἄλλοι δὲ δαῖτα πένοντο. Ἀριστοφάνης „ἰχθῦς δ' ὡς εἴροντες". κατέστη ἴδιον τὸ ἰχθῦς καὶ τὸ φέροντο Ζηνοδώρῳ.[3]) ἐν δὲ ἄλλοις πείροντες.

Atque primum ea de re dubitari non potest, quin titulo ab Hesychio exhibito περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας idem

---

[1]) Placet Schraderi coniectura, qui pro verbis traditis τῷ τε βίῳ scripsit τῷ τότε βίῳ; nam et quomodo natum sit mendum facile intellegitur et sententia plane apta procedit; aliter censet Dindorfius, qui litteras τε removit.

[2]) Codices HQ Vat. habent Ζηνόδοτος.

[3]) Dindorf, Schol. Graec. in Hom. Od. l. l. Zenodoti nomen in textum recepit. Sed etsi hoc loco fit mentio Aristarchi et Aristophanis, ut praeterea Zenodotum Ephesium laudari suspiceris (cf. Wolf, Prolegg. ad Hom. p. 199), tamen cum scholii partes tam male cohaereant, nihil obstat, quominus de Zenodoro cogitemus. Optime enim ad Zenodorum, quem auctorem libri de consuetudine Homerica compositi fuisse demonstrabimus, redire sententiam ἴδιον τὸ ἰχθῦς καὶ τὸ φέροντο adnotasse satis habeo.

significetur opus, quod scholiasta ad Il. σ 356 nominavit *περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας*. Quod cum Hesychius attribuerit Zenodoto Alexandrino, in scholiis Homericis de nomine non constat, ubi et Zenodotus et Zenodorus affertur. Et nostra quidem aetate, ex quo Wolfius[1]) hanc rem in quaestionem vocavit, viri docti in diversas abierunt partes aut expungentes Zenodori nomen aut defendentes. Iam id facile concedes multo esse verisimilius Zenodori nomen mutatum esse in Zenodoti notissimum, quam Zenodoti nomen in Zenodori.[2]) Neque difficile est ad demonstrandum aliis quoque causis commendari coniecturam, retinendum esse nomen Zenodori iis locis, quos modo attulimus. Nam neglegendum non est in codice antiquissimo B constanter servari Zenodori nomen, cui in libris manu scriptis aetatis posterioris Zenodori nomen substituitur. Accedit quod in schol. A ad Il. σ 22; H ad Od. κ 124; apud Apoll. Soph. s. v. *ζῶστρα* Zenodori nomen repetitur. Denique in codice Athoo invenitur libellus[3]), cui praescriptus est titulus *Ζηνοδώρου τῶν περὶ συνηθείας ἐπιτομή*. Quae cum ita sint, illud pro explorato habemus librum de consuetudine Homerica compositum ad Zenodorum quendam redire, ut Hesychium, qui illud opus Zenodoto Alexandrino tribuit, errasse sit statuendum.[4])

Iam sequitur, ut Schraderi sententiam[5]) refellamus, qui non solum commentationem *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας*, sed etiam libros *πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν, λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων, εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν* Zenodoro vindican-

---

[1]) Prolegg. ad Hom. p. 199 adn. 66.

[2]) Hoc argumentum primus protulit Duentzer p. 26, cui adstipulatur Schrader p. 429.

[3]) Cf. Miller, Mélanges de litt. Grecque, Paris 1868, p. 407—412. De auctoritate huius libri paulo infra dicemus.

[4]) Zenodorum intellexerunt Wolf p. 197; Duentzer p. 25; Schrader p. 429; La Roche l. l. p. 119; Lehrs, De Aristarchi studiis Hom. p. 199; Nauck, Mél. Gréco-Rom. III p. 164. Pro Zenodoto pugnaverunt Heyne l. l. VII p. 430. 485 sqq.; Muetzell p. 282; Osann p. 3; Schmidt p. 253. Rem in medio relinquendam esse censuit Meier, Quaest. Andoc. (= Opp. acad. II p. 51 sqq.).

[5]) Leopold Cohn, Quaest. Eust., Diss. Vratisl. 1878, p. 8 adn., usque eo processit, ut diceret: „ad Zenodorum referenda sunt, quae Suidas s. v. *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς* tradidit“.

dos esse arbitratus est, etsi sic quoque locis nonnullis ad mutationes scripturae traditae confugiendum esse ipse concessit. — Supra probare studuimus in vita Zenodoti Alexandrini inde a verbo ἔγραψε initium capere librorum tabulam; quod cum aeque Schraderus censuerit, „ab opere περὶ συνηθείας, quod post ἔγραψε illud secundo loco commemoratur, quasi a certo fundamento profectus“ totam operum enumerationem, quam supra posuimus, in Zenodorum, cuius nomen librariorum neglegentia interciderit, convenire dixit. Quam coniecturam, etsi sagaciter est excogitata, stare non posse contendo. Vertitur autem cardo rei in eo, ut testimoniis confirmetur librorum, qui praeter illum περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας in catalogo Hesychiano nominantur, auctorem fuisse Zenodorum. Qua de re ut iudicium fieri possit, ante omnia quaestio de natura et indole libri Zenodorei περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας suscipienda est, ut pervestigemus, quaenam scholia sub Zenodori nomine tradita huic libro assignari possint. Iam vero se offert illud scholion ad Il. σ 356, unde apparet Zenodorum consuetudinem et usum Homeri ab omni parte[1]) tractanda sibi proposuisse. Quod si tenes, facile ad hanc commentationem referes scholia ad Od. κ 124[2]), ad Il. σ 22[3]), ap. Apoll. Soph. s. v. ζῶστρα[4]), schol. ad Il. ρ 263 (= schol. ad Od. δ 477). At prorsus abhorrent a libri argumento, quale nobis finximus, excerpta, quae exhibet cod. Athous; nam hic inter se opponuntur ratio loquendi vulgaris et Homerica; habes enim ab altera parte συνήθως, κατὰ τὴν συνήθειαν,

[1]) Varie de argumento iudicaverunt viri docti, quae dissensio maxime ex nominum Zenodori et Zenodoti confusione nata est; ceterum de orationis proprietatibus cogitaverunt Wolf l. l. p. 197; Graefenhan l. c. I p. 503; Miller l. c. p. 409; συνήθειαν ampliore sensu explicatam fuisse docuerunt Muetzell l. c. p. 282; Duentzer p. 27; Osann, Anecdotum Romanum § 34 p. 116; Schneider nr. 218.

[2]) κατέστη ἴδιον i. e. abhorrens a consuetudine, peculiare.

[3]) συνήθη ταῦτα. De forma scholii infra agetur. Indidem repetiit Lehrs l. l. p. 199. Assentitur Ludovicus Leyde, De Apollonii Sophistae lexico Homerico. Diss. Lips. 1885, p. 23.

[4]) Duentzer, p. 27 adn. 8, hoc loco pro Ζηνόδωρος scribere mavult Ἡλιόδωρος, quod Apion et Heliodorus saepius iuxta ponantur ab Apollonio, sed recte Schrader p. 430 dixisse mihi videtur non esse, cur de corruptela cogitemus.

νεώτεροι, η συνήθεια, ab altera *ποιητικῶς, κατὰ τὸν ποιητήν, καθ' Ὅμηρον, λαμβάνει ο ποιητής, Ὅμηρος δὲ τίθησι, λέγει ο ποιητής, ἐπὶ . . . . τάττει ὁ ποιητής*. Qua in discrepantia explicanda Cohnius ita est versatus, ut excerpta illa „misellam libri Zenodorei epitomam" nominaverit. Sed tantum abest, ut hoc argumentum probabile esse censeam, ut Schradero[1]) assentiar, qui fidem libelli a Millero editi omnino nullam esse statuit. Nam ut argumentum epitomae mittamus, causa gravissima est, quod, quae in excerptis illis perhibentur, ex scholiis Homericis consuta sunt. Praeterea in codice Laurentiano CXXX 13 idem opus auctoris nomine omisso exstat et qui antecedit in codice Athoo liber *περὶ τῶν ἀπορουμένων παρὰ Πλάτωνι λέξεων* falso Didymi nomen in fronte gerit. Quodsi quaeris, cur huic epitomae Zenodori nomen praescriptum sit, probabile est ex illis scholiis Homericis nomen profectum esse; nam Schraderi sententia, qui disserit in nomine „memoriam quandam antiquitus traditam servatam esse", artificiosior esse videtur. Ergo ut quae hac in re effecimus comprehendamus: egit Zenodorus in libro *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας* de usu et consuetudine Homerica, unde scholia, quae ad Zenodorum redire posuimus, fluere potuerunt.

Proximum est, ut disputationem instituamus de argumentis Schraderi, quibus libros *λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων, πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν, εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν* Zenodoro convenire demonstrasse sibi visus est. Iam si ab opere *εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν* proficiscimur, in scholiis Theogoniae bis Zenodoti testimonium affertur. Quibus ex scholiis cum alterum virorum doctorum consensu ad Zenodoti Ephesii editionem referatur, in altero ad vs. 116 tractando Schraderus[2]) ea est usus ratione, ut Zenodoti nomen in Zenonis corrigendum esse censuerit. Sed hac de coniectura utcunque iudicabis, id contendo hanc rem nihil valere ad quaestionem solvendam; nam ne ego quidem e commentariis Zenodoteis illud scholion petitum esse arbitror, ut infra exponam.

Transeamus nunc ad solutiones Homericas, quas Zenodoro assignare studuit Schraderus. Et primum quidem bene in nu-

[1]) p. 433 sqq.
[2]) p. 430 adn. 2.

merum λύσεων Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων[1]) recipi scholion ad Il. σ 22 dicit, praesertim cum Platonis placitum impugnetur, cui Zenodorus in libro πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν oblocutus sit et verba in solutione prolata συνήθη τῷ τότε βίῳ aptissime ad auctorem libri περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας referantur. Deinde illud profert argumentum, ut dicat in Porphyrii quaestionibus Homericis traditum esse Zenodori nomen ad Il. ρ 263 (= Od. δ 477). His in argumentis quae insit vis persuadendi, nunc videamus. Scholion ad Il. σ 22 cur ex opere περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας non manaverit, non intellego; nam verborum Ζηνόδωρος δὲ ἀπολογεῖται natura non est talis, ut sine dubio de solutionum libro sit cogitandum; conferas quae habemus in scholio illo ad Il. σ 356, quod ex libro περὶ συνηθείας esse petitum diserte traditum est: πῶς δὲ οὐκ ἐναντίον φάσκειν περὶ Διὸς „μίσησεν δ' ἄρα μιν δηίων κυσὶ κύρμα γενέσθαι“, νῦν δὲ ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ αὐτοῦ ἀγανακτεῖν; vel πῶς τε τὴν ἀπὸ Ἴδης μετάβασιν τοῦ Διὸς οὐ δεδήλωκεν; ἀλλὰ τοῦτο μὲν συγχωρητέον κατὰ τὸ σιωπώμενον γεγενῆσθαι. His locis, si formam et indolem orationis respicis, quaestionum et solutionum librum adhibitum esse videri a scholiasta non negabis; attamen e „consuetudine Homerica“ haec in scholia transierunt. Neque neglegendum est mirum non esse, quod in libro de consuetudine Homeri conscripto poëtam defendit Zenodorus a Platonis criminationibus; nam ab usu Homerico profectus ut in scholio ad Il. σ 356 versus quosdam spurios esse demonstrare studuit ita hoc loco quaestionem solvit. Nulla est igitur causa satis iusta, cur propter scholii ad Il. σ 22 indolem Zenodorum libellum λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων edidisse ponamus. Quod deinde profert argumentum Schraderus Platoni obloqui Zenodorum, cui tribuit librum πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν, non multum valet; nam neque hoc loco de diis agitur et Platonis iudicia, quippe quae late divulgata fuerint, cum ab aliis grammaticis ad partes vocari potuisse apparet tum a Zenodoto Alexandrino[2]) ipso vocata esse scimus. Iam si recte exposuimus scholion ad

[1]) Cf. Schneider nr. 218, qui συνηθείας et λύσεων auctorem eundem esse docet hoc ob scholion, ut de uno libro „περὶ συνηθείας η λύσεις“ cogitandum sit.

[2]) Cf. schol. ad Il. β 12, de quo agitur p. 143 sqq.

Il. σ 22, quod debemus Porphyrio, e libro περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας repeti potuisse, id simul argumentum ad vanum redigitur, quod Zenodori nomen ad Il. ρ 263 et Od. δ 477 in „quaestionibus" perhibetur. Ceterum ne illud quidem neglexerim rationem huius scholii prope accedere ad Apoll. Soph. s. v. ζῶστρα adnotationem, quam ad commentationem περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας referendam esse Schraderus concessit. Sed ut largiamur Zenodorum composuisse solutiones Homericas, inde tamen colligi non potest Zenodotum nempe Alexandrinum librum λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων non conscripsisse, quem Hesychius ei tribuit, praesertim cum in illo studiorum genere grammatici permulti sint versati. Duo enim exstant in cod. Ven. B[1]) loci, ubi Zenodotum quendam in solvendis difficultatibus operam collocasse legitur. Qua in re tractanda Schraderus ea via est progressus, ut Zenodoti nomen errori deberi arbitratus Zenodorum intellegendum esse doceret. Sed ego quidem a me impetrare non possum, ut huic coniecturae assentiar. Petita sunt illa scholia e codice B, quem in distinguendis nominibus Zenodoti et Zenodori testem satis gravem prodire supra vidimus.[2]) Quod si tenes, causam non esse cur bis Zenodoti nomen abiciendum, Zenodori accipiendum esse putemus, libenter concedes.

Ac tantum de Zenodoro et Zenodoto: scripsit Zenodorus librum περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας, quem Hesychius temere[3]) Zenodoto Alexandrino vindicavit; cetera opera, quae in tabula Hesychiana perhibentur, cur a Zenodoto abiudicemus, non est causa, nam et solutionum Homericarum vestigia adhuc exstant et librum πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν bene ei attribui posse collato scholio B ad Il. β 12 infra videbimus.

Iam liceat mihi paucis exponere, quid censeam de natura vitae Zenodoti Alexandrini in Suidae lexico traditae. Forma pristina haec mihi fuisse videtur: Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς, γραμματικός, ὁ ἐν ἄστει κληθείς· ἔγραψε πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν. [περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηθείας.] λύσεις Ὁμηρικῶν

---

[1]) ad Il. α 1, β 12.

[2]) Schol. ad Il. σ 356; ρ 263 (= Od. δ 477).

[3]) Huius generis vitia e nominum similium confusione nata saepius occurrere apud Hesychium exemplis demonstrare opus esse non videtur.

ἀποϱημάτων, εἰς τὴν Ἡσιόδου ϑεογονίαν καὶ ἄλλα συχνά aut — quod ad idem redit — ea, ut qui hanc librorum enumerationem confecit, ipse Zenodorei operis *περὶ τῆς Ὁμηρικῆς συνηϑείας* titulum, quem uncinis circumscripsimus, falso inseruerit. Verba *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀϑετούμενα* postea addita esse puto, quod ita factum esse probabile est, ut, cum aliquis, qui notitiam huius libri Zenodotei assecutus est, cognominum diversitate neglecta in margine exemplaris titulum adnotaverit, librarius eum in textum receperit.

Adhuc quoniam docuimus librorum *πρὸς Πλάτωνα περὶ ϑεῶν, λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων, εἰς τὴν Ἡσιόδου ϑεογονίαν* auctorem habendum esse Zenodotum Alexandrinum, nunc ad huius grammatici studia accuratius, quantum ex paucis et exiguis reliquiis colligi potest, describenda sumus accessuri.

Primo loco de commentatione, quae inscripta erat *λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων* agere nobis visum est. Quem ad librum haec testimonia referenda esse censemus.[1])

Schol. BLp ad Il. *α* 1: *ἔτι ζητεῖται διὰ τί ἀπὸ δυσφήμου ὀνόματος τῆς μήνιδος ἄρχεται. ἐπιλύουσι δὲ αὐτὸ οἱ περὶ Ζηνόδοτον οὕτως, ὅτι πρέπον ἐστὶ τῇ ποιήσει τὸ προοίμιον, τὸν νοῦν τῶν ἀκροατῶν διεγεῖρον καὶ προσεχεστέρους ποιοῦν, εἰ μέλλει πολέμους καὶ ϑανάτους διηγεῖσϑαι ἡρώων.*

Schol. B ad Il. *β* 12: *ἀποροῦσι πῶς καὶ ὁ Ζεὺς οὐκ ἀληϑεύει ὑπισχνούμενος „νῦν γάρ κεν ἕλοι πόλιν εὐρυάγυιαν"* (vs. 12) *καὶ ὁ Ἀγαμέμνων ἀπατᾶται καὶ ὁ ὄνειρος ὀλοός. Ζηνόδοτος δὲ παριστὰς τὴν τοῦ Διὸς ἀλήϑειάν φησι κατ' ἐκείνην ἑαλωκέναι τὴν ἡμέραν τὴν Ἴλιον· ὅτε γὰρ οἱ ὅρκοι συνεχύϑησαν, ἡ πόλις ἀπώλετο. ἐν γὰρ τῷ παρασπονδῆσαι*[2]) *τὸ μηκέτι σωϑῆναι κατεψηφίσϑη.*[3])

[1]) Idem docuerunt Wolf l. c. p. 195 adn. 65, qui dubitat, utrum Zenodotus Ephesius an Alexandrinus sit intellegendus (cf. Pluygers, De Zenodoti carminum Homericorum editione, Progr. Lugd. Bat. 1843, p. 13); Duentzer p. 27.

[2]) Legitur in codice falso *παρασπονδίσαι.*

[3]) Quibus locis addidit Duentzer p. 27 sq. schol. T ad Il. *γ* 236, cum de schol. T ad Il. *ω* 487 huc referendo dubitanter iudicaverit; sed utrumque ad *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* pertinet, de quo libro infra disputabitur; nam et illud cum quaestionibus propositis *πῶς δὲ οὐκ ἐρωτηϑεῖσα προβάλλεται τὰ περὶ τῶν ἀδελφῶν;* vel *διὰ τί Ἑλένην πε-*

Huius libri quae fuerit indoles et natura in universum, non opus est fusius exponere; notissimum enim est veterum studium, quo cum in aliorum operibus tum maxime in Homeri carminibus difficultates quasdam indagare et absolvere solebant. Sequitur ut de consilio et ingenio, quo usus sit Zenodotus in hac arte exercenda, dicamus. Iam elucet eum non numero grammaticorum eorum iure adscribi posse, qui acuminis ostentandi causa in hac studiorum parte versati sunt; immo vero id egit, ut certa ratione locis, quibus alii offensi Homerum vituperaverunt, opem ferret, quod quidem cadit in schol. ad Il. β 12. Dubitari enim nequit, quin Zenodotus, qui librum contra Platonem de diis composuit, hoc loco philosophum illum clarissimum respexerit, qui in Rep. lib. II p. 383 A disserit: *πολλὰ ἄρα Ὁμήρου ἐπαινοῦντες ἄλλα, τοῦτο οὐκ ἐπαινεσόμεθα τὴν τοῦ ἐνυπνίου πομπὴν ὑπὸ Διὸς τῷ Ἀγαμέμνονι.* Ceterum in scholio ad Il. α 1 quaestionem tractandam suscepit Zenodotus, quae satis magni momenti esse videbatur antiquis grammaticis. Nam plures huic rei explicandae operam impendisse inde, quod in schol. ALp altera solutio tradita est, apparet.[1])

Sed transeamus ad argumenta, quae ita sunt comparata, ut eis assentiri non possimus. Nam quod dicit Iliadem hanc ob rem a voce *μῆνις* male ominata initium capere, quod tale prooemium animos audientium excitans et attentos reddens in rem sit, si poëta pugnas et caedes enarraturus est, quamvis eum ineptire non dixeris, tamen rectum non vidit; iram enim Achillis carmine celebrari pronuntiat, qui hos versus concepit.[2])

Altera solutio, quam habemus traditam, pertinet ad Il. β 12,

ποίηκεν ἀγνοεῖσθαι περὶ τῶν ἀδελφῶν; non nisi male cohaeret, et, quod summum est, similia atque in commentariis historicis perhibentur. Cf. Schrader p. 432. — Lehrs p. 219 scholia ad Il. α 1, β 13, γ 236 ex solutionibus Homericis repetiit.

[1]) Cf. Lucian. Ver. hist. II c. 20, qui illudit grammaticos hanc quaestionem respiciens.

[2]) Cf. Aristot. Rhet. p. 1415 a 11 Bekk., qui de prooemiis disputans haec profert: *ἐν δὲ τοῖς λόγοις καὶ ἔπεσι δεῖγμ' ἐστὶ τοῦ λόγου ἵνα προειδῶσι περὶ οὗ ᾖ ὁ λόγος καὶ μὴ κρέμηται ἡ διάνοια· τὸ γὰρ ἀόριστον πλανᾷ· ὁ δοὺς οὖν ὥςπερ εἰς τὴν χεῖρα τὴν ἀρχὴν ποιεῖ ἐχόμενον ἀκολουθεῖν τῷ λόγῳ. διὰ τοῦτο „μῆνιν ἄειδε θεά", „ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα" κτλ.*

tuetur autem Zenodotus Homerum a crimine, quod Iovem fallacem induxerit. Dicit enim deum, qui promittit Agamemnonem illo die, de quo agitur, Troiam capturum esse, non mentiri, nam eam ob rem, quod tum ius iurandum laesum sit, urbis excidium constitutum esse. Iam vides ab argutiis Zenodotum minime abhorruisse.

Quodsi ad formam libelli spectas, reliquiae perexiguae ansam non praebent, ut aliqua cum confidentia statuere possimus, quonam ordine dispositae fuerint *λύσεις*.

Progrediamur nunc ad librum *πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν* tractandum, cuius nihil praeter nomen aetas tulit, ut ad coniecturas sit confugiendum, si eius indolem cognoscere volumus. Tamen dubium esse non videtur, quem in finem Zenodotus hanc commentationem composuerit. Si enim consideras in scholio ad Il. *β* 12, quod supra examinavimus, eum res ab Homero traditas cum deorum notione, qualem Plato sibi informavit, conciliare conatum esse ita, ut male Homerum a Platone vituperatum esse demonstraret, pronum est suspicari impugnatas fuisse criminationes, quibus Plato exagitavit cum alios poëtas[1]) tum maxime Homerum propter fabulas de diis prolatas. Huc ut inclinemus, ea porro facit res, quod eidem vel simili studio alios operam navasse et testimoniis ex scholiis Homericis repetitis[2]) et librorum titulis, quos exhibet Suidas s. v. *Σαραπίων*: *„εἰ δικαίως Πλάτων Ὅμηρον ἀπέπεμψε τῆς πολιτείας“* et s. v. *Τήλεφος*: *„περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας“*[3]), demonstratur. Plato autem de numine et natura deorum, qualem Homerus et veteres poëtae[4]) perhibuerint, accuratius egit in Rep. p. 377 D

---

[1]) Dico Aeschylum p. 380 A, 383 A; Hesiodum p. 377 D. E alios.

[2]) Cf. e. g. schol. ad Il. *σ* 22, quod p. 137 adscripsimus coll. Plat. Rep. p. 388 A: *πάλιν δὴ Ὁμήρου τε δεηθησόμεθα καὶ τῶν ἄλλων ποιητῶν μὴ ποιεῖν Ἀχιλλέα θεᾶς παῖδα „ἄλλοτ᾽ ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενον, ἄλλοτε δ᾽ αὖτε ὕπτιον, ἄλλοτε δὲ πρηνῆ, τοτὲ δ᾽ ὀρθὸν ἀναστάντα πλωΐζοντ᾽, ἀλύοντ᾽ ἐπὶ θῖν᾽ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο“* (Il. *ω* 10—12)· *μηδὲ „ἀμφοτέρῃσι χερσὶν ἑλόντα κόνιν αἰθαλόεσσαν χευάμενον κὰκ κεφαλῆς“* (Il. *σ* 23)· *μηδὲ ἄλλα κλαίοντά τε καὶ ὀδυρόμενον ὅσα καὶ οἷα ἐκεῖνος ἐποίησε.*

[3]) Scribendum esse *ἀσυμφωνίας* censuit Bernhardy, Suid. s. v. *Τήλεφος*; sed recte docuisse videntur viri docti non opus esse mutatione.

[4]) Imprimis cogitandum est de Homero; nam plurimum in ore

usque ad p. 383 C, ubi exemplis docuit falsa et inhonesta de rebus divinis enarrari; nam induci, ut exempla afferam, deos inimicitias inter se exercentes[1]) et iuris iurandi fidem laedentes.[2]) Neque mirum est, quod grammatici Platoni oblocuti sunt talia disserenti; nam cum Homeri carminum, quae praeter alia interpretanda sibi proposuerunt, maxima tenerentur admiratione, factum est, ut criminationibus ab aliis eis intentis adversarii exstarent. Iam quaeritur, quo iure Zenodotus Platonem castigasse videatur vel potius quid sit statuendum de Platonis iudicio. Qua in re etsi concedendum est Platonem hanc ob causam, quod fabulas summa dei notione metitur, inique in carmina poëtarum consuluisse, tamen nexu sententiarum recte perpenso paulo aliter arbitraberis. Agitur enim de educandis pueris[3]), quibus poëtarum carminum notitiam tradi vetat Plato, ne animi ad nequitiam et protervitatem sollicitentur, quod res multae diis indignae sint enarratae. Atque hanc sententiam comprobandam esse nemo negabit, ut Zenodotum quadam temeritate non caruisse in Platonis placitis vituperandis contendere non dubitem.

Restat ut de ratione, qua Zenodorus usus esse videatur, pauca addamus. Reliquias quidem, ut supra docuimus, non habemus; nihilominus si scholion ad Il. β 12 respicis, suspicari licet eum artificia interpretandi adhibuisse, ut criminationes in poëtas coniectas dilueret.

Denique Hesychius mentionem facit libri *εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν.* Duo autem perhibentur in scholiis Hesiodeis testimonia, quae, ut iam supra diximus, Zenodoti nomen prae se ferunt; quorum locorum cum utrumque ad Zenodotum Ephesium pertinere mihi persuaserim, infra de iis disserendum erit. Ceterum ex operis titulo illud colligi posse videtur Zenodotum Alexan-

---

hominum versabatur neque finibus locorum quorundam eius fabulae inclusae erant. Cf. Theodor. Heine, De ratione quae Platoni cum poëtis Graecorum intercedit, qui ante eum floruerunt. Diss. Vratislav. 1880. Schrader l. c. p. 389.

[1]) Cf. p. 378 B, 380 A.

[2]) Cf. p. 379 E.

[3]) Cf. p. 378 D: *ὁ νέος οὐχ οἷός τε κρίνειν ὅ τί τε ὑπόνοια καὶ ὃ μή, ἀλλ' ἃ ἂν τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις δυσεκνίπτατα καὶ ἀμετάστατα φιλεῖ γίγνεσθαι.*

drinum Hesiodi Theogoniam illustrasse commentariis[1]), atque de eorum natura hoc suspicari licet. Zenodotus cum, ut supra vidimus, Homerum tutatus sit a Platonis criminibus, nonnihil habet probabilitatis, eum hoc in libro Hesiodi, quem Plato aeque atque Homerum vituperavit[2]), defendendi occasionem non praetermisisse.

Iam subsistamus, ut quid de Zenodoti Alexandrini studiis in universum statuendum sit, exponamus; de fragmentis enim, quae praeterea viri docti plerumque Zenodoto Alexandrino adscripserunt vel, ut accuratius loquamur, ei, cuius opera enumerantur in tabula Suidiana inde a verbo ἔγραψε, cum Zenodoti nomen nudum omisso cognomine sit traditum neque Hesychii testimonio uti liceat, iudicium tam incertum est, ut de auctore nihil certi affirmari possit. Nam etsi librum, qui inscribitur ἱστορικὰ ὑπομνήματα s. ἐπιτομαί, et ἐθνικὰς λέξεις, ut infra dicemus, aut ad Zenodotum Alexandrinum aut ad Mallotam redire pro certo fere est habendum, tamen omnia, quae ultra tendunt, merae sunt coniecturae dubitationi valde obnoxiae. Quae cum ita sint, reliquiis iis tantum, quae ad Zenodotum Alexandrinum sine dubio referuntur, adhibitis iudicare voluimus. Scripsit Zenodotus Alexandrinus solutiones Homericas, librum, qui inscriptus fuit πρὸς Πλάτωνα περὶ θεῶν, commentarios in Hesiodi Theogoniam. Duobus in libris — nam de commentariis ad Hesiodi Theogoniam pertinentibus certius affirmare dubito — et in λύσεσι et in libro contra Platonem conscripto eo, ut vidimus, consilio est usus, ut poëtas a criminationibus eis intentis defenderet; atque in illo Homeri, in hoc cum aliorum tum Homeri partes suscepit. Quodsi addis commentarios ad Hesiodum spectasse, iure colligimus poëtarum studio maxime operam navasse Zenodotum Alexandrinum. Iam quod attinet ad rationem, quam adhibuit in studiis grammaticis, tenendum est ab argutiis eum non abhorruisse neque, cum Platonis doctrinam impugnaverit, temeritate quadam caruisse; sed nihilominus dubium mihi esse non videtur, quin in explicando et indagando vero operam collocaverit, non in ingenii acumine ostendando vel simili pravo studio.

---

[1]) Dubitaverunt sine iusta causa Schoemann, Opp. II p. 535; Muetzell p. 281; Welcker, Theog. p. 18.

[2]) Cf. p. 145 adn. 1.

De aetate Zenodoti Alexandrini nihil constat certi. Neque tamen, si studiorum eius genus respicis, improbabile esse videtur eum saeculo fere primo aut altero ante Chr. n. vitam degisse Alexandriae. Quae computatio haud scio an ea re commendetur, quod cognominatus fuit *ὁ ἐν ἄστει*. Nam verisimillimum esse videtur cognomen illud, si recte interpretati sumus, natum esse tempore, quo Zenodotum Ephesium in regia versatum esse satis erat notum.

Pars tertia.

Venio nunc ad Zenodotum Mallotam, quem a Pergamenorum grammaticorum parte stetisse, ut iure *Κρατήτειος* appellari potuerit, et auctorem libri, cui est nomen *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα*, intellegendum esse supra diximus. Sequitur ut reliquiis accurate tractandis nostram sententiam stabiliamus.

Sunt autem loci, quibus Zenodoti Mallotae nomen perhibetur, hi:

1. Schol. ad Arat. vs. 33: *Ζηνόδοτος δὲ ὁ Μαλλώτης δίκτον ἤκουσε τὸ καλούμενον δίκταμον καὶ διὰ τοῦτο καὶ εὐῶδες τοῦτο εἰρῆσθαι.*

2. Schol. T ad Il. ο 262: *Ζηνόδοτος ὁ Μαλλώτης ἐκ τούτου* [*ὡς εἰπὼν ἔμπνευσε* (sc. Apollo) *μένος μέγα ποιμένι λάων* (sc. Hectori)] *συνάγει ὅτι Παιήων ἐστὶν ὁ Ἀπόλλων, εἴ γε αὐτὸς ἐπιῤῥώννυσι τὸν Ἕκτορα.* — Cf. Eust. 1014, 60: *Ἰστέον δὲ ὅτι Ζηνόδοτος ἀκούσας ὡς Ἀπόλλων Φοῖβος χρυσάορος ῥωννύει κακῶς ἔχοντα τὸν Ἕκτορα, εἰς ταὐτὸν αὐτὸν ἄγει τῷ Παιήονι λέγων ὅτι ὁ ἀλλαχοῦ ῥηθεὶς Παιήων ὁ Ἀπόλλων ἐστίν, ὅς καὶ χρυσάορος ἐνταῦθα ὠνομάσθη.*[1]

3. Eust. 1006, 3: *φασὶ δὲ καὶ ὅτι ὁ Μαλλώτης Ζηνόδοτος τὰ ἐκ τοῦ „Πάτροκλον κτενεῖ φαίδιμος Ἕκτωρ" καὶ ἑξῆς ἕως τοῦ „λισσομένη τιμῆσαι Ἀχιλλέα" Εὐριπιδείῳ λέγει ἐοικέναι προλόγῳ, ἀφελῶς προαχθέντα καὶ εἰς οὐδὲν δέον ἀφηγηματικῶς.* — Cf. schol. AT ad Il. ο 64: *Ζηνόδοτος δὲ*

[1]) Deest apud Eust. cognomen Mallotae; at certe res ita est tractanda, ut, ubi duobus in fontibus idem perhibentibus Zenodoti nomen exstat hic cognomine addito, illic omisso, ei fides habeatur, qui formam pleniorem nominis reddit, quam ob causam nostro loco Zenodotum Mallotam intellegendum esse apparet.

ἀπὸ τοῦ „Πηλείδεω Ἀχιλῆος“ ἕως τοῦ „λισσομένη τιμῆσαι“ οὐδ' ὅλως ἔγραψεν.[1] T *ἐοίκασι γὰρ Εὐριπιδείῳ προλόγῳ ταῦτα.*

4. Eust. 957, 10: *Ἰστέον δὲ ὅτι ἐν τῷ „ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα“ προσγράφει κατὰ τοὺς παλαιοὺς ὁ Μαλλώτης Ζηνόδοτος καὶ τοῦτον τὸν στίχον· „ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν“.* — Cf. schol. T ad Il. *ν* 730: *Ζηνόδοτος δὲ ὁ Μαλλώτης*[2]) *προστίθησιν „ἄλλῳ δ' ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν“.*

5. Adnexui schol. A ad Il. *ψ* 79, ubi perhibetur Zenodoti Cratetei nomen: *λάχε· ὅθεν μία τῶν Μοιρῶν Λάχεσις. παρείληφε δὲ ὅτι τῇ γενέσει συνδιατάσσεται καὶ ὁ τελευτῆς καιρός. ὅθεν Ζηνόδοτος ὁ Κρατήτειος Χαλδαῖον τὸν Ὅμηρόν φησιν.*

Atque primum Zenodotum a patria Mallo cognominatum Cratetis fuisse sectatorem elucet ex schol. T ad Il. *ο* 262. Nam cum Aristarchus[3]) *Παιήονα* deorum medicum diversum esse ab Apolline[4]) observaverit, Crates autem utrumque eundem esse statuerit[5]), Zenodotus Mallota[6]) Cratetis partes secutus est. Ceterum Zenodotum Mallotam, cum Paeana deorum medicum et Apollinem eundem esse docuerit, quod hic medici vice quodammodo fungens Hectorem lapide ictum redintegret et suscitet, errasse satis apparet[7]) collatis Il. *ε* versibus 401. 900.

Perlustremus nunc scholion, quod fertur sub lemmate *λάχε*: est enim aptissimum, ex quo cognoscatur Zenodoti Cratetei ratio, ut bene docuit Schneidewinus.[8]) Legimus in scholiis BL ad Il. *α* 591: *Κράτης δὲ περισπῶν* (vocis *βηλος*) *τὴν πρώτην συλλαβὴν Χαλδαϊκὴν εἶναι τὴν λέξιν ἀποδίδωσιν*; quod si

---

[1]) Paulo aliter verba leguntur in Townl.

[2]) Sic scripsit Heyne l. c. VI p. 498 pro lectione tradita *ὁμαλῶς τίς*, quam coniecturam facillimam et elegantissimam nemo non comprobabit.

[3]) Cf. Lehrs l. c. p. 177.

[4]) Cf. schol. A ad Il. *ε* 899.

[5]) Cf. schol. A ad Il. *ο* 363.

[6]) Cf. Schneidewin, Philol. II p. 764; Wachsmuth l. l. p. 28.

[7]) Cf. O. Carnuth, Aristonici *περὶ σημείων Ὀδυσσείας* rel. emendat., p. 44.

[8]) l. c. p. 764; cf. Wachsmuth l. c.

Zenodotus propter notionem *λάχε* Homerum Chaldaeum fuisse sibi persuasit, apparet, quam vehementer amplexus sit Cratetis placita. Qui cum Homerum perfectam omnium disciplinarum cognitionem habuisse statuisset, ut eum linguae quoque Chaldaicae peritum fuisse censeret; quid mirum, quod Zenodotus Mallota usque eo processit, ut eum cognitione rerum astrologicarum, quas dicimus, imbutum et Chaldaeum[1]) natione fuisse contenderet? Ceterum ne offendas in ea re, quod Zenodotus principem poëtarum Graecorum propter illud *λάχε* Graecum natione non fuisse docuit, adnotaverim alios grammaticos aeque ac Zenodotum rebus quibusdam in Homeri carminibus enarratis vel moribus descriptis adductos de poëtae patria satis singularia protulisse. Affero exempli gratia Meleagrum Gadarenum[2]), qui Homerum fuisse Syrum autumavit, atque Aristodemum Nysaeum[3]), qui eum Romanum habuit. Ceterum de Zenodoti indicio, quid sit statuendum, exponere supersedeo.

His locis duobus addidit Wachsmuthius[4]) tertium, quo Zenodotum Mallotam Cratetis doctrinae prorsus addictum fuisse demonstrasse sibi videtur, schol. A ad Il. *λ* 754. Tradita habes haec: *Κράτης δὲ προκρίνει τὴν διὰ τοῦ ᾱ γραφὴν*[5]) *καὶ Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ᾱ γραφῇ*; ubi Wachsmuthius legendum esse censet: *Κράτης δὲ προκρίνει τὴν δίχα τοῦ ᾱ γραφὴν καὶ Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ᾱ γραφῇ κτλ.* Quo de loco sic statuendum esse videtur. Scholion corruptela foedatum esse neminem fugit; nam particulis *καὶ* — *δέ* locus non est, cum Cratetis et Zenodoti sententiae discrepent. Iam duae exstant emendandi viae, altera ut in sententiis, altera ut in particulis *καὶ* — *δέ* mendum inesse iudicemus. Neque dubium esse

---

1) Cf. Droysen l. l. III, 1 p. 74

2) Athen. IV p. 157 B: *Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς ἐν ταῖς Χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη τὸν Ὅμηρον Σύρον ὄντα τὸ γένος κατὰ τὰ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι τοὺς Ἀχαιοὺς δαψιλείας πολλῆς οὔσης κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον.*

3) Vita Hom. VI apud Westerm. p. 31: *Ἀριστόδημος δ' ὁ Νυσαεὺς Ῥωμαῖον αὐτὸν ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἠθῶν ῥωμαϊκῶν, ἄλλοι δ' Αἰγύπτιον.* — Cf. vit. Hom. V apud Westerm. p. 29: *ἄλλοι δ' Αἰγύπτιον ἀπὸ Θηβῶν (αὐτὸν εἶναί φασιν)* alia.

4) pagg. 28. 43.

5) Agitur de scripturis *δι' ἀσπιδέος* et *διὰ σπιδέος*.

vidétur, quin Lehrsius[1]) huic loco medicinam attulerit delenda particula *καί*, quo facto omnia bene se habere concedendum est. Nam Wachsmuthii coniectura, quam esse elegantissimam non nego, ea re improbatur, quod difficile est ad explicandum, cur scholiasta exponens Cratetem et Zenodotum plane idem docuisse, tanta verborum ubertate sine causa usus sit. Quam ob rem hoc loco dissensisse Cratetem et Zenodotum tenendum est, neque quidquam impedit, quominus de Zenodoto Ephesio cogitemus[2]), qui iis locis, ubi cognomen non additum est, quippe qui praeter omnes eiusdem nominis grammaticos floruerit, est intellegendus.

Sequitur ut de scriptis Zenodoti Mallotae, quae dicenda habeam, expromam. Librum, cuius mentio saepius est facta, *πρὸς τὰ ὑπ᾽ Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* a Suida Zenodoto Alexandrino attributum ad Mallotam transferendum esse quoniam supra contendimus, num reliquiis[3]) aliqua ex parte nostra sententia fulciatur quaeritur. Exstat inter scholia, quae praemisimus, illud *Ζηνόδοτος δὲ ὁ Μαλλώτης προστίθησιν „ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστύν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν"*, qua de re Duentzero disserenti „aut fallor aut Zenodotus Mallotes locum e Cratetis editione laudans hunc quoque versum a praeceptore Cratete insertum [quem alium versum § 246 adiecisse legimus] non omiserat"[4]) non assentior, nam cur Crateti huius versus interpolationem imputemus non assequor, praesertim cum huiuscemodi nihil traditum sit; immo vero quaestionem ita esse comparatam iudico. Perhibitus erat in parte librorum manu scriptorum ille versus, quem Aristarchum removisse verisimile est, cum Zenodotus

[1]) Herodiani scripta tria em., p. 270.

[2]) Cf. quae de Zenodoti sententia in dissertationis parte quinta dicemus.

[3]) Falso ad hunc librum revocavit Pluygers p. 15 schol. B ad Il. π 141 disserens: „Quae autem a Zenodoto ad auctoritatem horum versuum labefactandam disputata esse dicuntur, ad antiquiorem Ephesium trahi vix possunt. Dubitatio enim, quam hi habent, non minus valere videtur ad improbandos Il. τ 388. 389, quos tamen Ephesius retinuisse diserte in schol. ad h. l. traditur"; nam bene docuit Duentzer p. 37 a grammatico Zenodoti Ephesii rationem male intellegente causam, cur hos versus ineptos habuerit hoc loco, inventam esse.

[4]) p. 24. Ceterum cf. Friedlaender, Ariston. p. 225, qui versum a Zenodoto Mallote adiectum esse dicit.

Mallota eum defenderit.[1]) Iam vides ad eum bene redire librum de versibus ab Aristarcho damnatis compositum. Quodsi quaeris, quo iure Zenodotus hunc versum retinuerit in textu, si paulo accuratius locum inspexeris, eum errasse intelleges. Ceterum de Osanni[2]) sententia, ex qua schol. ad Il. *ο* 262 ex libro *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* petitum est, infra dicemus.

De alio libro, quem conscripsit Zenodotus Mallota, docemur scholiis Vergilianis. Statuimus Zenodotum a Paeeone deorum medico non distinxisse Apollinem, qua de causa, etsi cognomen additum non est, ad nostrum spectare grammaticum apparet schol. Ver. ad Verg. Aen. XI 738[3]): „Zenodotus in eo quem inscribit [*Παιανίαν* .... riam] sub nomine Naucratis facit disserere Aristarchios, qui putant alium Paeana esse, alium Apollinem, ipse eundem nec diversum multis docet.“ Proximum est ut in verbis traditis, quae ex Keilii recensione proposui, constituendis paulum subsistamus. Habet codex Paetona, quod correxit Maius in Paeana; mihi autem Schneidewinus[4]) melius lectionem corruptam emendasse videtur scribens Paeeona, quod si ad litterarum ductum spectas multo est aptius.[5]) Sequitur ut de libri titulo agamus; nam elucet ad verba „in eo quem inscribit“ notionem libri esse subaudiendam. Atque Maius quidem dubitavit, utrum *Παιανίην* an *Πειτονίην* legendum sit, in litteris „.... riam“ vestigium vocis „historiam“ exstare censuit; Keilio nihil cognoscere contigit nisi vocem a littera *Π* initium capere et priorem partem fortasse *πάτρων* legi posse. Quae cum ita sint, non est mirum, quod varie iudicaverunt viri docti. Atque ut non dicamus de Schneidewini opinione censentis fortasse *περὶ* in initio litterarum mutilarum locum tenuisse, qua coniectura nihil fere lucis affertur huic rei diiudicandae, Duentzerus dittographia quam dicunt *Παιηονίαν* scriptum et *Δαφνηφόρια* vel simile verbum intellegendum esse statuit. Sed

---

[1]) Schrader p. 431 adn. 1. Ceterum cf. Friedländer, Ariston. p. 225, qui versum a Zenodoto Mallote adiectum esse dicit.

[2]) Quaestiones Homericae. Particula I p. 19. Ind. lect. Giss. 1851.

[3]) Ed. Keil p. 106.

[4]) Philol. II p. 764.

[5]) Cf. Duentzer, Jahrbb. f. Phil. LVIII p. 9 adnot.; Wachsmuth l. c. p. 28.

hanc opinionem probabilem esse iure negamus. Neque quod ex litteris servatis facillime restituitur „παντοδαπὴν historiam“ scribendum esse contendere possis, nam quae exhibentur de libri argumento „Zenodotum inducere Aristarchios disserentes de Paeeone et multis docere Apollinem et Paeeona eundem esse“ non quadrare videntur in „Variam historiam“, in qua narratiunculas et commentatiunculas minoris ambitus tradi exspectas. Proxime ad veritatem ii accessisse mihi videntur, qui profecti ab iis, quae Maius legisse sibi visus est, *Παιανίην* vel simile quid in initio loci corrupti exstitisse sibi persuaserunt. Quodsi supra lectionem Paeeona recte in textum recepimus, assentiendum est Wachsmuthio, qui vocem *Παιηονίην* restituit.[1]) Qua in coniectura pensitanda illud certe concedendum est litteras „. . . riam“ prorsus neglegi. Osannus autem, qui librum *Παιανίην* inscriptum esse sibi persuasit, cum conicere ausus sit, partem eum fuisse uberioris illius *πρὸς τὰ ὑπ᾽ Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* collatis schol. A ad Il. *α* 473 hariolatus est; nam hoc argumento usum esse Zenodotum Mallotam ad defendendos versus, quos Aristarchus notaverat, probari nequit.[2]) Ceterum scholion ad Il. *ο* 262 petitum esse ex hoc libro, de quo agimus, multum habet probabilitatis, attamen commentarios Homericos, quos ab Zenodoto Mallota confectos esse improbabile non est[3]), fontem esse posse non nego. Illud dubium esse non potest, quin liber ad colloquii normam fuerit redactus, quem in modum scripta grammatica conformata esse satis scimus.[4])

Nunc agendum est de athetesi, quam Eust. p. 1006, 3 a Zenodoto Mallota propositam esse docet, cum in scholiis AT ad Il. *ο* 64 eadem fere exhibentibus Zenodoti tantum nomen tradatur cognomine non addito. Quae cum ita sint, Eustathio fidem esse habendam colligas ex iis, quae supra diximus. Tamen nostro loco Eustathium perperam Zenodoti Mallotae nomen apposuisse censeo cum Duentzero[5]) et Schradero[6]). Cum enim

---

1) Cf. Osann l. l. I p. 19.
2) Moritz Schmidt, Zeitschrift f. d. Alterthumswiss. XIII p. 253.
3) Cf. p. 155.
4) Cf. Lehrs, Herod. scripta tria em., p. 419.
5) De Zenodoto e. q. s., p. 24. 169.
6) l. c. p. 438.

verba οὐδὲ ὅλως ἔγραψεν in eum cadant, qui editionem adornaverit, et de Ephesio saepius sint dicta, certe Zenodotus Ephesius est intellegendus. At quaeris, quomodo Mallotae cognomen addi potuerit. Quodsi reputaveris Eustathium iudicium Zenodoti falso referre ad vs. 65—77, in scholiis AT omnia bene se habere, multum habet veri similitudinis eum, cum in fontibus Zenodotum Ephesium et Mallotam allatum habuerit[1]), utrumque confudisse. Atque etsi quae hoc loco Zenodotus Mallota docuerit nos fugit — nam elucet sententiam Ephesii ab Eustathio perhiberi —, iure suspicamur versus 65—77, quorum Eustathius mentionem facit recedens a scholiis AT, in censum vocatos esse. Quod quonam in libro factum sit certo diiudicari nequit; attamen nihil obstare videtur, quominus de commentariis Homericis cogitemus.

Restat ex Zenodoti Mallotae reliquiis ad Homeri carmina explicanda et emendanda pertinentibus iam nihil nisi schol. A ad Il ψ 79, quod utrum tribuendum sit libro, in quo egit de Paeeone, an illi, quem composuit de versibus ab Aristarcho damnatis, an commentariis Homericis, unde scholion ad Il. ο 262 fluere potuisse non negaveris, in medio relinquo.

Abrogandum esse Zenodoto Mallotae puto librum, quem Schmidtius[2]) ei obtrudit scholio usus Pseudo-Serv. Comm. ad Verg. Aen. I 28: „Sane hic Ganymedes Latine Catamitus dicitur, licet Theodotius, qui Iliacas res perscripsit, hunc fuisse Belin Chaldaeum dicat et Laomedonti praedixisse, tunc perituram et civitatem et regnum Troianum, cum de monte Metios sponte fuisset saxum elapsum: quod cum evenisset, postea Ilium esse dirutam.“ Censet autem Schmidtius propter Chaldaeorum commemorationem de grammatico Pergameno esse cogitandum eumque esse Zenodotum Mallotam, cum Theodotii nomen, quod temporibus antiquioribus non occurrat, non conveniat ei, qui „res Iliacas“ composuerit. Etsi concedo recte offendisse Schmidtium in ea re, quod Theodotio „res Iliacas“ tribui vix posse contendit, coniecturam eius am-

[1]) Schraderus Ephesium quidem inter ὀβελίζοντας, Mallotam inter λύοντας commemoratum fuisse censuit, sed confer, quae de auctore solutionum Homericarum disseruimus.

[2]) Rhein. Mus. XX p. 456.

plecti dubito. Immo vero Iahnii[1]) sententiam, quae Schmidtium fugisse videtur, comprobare non dubito: censet autem Theodotii nomen in Theodori corrigendum esse. Tradidit enim Suidas s. v. *Παλαίφατος Ἀβυδηνός* Theodorum quendam Iliensem *Τρωικά*[2]) id est „res Iliacas" composuisse.

Transeamus nunc ad studia Aratea, quibus operam dedisse Zenodotum Mallotam scimus. Primum in quaestionem vocandum est scholion, quod p. 149 primo loco attulimus. Interpretatus autem est Zenodotus vocem *δίκτον* intellegens *τὸ καλούμενον δίκταμον* et censens hanc ob rem notionem *εὐῶδες* locum habere. Quo in Arat. vs. 33 offenderunt grammatici, quod pro *Δίκτῃ*, quo Iovis incunabula referebant[3]), apud Aratum *Δίκτον* exstat[4]), deinde quod mons *Δίκτη* vel *Δίκτον* re vera non vicinus sit Idae.[5]) Quae res cum Zenodotum non fugisse verisimile sit, praeterea *Δίκτον* montem *εὐώδη* appellari posse dubitavit; nam eam sententiam ex scholii verbis facile colligi concedes. Quodsi Aratei carminis locum miri aliquid habere bene intellexit Zenodotus, eius explicandi rationem falsam esse apparet. Nam certe causa non est, cur sub voce *Δίκτῳ* non montem, qui vulgo *Δίκτη* appellatur, intellegamus; primum enim in forma non est haerendum, cum similia saepius inveniantur[6]); neque quod a vero recedens Dictum prope Idam situm esse dixit, poëtae in carmine miraberis. Denique vocem *εὐῶδες* monti *Δίκτῳ* appositum bene explicuit scholiasta verbis his: *εὐώδη δὲ (φησὶν Ἄρατος) διὰ τὴν ἐκεῖ φυομένην βοτάνην τὴν κα-*

[1]) Philol. I p. 179.

[2]) *Θεόδωρος ὁ Ἰλιεὺς ἐν δευτέρῳ Τρωικῶν.*

[3]) Cf. Apoll. Rhod. I 509: *Ζεὺς ἔτι κοῦρος Δικταῖον ναίεσκεν ὑπὸ σπέος*, alia.

[4]) Cf. schol. ad h. l. *ἔδει δὲ εἰπεῖν Δίκτῃ*; Strabo X p. 472: *Δίκτη ὄρος ἐν τῇ Κρήτῃ*; Steph. Byz. s. v. *Δίκτη: ὄρος Κρήτης, Καλλίμαχος κτλ.*; Et. Magn. s. v. *Δίκτη: ὄρος τῆς Κρήτης, καὶ ἄκρα κειμένη κατὰ τὸ Λιβυκὸν πέλαγος. Καλεῖται δὲ καὶ οὐδετέρως. Ἄρατος „Δίκτῳ ἐν εὐώδει κτλ."*

[5]) Schol. ad h. l. *τοῖς δὲ ζητοῦσι πῶς τὸ Δίκτον τοῦ Ἰδαίου ὄρους πλησίον φησίν, ἐπὶ πλεῖστον ἀπέχον κτλ.*; Strabo X p. 478: *καὶ γὰρ ἡ Δίκτη . . . . οὐχ ὡς Ἄρατος „ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο" καὶ γὰρ χιλίους ἡ Δίκτη τῆς Ἴδης ἀπέχει.*

[6]) Enotavi e. gr. Cretensium urbium formas nominum duplices has: *Πολυῤῥήνιον* et *Πολυῤῥηνία*, *Βίεννος* et *Βίεννα*.

λούμενον δίκταμον. Sed ut largiamur significasse poëtam voce Δίκτῳ herbam, ne sic quidem sensus aptus efficitur; nam verba δίκτῳ ἐν εὐώδει ὄρεος σχεδὸν Ἰδαίοιο ἄντρῳ ἐγκατέθεντο sc. Κούρητες τὸν Δία κουρίζοντα huic explicationi Zenodoteae repugnant. Quae cum ita sint, Zenodotum errasse non negabis. Sequitur ut de libro, unde hoc scholion fluere potuerit, disseramus. Atque Schneiderus[1]) quidem de disputatione ad Paeeonem pertinente cogitavit adnotans Il. ε 900: τῷ δ' ἐπὶ Παιήων ὀδυνήφατα φάρμακα πάσσων κτλ.; censet enim propter δίκταμον herbam, qua sagittas ex vulneribus extrahi ferebant[2]), loci Aratei mentionem factam esse. Sed cum Zenodotus, ut p. 156 diximus, de Aratei versus offensionibus, non de herba δίκταμον egisse videatur, ego quidem de commentariis Arateis cogitaverim.[3])

Sunt autem loci, qui praeterea in Zenodoti Mallotae studiis tractandis omitti non debent, duo. Invenitur in scholiis latinis ad Germanici Caesaris Aratea vs. 1 „ab Iove principium magno deduxit Aratus", ubi a scholiastis quaeritur „cuius Iovis meminerit utrumne fabulosi an naturalis", locus hic[4]): „Zenodotus autem[5]) Aetolus et Diodorus aiunt nec fabuloso Iovi officere[6]) eiusmodi opinionem e. q. s." Quo in scholio Zenodoti Mallotae mentionem fieri arbitrati in diversas partes abierunt viri docti. Restituendum esse Mallotae cognomen pro voce corrupta Aetoli contenderunt Suringarius[7]) et Osannus[8]); Duentzerus[9]) post „autem" „Alexander Aetolus" legendum esse censuit, quippe cuius grammatici testimonium saepius laudetur in scholiis Arateis; Schmidtius denique „Zenodotum et Attalum" intellegendos

---

[1]) l. c. nr. 219.

[2]) Theophr. hist. plant. IX 16; Plin. hist. nat. VIII 27.

[3]) Idem censet Schrader l. l. p. 431 adn. 1.

[4]) Breysig, Germanici Caesaris Aratea cum scholiis, 1867, p. 57. 111.

[5]) Hanc voculam exhibet codicum altera pars, altera omittit.

[6]) Scholia Basileensia praebent „efficere", Strozziana et Sangermanensia „sufficere", sed bene Breysigius scripsisse videtur „officere" et nexu sententiarum, quantum fieri potest in verbis satis corruptis et Arati interpretis latini loco: „Zenodotus autem Aetolus et Diodorus aiunt neque fabulis contendere e. q. s." collatis.

[7]) De scholiis in Arat. p. 19.

[8]) l. c. p. 19.

[9]) Jahrbb. f. Phil. LXV p. 125.

esse iudicavit. Quarum emendationum nullam mihi placere dico, etsi facile incurris in eam sententiam, ut Zenodotum Mallotam, quem tractando Arati carmini operam navasse vidimus, nostro quoque loco afferri tibi persuadeas. Attamen nihil impedit, quominus cum Schradero[1]) Zenodotum Aetolum exstitisse censeamus; nam et cognomen Aetoli nihil habere offensionis concedes et Zenodotum Mallotam, Cratetis et stoicorum sententiam secutum Iovem naturalem intellexisse verisimilius est quam fabulosum.[2])

Falso, ut mihi videtur, Kiesslingius[3]) in iisdem scholiis Zenodoti nomen latere suspicatus est. Quo de loco[4]) ut iudicare possimus, verba scholiorum Basileensium ab altera parte, Strozzianorum et Sangermanensium ab altera parte afferre liceat:

Schol. Basil.	Schol. Strozz. Sangerm.
et philosophorum quidem plurimi naturalis aiunt eum Iovis mememinisse, Crates autem Iovem dictum caelum invocatum vero merito aërem et aetherem quod in his sint sidera. et Homerum Iovem dixisse in aliqua parte caelum *ὡς δ' ὅτε ταρφεῖαι νεφέλαι Διὸς ἐκποτέονται* et ipsum Aratum *αὐτὰρ ὁ Ἵππος ἐν Διὸς εἴλεῖται,* cum dicit Herodotus Iovem dictum esse aëra et Cratē eiusdem esse	et philosophi quidem plurimi naturalis aiunt eum Iovis meminisse, Socrates[5]) autem Iovem dictum caelum invocatum vero merito aërem et aetherem quod in his sint sidera et Homerum Iovem dixisse in aliqua parte caelum *ὡς δ' ὅτε ταρφεῖαι νεφέλαι Διὸς ἐκποτέονται* et ipse Aratus *αὐτὰρ ὁ Ἵππος ἐν Διὸς εἴλεῖται.* cum dicit Herodotus Iovem dictum aërem et Crates eiusdem

[1]) l. l. p. 428 adn. 3. Cf. Ger. Io. Vossii de hist. Graec. libri tres. Ed. Westerm. 1838, p. 510.

[2]) In indice scriptorum libri, qui additus fuisse videtur commentationi ad Aratum spectanti vel ad res astronomicas, quas dicimus, Zenodoti nomen omisso cognomine exstat. Cf. Maas, Vatic. Verzeichnis der Aratcommentatoren, Herm. XVI p. 358. Sed utrum Zenodotus Mallota an Aetolus intellegendus sit — nam tertium huius nominis grammaticum in censum venire probabile non est —, non diiudico.

[3]) Apud Breysigium, praef. p. XXXIII.

[4]) p. 55, 10 sqq.; p. 109, 20 sqq.

[5]) „Socrates“ pro „Crates“ scriptum esse videtur propter antecedens „philosophorum“; cf. Wachsmuth, De Cratete Mallota, p. 62, qui recte grammaticum Cratetem hoc loco commemorari dixit.

oppinionis et testem quem esse Philemonem comicum dicit. ὃν οὐδὲ	opinionis est testemque esse Philemonem comicum dicit ὃν οὐδὲ

εἷς λέληθεν οὐδὲ ἓν ποιῶν
οὔτε κακὸν οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἐσθλόν, οὗτός εἰμ᾽ ἐγὼ
Ἀήρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

Scribendum autem esse censuit Kiesslingius: „cum dicit Zenodotus Iovem esse aëra et Cratem eiusdem esse oppinionis [et] testemque esse Philemonem comicum qui dicit.“ Quam coniecturam male se habere nunc sum demonstraturus. Sententia enuntiati inde a verbis „et Homerum“ incipientis ea est, ut opponantur inter se ii, qui Iovem caelum et ii, qui aëra et aetherem dixerint, quod particula „cum“ diserte indicatur. Quod si recte exposuimus, enuntiatum antecedens ita interpretandum esse videtur: docuit Crates Iovem caelum quidem nominatum, sed iusto iure invocatum aërem et aetherem. Ea est igitur rerum condicio, ut quae docuerit Crates antea breviter explicentur, deinde testimoniis confirmentur. Quorum testium in numero cum Herodoti nomen traditum sit, quaeritur num locus ex eius opere petitus huc referri possit. Cum autem legatur I 131: *οἱ δὲ (Πέρσαι) νομίζουσι Διὶ θυσίας ἔρδειν, τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες,* dubitari nequit, quin Herodoti nomen minime errori debeatur. Ceterum verba scholii, quae integra esse vix quisquam contendet, eam ob rem difficiliora sunt intellectu, quod scholiasta, cum antea quae leguntur ex Cratetis mente tradiderit, inde a voce „cum“ in orationem directam quam dicunt transiit. Accedit quod librarii vel grammatici veteres verba male intellecta coniecturis male depravaverunt. Pristinam scholii formam hanc fere fuisse puto: „et philosophorum quidem plurimi naturalis aiunt eum Iovis meminisse, Crates autem Iovem dictum caelum, invocatum vero merito aërem et aetherem, quod in his sint sidera. et Homerum Iovem dixisse in aliqua parte caelum *ὡς δ᾽ ὅτε* . . . et ipsum Aratum *αὐτὰρ* . . ., cum dicit Herodotus Iovem dictum aërem et Crates eiusdem opinionis est testemque esse Philemonem comicum dicit: *ὃν οὐδὲ εἷς κτλ.*“ Sed haec hactenus.

Reliquum est, ut de indole atque natura artis criticae Zenodoti Mallotae, quantum ex paucis reliquiis colligere licet, aga

mus. Vidimus vestigia studiorum Homericorum et Arateorum adhuc exstare atque statuimus eum auctorem fuisse librorum *πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα* et *Παιηονίας* necnon commentariorum Arateorum, cum de commentariis Homericis dubitari possit. Cratetis cum fuerit sectator studiosissimus, non sine ira et studio artem grammaticam exercuit ita, ut Cratetis doctrinam defenderet, Aristarchi impugnaret. Ea autem ratione usus esse videtur, ut non in vocabulis et verbis ipsis tractandis, sed in poëtarum sententiis pervestigandis, in rebus explicandis illustrandis summam operam poneret. Quodsi bene se habere eius argumentationes plerumque est denegandum, tamen si exceperis eius sententiam de Homeri patria prolatam, non inepte eum ratiocinatum esse affirmaverim. Quam ipsam ob rem iure miramur, quod Homerum fuisse Chaldaeum docuit.[1])

De aetate Zenodoti Mallotae nihil constat certi; Wolfius[2]) quidem, qui Mallotam et Alexandrinum eundem esse iudicavit, „supparem Aristarcho" eum fuisse dixit, quod Muetzellio[2]) prorsus commenticium videtur. At in re incerta certum iudicium fieri nequit. Atque ego quidem censeo aut Cratetis ipsius, cuius doctrinae erat deditissimus, discipulum eum fuisse aut non multo post Cratetis et Aristarchi tempora degisse aetatem.

[1]) Cf. Muetzell l. l. p. 281.
[2]) Prolegg. p. 199.
[3]) l. c.

Pars quarta.

Quarta in parte disputationis recensere liceat reliquias sub Zenodoti nomine traditas, quas nondum attigimus neque Zenodoto Ephesio, de quo in parte quinta dicemus, adscribendas esse censemus.

Proximum est ut de libro, cui praescriptum fuisse titulum *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* sive *ἐπιτομαί* putamus, disseramus. Sunt autem loci, qui huc redeunt, hi:

Athen. p. 95 F, 96 A: *ὅτι δ' ὄντως Ἀφροδίτῃ ὗς θύεται μαρτυρεῖ Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι γράφων ὧδε „Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗν θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται ὑστήρια".*

Athen. p. 412 A. B: *εἰσάγεται δὲ ὁ Ἡρακλῆς καὶ Λεπρεῖ περὶ πολυφαγίας ἐρίζων ἐκείνου προκαλεσαμένου, καὶ νενίκηκεν. Ζηνόδοτος δ' ἐν δευτέρῳ ἐπιτομῶν Καύκωνός φησι τοῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀστυδαμείας τῆς Φόρβαντος γενέσθαι τὸν Λεπρέα, ὃν τὸν Ἡρακλέα κελεῦσαι δεθῆναι, ὅτε Αὐγέαν τὸν μισθὸν ἀπῄτει. Ἡρακλῆς δ' ἐκτελέσας τοὺς ἄθλους ἔρχεται ἐπὶ Καύκωνας καὶ δεηθείσης Ἀστυδαμείας διαλύεται πρὸς τὸν Λεπρέα. καὶ μετὰ ταῦτα ὁ Λεπρεὺς Ἡρακλεῖ ἐρίζει δίσκῳ καὶ ὕδατος ἀντλήσει καὶ ὅστις ἀναλώσει θᾶττον ταῦρον καὶ λείπεται πάντα. εἶτα θωρηχθεὶς προκαλεῖται Ἡρακλέα καὶ θνήσκει ἐν τῇ μάχῃ.*

Schol. ad Eur. Rhes. 28: *διττὰς δὲ τὰς Εὐρώπας ἀναγράφουσιν ἔνιοι· μίαν μὲν Ὠκεανίδα, ἀφ' ἧς καὶ τὸ ἓν μέρος τῆς οἰκουμένης κληθῆναι, καθάπερ Ἀπίων ἐν τοῖς περὶ ἐπωνύμων καὶ Ἀριστοτέλης ἐν πρώτῳ τῆς Θεογονίας, ἑτέραν δὲ Φοίνικος, ἔνιοι δὲ Ἀγήνορος, ὡς καὶ Εὐριπίδης καὶ ἄλλοι*

ἱστοροῦσιν, ἧς τοὺς περὶ τὸν Μίνω γενέσθαι φασίν. ἔνιοι δέ εἰσιν, οἳ καὶ παρὰ τὴν αὐτὴν ὠνομάσθαι τὴν ἤπειρον, καθάπερ καὶ Καλλίμαχος, Ζηνόδοτος δὲ ἐξ αὐτοῦ.

Phot. lex. p. 424 Naber: *μίνθα· τὸ παρ' ἐνίοις ἡδύοσμον, εἰς ὃ μεταβάλλειν φασὶ τὴν Ἅιδου παλλακήν· ἀφ' ἧς καὶ τὸ περὶ τὴν Ἦλιν ὄρος· Ζηνόδοτος δὲ τὴν Ἴυγγα ὑπ' ἐνίων Μίνθαν λέγεσθαι, θυγατέρα μὲν οὖσαν Πειθοῦς, Ναΐδα δὲ νύμφην.*

Schol. T ad Il. γ 236: *Ζηνόδοτος δὲ διοικητὰς ὑπολελεῖφθαι τῆς Ἑλλάδος φησὶν τοὺς Διοσκούρους.* — Cf. Eust. p. 410, 15: *Ζηνόδοτος δὲ διοικητὰς ἐν Λακεδαίμονί φησι καταλελεῖφθαι αὐτούς* (sc. *τοὺς Διοσκούρους*).

Schol. T ad Il. ω 487: *Ζηνόδοτος πρεσβύτερον Πηλέα φησίν, εἴ γε συστρατεύσας Πηλεῖ Ἡρακλῆς ἀπέδοτο Ἡσιόνῃ μικρὸν ὄντα τὸν Πρίαμον.*

Falso libro, de quo agimus, attribui a viris doctis haec persuasum habeo: Strabo XII p. 543: *ζητοῦσι δὲ τίνας λέγει τοὺς Ἐνετοὺς ὁ ποιητὴς ὅταν φῇ „Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ ἐξ Ἐνετῶν ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων"* (Il. β 851)· *οὐ γὰρ δείκνυσθαί φασι νῦν Ἐνετοὺς ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ . . . . Ζηνόδοτος δὲ „ἐξ Ἐνετῆς" γράφει, καί φησι δηλοῦσθαι τὴν νῦν Ἀμισόν.*[1])

Tzetzes Exeg. in Hom. Il. ad α 10 (Draconis Stratonicensis liber de metris poët. Ed. G. Hermann, 1812, p. 73): *λαοὶ κατὰ μὲν τοὺς περὶ Ἀρίσταρχον καὶ Ζηνόδοτον ἀπὸ τοῦ λᾶς ὁ λίθος ἠτυμολόγηται. ἱστορίαν γάρ τινα μυθώδη ἐπάγουσιν, ὅτι Δευκαλίων καὶ Πύῤῥα τῇ λάρνακι περισωθέντες ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ, Διὸς κελεύσει ὑπὲρ κεφαλὴν αὐτῶν ἀνακουφίζοντες λάας, ὅ ἐστιν λίθους, ἐῤῥίπτουν· καὶ οὓς μὲν ὁ Δευκαλίων ἐπέῤῥιψεν ἄνδρες ἐγένοντο, οὓς δὲ ἡ Πύῤῥα γυναῖκες. διὰ δὴ τοῦτό φασι κεκλῆσθαι λαούς. ἐμοὶ δὲ οὕτως ἔπεισιν ἐτυμολογεῖν κτλ.*[2])

Tatian or. ad Graec. c. 31, 16 (Texte und Untersuchungen zur Gesch. der altchristlichen Literatur von Oscar v. Gebhardt und Adolf Harnack. IV. Band, Heft 1. Tat. or. ad Graecos;

---

[1]) Pluygers l. c. p. 12.

[2]) Pluygers p. 12.

rec. Eduardus Schwartz). Cf. Euseb. praep. ev. X c. 10, p. 570 Dind.[1])

Schol. HEQ ad Od. δ 366: ὁ δὲ Ζηνόδοτος γράφει Εὐρυνόμη (pro Εἰδοθέη).[2])

Schol. T ad Il. π 175: Ζηνόδοτος δὲ Κλεοδώρην φησὶν (Pelei filiam), Ἡσιόδου καὶ τῶν ἄλλων Πολυδώρην αὐτὴν καλούντων.[3])

Cardo autem rei in eo vertitur, quod iis locis, quos falso huc referri dixi, Zenodoti Ephesii memoria repetitur, cum nos quidem alium grammaticum eiusdem nominis commentarios historicos composuisse putemus.[4]) Nam ut non dicamus de scholiis ad Od. δ 366 et ad Il. π 175[5]), ubi recensionis textus mentio fit, apud Strab. XII p. 543 quae praeter verba Ζηνόδοτος δὲ ἐξ Ἐνετῆς γράφει[6]) exstant καί φησι δηλοῦσθαι τὴν νῦν Ἀμισόν, iure Pluygersio suspicionem moverunt, num recte se habeant. Si enim confers, quae exhibet Strabo XII p. 553: αὐτὸς δὲ ὁ Ἀπολλόδωρος παρατίθησι τὸ τοῦ Ζηνοδότου ὅτι γράφει „ἐξ Ἐνετῆς ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων". ταύτην δέ φησιν Ἑκαταῖον τὸν Μιλήσιον δέχεσθαι τὴν Ἀμισόν, verisimillimum esse videtur scriptorem neglegentia quadam Zenodoto Ephesio lectionis ἐξ Ἐνετῆς testi explicationem ab Hecataeo profectam adscripsisse. Denique apud Tatianum et Tzetzem Zenodotum Ephesium intellegendum esse nomina Aristarchi aliorum iuxta posita clare demonstrant.

Sed haec hactenus. Transeo nunc ad ea, quae de titulo,

---

[1]) Locum infra adscripsimus. Cf. Pluygers p. 12, qui coniecit „in eosdem libros sc. ἱστορικὰ ὑπομνήματα a Zenodoto quae de genere Homeri deque tempore quo vixerit ab aliis tradita invenisset relata fuisse."

[2]) Cf. Ribbeck, Philol. IX p. 73 adn. 13.

[3]) Cf. Duentzer l. c. p. 28; Ribbeck l. c.

[4]) Cf. quae infra dicemus.

[5]) Cf. Roemer l. l. p. 720. In vocula φησί, quae paulo neglegentius pro γράφει posita est, non offendes; Zenodotum Ephesium intellegendum esse concedes collatis scholiis ad Od. δ 366, Il. ϑ 312, Il. π 223, ubi perhibetur eum scripsisse pro Εἰδοθέη Εὐρυνόμη, Ἐρασιπτόλεμον pro Ἀρχεπτόλεμον, Φηγωναῖε pro Δωδωναῖε. Cf. Friedlaender, Jahrbb. f. Phil. LXXI p. 544.

[6]) Cf. schol. A ad Il. β 852.

argumento, auctore libri statui posse confido. Iam iure quaeritur, quam ob rem ea, quae Athenaeus de Leprei et Herculis certamine et de suillis sacrificiis Veneri offerri solitis tradiderit, ad unum Zenodoti opus revocaverimus. Nam altero loco Zenodoti *ἱστορικὰ ὑπομνήματα*, altero *ἐπιτομαί* nominantur, ut de duobus diversis libris cogitandum esse videatur; praesertim cum, si argumenta respicimus, discrimen inter utrumque esse negari non possit, hic enim agitur de more antiquorum i. e. de rebus historicis quas dicimus, illic et ceteris locis, quos huic libro attribuimus, de rebus mythicis. Quae cum ita sint, Hefflerus[1]) et Duentzerus[2]) *ἐπιτομάς*, quas *μυθικάς* fuisse cum Wolfio[3]) arbitrati sunt, et *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* distinguenda esse contenderunt.[4]) Contra Schneiderus[5]) *ἐπιτομάς* et *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* eundem librum intellegendum esse proposuit, quam sententiam cur amplectar nunc sum comprobaturus. Profertur a scholiasta ad Eur. Rhes. v. 28 Callimachi testimonium additurque Zenodotum *ἐξ αὐτοῦ* i. e. usum Callimachi opere quodam idem tradidisse. Quodsi porro reputaveris Athenaeum p. 412 A.B mentionem facere libri Zenodotei, cui praescriptus fuit titulus *ἐπιτομαί*, et narrationem quam exhibet item ac scholion illud in eundem librum quadrare, consentaneum est Zenodotum epitomas confecisse, quae certe ad Callimachum attinebant. Ceterum utrum Callimachum solum an alios quoque auctores excerpserit, nunc non curo. Iam inspiciamus locum ap. Athen. p. 412 A. B, ubi Callimachi et Zenodoti nomina coniuncta redeunt, quod miro alicui casui adscribere ridiculum est. Leguntur autem verba *μαρτυρεῖ Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι γράφων ὧδε*, quae cum viri docti diverse interpretati

---

1) l. c. p. 9.

2) l. l. p. 28.

3) l. c. p. 215 adn. 84.

4) Refert Duentzer p. 28 in *ἐπιτομάς* Athen. p. 412 A. B, schol. Eur. ad Rhes. 28, schol. ad Il. *π* 175, *ω* 487; in *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* Athen. p. 95 F, 96 A; de adnotatione ap. Phot. s. v. *μίνθα*, quam Osann l. c. p. 7 ad *ἐθνικὰς λέξεις* falso, ut infra apparebit, spectare dixerat, dubitanter iudicavit Jahrbb. f. Phil. LXV p. 122.

5) l. c. nr. 219; Callimachea II p. 353; Pluygers l. c. p. 12; Dilthey, Analecta Callimachea, p. 10.

sint, accuratius tractanda videntur. Alii[1]) enim censuerunt dubitasse Athenaeum Callimacho an Zenodoto attribuenda sint ὑπομνήματα ἱστορικά, cum Schneiderus[2]) dixerit Athenaeum testes afferre Callimachum „aut Zenodotum", qui illius librum compilaverit. Neque dubium esse mihi videtur, quin Schneideri ratio interpretandi improbanda sit. Nam qui mente non praeoccupata Athenaei locum inspexerit, facere non poterit, quin statuat Athenaeum de libri auctore titubasse, cum Schneideri explicatio sit artificiosissima. Accedit quod similes loci alii exstant, ubi nemo negavit Athenaeum, cum in citando libro duo vel plures scriptores interposita particula ἤ afferat, nescivisse, quisnam sit intellegendus libri auctor.[3]) Est autem facile ad intellegendum, quomodo factum sit, ut nostro loco dubitatio nasceretur. Nam cum excerpta e Callimachi libris in Zenodoti libro legerentur, mirum non est, quod dubitabat Athenaeus aut is quem exscripsit, utrum ἱστορικὰ ὑπομνήματα, quae Zenodotus composuerat, Callimacho an Zenodoto attribuenda essent. Accedit quod Callimachus conscripserat librum, qui insignitus erat titulo ὑπομνήματα.[4]) At quaeris, quem in modum diversitas titulorum, si ἱστορικὰ ὑπομνήματα et ἐπιτομαί idem significant opus, sit explicanda. Qua in re Schneiderus[5]) ita est versatus, ut Zenodotum Callimachi ὑπομνήματα in brevem summam redegisse contenderet, quae cum proprie ἐπιτομαὶ τῶν ἱστορικῶν ὑπομνημάτων Callimachi fuerit, et ἐπιτομαί et ἱστορικὰ ὑπομνήματα nominari potuerit. Quod mihi non probatur. Et primum quidem id offendit, quod liber ille Callimacheus nomen hypomnematon in fronte gerit neque exstat vestigium tituli ἱστορικῶν ὑπομνημάτων. Iam coniecit Schneiderus Callimachi ὑπομνήματα, quae res fabulares et historicas com-

---

[1]) Cf. Schweighäuser, Animadv. in Athen. IX p. 218; Heffter p. 9; Pluygers p. 12; Koepke, De hypomnematis Graecis, Progr. des Friedr.-Werder. Gymn. 1842, p. 12; Hecker, Comm. Callim. p. 16; Barthold, De scholiorum in Eur. vet. fontibus. Diss. Bonn. 1864, p. 6; Sengebusch l. c. I p. 24; Duentzer p. 28.

[2]) Idem censet Dilthey p. 10.

[3]) Cf. Athen. p. 173 E, p. 654 D, p. 347 E, p. 628 E, p. 586 E, p. 587 C, p. 75 D, p. 140 A, p. 108 C, p. 118 E.

[4]) Cf. Schneider, Call. II p. 356.

[5]) Assentitur Ribbeck, Philol. IX p. 73 adn. 13.

plexa esse ex fragmentis concluditur, duas in partes fuisse divisa, alteram *ἱστορικά* exhibentem, alteram *μυθικά*, atque inde factum esse, ut exstiterint *ἐπιτομαὶ ἱστορικῶν ὑπομνημάτων* et *ἐπιτομαὶ μυθικῶν ὑπομνημάτων*. Sed hoc parum credibile videtur; nam iis locis quattuor, ubi Callimachi liber citatur nominatim, merus hypomnematon titulus legitur. Neque Schneidero affirmanti Zenodotum nihil nisi Callimachi hypomnemata excerpsisse assentior. Nam ex Athenaei verbis id tantum colligitur Zenodotum *ἱστορικῶν ὑπομνημάτων* auctorem habendum esse; quo concesso Schneideri argumentum neque Athenaeum neque quemquam veterum novisse Zenodoti *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* ad vanum redigitur. Praeterea Callimachum solum exscriptum fuisse mihi probabile non est, etsi ex iis, quae de verbis *Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος* disputavimus, colligitur Zenodotum Callimachi potissimum scrinia compilasse. Quod enim dicit Schneiderus pugnans pro Callimacho magnopere optandum esse, ut aliquis alius praeter Callimachum nominetur, qui eodem modo cum Zenodoto contenderetur, nihil demonstrari apparet.[1]) Contra Schneideri sententia ea re improbatur, quod duobus locis, ut infra videbimus, Zenodotus alia atque Callimachus tradidit. Quae cum ita sint, cum aliorum tum maxime Callimachi libros excerptos esse a Zenodoto arbitror.

Sed redeo, unde deflexi. Statuimus titulis *ἐπιτομαί* et *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* eundem librum subesse. Conscripserunt autem veteres *ὑπομνήματα* eo consilio, ut, quae memoria iis digna viderentur, colligerent et componerent, quo in negotio ordinem rerum et temporum saepe neglegebant.[2]) Quapropter in *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* relatas fuisse res ad historiam pertinentes, quas quis ex aliis audiverit vel in libris legerit, statuendum est. Talem librum item bene *ἐπιτομάς* nominari potuisse iam facile concedes neque exemplo caremus, quod hanc sententiam commendat; nam citat Photius bibl. cod. 161 p. 103 Bekk. Pamphilae libros nomine *ἐπιτομῶν*, cum iidem in cod. 175

---

[1]) Cf. Dilthey l. c. p. 10; Rauch, Die Fragmente der Aetia des Callim., Progr. Rastatt 1860, p. 29. — Multa ex Callimachi libris excerpsisse Zenodotum opinatur Sengebusch I p. 24; cf. Barthold l. l. p. 6.

[2]) Cf. Koepke l. l. p. 9.

p. 119 *συμμικτὰ ἱστορικὰ ὑπομνήματα*, ap. Suid. s. v. *Παμφίλη ἱστορικὰ ὑπομνήματα* appellentur.[1]) Restat ut diiudicemus, quo iure offenderit Schneiderus in libri titulo *ἱστορικὰ ὑπομνήματα* negans in huius generis opere expositos fuisse mythos. Quae res hunc in modum explicatur. Etsi concedendum est Schneidero opponi inter se posse notiones *ἱστορικός* et *μυθικός* ita, ut distinguantur res historicae et mythicae[2]), tamen referri voces *ἱστορία* et *ἱστορικός* omnino ad narrationes rebus historicis et mythicis non distinctis constat.[3]) *Ὑπομνήματα ἱστορικά* et *ἐπιτομάς* distinguenda non esse hac argumentatione effecisse nobis videmur. Quodsi quaeris, uter libri titulus prior sit, certi nihil affirmaverim.

Iam priusquam res in commentariorum sive epitomarum reliquiis traditas pertractemus, de operis forma quae cognita habemus addere liceat. Suspicatus est Diltheyus[4]), qui in explicandis verbis *Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος* secutus est Schneiderum, „singulis articulis auctorum mentionem propositam fuisse", sed hanc coniecturam stare non posse eam ipsam ob rem, quod dubitatio de libri auctoris orta est, elucet. De epitomarum ambitu id constat duos certe libros, nisi plures fuerunt, circumlatos esse, cum quae de Herculis et Leprei certaminibus tradita sunt, *ἐν δευτέρῳ ἐπιτομῶν* inveniri dicat Athenaeus.

Mentionem fecisse in epitomis Zenodotum usum Callimachi testimonio Europae dicit scholiasta in adnotatione ad Eur. Rhes. vs. 28.[5]) Dissenserunt autem veteres, terra Europa undenam nomen duxerit. Nam alii ex Europa, Cadmi sorore, quam adamavit Iupiter, nomen repetendum esse, alii Oceani filiam[6]) in censum venire docuerunt. Atque Zenodotus quidem ab illorum

---

[1]) Cf. Pluygers l. c. p. 12.

[2]) Cf. Strabo I p. 6: *μυθώδη τινὰ προσπέπλεκται τοῖς λεγομένοις ἱστορικῶς*, alia.

[3]) Cf. e. gr. quae ex Duridis *ἱστορίαις* servata sunt ap. Athen. 560 B, 606 C, ex Thalli *ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι* [Müller, Fragm. hist. Gr. III p. 547]. — Praeterea cf. p. 162, ubi in Tzetzae loco commemoratur *ἱστορία τις μυθώδης*.

[4]) p. 10.

[5]) Cf. Barthold p. 6; Wilamowitz, De Rhesi scholiis disputatiuncula. Ind. lect. Gryphiswald. 1877/78, p. 10; Bernhardy, Grundriss d. griech. Litt. II, 2. p. 727.

[6]) Cf. Hesiod. Theog. 357.

stetit parte. Quodsi quaeris, qui scriptores eandem atque Zenodotus narrationem exhibuerint, affero praeter Callimachum, quem exscripsit, Herodotum[1]), qui dubitanter sententiam protulit, Moschum[2]), Lycophronem[3]). Post Zenodoti aetatem[4]) hanc nominis originem tradiderunt Varro[5]), Festus[6]), Horatius[7]), Ovidius[8]), Stephanus Byzantius[9]). Ad Oceanitidem rettulerunt nomen Apion et Aristoteles.[10]) Exstitisse in Callimachi operibus Europae nomen traditur in schol. T ad Il. π 235: *οἱ περὶ Ζηνόδοτον*[11]) *πολυπίδακος διὰ τὸ Καλλιμάχου „κρηνέων τ' Εὐρώπῃ μισγομένων ἑκατόν"*; sed *τ' Ἑλλοπίῃ*[12]) scribendum esse Schneiderus verissime coniecisse mihi videtur. Mentionem Europae fieri potuisse in libro Callimachi *περὶ τῶν ἐν Εὐρώπῃ ποταμῶν* aeque atque in Aetiis[13]) adnotasse satis habeo.

Transeamus nunc ad ea, quae traduntur in schol. T ad Il. ω 487. Enarravit autem Zenodotus in epitomis Peleum natu maiorem fuisse quam Priamum. Hoc iudicium etsi sane aliquid miri habere non negabis, tamen quomodo natum sit apparet. Causa enim, cur Zenodotus diceret Peleum grandiorem natu fuisse quam Priamum, ea fuit, quod Hercules una cum Peleo in expeditionem profectus Hesionae Priamum admodum puerum ven-

---

[1]) IV, 45: *ἡ δὲ Εὐρώπη οὔτε εἰ περίῤῥυτός ἐστι γινώσκεται πρὸς οὐδαμῶν ἀνθρώπων, οὔτε ὁκόθεν τὸ οὔνομα ἔλαβε τοῦτο, οὔτε ὅστις οἱ ἦν ὁ θέμενος φαίνεται, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς Τυρίης φήσομεν Εὐρώπης λαβεῖν τὸ οὔνομα τὴν χώραν.*

[2]) Id. II 8.

[3]) Apud Et. M. s. v. *Εὐρώπη*.

[4]) Cf. pagg. 148. 160.

[5]) De ling. lat. V c. 31.

[6]) s. v. Europa.

[7]) Carm. III 27, 75.

[8]) Fasti V 618.

[9]) s. v. *Εὐρώπη*.

[10]) Cf. schol. ad Eur. Rhes. 28.

[11]) Nempe Ephesium, nam agitur de recensione Homerica.

[12]) Callim. II p. 641. Praeterea cf. Bernhardy, Grundriss d. griech. Litt. II, 2. p. 727. — Scholion T ad Il. ω 487 mendo foedatum esse videtur, nam Zenodotum Ephesium in textu Homerico constituendo carminis Callimachei testimonio usum esse probabile non est. Cf. Duentzer p. 117.

[13]) Cf. Rauch l. c. p. 29.

diderit. Quae spectant ad fabulam aliunde satis notam. Laomedonti infensus cum Hercules Troiam delevisset, Priamus ab Hesiona sorore redemptus ad regnum pervenisse fertur.[1]) Cui bello Peleum interfuisse neque Homerus[2]) neque alius[3]) praeter Zenodotum memoriae tradidit. Pronum est suspicari inter Herculis comites commemorari Peleum confusa eius memoria cum Telamonis fratris. Quodsi puerum fuisse cum illius belli aetate narravit, ea de re non consensisse[4]) videntur scriptores, nam Diodorum quidem aliter censuisse apparet.

De Dioscuris egisse Zenodotum in commentariis docet scholion T ad Il. *γ* 236; nam Castorem et Pollucem Graeciae procuratores esse relictos, cum bellum Troianum, quod dicimus, esset susceptum, perhibuisse fertur. Quam narrationem satis singularem quisnam primus protulerit, etsi scire haud iniucundum est, dici nequit.

Iam succedat Photii adnotatio, ex qua colligitur in epitomis Iyngis[5]) memoriam repetitam esse. Docuit Zenodotus nympham Iyngem, Suadelae deae filiam, a quibusdam scriptoribus dici Mintham. Et Mintham quidem, quod Pluto eam amore persecutus sit, Proserpinae aut Cereris ira commutatam esse in herbam, quae inde nomen ceperit, vulgo ferunt[6]), cum Iyngem Suadelae aut Echus filiam artibus magicis usam, ut Iovem Ius aut sui desiderio inflammaret, Iunonis odium sibi conflasse tradatur, quae eam saxum aut avem reddiderit.[7]) Quae cum ita

---

1) Il. *ε* 641 sqq.; Apollodor. 2, 6, 4, 1; schol. A ad Il. *υ* 146; Eur. Troad. 802 sq.; Xen. Cyrop. IV c. 9; Diod. IV c. 32. 49; Strabo XIII p. 596; Hygin. LXXXIX p. 86 Schmidt; Pseudo-Serv. ad Verg. Aen. III 3.

2) Cf. Hom. l. c. ἓξ οἴῃς σὺν νηυσὶ καὶ ἀνδράσι παυροτέροισιν.

3) Apollod. l. c. *συναθροίσας στρατὸν ἀνδρῶν ἀρίστων ἑκουσίως ἐθελόντων στρατεύεσθαι.* — Eur. l. c. 810 *ὁ δ' Ἑλλάδος ἄγαγε πρῶτον ἄνθος.*

4) Cf. Hygin. l. c.: „Podarci (i. e. Priamo) filio eius (i. e. Laomedontis) infanti regnum dedit“ et Diod. l. l.: *Πριάμῳ τὴν βασιλείαν ἀπέδωκε τῶν Ἰλιέων διὰ τὴν δικαιοσύνην. οὗτος γὰρ μόνος τῶν υἱῶν τοῦ Λαομέδοντος ἐναντιούμενος τῷ πατρί κτλ.*

5) Cf. Otto Jahn, Peitho die Göttin der Ueberredung. Greifswald 1846. p. 15, p. 16 adn. 28.

6) Strabo VIII p. 344; Poll. VI, 68; schol. ad Nic. Alex. 378; Oppian. Hal. III 485 sqq.; Ovid. met. X 728; Et. M. 588, 5; Et. Gud. p. 390 Sturz.

7) Schol. ad Pind. Nem. IV 56; schol. ad Theocr. II 17; Phot. s. v. ἴυγξ.

sint, Mintham et Iyngem distinguendas esse etsi apparet, tamen quomodo Iynx dici potuerit Mintha, non est difficile ad intellegendum; nam intercedere similitudinem inter fabulam utramque negari non potest.

Quoniam de re ipsa disputavimus, de teste quem habuerit Zenodotus pauca addemus. Quodsi legitur in scholio ad Theocr. II 17 . . . . *τὴν ἴυγγα, ὥς φησι Καλλίμαχος, Ἠχοῦς θυγατέρα, φαρμακεύειν δὲ τὸν Δία, ὅπως ἂν αὐτῇ συμμιχθῇ· ὅθεν ὑπὸ Ἥρας εἰς ὀρνιθάριον αὐτὴν μεταβαλεῖν κτλ.*, Callimachi narrationem Zenodotum non exposuisse elucet; nam ille Iyngem Echus filiam, hic Suadelae nominavit. Quam ob rem opinionem, quam habet Schneiderus[1]) de Zenodotearum epitomarum fonte, male se habere censeo.[2]) Ceterum Mintham et Iyngem eandem esse intellegendam non solum Photii testimonio, sed etiam scholiis Aristophaneis comprobatur; dicit enim scholiasta (ad Plut. v. 313): *μινθώσομεν· μίνθον*[3]) *οἱ μὲν τὸν ἡδύοσμον, οἱ δὲ τὴν ἴυγγα, ὡς κεῖται ἐν τῇ κωμικῇ λέξει.* Quodsi constat inter viros doctos hoc scholion ex Didymi lexico comico fluxisse[4]), unde certe quaedam in Photii librùm pervenerunt[5]), verisimile esse videtur utrumque locum repetitum esse ex eodem opere. Quo concesso commentarios Zenodoti, de quibus agimus, ante Didymi aetatem compositos fuisse, iure colligitur.

Sequitur ut paulo accuratius inspiciamus fabellam de Hercule et Lepreo perhibitam, quae teste Athenaeo in libro altero epitomarum Zenodoti exstabat.[6]) Lepreum, quem Leprei urbis conditorem ferunt, cum Hercule certasse etiam alibi[7]) comme-

---

[1]) Callim. II p. 293.

[2]) Cf. p. 173.

[3]) Cf. Steph. Thes. ling. Graec. V p. 1075. Variant libri in formis *μίνθα* et *μίνθον*.

[4]) Cf. Schmidt, Didymi fr. p. 72.

[5]) Cf. Naber, Phot. s. v. *μίνθα*, adn.

[6]) Narrationis tenorem apud Athen. turbatum esse dixit Schneider, Callim. II p. 357, qui post *ἀπῄτει* verba *ἐκτελέσας τοὺς ἄθλους* inserenda et pergendum esse *Ἡρακλῆς δ'* censuit; sed mihi quidem mutatione opus esse non videtur.

[7]) Cf. Pausan. V c. 5, 4; Aelian. var. hist. I c. 24; schol. ad Callim. I 39; cf. Reinecke, De schol. Callim., Diss. Hal. 1887, p. 10. — Athen.

moratur, neque tamen de rebus singulis consentiunt auctores, quam ob rem perquirere nobis liceat, quantum recedant ceteri a narratione Zenodoti. Ac Pausanias quidem, qui Lepreum Pyrgei filium nominat, certamen voracitatis solum affert, in quo Lepreum Herculi parem fuisse dicit, cum in scholio Callimacheo Lepreum Neptuni filium *ἀδηφαγίας* certamine instituto victum ab Hercule necatum esse perhibeatur. Certamen *περὶ πολυποσίας*, quod omisit Zenodotus, a Matride, Caucalo, Aeliano additum esse videmus. Unde fluxerit fabula qualem tradidit Zenodotus nescimus; attamen fortasse argumentum comoediae nescio cuius ad fabulas de Hercule perhibitas pertinentis subesse improbabile non videtur.

Restat ut de Zenodoti vel Callimachi testimonio ap. Athen. p. 95 F, 96 A disputemus. Tradidit autem Zenodotus Argivos Veneri sues immolare. Quae narratio sane satis est memorabilis, ut valde dolendum esse, quod pauca tantum et exilia epitomarum Zenodotearum fragmenta servata sint, negari non possit. Etsi pleraeque Graecorum civitates in Veneris sacrificiis carne suilla abstinebant, quod de Atticis et Sicyoniis diserte est traditum[1]), tamen nonnusquam in Veneris honorem porcos mactatos esse testimoniis perpaucis comprobatur. Atque ut non dicamus de Cypriis, quos mactandis suibus Venerem coluisse Prellerus[2]) collato Antimachi loco praepropere coniecisse mihi videtur, apud Aspendios et Metropolitanos porco litandi morem

---

p. 412 B, qui Matridem Thebanum et Caucalum Chium, Theopompi fratrem, testes profert. — (Eust. p. 1523, 4 Athenaei epitomam exscripsit.)

[1]) Cf. Aristoph. Ach. 793: *ἀλλ᾽ οὐχὶ χοῖρος τ᾽ Ἀφροδίτῃ θύεται*; schol. ad h. l.: *πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων οὐ θύουσι χοίρους τῇ Ἀφροδίτῃ ὡς βδελυττομένῃ διὰ τὸν Ἄδωνιν.* Paus. II c. 10, 4, qui agens de Sicyoniorum instituto dicit: *τῶν δὲ ἱερείων τοὺς μηροὺς θύουσι πλὴν συῶν.* Cf. Athen. p. 95 F, qui ex Antimachi comici fabula affert verba: *ἔπειτα κἀκροκώλιον ὕειον Ἀφροδίτῃ; γελοῖον.* B *ἀγνοεῖς· ἐν τῇ Κύπρῳ δ᾽ οὕτω φιληδεῖ ταῖς ὑσίν, (ὦ) δέσποθ᾽, ὥςτε σκατοφαγεῖν ἀπεῖρξε τὸ ζῷον, τοὺς δὲ βοῦς ἠνάγκασεν.* Cf. Kock, Com. Attic. fragm. I p. 61; Meineke, Fragm. com. Graec. III p. 66; K. F. Hermann, Lehrbuch der gottesdienstl. Alterthümer d. Griechen, p. 117, § 26, 3; Preller, Griech. Mythol., 4. Auflage von C. Robert, 1887, I p. 347 adn. 2. p. 381.

[2]) Cf. Preller, Griech. Mythol. 3. Aufl. I p. 290.

exstitisse testantur scriptores.[1]) Quodsi addis Aspendum urbem ab Argivis conditam esse[2]) et extra Metropolitarum et Aspendiorum fines alibi quoque Veneri sues immolatos esse Strabone teste[3]), verisimillimum esse videtur Zenodoti narrationem veram esse.[4]) At quaeris, unde huius rei notitiam acceperit Zenodotus. Iterum Callimachus ad partes vocandus est, quem morem porcos sacrificandi in Veneris honorem attigisse in Iambis docet Strabo IX p. 437 sq.: *Καλλίμαχος μὲν οὖν φησιν ἐν τοῖς ἰάμβοις τὰς Ἀφροδίτας (ἡ θεὸς γὰρ οὐ μία) τὴν Καστνιῆτιν ὑπερβάλλεσθαι πάσας τῷ φρονεῖν, ὅτι μόνη παραδέχεται τὴν τῶν ὑῶν θυσίαν.* Recessit igitur Zenodotus a Callimachi sententia, cum Argivos sacris suillis colere Venerem dixerit. Audio iam monentes, quam lubrica sint et imbecilla argumenta, quae supra in Athen. p. 95 F, 96 A verbis *μαρτυρεῖ Καλλίμαχος ἢ Ζηνόδοτος* explicandis proposuerimus. Contendimus enim ab Athenaeo memoriam sociatam Callimachi et Zenodoti perhiberi, quod alter alterius scrinia compilaverit. Quae cum ita sint, Schneiderus[5]), qui Zenodotum solis Callimachi hypomnematis usum esse sibi persuasit, statuit „Callimachum postea meliora edoctum esse et *ὑπομνήματα* post *ἰάμβους* esse scripta", ut, quae de Argivis tradita sint, nihilominus e Callimachi libro in Zenodoti epitomas transire potuerint. Nobis paulo aliter visum est. Nam etsi Schneideri coniecturam perverse esse excogitatam minime arbitror, tamen res faciliorem habet explicatum. Nihil enim obstat, quominus abeamus in sententiam hanc. Narravit

---

[1]) Strabo IX p. 438: *ταύτῃ* (sc. *Μητροπόλει*) *δὲ μίαν τῶν συνοικισθεισῶν εἰς αὐτὴν πόλεων παράδοῦναι τὸ ἔθος Ὀνθύριον.* Cf. Meineke, Vindic. Strabon. p. 156. — Dion. Perieg. v. 852 apud Mueller, Geogr. Graeci min. II p. 156: *κεῖθι δ' ἂν ἀθρήσειας ὑπειράλιον πτολίεθρον Ἄσπενδον, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Εὐρυμέδοντος· ἔνθα συοκτονίῃσι Διωναίην ἱλάονται.* Schol. ad h. l. p. 454: *παραδόξως ἐν Ἀσπένδῳ συοκτονίαις τιμῶσι τὴν Ἀφροδίτην.* Cf. Eust. Comm. ad h. l. p. 366.

[2]) Cf. Eust. l. c. *Ἀργείων δὲ κτίσμα ἡ Ἄσπενδος.*

[3]) Cf. l. c. *οἱ δ' ὕστερον ἤλεγξαν οὐ μίαν κτλ.*

[4]) Pro *Ἀργεῖοι* fortassis *Ἀρναῖοι* scribendum esse apud Athen. dixit Mueller l. l. propter Steph. Byz. s. v. *Ὀνθύριον: πόλις Θεσσαλικὴ περὶ τὴν Ἄρνην*; quam coniecturam cur probemus nullam video causam, si modo recte hucusque disseruimus.

[5]) Callim. II p. 240.

Zenodotus in epitomis Callimachi iamborum locum, quem tradidit Strabo, exscribens re vera porcos sacrificari Veneri, et ipse neglecto Callimachi testimonio addidit Argivorum morem, quem aliunde notum habebat. Ceterum Zenodotum non tam iudicii fuisse expertem, ut solam eius sententiam, quem maxime secutus est, proponeret, vel ea re demonstrari videtur, quod disserens de Iynge exhibuit eam Mintham vocari ὑπ᾽ ἐνίων. Quae verba ex fonte, quo usus est illo loco Zenodotus, profecta esse minus est probabile.

Vidimus igitur Zenodotum Callimachi et aliorum libris adhibitis epitomas sive commentarios historicos edidisse, in quibus res fabulares et historicae expositae erant. At nondum totum curriculum emensi sumus; nam reliquum est, ut de auctore operis disputemus. Habemus autem ad hanc quaestionem solvendam subsidia tam exilia, ut iudicium certum proferre non liceat. Zenodotum Ephesium[1]) epitomarum auctorem esse intellegendum verisimile videri possit eam ob rem, quod in fragmentis nudum Zenodoti nomen exstat. Nam id quidem certissimum est in Zenodoti Ephesii reliquiis cognomen plerumque esse omissum, quippe qui praeter alios eiusdem nominis homines gloria et notitia floruerit. Attamen ad Zenodotum Ephesium opus non redit, quod Wolfius[2]) primus bene docuit; nam cum Zenodotus[3]) aliquanto superior fuerit Callimacho, excerpta ex Callimachi libris componere et publici iuris facere non potuit. Sed quidni de Zenodoto Alexandrino aut Mallota cogitemus? At defenderit quispiam eam sententiam neque Mallotam neque Alexandrinum in censum venire; sed novum quendam fortasse occurrere. Quorum opinionem refutari posse causis certis etsi negandum est, tamen a veri specie abhorrere arbitror, praesertim cum epitomae confectae esse videantur eodem fere tempore, quo Zenodotum Alexandrinum et Mallotam aetatem degisse cen-

---

[1]) Hunc in modum iudicaverunt Heffter l. l. p. 9; Koepke l. c. p. 12; Hecker p. 116. Rem incertam esse dixit Pluygers p. 12.

[2]) Prolegg. p. 215; Graefenhan l. l. I p. 142; Duentzer, De Zenod. p. 28; Schneider, Allg. Jen. Litt. Zeit. 1848 nr. 218; Keil, Rhein. Mus. VI p. 253 (= Ritschl, Opp. I p. 235); Schmidt, Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1855, p. 253; Dilthey l. c. p. 10; Sengebusch p. 24.

[3]) Cf. p. 123.

semus[1]) i. e. saeculo primo aut altero a. Chr. n. Didymum enim commentariis historicis usum esse supra probare studuimus, ut post Callimachum et ante Didymum vixisse eorum auctorem pro certo sit habendum. Iam concedes Zenodotum Alexandrinum aut Mallotam confecisse epitomas; sed uter eas conscripserit, hodie a nobis discerni nequit.[2]) Non ignoramus apud Suidam in Zenodoti Alexandrini vita legi *ἔγραψε . . . καὶ ἄλλα συχνά*; sed eius sunt naturae haec verba, ut inde iudicium proficisci non possit; huc accedit quod Hesychius Zenodoti Mallotae omnino mentionem non fecit. Neque ex illa re, quod Zenodotus Alexandrinus commoratus est Alexandriae, ut operum Callimachi, qui ibidem sedem habuit, notitia facillime ad eum pervenire potuerit, iure argumentum petitur; nam de domicilio Zenodoti Mallotae nihil est traditum. Quae cum ita sint, rem in medio relinquendam esse persuasum habemus.

In numero librorum, quorum de auctore iudicium certum fieri non posse censeo, cum nudum Zenodoti nomen traditum sit, commemoranda est praeter commentarios historicos sive epitomas commentatio, quae inscribitur *ἐθνικαὶ λέξεις*. Quo ex libro haec testimonia originem duxisse arbitror:

Galeni gloss. in Hippocr. s. v. *πέζαι*[3]): *ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν γυναικείων οὕτως γέγραπται. καὶ οἱ πόδες οἰδίσκονται, αἱ πέζαι μάλιστα. Ζηνόδοτος μὲν οὖν ἐν ταῖς ἐθνικαῖς λέξεσι πέζαν φησὶ τὸν πόδα καλεῖν Ἀρκάδας καὶ Δωριεῖς. Ὁ δὲ Ἱπποκράτης ἔοικεν ἢ τὸ πεδίον καλούμενον τοῦ ποδὸς οὕτως ὠνομακέναι ἢ τὰ σφυρά.*

Ibidem s. v. *πέλλα*: *πελία, ὑπόκιρρα. Τὰ δὲ αὐτὰ καὶ πελιρὰ ὀνομάζει. Ζηνόδοτος δὲ ἐν ταῖς ἐθνικαῖς λέξεσι Σικυωνίους φησὶ τὸ κιρρὸν πέλλον ὀνομάζειν.*

Athen. p. 327 B: *Ζηνόδοτος δέ φησι Κυρηναίους τὸν ὕκην*

---

[1]) Cf. pagg. 148. 160, ubi de tempore Zenodoti Mallotae et Alexandrini egimus.

[2]) Zenodotum Alexandrinum intellexit Duentzer p. 28, Mallotam Schneider l. c. nr. 218, Schmidt l. c. p. 253, sed frustra argumenta, cur alter alteram sententiam secutus sit, requisivimus.

[3]) Erotiani, Galeni, Herodoti glossae in Hippocratem. Ed. Fr. Franz. 1780.

ἐρυθρῖνον καλεῖν. Ἑρμιππος δὲ ὁ Σμυρναῖος ἐν τοῖς περὶ Ἱππώνακτος ὕκην ἀκούει τὴν ἰουλίδα.

Schol. ad Apoll. Rhod. Argon. II 1005: στυφελήν· τραχεῖαν καὶ σκληράν. οὕτως Κλειτόριοι λέγουσιν, ὥς φησι Ζηνόδοτος ἐν Γλώσσαις. Κυρηναῖοι δὲ τὴν χέρσον.

Iam primum ea de re est agendum, quod ad ἐθνικὰς λέξεις rettulimus locum ex scholiis ad Apoll. Rhod. Arg. II 1005 petitum; nam hic diserte titulus γλῶσσαι perhibetur. Si enim reputas a Zenodoto, quem Ephesium esse habendum infra statuemus, profectam esse collectionem γλωσσῶν, recte ii[1]) egisse videntur, qui interpretationem vocis στυφελήν glossario illi attribuerunt. At scholion, quod modo citavimus, optime quadrat in librum ἐθνικαὶ λέξεις. Quod cum minime fugisset Schneiderum[2]), titulis ἐθνικαὶ λέξεις et γλῶσσαι eundem librum designari contendit. Sed haec sententia quin falsa sit, dubium esse non potest; afferuntur enim in fragmentis, quae ex ἐθνικαῖς λέξεσι fluxisse traditum est, explicationes verborum, quibus apud gentes quasdam notio peculiaris convenisse fertur; in fragmento, quod ex γλώσσαις[3]) — scholion ad Apoll. Rhod. II 1005 nunc mitto — prodiit, et in iis, quae argumento respecto ei sunt similia, vocabulorum raro occurrentium et ad intellegendum difficiliorum interpretationes. Iam vides reliquiarum argumentum bene respondere titulo libri. Nam exspectamus in γλωσσῶν libro explicari vocabula intellectu difficilia, quae ab usu vulgari aliena sunt, in ἐθνικαῖς λέξεσι voces et phrases sive usitatae sive rariores, quae apud alias gentes aliam habent significationem. At huic ratiocinationi repugnat schol. ad Apoll. Rhod. II 1005; perhibetur enim interpretationem vocis στυφελήν, quae spectat ad diversarum gentium usum dicendi, locum tenuisse in glossis. Sed respiciendum est notionem γλῶσσα non semper accurate adhibitam esse apud veteres; immo vero paulo neglegentius γλῶσσαν vocabant explicationem verbi, quod interpretatione indigere videbatur, sive obsoleti sive peregrini. Quae cum ita sint, propter argumentum scholion illud ἐθνικαῖς λέ-

[1]) Muetzell p. 281; Graefenhan I p. 430; Pluygers p. 7; Duentzer p. 29.

[2]) l. c. nr. 219.

[3]) Cf. schol. ad Od. γ 444, de quo infra disseremus.

ξεσι adscribere non dubito, etsi γλωσσῶν mentio fit; neque titulos ἐθνικαὶ λέξεις et γλῶσσαι ad eundem librum redire concedo.[1]) Aliter hanc quaestionem solvere conatus est Schmidtius[2]), qui censuit Zenodoti librum, cui praescriptus fuerit titulus γλῶσσαι, divisum fuisse in tres partes, primam exhibentem γλώσσας Ὁμηρικάς, alteram ἐθνικὰς λέξεις, tertiam ζώων φωνάς. Quam coniecturam male se habere apparet. Falso enim statuit ille vir doctus tres partes, quas sibi finxit, libri ad Zenodotum Mallotam referendas esse, cum γλῶσσαι, quas Ὁμηρικάς fuisse nego[3]), attribuendae sint Zenodoto Ephesio[4]), „voces animalium" Zenodoto Philetaero[5]), ἐθνικαὶ λέξεις Mallotae aut Alexandrino.[6]) Iure igitur contendimus exstitisse librum Zenodoteum diversum a „glossis" sub titulo ἐθνικαὶ λέξεις, in quo exposita erant verba quibusdam regionibus magis peculiaria,[7]) et inde, ut non dicamus de loco ap. Athen. p. 327 B, scholion ad Apoll. Rhod. II 1005 fluxisse.

Transeo nunc ad singula. Egit Zenodotus Galeno teste in libro, qui inscriptus erat ἐθνικαὶ λέξεις, de voce πέζα.[8]) Quodsi docuit Arcades et Dorienses hac vocula designare pedem, facile quispiam in eam sententiam incurrere possit, ut putet Zenodoto quidem teste pro πούς in usu fuisse apud Arcades et Dorienses verbum πέζα. Sed si totius loci, quem supra exposuimus, sententiam respicis, aliter iudices necesse est. Huc accedit quod Dorienses quidem voce πούς vel potius πώς et πόρ usos esse tradidit Hesychius.[9]) Immo vero Zenodotus Arcadum et Doriensium consuetudinem dicendi peculiarem notavit,

1) Cf. Sengebusch l. l. p. 23: „A glossario distinguendae sunt Zenodoti nescio cuius ἐθνικαὶ λέξεις, quae ap. Apoll. τῶν γλωσσῶν titulo designantur." — Rem incertam esse dixit Pluygers p. 10.

2) Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1855, p. 253. — Cf. Merkel, Apoll. Rhod. p. 147.

3) Cf. de hac re, quae infra dicemus.

4) In parte quinta de γλωσσῶν auctore disputabitur.

5) Cf. p. 183. 6) Cf. p. 180.

7) Quo concesso elucet Osannum I p. 6. 7 falso adscripsisse libro, de quo agimus, schol. ad Theocr. II 5; Phot. s. v. μίνθα [p. 169]; Athen. p. 478 E; schol. ad Od. γ 444.

8) Cf. Duentzer p. 29; Graefenhan I p. 430.

9) s. v. πώς; s. v. πόρ.

qui, cum vulgo Graeci verbo πέζα partem pedis sive malleolum sive plantam significare solerent, sub eo omnino pedem intellegerent. Neque dubium est, quin distinctae sint apud auctores notiones πέζα et πούς.[1]) Quodsi quaeris, quae fides sit habenda testimonio Zenodoti, causam non video, cur eum errasse putemus. Nam cum et πούς et πέζα[2]) ad eandem radicem πεδ redeant, eandem notionem in utraque voce inesse iure colligitur; atque vocabulo πέζα designari omnino pedem collatis verbis τράπεζα, ἀργυρόπεζα[3]), aliis apparet. Quae cum ita sint, significationem vocis πέζα diversam a πούς postea natam neque principalem esse concedes. Iam nihil obstat, quominus Zenodoti iudicium verum esse iudicemus.[4])

Perhibuit praeterea Zenodotus in ἐθνικαῖς λέξεσι[5]), Σικυωνίους τὸ κιρρὸν πέλλον ὀνομάζειν. Est autem κιρρόν appellatio coloris rufi, qui prope accedit ad pallidum[6]); πέλλον s. πελλόν s. πέλιον s. πελιόν s. πελόν s. πελιδνόν s. πελιτνόν significat colorem nigrum vergentem in pallidum, lividum — qualem speciem praebet plumbum[7]) — aut in viride[8]) aut

---

[1]) Affero Hippocratem [cf. Galen. glossam, qua de agimus], Pollucem II, 192: τὸ δὲ ὑπὸ τῇ κνήμῃ μέρος καλεῖται σφυρὸν· καὶ πέζα, ἀφ' ὧν ὀνόματα εὔσφυρος, καλλίσφυρος, εὔπεζος, ἀργυρόπεζος, „ἀργορόπεζα Θέτις". παρὰ δὲ τὴν πέζαν προὔχουσιν ἀστράγαλοι, εἰς οὓς αἱ περόναι καταλήγουσιν. Paus. V c. 11, 2: δύο δέ εἰσιν ἄλλαι (sc. Νῖκαι) πρὸς ἑκάστου πέζῃ ποδός.

[2]) Curtius, Griech. Etym. p. 220. 545; Meyer, Griech. Gramm. p. 8 adn. 3. p. 284; Schmidt, Zeitschrift f. vgl. Sprachf. XXV p. 15.

[3]) Cf. Suid. s. v. πέζα: . . . πέζα καὶ ὁ πούς· καὶ ἀργυρόπεζα ἡ λευκοὺς πόδας ἔχουσα; s. v. ἀργυρόπεζα. Schol. D ad Il. α 538; Herodiani qui feruntur Epimerism. p. 105 ap. Boisson; Eustath. p. 471, 44. Aliter censuit Poll. l. c.

[4]) Cf. Gelbke, De dialectu arcadica. Curt. Stud. II p. 29.

[5]) Duentzer p. 29; Graefenhan I p. 430.

[6]) Gell. II 26, 6: ξανθὸς autem et ἐρυθρός et πυρρός et κιρρός et φοῖνιξ habere quasdam distantias coloris rufi videntur, vel augentes eum vel remittentes vel mixta quadam specie temperantes. — Galen. de san. tuenda V. vol. VI p. 147 Kühn: Σκοπὸν ἔχων οἶνον κατὰ μὲν τὴν σύστασιν ἀεὶ τὸν λεπτότατον αἱρεῖσθαι, κατὰ δὲ τὴν χρόαν, ὃν ὁ Ἱπποκράτης εἴωθε κιρρὸν καλεῖν, δύναιο δ' ἂν ξανθὸν ὀνομάζειν αὐτόν. Idem, De victu in morbis acutis. vol. XV p. 640; Phot. s. v. κιρρόν; Hes. s. v. κιρρόν.

[7]) et [8]) Vide adnotationes [1]) et [2]) in pagina insequente.

in fuscum.[3]) Iam vides, quomodo fieri potuerit, ut Sicyonii, id quod dicit Zenodotus, colorem *κιρρόν* nominarent *πέλλον*. Accedit, quod colorum appellationes in universum apud veteres incertas fuisse negari non potest.[4]) Non igitur est, cur Zenodoti testimonio diffidamus.

Ad *ἐθνικὰς λέξεις* referre voluimus locum ex Athenaei deipnosophistis repetitum, quem supra tertio loco proposuimus. Dixit autem Zenodotus Cyrenenses piscem, quem in universum Graeci *ὕκην* nominabant, *ἐρυθρῖνον* appellasse. Quae res nihil habet miri. Nam cum omnibus temporibus de animalium, plantarum, similium appellationibus dissensisse saepe homines diversarum regionum satis est notum, tum piscibus quibusdam nomina varia a Graecis imposita fuisse ex Athenaei libro luculenter intellegitur.[5]) Sed redeo ad vocem, de qua agimus. Tria habemus apud Athenaeum testimonia, quae pertinent ad piscis

---

[1]) Hes. s. v. *πελιδνόν*: *μέλαν ὡς μόλυβδος*; s. v. *πελιαί*: *μέλαιναι*; s. v. *πελιοί*: *μέλανες ὡς ὠχροί*; Phot. s. v. *πελιδνόν*: *μέλαν· λέγεται καὶ πελιτνὸν παρὰ Θουκυδίδῃ* (II c. 49); Suid. s. v. *πελιδνόν*; Erotian. l. c. p. 306: *πέλον*: *ὑπόφαιον*; Suid. s. v. *πελιοί*; Hes. s. v. *πελλόν*; Et. M. s. v. *πέλαργος*; Pseudo-Herod. Epim. p. 106: *πελιδνόν*.

[2]) Hes. s. v. *πελιοί*: *μέλανες ὡς ὠχροί, ἢ χλωροί*.

[3]) Hes. s. v. *πελιδνόν· μέλαν ὡς μόλυβδος ἢ ὕφαιμον*; Galen. gloss. in Hipp. l. c. *πέλλα· πελία, ὑπόκιρρα*; Bekker, Anecd. Graec. I p. 293 s. v. *πελιτνόν*: *τί ἐστι τὸ πελιδνόν, ὅ τι μέλαν ἐστὶν ἢ τὰ πελιώματα λεγόμενα, ἴχνη τῶν πληγῶν*.

[4]) Cf. Günther, Gesch. der antiken Naturwiss. [Handb. d. klass. Alterthumswiss. vol. V] p. 59: „... Allein eine gewisse Farbenträgheit und Farbengleichgiltigkeit des antiken Auges hat unleugbar bestanden." — O. Weise, Die Farbenbezeichnungen bei den Griechen u. Römern. Phil. XLVI p. 593: „Die Zahl der Ausdrücke, die den ältesten Griechen und Römern zur Bezeichnung der Farben zu gebote standen, ist ziemlich gering und überdies ihr Gebrauch so schwankend, dass mit einem Worte oft eine ganze Menge von Schattierungen nicht nur einer und derselben, sondern sogar verschiedener verwandter Farben bezeichnet wurden, ein sicheres Zeichen, dass der Blick der einzelnen Individuen damals noch keineswegs so geschärft war u. s. w." — Aliter censet Veckenstedt, Gesch. der griech. Farbenlehre. 1888. praef. p. V.

[5]) Cf. p. 305 C: *Παγκράτης δ' ὁ Ἀρκὰς ἐν ἔργοις θαλαττίοις τὴν κίχλην πολλοῖς ὀνόμασί φησι καλεῖσθαι κτλ.* Cf. p. 288 B. C; p. 294 F; p. 306 D; p. 309 B; p. 322 E; p. 323 A. B; p. 309 C; p. 312 B; p. 313 D; p. 315 F; p. 319 D.

ὕκης nomen; atque Zenodotus quidem, quocum consentit Hesychius s. v. ὕκος[1]), a Cyrenensibus ὕκην appellatum esse ἐρυθρῖνον tradidit, Hermippus Smyrnaeus τὴν ἰουλίδα intellexit[2]), Clitarchus[3]) docuit a Cyrenensibus τὸν ἐρυθρῖνον dici ὕκην. Quodsi, quae Clitarchus et Zenodotus narraverint, coniungis, colligitur Cyrenenses nomine ὕκης notasse piscem, quem Graeci vulgo ἐρυθρῖνον ferebant, et nomine ἐρυθρῖνος, quem vulgo ὕκην appellabant. Cur Zenodoti testimonium falsum esse contendamus, ne hic quidem video causam.

Denique ad partes vocandum est scholion ad Apoll. Rhod. Arg. II 1005. Testatus autem est Zenodotus Clitorios sub verbis γῆ στυφελή intellegere γῆν τραχεῖαν καὶ σκληράν, Cyrenenses γῆν χερσόν. Sed quaeritur, quodnam discrimen intercedat inter Clitoriorum et Cyrenensium usum loquendi. Atque verba γῆ τραχεῖα καὶ σκληρά significant terram asperam et duram, cum τῷ τραχεῖ oppositum sit τὸ λεῖον, τῷ σκληρῷ τὸ μαλακόν[4]), verba γῆ χέρσος designant terram incultam[5]) aut siccam.[6]) Quae significationis differentia num re vera in voce στυφλός exstiterit, hodie diiudicari non iam potest; attamen testimonium Zenodoti argutiis grammaticorum deberi et commenticium esse minime contendo.

Quoniam de reliquiis disputavimus, quas ex collectione ἐθνικῶν λέξεων servatas esse statuimus, restat ut de libri indole et de auctore pauca addamus. Atque de consilio, quod auctor persecutus sit, supra diximus. De dispositione vocabu-

---

[1]) ὕκος· ἐρυθρῖνος. Nomina ὕκης et ὕκος ad eundem piscem redire manifestum est.

[2]) p. 327 B.

[3]) p. 300 E.

[4]) Aristot. Meteor. IV c. 4: ἀνάγκη γὰρ τὸ ἐκ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ ἢ σκληρὸν εἶναι ἢ μαλακόν. ἔστι δὲ σκληρὸν τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὐτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον κτλ.

[5]) Cf. Her. IV c. 123: ὅσον μὲν δὴ χρόνον οἱ Πέρσαι ᾔισαν διὰ τῆς Σκυθικῆς καὶ τῆς Σαυρομάτιδος χώρης, οἱ δὲ εἶχον οὐδὲν σίνεσθαι ἅτε τῆς χώρης ἐούσης χέρσου. Cf. Hesych. s. v. χέρσος.

[6]) Cf. Her. II c. 99: εἰ γὰρ ἐθελήσαι ῥήξας ὑπερβῆναι ὁ ποταμὸς ταύτῃ, κίνδυνος πάσῃ Μέμφι κατακλυσθῆναι ἐστί. ὡς δὲ τῷ Μῖνι τούτῳ τῷ πρώτῳ γενομένῳ βασιλέι χέρσον γεγονέναι τὸ ἀπεργμένον κτλ.

lorum, quae exposita erant, nihil certi affirmari potest, nam utrum litterarum ordinem respexerit an aliter versatus sit, quis est qui diiudicet? Neque unde auctor rerum notitiam hauserit, etsi iniucundum scire non est, praesertim cum testimonia bonae notae esse videantur, dici potest; quaeritur enim, utrum alios tantum auctores secutus sit an ipse quoque fontes, ut ita dicam, adierit. Atque de auctore ἐθνικῶν λέξεων haec statuo. Zenodoti Ephesii[1]) memoriam arcendam esse Duentzerus[2]) bene contendisse mihi videtur, cum „in Ephesii tempus talis liber minime cadat".[3]) Neque quidquam obstare puto, quominus Zenodotum quendam posterioris aetatis grammaticum auctorem habeamus; nam cum in fragmentis epitomarum sex, quae perlustravimus, Zenodoti cognomen, etsi de Ephesio non cogitantandum est, nusquam traditum sit, eandem rationem hoc loco intercedere posse non negabis. Ceterum utrum Zenodotus Alexandrinus[4]) an Mallota[5]) intellegendus sit — nam hos in censum venire praeter Ephesium luce est clarius —, diiudicare non audeo.

Deinceps agendum est de libro, in quo illustrabatur differentia vocum et sonorum, Zenodoto adscripto. Exstant quinque codices, in quibus commentatiunculis ad diversitatem vocum spectantibus, quales haud paucae aetatem tulerunt[6]), Zenodoti nomen praefixum est. Iam primum testimonia, quae in censum veniunt, proponere liceat.

Cod. Voss. IV° 76. saec. XII—XIII[7]): *Ζηνοδότου Φιλετέρος* (sic) ἐπ' ἀνθρώπων κεκραγέναι[8])· ἐπὶ κυνῶν ὑλακτεῖν· ἐπὶ

---

[1]) Sic censuit Graefenhan l. c. I p. 543.

[2]) p. 29.

[3]) Cf. Fritzsche, De poëtis Graecorum bucolicis. Diss. Giss. 1844. p. 36.

[4]) Duentzer p. 29.

[5]) Osann l. c. I p. 6.

[6]) Anecdota varia, Graeca et Latina. Edd. R. Schoell et G. Studemund. Vol. I, ed. Studemund. 1886, p. 101 adn. 2; p. 284.

[7]) Cf. Studemund l. c. p. 105. 289; Valckenaer, Ammonius de differentia adfinium vocabulorum. 1822.² p. 173. — Uhlig, Dionysius Thrax, praef. p. XXVII. — Reifferscheid, C. Suetonii reliqu. 1860. p. 253.

[8]) Quae primo aspectu corrupta esse quivis vidit, emendavimus.

προβάτων βληχᾶσθαι· ἐπὶ βοῶν μυκᾶσθαι· ἐπὶ ἵππων χρεμετίζειν· ἐπὶ ὄνων βρυμᾶσθαι[1]) · λέγουσι δὲ . . . ἀλλὰ σπάνιον· ἐπὶ λεόντων βρυχᾶσθαι· ἐπὶ ἄρκων καὶ παρδάλεων ὁμάζειν· ἐπὶ ἁμαξῶν τετριγέναι· ἐπὶ ὄφεων συρίττειν· ἐπὶ ἀετῶν καγκλάζειν· ἐπὶ ἀλεκτρυόνων ᾄδειν· ἐπὶ τεττίγων τερετίζειν, ἠχεῖν· ἐπὶ κοράκων κρώζειν· ἐπὶ χοίρων γρυλλίζειν καὶ γρύζειν· ἐπὶ περδίκων κακκαβάζειν· ἐπὶ γλαυκῶν κακκιβάζειν· ἐπὶ ὀρνίθων τῶν κατ' οἶκον ὠοτοκουσῶν κακλάζειν· ὠρυγὴ κυρίως ἡ τῶν κυνῶν φωνή, καὶ ὠρύεσθαι· „ὡς λύκος ὠρυοίμην“ παρὰ Καλλιμάχῳ, ὠρύεσθαι γὰρ ἐπὶ λύκων εἶπεν.

Cod. Palatinus 45 fol. 23r[2]): *Ζηνοδότου Φιλεταίρου διαφοραὶ φωνῶν καὶ ἤχων.*[3])

Cod. Dresdens. D a 41 fol. 1r. saec. XVI[4]): *ζηνοδότου φιλεταίρου.*

Cod. Dresdens. D a 40 fol. 5v. saec. XIV[5]): *ζηνοδότου φιλοταίρου, περὶ διαφόρων φονῶν ζώων.*

Cod. Escor. X—II—2 fol. 130. saec. XVI[6]): *Ζηνοδότου φιλεταίρου περὶ διαφορᾶς φωνῶν ζώων.*

Priusquam in auctoris nomen accuratius inquiramus, de titulorum diversitate, quantum spectat ad argumentum commentationis indicandum, pauca exponere opus est. Non solum in iis tractatibus, qui Zenodoti nomine sunt insigniti, sed etiam in iis, qui *ἀδέσποτοι* perhibentur, discrepantia haud exigua occurrit. Alii enim cum omnino titulo careant, alii varie inscribuntur; legitur *περὶ διαφόρων φωνῶν ζώων*[7]), *περὶ διαφορᾶς φω-*

---

[1]) Correcta est vox *βρυμᾶσθαι* in *βρωμᾶσθαι.*

[2]) Cf. Studemund p. 105; Creuzer, Meletemata e disciplina antiquitatis. 1817. I p. 10. 11. De aetate, qua scriptus esse videatur tractatus, nihil adnotavit Creuzerus.

[3]) Tractatus ipsos adscribere supersedimus, cum uno exemplo satis intellegatur, quae sit eorum natura.

[4]) Cf. Studemund p. 286; Franz Schnorr von Carolsfeld, Catal. codd. Dresdens. I p. 293.

[5]) Studemund p. 289; Carolsfeld l. c.

[6]) Cf. Miller, Catalogue des manuscripts Grecs de la biblioth. de l'Escurial, p. 387; Studemund p. 105; Reifferscheid l. c. p. 253; Iriarte, Regiae bibliothecae Matritensis codd. Graeci Mss. 1769. Vol. I p. 308.

[7]) Sic legendum est in cod. Dresd. D a 40 fol. 5v.

νῶν ζώων[1]), διαφοραὶ φωνῶν καὶ ἤχων[2]), ζώων φωναί[3]), ἀλόγων φωναί[4]), διαφορὰ φωνῆς[5]), τῶν ζώων ἰδιώματα[6]), σημείωσαι τὰς τῶν ζώων φωνάς[7]), αἱ φωναὶ τῶν ζώων[8]), ζώων τετραπόδων καὶ πετεινῶν φωναί[9]), ἰδιώματα φωνῶν τῶν ζώων[10]), ... λέξεις φωνῶν[11]), ζώων ἀλόγων φωναί[12]), ὀρνέων φωναί[13]). Qua de re quid sit statuendum, non difficile est intellectu. Dubitari non potest, quin hi tractatus cognationis vinculo coniuncti sint et inter se et cum iis, quae apud Pollucem[14]) et Aelianum[15]) scripta leguntur, ut iure ponamus haec omnia excerpta esse ex uno fonte[16]); ubi praeter animalium voces soni ignis[17]), ventorum[18]), rudentum[19]), curruum[20]), aquarum[21]) commemorati erant. Indidem fluxisse quaedam, quae in lexicis veteribus[22]) reperiuntur, adnotasse satis habeo. Iam ap-

1) Escor. X—II—2 fol. 130,

2) Cod. Pal. 45 fol. 234r.

3) Cod. Vat. 12 fol. 186v; in margine scriptum est φωναὶ ζώων.

4) Cod. Paris. suppl. graec. 192 fol. 52r et v; Cod. Vat. 14 fol. 152v; Ambros. 222 ord. inf. fol. 217r.

5) Cf. tractatum ab Aldo Manutio Ven. 1495 editum ex cod. Ambros. [apud Fabricium, Bibl. Graec. lib. II 11, 4, p. 724]; cod. Barocc. 125 fol. 144r; Ambros. H 22 ord. sup. fol. 82r.

6) Laur. plut. 57 cod. 34 fol. 285v.

7) Cod. Pal. 132 fol. 180; Creuzer l. c. I p. 10—13.

8) Cf. Moschopuli opusc. gram. Ed. Titze p. 58.

9) Cod. Neapol. II F 32 fol. 48.

10) Cod. Barocc. 50 fol. 209r et v.

11) Cod. Laur. 57, 48 fol. 68r.

12) Cod. Par. suppl. Graec. 64 fol. 78r et v.

13) Cod. Escor. 83 fol. 67v.

14) V, 86.

15) Hist. an. V 51. (Cf. etiam Varro sat. Men. fr. 3 Büch.)

16) Cf. Studemund l. c. p. 102.

17) Cf. cod. Escor. 83 fol. 197v: πυρὸς δὲ βρόμος.

18) Cod. Vat. 12 fol. 186v; Par. 1773 fol. 232r et v: ἀνέμων πάταγος.

19) Cod. Escor. 83 fol. 197v: κάλων συριγμός.

20) Cod. Voss. IV° 76; Vat. 12 fol. 186v; Paris. 1773 fol. 232r et v.

21) Cod. Vat. 12 fol. 186v; Paris. 1773 fol. 232r et v: σάλων συριγμός; Paris. Suppl. graec. 192 fol. 52r et v: γελαρύζει ἐπὶ κρουνοῦ ὕδατος.

22) Cf. e. gr. Hes. s. v. ὠρυγή; Zon. s. v. ὠρύω; Ammon. l. c. p. 138: φωνεῖν καὶ ὠρύεσθαι; Lexicon Vindob., ed. Nauck, pagg. 11. 34. 35. 36. 114. 122. 171. 178. 191. 197.

paret, unde nata sit titulorum, quantum ad argumentum tractatuum spectant, diversitas. Nemo enim negabit eos ab excerptoribus vel librariis ex argumento ipso esse confictos. Quae coniectura vel ea re commendatur, quod interdum duorum codicum, qui ad verbum eadem exhibent, alter titulum habet, cum in altero omittatur [1]), et quod, quae scripta videmus, titulo repugnant. [2])

Transeamus nunc ad huius doctrinae auctorem, qui quinque locis, ut diximus, commemoratur. Iam quaeritur, quid sibi velit vocabulum, quod iuxta Zenodoti nomen scriptum exstat, *Φιλέταιρος*; hunc enim in modum scripturas *φιλόταιρος, φιλαίτερος, φίλετερος* emendandas esse quivis videt. Et Piersonus [3]) quidem collatis libello personati Herodiani [4]), qui inscribitur *Ἡρωδιανοῦ φιλέταιρος*, et commentatione Zenodoti ab Valckenaerio ex cod. Voss. IV⁰ 76 sub titulo *Ζηνοδότου φιλέτερος* edita, quam ex numero horum tractatuum solam habuit cognitam, et adnotatione Montefalconii [5]), qui paulo neglegentius libellum in cod. Escor. [6]) exstantem sub titulo „Zenodoti Philetaerius (sic) de vocibus animalium" adfert, censuit opuscula et Zenodoti et Pseudo-Herodiani forsan esse appellata quasi dicas „itineris comes, Vademecum". [7]) Neque negaverim hanc explicationem propter argumentum recte cadere mihi videri in librum, qui falso Herodiani nomen in fronte gerit [8]); sed a me impetrare non possum, ut idem statuam de commentatione Zenodotea. Nam primum libelli argumentum ab hac sententia abhorret. Grammaticarum quidem rerum studiosis [9]) talia scire intererat; sed

---

[1]) Cf. Vat. 12 fol. 186v et Paris. 1773 fol. 232r et v.

[2]) Cf. Dresdens. Da 40 *περὶ διαφόρων φωνῶν ζώων*, legitur infra *ἐπὶ ἁμάξης τετριγέναι*. Cf. Iriarte l. c. p. 307. Falso de interpolationibus cogitavit Reifferscheid l. c. p. 450.

[3]) Moeridis Attic. lex. Att. 1831.² praef. p. XXXVI.

[4]) Cf. Lentz, Herod. praef. p. XV.

[5]) Bibl. Bibl. manuscript. I p. 624.

[6]) Cod. X—H—2 fol. 130.

[7]) Cf. de hac vocabuli *φιλέταιρος* significatione Meineke, Fragm. poët. com. ant. I p. 326; Kock, Com. att. fragm. I p. 104. 313.

[8]) Cf. Hiller, Quaest. Herod. p. 70.

[9]) Cf. Scriptores hist. Aug. Vita Spartiani, Antonini, Getae c. 6. p. 180 Peter: „Familiare illi (sc. Getae) fuit has quaestiones gramma-

minime eiusmodi est argumentum, ut liber illa appellatione significari potuerit. Deinde forma tituli traditi hanc interpretationem non admittit. Si enim tenemus quattuor locis perhiberi *Ζηνοδότου φιλεταίρου* sc. *βιβλίον* vel simile, dubium mihi non est, quin in codice Leidensi, quem auctoritate ceteris, etsi est antiquissimus, praestare nemo contendit, pro *Ζηνοδότου φίλετερος* restituendum sit *Ζηνοδότου φιλεταίρου,* praesertim cum librarii accuratio aut exemplaris, unde fluxit titulus [1]), fides haud magni aestimanda esse videatur. Quae cum ita sint, Zenodotum Philetaerum intellegendum esse puto [2]); nam in cognomine Philetaeri quod saepius occurrit apud veteres, cur offendamus non video. Iam si recte hucusque versati sumus in hac quaestione tractanda, facile mecum reicies coniecturas, quas protulerunt Valckenaerius et Schmidtius. Movit autem Valckenaerius [3]), etsi illud *φιλέτερος,* quod legisse sibi videbatur, in *φιλεταίρου* demutari posse concessit, suspicionem, fortasse in illa voce inesse Philetae nomen et adscribendum esse tractatum Zenodoto Ephesio, qui fuerit discipulus Philetae. Sed non solum causa non est, cur cognomen *Φιλέταιρος,* quod facillime restituitur, abiciamus, sed etiam mirum est, si Zenodotus ille clarissimus, qui Ephesius appellari solet, hoc loco cognomine „*Φιλητᾶ* discipulus" notetur. Schmidtius [4]) pro *Ζηνοδότου Φιλέτερος* scribendum esse fortasse *Ζηνοδότου πρὸς Φιλέταιρον* dixit coniciens Zenodotum Mallotam Pergami versantem Attali primi regis filio Philetaero librum, cuius excerpta exigua aetatem tulerint, dedicasse. Sed ut non dicamus de temporum ratione, quae intercedit inter Philetaerum illum et Zenodotum Mallotam, argumentum libelli parum hercle hanc opinionem commendat. Accedit quod haec quoque mutatio neque facilis neque necessaria esse videtur.

Iusto igitur iure Zenodoti Philetaeri nomen servatur. Quodsi

---

ticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant sqq."

[1]) Exaravit titulum manus ab ea, quae ipsas voces animalium scripsit, diversa.

[2]) Idem censuerunt Iriarte l. c. p. 307; Creuzer l. c. p. 10; Sturz, Opusc. acad. p. 135.

[3]) l. c. p. 246.

[4]) Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1855, p. 253.

in memoriam revocas ea, quae apud Pollucem et Aelianum leguntur de differentia vocum, cognationis vinculo coniuncta esse cum argumento tractatuum, ut ad eundem fontem omnia redeant necesse sit, credere par est Zenodotum Philetaerum aut collectionem vocum confecisse, quam Pollux et Aelianus compilaverint, aut librum nescio cuius aeque ac Pollucem et Aelianum exscripsisse, unde factum sit, ut tractatuum auctor perhibeatur.[1])

Ceterum in genuina Zenodoti verborum forma restituenda, in libri dispositione indaganda, in explicationum auctoritate, quantum fieri potest, ponderanda operam collocare noluimus, cum haec materia uberior sit quam ut non fines nostrae disputationis excedat. Zenodoti autem Philetaeri librorum reliquiae praeter commentationem, de qua diximus, servatae non sunt, quam ob rem nihil obstat, quominus eius doctrinam accurate tractare omittamus. Satis habeo statuisse Zenodotum Philetaerum librum, qui spectavit ad voces diversas illustrandas, aut conscripsisse aut compilasse, ut memoria Zenodoti Ephesii[2]) aut Alexandrini aut Mallotae[3]) arcenda sit.

Reliquum est, ut de fragmentis quattuordecim, quae Zenodoti nomine notata sunt in Etymologici editione Gaisfordiana[4]),

---

[1]) Zenodoti auctoris nomen ab homine aliquo Byzantino fingi potuisse non nego: sed causa cur hoc statuamus non exstat. Praeterea hoc reputandum est: cum illi quinque tractatus, qui Zenodoti nomine sunt insigniti, minime praeter ceteros artioribus necessitudinis vinculis sint coniuncti, in iis excerptis, unde tractatus qui aetatem tulerunt omnes fluxerunt, i. e. in archetypo satis antiquo, Zenodoti nomen scriptum fuisse est arbitrandum.

[2]) Sic statuit Wolf l. c. p. 215 adn. 84; praeterea de Ephesio cogitaverunt Studemund l. c. p. 102; Christ l. c. p. 446 adn. 2, qui ex glossis Zenodoteis reliquias originem duxisse contendit, sed erravit uterque. Nam ut non dicamus de ea re, quod uterque illud *Φιλεταίρου* plane neglexit, fugisse videtur hos viros doctos afferri in tractatibus, qui leguntur in codd. Voss. IV° 76, Pal. 45, Taurin. B VII 20 fol. 80ʳ, Callimachi testimonium. Neque tamen verisimile est Zenodotum Ephesium, qui aliquanto superior fuit Callimacho, ad consuetudinem dicendi illustrandam hunc testem proposuisse. Praeterea cf. Duentzer, Jahrbb. f. Phil. LXV p. 125.

[3]) Meier, Quaest. Andoc. VI, 2 p. X; Osann l. c. I p. 15.

[4]) pagg. 94, 24. 134, 52. 225, 7. 253, 9. 271, 23. 431, 11. 467, 1. 507,

pauca dicamus. Quorum testimoniorum quattuor ad Zenodotum Ephesium pertinere satis apparet; nam quae traduntur ex scholiis Homericis praeterea cognita habemus, ut dubium esse non possit, quin inde in Etymologicum fluxerint. Consentit enim locus, qui exstat p. 271, 23 s. v. δι' ἀσπιδέος, cum schol. A ad Il. λ 754; praeterea cf. p. 507, 14 et schol. A ad Il. γ 273; p. 821, 39 et schol. AB ad Il. β 1; p. 701, 51 et schol. A ad Il. σ 576. Aliter est iudicandum de locis ceteris. Quam rem primus Duentzerus[1]) recte tractavit, cuius sententiam cum Lentzius[2]) non improbaverit, Georgius Schoemann[3]) confirmavit argumentis diligenter perpensitatis, ut accuratius hac de re denuo agere opus non sit. Attamen hanc quaestionem pro consilio nostrae disputationis prorsus omittere non licet. Ac primum quidem, si naturam illorum decem fragmentorum inspexeris, de Zenodoto Ephesio minime cogitabis[4]); immo vero grammaticum temporis multo posterioris intellegendum esse concedes. Quod cum propter illius doctrinae indolem verisimile sit, argumento satis gravi demonstratur. Nam Herodiano iuniorem eum fuisse ex ea re colligitur, quod huius testimonium pagg. 134, 56. 238, 30. 538, 51. 646, 19 respicitur. Sed non solum Zenodoti Ephesii memoria est arcenda, sed omnino Zenodoti nomen errori debetur.[5]) Nam cum adnotamenta, quae in Et. M. Zenobii nomen gerunt, simillima sint doctrina comparata iis, quae Zenodoti nomen plerumque ex compendio restitutum referunt et haec nomina adhibita scriptura compendiosa facillime confundi possint et confusa sint[6]), recte suspicatus est Duentzerus hunc Zenodotum, quem ferunt, non diversum esse a Zenobio, cuius nomen

---

14 (cf. Et. Gudianum p. 318 Sturz). 520, 37. 538, 58. 686, 19. 701, 51. 785, 46. 821, 39.

[1]) De Zen. p. 15. Cf. Schneider l. c. nr. 218.

[2]) De Herodiani cum Zenodoto necessitudine sqq. Philol. XXI p. 385. — Herod. Techn. rel. praef. p. CCV.

[3]) De Etymologici Magni fontibus. Progr. des städt. Gymn. zu Danzig. 1881. 1886.

[4]) Wolf p. 215 adn. 84; Muetzell p. 281; Duentzer p. 15.

[5]) Erraverunt igitur Spitzner l. c. I pagg. 110. 255. 381; Heyne l. c. IV p. 50; V p. 290; VII pagg. 168. 222; VIII p. 740.

[6]) Cf. Miller, Mélanges de la litt. Grecque, p. 7; Paroemiographi edd. Schneidewin et Leutsch, praef. p. XXIV.

plenis litteris scriptum locis pluribus quam Zenodoti legitur. Quodsi addideris facilius Zenodoti nomen grammatici clarissimi restitutum esse ex compendio quam Zenobii haud eadem notitia florentis, hanc coniecturam Duentzeri probare non dubitabis.

Ceterum his locis Et. M. addendos esse locos ap. Zon. lex. p. 168 Tittm. s. v. ἔδραμον[1]; p. 622 s. v. ἔθανον, quos neque Duentzerus neque Schoemannus tetigit, quivis videt.

[1]) Redit haec adn. in Et. M. p. 316, 45.

Pars quinta.

Quoniam viam praemunivimus illustratis reliquiis Zenodoteis, quas a Zenodoto Ephesio abiudicandas esse statuimus, restat ut in quinta disputationis parte Zenodoti Ephesii operum fragmenta abiecta editione Homerica colligere, explicare, digerere aggrediamur.

Iam praevertamur ad librum, qui inscribitur *γλῶσσαι*. Ac primum quidem quaeritur, quo iure Zenodoto Ephesio hoc opus plerumque vindicaverint viri docti[1]), cum locis, quos huc revocamus, cognomen Zenodoti auctoris nusquam praefixum sit. Referenda esse in universum ad Zenodotum Ephesium fragmenta, quae cognomine non addito perhibentur, supra diximus, quam ob rem causa non est, cur in glossis recensendis hanc rationem mittamus, praesertim cum ab aetate eius talis liber minime abhorreat; scripsit enim, ut exemplum afferam, Philetas[2]) praeceptor Zenodoti Ephesii *γλώσσας* s. *γλώσσας ἀτάκτους*. Accedit quod aliae res suadent, ut Zenodotum Ephesium potissimum auctorem nobis informemus. Eius enim sunt doctrinae

[1]) Cf. Wolf l. c. p. 196; Heffter p. 9; Graefenhan I p. 430; Pluygers p. 2 sqq.; Osann p. 10; Sengebusch l. c. I pagg. 23. 53; Duentzer p. 29; Michaelis, De Apoll. Rhod. fragm. Diss. Hal. 1875, p. 7; Schrader pagg. 431. 432. Certum iudicium de glossarum auctore quisnam fuerit dubitavit proferre Muetzell p. 281. — De Zenodoto Mallota cogitaverunt Schneider l. c. nr. 219; Schmidt, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1855 p. 253. — Glossas confectas esse a Zenodoto negavit Ribbeck, Philol. VIII p. 669; cf. Lersch, Die Sprachphilos. der Alten. III p. 64. Praeterea cf. Merkel l. c. p. 147.

[2]) Schol. ad Apoll. Rhod. IV 989: *Φιλητᾶς ἐν Ἀτάκτοις γλώσσαις* Et. Magn. p. 330, 39 s. v. *Ἐλινός*: . . . . *Φιλητας δ' ἐν γλώσσαις*.

glossae, quae supersunt, ut primitias artis grammaticae facile cognoscas. Deinde compluribus locis scriptura et interpretatio Zenodoti coniunctae[1]) afferuntur, ut lectionis auctori, quem Zenodotum Ephesium intellegendum esse nemo negavit, adscribenda sit explicatio, quam e glossis repeti multum habet probabilitatis. Denique recte docuit Duentzerus[2]) de Zenodoto Ephesio esse cogitandum, quod versui Il. β 89[3]) appicta est in cod. Ven. A diple periestigmene, qua Aristarchus Zenodoti doctrinam notaverat. Sed etsi Zenodotum Ephesium confecisse γλώσσας extra omnem dubitationem positum esse mihi videtur, tamen summa opus est cautione in reliquiis colligendis. Reperiuntur enim in scholiis Homericis vocabulorum explicationes haud paucae, quae primo quidem aspectu Zenodoteae esse videntur; sed accuratius si in rem inquiris intellegitur eas confictas esse a grammaticis ad scripturas Zenodoti explanandas, quas solas notas habebant — nam commentarios in Homeri carmina Zenodotus non composuerat.[4]) Quam grammaticorum rationem exemplo luculento illustrasse satis habeo. Legitur in schol. A ad Il. ι 404: πρὸς τοὺς γλωσσογράφους, ἀφήτορος τοῦ στροφέως ἀποδιδόντες. καὶ Ζηνόδοτος δὲ οὕτως ἐκδέδεκται, τὸν γὰρ ἑξῆς μετέγραψε „νηοῦ Ἀπόλλωνος". Iam vides, quomodo orta sit sententia Zenodotum explicasse ἀφήτορος· τοῦ στροφέως, ut testimonium ex glossis Zenodoteis petitum hic tradi certissime sit denegandum. Neque aliter iudicabis de scholiis A ad Il. ι 447[5]), Il. μ 295.[6]) Quibus locis cum verborum conformatio ea sit, ut de auctore explicationis dubitari non possit, sola Zenodoteae scripturae notitia superstructas esse interpretationes concedes in scholiis, quae nunc sum allaturus. Quod negotium suscipiendum est, quia cum aliorum tum Pluygersii iudicium est refellendum.

---

[1]) Cf. schol. A ad Il. α 507; λ 754; ν 450.

[2]) Cf. p. 29.

[3]) Cf. p. 146.

[4]) Cf. Wolf p. 215 adn. 84; La Roche p. 50; Sengebusch I p. 22; idem, Jahrbb. f. Phil. LXIX p. 252; Roemer p. 651. — Falso de commentariis cogitavit unus, quantum scio, Pluygers p. 7.

[5]) Ad glossas rettulit Wolf p. 215, tulit assensum Graefenhanii I p. 534.

[6]) Cf. Wolf l. c.; Graefenhan l. c.; recte iudicavit Duentzer p. 30 adn. 19.

Ceterum grammaticos interdum proferentes vocabulorum quorundam interpretationes Zenodoti mentem assecutos esse minime nego, sed meum putavi ea tantum colligere, quae e Zenodoti glossarum libro manaverunt.

Quae cum ita sint, Pluygersium[1]) errasse censeo, qui de glossis Zenodoti cogitavit proferens schol. A ad Il. β 532, schol. A ad Il. γ 28[2]), schol. A ad Il. γ 99, schol. A ad Il. δ 478, schol. A ad Il. ε 31, schol. A ad Il. κ 515, schol. A ad Il. ξ 37, schol. A ad Il. ρ 51[3]), schol. A ad Il. φ 169; schol. HMQR ad Od. δ 1 (cf. Eust. 1478, 32); schol. HQ ad Od. ι 116[4]); verbum enim *γράφει* vel simile, quod ubique occurrit, satis indicat editionis Homericae memoriam repeti. Quin eo processit Pluygersius, ut collatis Zenodoti lectionibus et Hesychii aliorumque glossis, ubi Zenodoti nomen plane deest, *γλωσσῶν* reliquias extricare sibi visus sit[5]); sed hac argumentandi ratione uti iure dubitabis.

De loco Et. Magni p. 520, 51 s. v. *κέκλυτέ μευ,* quem Heffterus l. c. p. 9 ad glossas rettulit, supra diximus.[6]) Denique cavendum est, ne cum Duentzero glossas ditemus schol. QT ad Od. γ 216, ubi legitur Zenodotum dubitasse, utrum vocabulum *σφίν,* quod in hoc versu exstat, ad *βίας* an ad *ἐλθών* spectet, nam talis adnotatio prorsus abhorret a glossarum libro; neque inepte coniecit Schraderus[7]) fortasse per discipulos Zenodoti haec tradita Aristarcheorum opera in scholia pervenire potuisse.[8])

---

[1]) p. 7 sqq.

[2]) Interpretationem *ἀλείτας· τὰς ἁμαρτίας* Zenodoto adscriptam eius rationi repugnare et commenticiam esse docuerunt Heyne l. c. IV p. 455; Duentzer p. 68.

[3]) Dubitanter de hoc scholio glossis attribuendo aut derogando iudicavit Duentzer pagg. 31. 117.

[4]) Glossis adscripsit hoc scholion Duentzer p. 30 profectus a sententia, quam male se habere docuit Ribbeck, Philol. VIII p. 700.

[5]) Cf. schol. A ad Il. β 336, schol. A ad Il. λ 27. 480, schol. A ad Il. μ 565, schol. A ad Il. ν 71, schol. A ad Il. ο 625, schol. AT ad Il. σ 576, schol. A ad Il. τ 26.

[6]) Cf. p. 185 adn. 4; Duentzer p. 30 adn. 19; Wolf p. 215 adn. 84.

[7]) p. 432.

[8]) In verbis Tzetzae, quae p. 162 adscripsimus, glossarum memoriam repeti negandum est; nam cum explicationem vocis *λαοί* iam Pindaro (Ol. IX 68) et Epicharmo (schol. ad Pind. Ol. IX 68) cognitam fuisse constet, ut Zenodotum et Aristarchum auctores nominari mireris,

Sed haec hactenus; iam tempus est glossarum fragmenta sub uno conspectu componere.

1. Schol. MQR ad Od. γ 444: *Περσεὺς δαμνίον εἶχε*] *Ζηνόδοτος δὲ ἐν ταῖς ἀπὸ τοῦ δ γλώσσαις τίθησι τὴν λέξιν.*[1])

2. Schol. B ad Il. β 89; Porphyr. quaest. 27[2]): *θαυμάσαι δὲ ἔστι Ζηνόδοτον τὸ „βοτρυδόν" ἐκλαβόντα ἐοικότως βότρυϊ τῷ ὀρνέῳ, ὅπερ αὐτό συστρέφει ἐν τῇ πτήσει.*

3. Schol. A ad Il. α 567: *ἀάπτους*] *οὕτως ψιλῶς προενεκτέον· οὕτως δὲ καὶ Ἀρίσταρχος· ἤκουε δὲ τὰς δεινὰς καὶ ἀπτοήτους. ὁ δὲ Ζηνόδοτος καὶ αὐτὸς ὁμοίως τῷ πνεύματι, εἰς τὰς ἰσχυρὰς δὲ μετελάμβανεν· ἐν δὲ ταῖς Ἀριστοφάνους γλώσσαις διὰ τοῦ ε ἐγέγραπτο ἀέπτους. εἰσὶ δὲ οἳ ἀπροσπελάστους ἀποδιδόασιν, ἀπὸ τοῦ ἅψασθαι, ὧν οὐδεὶς ἂν ἅψαιτο δι' ἰσχύν. ἐμοὶ δὲ δοκεῖ παρὰ τὸ ἰάπτω γεγενῆσθαι.*

4. Schol. A ad Il. ν 450: *Κρήτῃ ἐπίουρον*] *τοῦτο τριχῶς ἀνεγνώσθη· Ζηνόδοτος γὰρ ὡς ἐπίκουρον, ἐκδεχόμενος βασιλέα καὶ φύλακα. καὶ Ἀρίσταρχος δὲ οὕτως, ἐκδεχόμενος τὸν φύλακα.*

5. Schol. A ad Il. λ 754: *Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ α γραφῇ* (agitur de lectionibus *δι' ἀσπιδέος* et *διὰ σπιδέος*), *καί φησι σπιδέος τοῦ ἀπόρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου.*[3])

6. Schol. T ad Il. σ 564: (*κυανέην*) *κάπετον*] *τὴν ληνόν. Ζηνόδοτος δέ φησιν ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου, ἄλλοι .....*

7. Athen. p. 12 C: *ἐκ τούτων δ' ἐπείσθη Ζηνόδοτος δαῖτα ἐίσην τὴν ἀγαθὴν λέγεσθαι.*

---

verisimile est illo *οἱ περὶ Ἀρίσταρχον καὶ Ζηνόδοτον* omnino designari veteres grammaticos a Tzetza; accedit quod eorum, qui hanc interpretationem tradiderunt, nemo praeter Tzetzam Aristarchum et Zenodotum testes profert. Cf. Apoll. Soph. s. v. *λαοί*: .... *ὡς ὁ μῦθος, ἀπὸ τοῦ κτλ.*; Cramer, Anecd. Ox. I p. 264; Eust. p. 23, 32; Etym. Magn. 553, 12.

[1]) Legendum esse ex librorum auctoritate *ἐν ταῖς ἀπὸ τοῦ δ γλώσσαις* pro *ἐν ταῖς ἀπὸ τοῦδε γλώσσαις*, quam lectionem praeter alios secutus est Duentzer p. 29, docuit Pluygers, Mnemosyne 1852, pagg. 47. 48. Cf. Doederlein, Homer. Glossar. p. 291.

[2]) Schrader p. 26.

[3]) Cf. p. 151.

8. Athen. p. 478 E s. v. κοτύλη: Σείληνος καὶ Κλείταρχος ἔτι δὲ Ζηνόδοτος τὴν κύλικα

πάντη δ' ἀμφὶ νέκυν κοτυλήρυτον ἔρρεεν αἷμα

(Il. ψ 34) καὶ

πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου.

Σιμάριστος δὲ τὸ λεπτὸν ποτήριον οὕτω καλεῖσθαι.

9. Cramer, Anecd. Ox. I p. 207: Ἰφθίμους Τρύφων ἀπεδήλωσεν τοὺς ἰσχυρούς, Ζηνόδοτος τοὺς ἀγαθούς· τί γάρ φησιν ἐροῦμεν; ἰφθίμη ἄλοχος Διομήδεος.

10. Schol. Theocrit. V 2: Νάκος χθές] Ζηνόδοτος τὸ κώδιον, τὸ μαρσύπιον. καὶ νάκος αἰγὸς δορὰν καὶ Ὅμηρος[1]· νάκος ἕλετ' αἰγὸς ὀρειτρόφου καὶ Θεόκριτος ἐν τοῖς ἑξῆς αἰγός φησιν.

11. Schol. ad Hes. Theog. v. 116: χάος λέγει (sc. Hesiodus) τὸν κεχυμένον ἀέρα, καὶ γὰρ Ζηνόδοτος οὕτως φησί. Βακχυλίδης δὲ χάος τὸν ἀέρα ὠνόμασε, λέγων περὶ τοῦ ἀετοῦ·

νωμᾶται δ' ἐν ἀτρυγέτῳ χάει.

Accedamus nunc ad singula.

1. Initium capere a scholio ad Od. γ 444[2]) constituimus, cum inde et notitia tituli γλῶσσαι et iudicium de libri conformatione proficiscatur. Nam quod δαμνίον vocem in glossis ab littera δ incipientibus locum tenuisse perhibetur, eas secundum litterarum ordinem digestas fuisse elucet. Verbum autem δαμνίον cum alioqui non occurrat[3]), ex versu Od. γ 444, quo scholion spectat, originem falso duxisse videtur. Si enim naturam scripturae veteris continuae respicis, quam Zenodoti temporibus nondum abiectam fuisse verisimillimum est[4]), dubium esse potuit,

---

[1]) Additum est καί in cod. Gen.b

[2]) Cf. Pluygers l. c. p. 7; Heffter p. 9; Duentzer p. 29; Osann I pagg. 8. 12; Schneider l. c. nr. 219.

[3]) De glossa ap. Hes. s. v. δάμνια mox dicemus.

[4]) Cf. schol. A ad Il. λ 754 (cf. infra p. 195), ξ 249, η 127. Accentuum et spirituum quos dicunt usum, quem ab Aristophane Byzantio ad certas leges institutum esse traditum est (cf. Lentz, Herod. Techn. rel. praef. p. LVI; Blass, Griech. Palaeogr. Handbuch der klass. Altertumswiss. I p. 283), admissum esse a Zenodoto, ubi dubitatio de lectione exoriri poterat, docuerunt Pluygers l. c.; Duentzer pagg. 19. 69 adn. 33. Cf. schol. A ad Il. α 567, ν 450, de quibus tertio et quarto

utrum legendum sit Περσεὺς δ' ἀμνίον an Περσεὺς δαμνίον. Atque Zenodotus quidem, qui assensum tulit Nicandri et Theodoridae[1]), sibi informavit vocabulum *δαμνίον*, quod explicuit in glossis. Nam cum neque vocem *ἀμνίον* neque *δαμνίον* aliunde cognitam eum habuisse probabile sit, praetulit *δαμνίον*, cuius originationem perspexisse sibi visus est. Certe enim cogitavit de verbo *δάμνασθαι*. Ceterum adnotaverim Hesychii glossam s. v. *δάμνια· θύματα, σφάγια* ex eadem doctrina profectam esse videri.[2]) Sed Zenodotum s. v. voce *δαμνίον*, quam sibi finxit, intellegentem hostiam errasse censeo; nam ut concedamus ab radice *δαμ* substantivum *δαμνίον*, pro quo *δαμίον* exspectandum est, proficisci potuisse[3]), primum vocabulum *δάμνασθαι* nunquam pertinet ad victimas, quae sacrificantur; deinde significatio deminutiva, quae vocatur, pertinens ad substantiva in *ιον* exeuntia minime quadrat in Od. locum; denique particulam *δέ* illo loco adesse quam abesse malim; neque omitti debet verbum *ἀμνίον* et explicatum sinere satis aptum et bene convenire in sententiam.

2. Explicationem sane ineptissimam, quam in glossis locum tenuisse putandum est[5]), proposuit s. v. *βοτρυδόν* dicens *ἐοικότως βότρυϊ τῷ ὀρνέῳ ὅπερ αὑτὸ συστρέφει ἐν τῇ πτήσει*. Adnotavit scholiasta huius nominis avem nemini veterum praeter Zenodotum notam fuisse. Statuendum igitur est eum loco Homerico, ubi exstat adverbium *βοτρυδόν*, male intellecto avem *βότρυν* sibi finxisse. Sed quaeris, qua re commotus sit Zenodotus, ut in hanc sententiam abiret; vocabulum *βότρυς* enim

---

oco p. 194 sq. dicemus. Praeterea cf. La Roche l. c. p. 75; Roemer l. c. pp. 651. 652.

[1]) Cf. schol. ad h. l.: *Νίκανδρος δὲ καὶ Θεοδωρίδας ἀπο τοῦ δάμνασθαι προφέρονται ἀσυνδέτως δαμνίον*; Eust. 1476, 40; Otto Schneider, Nicandrea p. 205, 14.

[2]) Schmidtium, Hes. lex. s. h. v. de *σφαγεῖα* pro *σφάγια* restituendo, ut vas, quo victimarum sanguis excipiatur, significetur, sine iusta causa cogitasse concedes, si recte disputavimus.

[3]) Simili ratione vox *παιγνίον* conformata esse videtur, quae derivatur a radice *παιγ*.

[4]) Cf. Friedreich, Die Realien in der Il. u. s. w., p. 443.

[5]) Cf. Wolf p. 215 adn. 84; Graefenhan I p. 534 adn. 35; Duentzer p. 9; Pluygers p. 9; Schrader p. 431.

significans uvam eum novisse (cf. Il. σ 562) nemo negabit. Offendit, nisi erro, in comparatione, quae affertur, opinatus apes volantes cum animalibus volucribus conferri necesse esse. Iam vides, unde nata sit avis βότρυς. Neque id contendisse satis habuit Zenodotus; immo vero sententiae propositae rationem reddere studuit. Multum enim habet probabilitatis, si respicis verba ὅπερ αὐτὸ συστρέφει ἐν τῇ πτήσει, ex Zenodoti quidem sententia avi illi nomen βότρυς inditum esse, quod volans praebeat speciem molis densae qualem uva. Ceterum explicandi rationem Zenodoteam esse temerariam et perversam addere vix opus est. Est autem aptissimus hic locus, ut cognoscatur coniectandi audacia et ingenii habitus.

3. Vocem ἄαπτος interpretatum esse Zenodotum nempe in glossis docet schol. ad Il. α 567[1]), ubi legitur eum scripsisse in editione ἀάπτους[2]) et explicuisse „τοὺς ἰσχυρούς". Atque quo iure hanc scripturam receperit in textum Homericum, non curamus pro consilio nostrae disputationis; sed quaeritur, quid sit statuendum de eius explicatione. Neque dubium esse mihi videtur, quin Zenodotus omisso verbi etymo et locis, ubi vocem ἄαπτος scriptam vidit, collatis significationem statuerit[3]), praesertim cum hac ratione eum saepius usum esse consentaneum sit.[4])

4. Explanatum fuisse vocabulum ἐπίουρος scholio ad Il. ν 450 intellegitur, ubi Zenodoti scriptura exhibita interpretatio[5]) annectitur, quae ex editionis textu conficta esse non potest, nam quomodo interpretatum esse Zenodotum βασιλέα καὶ φύλακα grammaticus posterioris aetatis coniectura assecutus sit, ego quidem non video. Docuit Zenodotus, cum litterae adhibita scriptura

---

[1]) Cf. Pluygers p. 9; Duentzer pagg. 29. 54; cf. La Roche p. 175; Lehrs pagg. 141. 301; Schneider l. c. nr. 219.

[2]) Zenodotum legisse ἀάπτους falso iudicaverunt Heyne IV p. 150; Spitzner ad h. l.; Dindorf, Beiträge zur Kritik des Aeschylus. Jahrbb. f. Phil. LXXXVII p. 79.

[3]) Cf. Friedlaender, Aristonicus p. 143: „Zenodoti rationes ἀάπτους scribentis explicantisque ἰσχυρούς plane incompertas habemus."

[4]) Cf. quae altero loco s. v. βοτρυδόν (p. 193), nono s. v. ἴφθιμος (p. 198), quarto s. v. ἐπίουρος exposuimus.

[5]) Cf. Duentzer l. c. p. 30; Pluygers p. 9.

continua tres[1]) sinant illius loci explicationes: ἐπίουρος, ἐπιοῦρος, [Κρήτῃ] ἔπι οὗρος, scribendum esse ἐπίουρος[2]) et intellegendum βασιλέα καὶ φύλακα. Neque negaverim vim huius vocis in universum recte significatam esse a Zenodoto, etsi etymon vocis οὗρος[3]) — nam ea de re agitur — eum indagasse respecta notione βασιλεὺς καὶ φύλαξ verisimile non est; immo vero censeo Zenodotum hac quoque in voce explicanda a sententiarum nexu profectum esse.

5. Mentionem factam esse vocabuli σπιδής[4]) dico propter scholion ad Il. λ 754, ubi traditur Zenodotum intellexisse τὸ ἄπορον καὶ τραχὺ καὶ μέγα. Quibus in verbis iure haesit Lehrsius[5]), nam probabile non videtur ex Zenodoti sententia in voce σπιδής inesse duas notiones satis diversas asperitatis et amplitudinis. Quam ob rem scholion mendo corruptum esse sagaciter cognovit Lehrsius, qui item loco bene medicinam attulisse videtur. Si enim respicis verba: Ζηνόδοτος δὲ συναινεῖ τῇ δίχα τοῦ ā γραφῇ καί φησι σπιδέος τοῦ ἀπόρου καὶ τραχέος καὶ μεγάλου. καὶ Ἀμερίας δὲ λέγει σπιδέος τοῦ πολλοῦ καὶ εὐρέος καὶ μεγάλου, assentieris Lehrsio, qui illud καὶ μεγάλου pertinens ad Zenodoti interpretationem uncinis inclusit, cum verisimillimum esse videatur librarii errore illam notionem, quae aptissime legitur in Antimachi explicatione, ad Zenodotum translatam esse. Docuit igitur Zenodotus in notione σπιδής inesse vim τοῦ ἀπόρου καὶ τραχέος. At quaeris, quo fundamento nitatur haec opinio. Iam dicat quispiam vocabulum σπιλάς[6]) vel simile obversatum esse Zenodoto; attamen certius, quod aliqua cum confidentia defendere ausim, affirmare

---

[1]) Cf. schol.: τοῦτο τριχῶς ἀνεγνώσθη.

[2]) Cf. schol.: ἐπίουρον ὡς ἐπίκουρον.

[3]) Cf. Doederlein, Homer. Gloss. p. 216; Curtius, Griech. Etym. p. 311, qui in substantivo οὗρος radicem ὀρ s. Ϝορ aeque atque in ὁράω, φρουρά inesse censuerunt. Zehlicke, Ueber das homerische Epitheton des Nestor οὗρος Ἀχαιῶν, Progr. Parchim 1839, explicat ἐπίουρος „qui instigat" cogitans de verbo ὄρνυμι. Cf. etiam Fuhr, Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1841, p. 668.

[4]) Cf. Duentzer p. 30; Pluygers p. 9.

[5]) Cf. quae supra p. 152 diximus; cf. Lehrs, Herod. scripta tria em., p. 270.

[6]) Cf. Il. ε 405: προβλῆτες ἔσαν σπιλάδες τε πάγοι τε.

dubito; nam fieri potuisse, ut Zenodotus ex loco ipso originationem verbi non curans sententiam sibi finxerit, quis est qui neget. Sed hac de re utcunque statues, eum errasse apparet, nam vox *σπιδής*, quae fortasse a radice *σπα*[1]) derivanda est, significat magnitudinem sive amplitudinem sive latitudinem.[2])

6. Transeamus nunc ad glossarum fragmentum, quod debemus scholio ad Il. σ 564.[3]) Legitur autem in cod. Townl.: *κάπετον*]· *τὴν ληνόν. Ζηνόδοτος δέ φησιν ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου.* Quae verba genuinam formam non servasse apparet[4]); nam quae feruntur *Ζηνόδοτος δὲ κτλ.* non pertinent ad explicationem vocis *κάπετον,* immo vero vocabulum *κυανέην* illustratum esse a Zenodoto quivis videt collato Iliadis versu. Iam coniecturae Duentzeri, qui scribendum esse censuit *Κάπετον· τὴν ληνόν. κυανέην δέ φησιν Ζηνόδοτος ἀπὸ χαλκοῦ κεκαυμένου,* praeferenda esse videtur Maasii, quam supra in scholii textu adnotavimus; multo enim est facilior. Ceterum nihil impedit, quominus censeamus, lemma *κυανέην* ante verba *Ζηνόδοτος κτλ.* excidisse et Zenodoti testimonium neglegenter cum illo *κάπετον· τὴν ληνόν* consarcinatum esse. Certe tenendum est Zenodotum nihil nisi vocabulum *κυανέην* explicuisse, quantum ex hoc scholio colligi potest.[5]) Dixit autem Zenodotus adiectivum *κυανέην* in illo versu exstans significare materiam, non colorem, quam in sententiam facile aliquis incurrere possit. Neque dubium est, quin Zenodotus recte versatus sit in hac voce interpretanda, quod verba Homerica *ἀμφὶ δὲ κυανέην κάπετον, περὶ δ' ἕρκος ἔλασσε κασσιτέρου* luculenter docent.[6]) Praeterea Zenodotum *τὸν κύανον* iure appellasse *χαλ-*

---

[1]) Cf. Curtius, Griech. Etym. pagg. 245. 643; Clemm, Curt. Stud. VIII p. 116.

[2]) Cf. schol. ad h. l.; Apoll. Soph. s. v. *σπιδέος*; schol. ad Aristoph. Vesp. 18: *καὶ τοῦ σπίζω τὸ ἐκτείνω*; Hes. s. v. *σπίδεος*; s. v. *σπίδιον*; s. v. *σπιδές*; Eust. pagg. 882, 23. 996, 22. Cf. Lobeck, Paralipomena gramm. Graec. I p. 161.

[3]) Cf. Duentzer p. 30.

[4]) Cf. Heyne VII p. 803.

[5]) Erravit Duentzer p. 30 adn. 18, qui vocem *κάπετον* praeterea ad partes vocatam contendit.

[6]) Cf. Ameis ad h. l.; Faesi ad h. l.; Ebeling, Lex. Hom. s. v. *κυάνεος*; Schuster, Homers Auffassung und Gebrauch der Farben

κὸν κεκαυμένον testimoniis aliunde petitis confirmatur.[1]) Ceterum cum adiectivum *κυάνεος* significet et colorem caeruleum[2]) et materiam[3]), iure ponimus Zenodotum in glossarum libro s. v. *κυάνεος* indicasse locos, ubi haec et ubi illa interpretatio probanda sit.

7. Ex glossis Zenodoteis fluxisse[4]) censeo, quae ap. Athen. p. 12 C leguntur: *ἐκ τούτων*[5]) *δ' ἐπείσθη Ζηνόδοτος δαῖτα ἐίσην τὴν ἀγαθὴν λέγεσθαι.* Quomodo haec sententia, si ad originem verbi spectas, confirmari possit, plane me fugit neque hac ab parte Zenodotum explicationem probare studuisse puto; sed si confers, quae s. vv. *ἄαπτος, βοτρυδόν* disputavimus, verisimile est ex usu adiectivi *ἐίση,* quem statuit Zenodotus, hanc interpretationem profectam esse. Errasse Zenodotum satis habeo dixisse.

8. Explicuisse Zenodotum verbum *κοτύλη*[6]) tradidit Athenaeus p. 478 E dicens eum intellexisse *τὴν κύλικα.* De voce, sub qua Zenodotus iudicium proposuerit, nihil certius affirmari potest; nam etsi a veri specie non abhorret Zenodotum in interpretando vocabulo *κοτυλήρυτος* de voce *κοτύλη* verba fecisse, quam opinionem ea res commendare videtur, quod ab Athenaeo Il. ψ vs. 34 *πάντῃ δ' ἀμφὶ νέκυν κοτυλήρυτον ἔρρεεν αἷμα* adpositus est, tamen recte docuit Duentzerus cogitari posse de vocabulo *κοτύλη,* quod exstat in Od. ο 312, ρ 12, praesertim cum explicatio Zenodoti in hos locos bene quadret, in illum minus conveniat.[7]) Sed transeamus ad rem ipsam. Iam audiendus est Apollodorus, qui ap. Athen. p. 471 A haec testatur: *πᾶν δὲ τὸ κοῖλον κοτύλην ἐκάλουν οἱ παλαιοί, ὡς καὶ τὸ τῶν*

---

p. 716; Riedenauer, Studien zur Geschichte des antiken Handwerks. I: Handwerk und Handwerker in den homerischen Zeiten, p. 206.

[1]) Cf. Aristot. Mirabil. auscult. c. 48 p. 833 b, 21 Bekk.; Meteor. 4, 6, p. 383 a, 32; Riedenauer l. c. p. 112.

[2]) Cf. Il. χ 402, ψ 188.

[3]) Cf. Il. λ 26. 38 al.

[4]) Cf. Pluygers p. 8; Duentzer p. 31; Wolf p. 215 adn. 84; Graefenhan I p. 334 adn. 35; La Roche p. 60.

[5]) Il. ι 225, Od. ϑ 98.

[6]) Duentzer p. 31; Pluygers p. 9; Schneider nr. 219; Graefenhan I p. 534 adn. 35; Lehrs, De Arist. p. 152.

[7]) Cf. p. 198 adn. 3.

χειρῶν κοῖλον. Significabant igitur veteres voce *κοτύλη* omnino *τὸ κοῖλον*; intellegentes et acetabulum, in quo summa pars coxendicis movetur[1]), et poculum[2]) et manus cavum[3]) et mensuram liquidorum[4]) et alia. Quod si addideris, quae ap. Athen. p. 478 E leguntur: *Διόδωρος δὲ τὸν παρά τισι κότυλον κοτύλην ὠνομακέναι τὸν ποιητὴν „πύρνον καὶ κοτύλην", ὃν κύλικα μὲν οὐκ εἶναι, οὐ γὰρ ἔχειν ὦτα, δύνασθαι δὲ καὶ τὸν παρὰ τοῖς Αἰτωλοῖς καί τισι τῶν Ἰώνων λεγόμενον κότυλον, ὃν ὅμοιον ὄντα τῶν προειρημένων ἓν οὖς ἔχειν*, concedes poculum *κοτύλην* pusillum[5]) apud Aetolos et quosdam Ionum una aure adornatum in usu fuisse, cum vulgo auribus caruerit.[6]) Contra *ἡ κύλιξ* duabus aut pluribus[7]) auribus et pede fuit instructa.[8]) Quae cum ita sint, statuendum est discrimen intercessisse inter *τὴν κοτύλην* et *τὴν κύλικα*, ut Zenodotus errasse videatur, quod explicuit *κοτύλη· ἡ κύλιξ*. Attamen cum vas, quod vocabant *κύλιξ*, apud Graecos fuerit usitatissimum, ut omnino poculum significet[9]), equidem arbitror Zenodotum illud consilium persecutum esse, ut *κοτύλην* intellegendam esse poculum docuerit neque operam dederit, ut eius formam accuratius interpretatione designaret.[10])

9. Vocem *ἴφθιμος*[11]) ad partes vocatam esse legitur ap. gram. in Crameri Anecd. Oxon. Fuit autem Zenodoti sententia

---

1) Cf. Il. ε 305; Athen. p. 479 B.

2) Cf. Il. χ 494; Hes. s. v. *κύλιξ*, alia.

3) Cf. Apoll. Soph. s. v. *κοτύλη*; Et. Magn. p. 553, 12; Suid. s. v. *κοτύλη*; schol. ad Il. ψ 34; Eust. 1282, 47; Hes. s. v. *κοτύλη*; Zonar. p. 1238. Hanc significationem inesse in adiectivo *κοτυλήρυτος* censeo.

4) Athen. p. 478 F; Thuc. VII c. 87; Poll. X, 113.

5) Cf. Athen. p. 478 E; schol. BT ad Il. ψ 34; Eust. 1282, 43; Brosin, De coenis hom., Berol. 1861, p. 58.

6) Cf. O. Jahn, Beschreibung der Vasensammlung König Ludwigs. 1854. praef. p. XCVII; Krause, Angeiologie pagg. 324. 349. 350; K. F. Hermann, Privatalterthümer 1882⁴ p. 165.

7) Cf. Athen. p. 480 D. E.

8) Cf. Athen. p. 470 E: *ἡ Θηρίκλειος ὦτα ἔχει βραχέα ὡς ἂν κύλιξ οὖσα*. Cf. p. 479 E — 480 E: *καὶ ἔχουσιν ὦτα τέσσαρα* (sc. *κύλικες*), *πυθμένα εἰς πλάτος ἐκτεταμένον κτλ.*; Poll. X, 79.

9) Plut. Sympos. p. 214 B: *οὔτε τι λέγομεν ἐπὶ τῇ κύλικι κτλ.* Cf. usum vocabuli *κυλικεῖον* ap. Athen. p. 460 C. D, p. 480 B.

10) Aliter statuendum est de loco ap. Athen. p. 480 F.

11) Cf. Duentzer p. 30; Pluygers p. 9; Osann I p. 10.

intellegendos esse ἰφϑίμους τοὺς ἀγαϑούς; quam interpretationem cur defenderit, clare elucet ex iis, quae insequuntur in scholio: τί γάρ, φησίν, ἐροῦμεν; ἰφϑίμη ἄλοχος Διομήδεος. Neque enim mihi dubium est, quin haec argumentandi ratio bene conveniat Zenodoto. Qui cum ad feminam referri notionem ἴφϑιμος intellexisset, de stirpe, quae inest in vocabulo ἶφι satis usitato, cogitari posse negavit, cum notio roboris non cadat in feminam. Unde factum esse videtur, ut origine vocis neglecta statuerit ἴφϑιμος verbum idem significare atque ἀγαϑός.[1]) Cuius opinionis rationem reddidit in glossis eam, ut versum adscriberet, quo demonstrari censuit, significationem „validus", quam in verbo ἴφϑιμος inesse aliquis facile crediderit, ferri non posse.

10. Pergamus nunc ad schol. Theocr. V 2, ubi sub lemmate νάκος χϑές perhibetur: Ζηνόδοτος τὸ κώδιον, τὸ μαρσύπιον· καὶ νάκος αἰγὸς δορὰν καὶ Ὅμηρος. νάκος ἕλετ' αἰγὸς ὀριτρόφου. καὶ Θεόκριτος ἐν τοῖς ἑξῆς αἰγός φησιν. Iam primum non dubito, quin Zenodoti testimonium ex glossis, quas tractamus, fluxerit.[2]) Referenda autem esse ad illum librum nihil nisi verba τὸ κώδιον, τὸ μαρσύπιον arbitror. Nam si respicis, ea quae ex Iliade afferuntur[3]), magna cum neglegentia exscripta esse, verisimile est scholiastam Iliadis verba, quae memoria tenere sibi visus est, loco non inspecto adnotasse. Porro concedes explicationem καὶ νάκος αἰγὸς δοράν· Ὅμηρος vel καὶ Ὅμηρος ab eodem esse profectam, qui illum versum apposuit, cum νάκος vocabulum, pro quo exspectas νάκη, iterum neglegentius scriptum exstet et interpretatio ipsa ad normam loci Homerici confecta sit. Quodsi eum, qui hoc scholion composuit, non distinxisse inter formas νάκος et νάκη iure colligimus, dubitatio exoritur utrum, quae de Zenodoto tradiderit, pertineant ad interpretationem vocis νάκος an νάκη. Et recte

---

[1]) Apoll. Soph. s. v. ἰφϑίμη: ἀγαϑή; s. v. ἰφϑίμους; cf. Hes. s. v. ἰφϑίμη.

[2]) Sic indicaverunt Heffter p. 9; Duentzer p. 31 (cf. Ahrens, Bucolicorum Graec. reliquiae II praef. p. XLIV); Wolf p. 215 adn. 84; Graefenhan I p. 534 adn. 35; Pluygers p. 9; Fritzsche, De poëtis Graec. bucol., Diss. Giss. 1844, p. 36; Schneider l. c. nr. 219.

[3]) Cf. Il. ξ 530: ἂν δὲ νάκην ἕλετ' αἰγὸς ἐϋτρεφέος et schol. Theocr. νάκος ἕλετ' αἰγὸς ὀριτρόφου.

contendit Duentzerus[1]) explicuisse Zenodotum in glossis vocabulum *νάκη*, quod glossemate accuratius examinato plane evincitur. Nam etsi concedendum est interpretationem *τὸ κῴδιον* aeque in *νάκη* atque in *νάκος* cadere posse[2]), aliter iudico de verbo *μαρσύπιον*, quod significat crumenam, loculum.[3]) Quae notio minime inest in voce *νάκος* s. *νάκη*, sed collato Il. versu ξ 530 elucet, unde nata sit haec Zenodoti sententia. Nam cum apud Homerum in versu 529 mentio facta sit *χλαίνης*, Zenodotus in vs. 530 verbis *ἂν δὲ νάκην ἕλετ' κτλ.* novum aliquid afferri ratus significationem vocabuli *νάκη* usitatam „vellus, pellis villo suo tecta" abiecit et de mantica ex vellere comparata cogitavit; neque negaverim hanc opinionem notione verbi *ἀναιρεῖσθαι* commendari videri. Quo concesso iure contendimus Zenodotum vocem *νάκη* in quaestionem vocasse, quantum quidem ex scholio Theocr. colligitur. Quodsi denique de Zenodoti sententia iudicandum est, apparet eum recte sub vocabulo *νάκη* intellexisse *κῴδιον*, cum, quod adhibito contextu loci Homerici elucet, interpretationem *τὸ μαρσύπιον* falso proposuerit.

11. Restat ut agamus de schol. ad Hes. Theog. vs. 116, ubi habes: *χάος λέγει* (sc. poëta) *τὸν κεχυμένον ἀέρα· καὶ γὰρ Ζηνόδοτος οὕτως φησίν· Βακχυλίδης δὲ χάος τὸν ἀέρα ὠνόμασε, λέγων περὶ τοῦ ἀετοῦ κτλ.* Tentavit coniectura haec verba Schraderus[4]): „Cum in scholio, quod sequitur, *Ζήνων ὁ Στωικός* afferatur, quem e Probi comment. in Verg. p. 21, 21 K[5]) hunc ipsum Hesiodi versum ita interpretatum esse accepimus, ut diceret aquam *χάος* appellatam *ἀπὸ τοῦ χέεσθαι*, sine dubio ita fere scribendum est *καὶ γὰρ Ζήνων τὸ ὕδωρ* (vel *περὶ ὕδατος*) *οὕτως φησὶ κτλ.*, quo simul apparet, qui Bacchylidis aër opponi possit." Cui argumentationi respondeo haec. Quod dicit Schraderus Zenonem vocem *χάος* a verbo

[1]) Cf. Jahrbb. f. Phil. LXV p. 122.

[2]) Cf. Hes. s. v. *νάκος*; Phot. s. v. *νάκος*; Suid. s. v. *νάκην*; Eust. 1771, 36.

[3]) Cf. Poll. VII, 79; X, 152; X, 178; Xen. Hell. IV c. 3, 11; Phot. s. v. *μάρσιπος*; Hes. s. v. *μαρύσπιον*. Variant libri in formis *μαρσύπιον*, *μαρσίπιον* aliis.

[4]) p. 430 adn. 2.

[5]) „Nam Zenon sic interpretatur, aquam *χάος* appellatam *ἀπὸ του χέεσθαι*."

χέεσθαι derivasse intellegentem aquam, nihil probat; neque enim video, cur dubitemus, quin aliquis profectus item a verbo χέεσθαι aërem sibi informaverit.[1]) Neque illi Schraderi argumento multum tribuo, coniectura comprobata bene procedere sententiam Bacchylidis particula δέ annexam. Nam vis particulae δέ ea esse potest, ut Zenodoti testimonio addatur Bacchylidis. Sed quaeris, cur hoc scholion Hes. ad glossas Zenodoti Ephesii revocaverimus, cum fragmenta, quae praeterea huc rettulimus, ad vocabula Homerica interpretanda pertineant; accedit quod Zenodotum, quem Alexandrinum intellegendum esse probare studuimus, librum εἰς τὴν Ἡσιόδου θεογονίαν composuisse diximus. At cum, quae in hoc scholio traduntur, ita sint comparata, ut glossarum testimonium iis contineri verisimillimum sit neque titulo γλῶσσαι, quem semel[2]) exstare docuimus, indicetur vocabula Homerica[3]) tantum explicata fuisse, equidem censeo hoc scholion ex glossis Zenodoteis[4]) manasse, quas ad Homeri, Hesiodi, aliorum opera pertinuisse arbitror.

Sequitur ut de interpretatione vocis χάος agamus. Erravit Zenodotus sane in ea re, quod hanc vocem eiusdem stirpis atque χέεσθαι verbum esse dixit; nam nemo hodie ignorat eam redire ad radicem, quae inest in χαίνω, χάσκω.[5]) Quodsi etymon recte non investigavit, mentem poëtae assecutus est.[6]) Nam recte, ut mihi videtur, Zenodotus ab eorum stetit parte, qui χάος aërium quoddam intellexerint.

Reliquum est, ut de Zenodoti studiis in vocabulorum difficilium ad intellegendum interpretatione positis quid in universum sit statuendum dicamus; nam glossas secundum ordinem littera-

---

[1]) Cf. Od. ν 189: περὶ γὰρ θεος ἀέρα χεῦεν Παλλὰς Ἀθηναίη.

[2]) Cf. p. 192.

[3]) De glossis Homericis cogitaverunt Heffter p. 9; Sengebusch I p. 53; Duentzer p. 29. Aliter censuit Schneider nr. 219.

[4]) De commentariis Zenodoti Ephesii ad Hesiodi carmina cogitaverunt Muetzell p. 281; Goettling l. c. praef. p. LVI; Flach, Glossen und Scholien zur hes. Theog. p. 110.

[5]) Curtius, Griech. Etym. pagg. 179. 444; cf. schol. ad h. l. οἱ δέ φασιν ἀπὸ τοῦ χαδεῖν κτλ.; schol. ad Aristoph. Av. v. 192.

[6]) Welcker, Die hes. Theog. p. 83; Schoemann, Opp. II pagg. 29. 70; Goettling, Hes. carm., ed. tert. cur. Flach, praef. p. XLI. I p. 293. Ceterum cf. Hermann Opp. II p. 172; Lobeck, Aglaoph. p. 613.

rum digestas fuisse et ad Homeri, Hesiodi, aliorum opera spectasse supra exposuimus. Vidimus autem Zenodotum plerumque ad sententiarum nexus normam vocabula explicuisse et veram originationem omisisse atque neglexisse. Quae cum ita sint, mirum non est, quod in errores incurrit, etsi negari non potest eum ad verum nonnusquam prope accessisse. Ceterum Zenodotum a temeritate et audacia non abhorruisse in coniectando et argumentando, luculentissime scholio ad Od. γ 444 evincitur.

Quoniam de librö, qui inscribitur *γλῶσσαι*, Zenodoto Ephesio attribuendo disputavimus, proximum est ut paulo accuratius inspiciamus testimonium ab Tatiano perhibitum; rettulit enim in or. ad Graec. c. 31 Zenodotum nempe Ephesium in eorum scriptorum numerum, qui egerint de poësi, genere, aetate Homeri. Sunt autem verba, quae in censum veniunt, haec: *περὶ γὰρ τῆς τοῦ Ὁμήρου ποιήσεως γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου καθ᾽ ὃν ἤκμασεν προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι Θεαγένης τε ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονώς, Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος, καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἁλικαρνασσεύς, καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος· μετὰ δὲ ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, Μεγακλείδης τε καὶ Χαμαιλέων οἱ Περιπατητικοί· ἔπειτα γραμματικοὶ Ζηνόδοτος, Ἀριστοφάνης, Καλλίμαχος*[1]*, Κράτης, Ἐρατοσθένης, Ἀρίσταρχος, Ἀπολλόδωρος κτλ.* Iam dixerit quispiam huius testimonii vim esse exiguam; nam Zenodoti memoriam, etsi talium studiorum fructum litteris non mandaverit, eam ob rem repeti posse in illorum grammaticorum serie, quod omnino ii proferantur, qui studiis Homericis innotuerint. Attamen cum et ex parte addita sint, quae docuerint illi grammatici[2]) et omittantur, qui illis temporibus in Homeri carminibus tractandis versati sint[3]),

[1]) *Καλλίστρατος* scripsit Wilamowitzius (cf. Schwartz l. l. praef. p. VII), etsi librorum auctoritate lectio *Καλλίμαχος* comprobatur. Concedendum est Callistrati nomen in Callimachi, qui erat notissimus, facile commutari potuisse et commutatum esse (cf. schol. Townl. ad Il. ξ 255) et Callistrati memoriam nostro loco non repugnare videri (cf. R. Schmidt, Comm. de Callistr. Aristophaneo ap. Nauck, Aristoph. Byz. frg. p. 314); attamen non video causam, cur a scriptura tradita recedamus (cf. O. Schneider, Callim. II p. 310).

[2]) Nomino Aristarchum, Eratosthenem, Apollodorum.

[3]) Profero Aratum, Rhianum.

et Eratosthenis Apollodorique mentio fiat, quos, quod attinet ad aetatem Homeri, imprimis testes prodire exspectamus, bonae notae fontibus usum esse Tatianum contendo; neque dubito, quin Zenodotus „de poësi, vita, aetate Homeri“ aliquo modo egerit. Sed quonam in libro has res attigerit, prorsus nos fugit; nam utrum cogitandum sit de editione Homerica, cui huius generis commentationem aeque ac dierum Iliadis computationem annexam fuisse putare licet, an de libro huic materiae destinato peculiari [1]) an de alio, quis est qui diiudicet? Sed quaeris, quae docuerit Zenodotus de poësi, genere, aetate Homeri. Atque Sengebuschius[2]) quidem demonstrasse sibi visus est Zenodotum in textu Homerico constituendo formas ionicas formis aliarum dialectorum praetulisse et Homerum habuisse Ionem. Attamen neque illud [3]) neque hoc comprobari concedes exemplis, quae attulit ille vir doctus, perpensitatis. Quae cum ita sint, in incerto esse, quas sententias defenderit Zenodotus, contendo.

Sequitur ut de poëtarum editionibus, quas Zenodoto Ephesio adscribendas esse videbimus, disseramus. Qua in re tractanda a prolegomenis de comoedia[4]), quae dicunt, et ab Ioannis Tzetzae scholiorum in Aristophanem prolegomenis[5]), quae originis necessitudine sunt coniuncta cum illis, proficisci placet. Ubi[6]) cum traditum sit Alexandrum Aetolum tragicorum, Lycophronem comicorum, Zenodotum reliquorum poëtarum libros iussu regis Ptolemaei Philadelphi *διορθῶσαι* sive *διορθώσασθαι* sive *ὀρθῶσαι*[7]), quaeritur, quid sit statuendum de opera horum

---

[1]) Cf. Sengebusch I p. 24; cf. Wilamowitz, Hom. Untersuch. p. 258.

[2]) II p. 64.

[3]) Cf. La Roche p. 301.

[4]) Cf. Cramer, Anecd. Par. I p. 3; E. Meier, Ind. lect. Hal. 1840; Meineke, Fr. com. Graec. II p. 1234; Bergk, Aristoph. I p. XXVII.

[5]) Cf. Keil, Rhein. Mus. VI pagg. 108. 243 (= Ritschl, Opp. I pagg. 197. 223 sq.); Aug. Nauck, Lex. Vindob. p. 233; Studemund l. c. p. 250; idem, Philol. XLVI p. 1.

[6]) Cf. Ritschl, Opp. I p. 206: *Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεύς, ἀλλὰ καὶ Ζηνόδοτος ὁ Ἐφέσιος . . . . ὁ μὲν τῆς τραγῳδίας, Λυκόφρων δὲ τὰς τῆς κωμῳδίας βίβλους διώρθωσαν, Ζηνόδοτος δὲ τὰς Ὁμηρείους καὶ τῶν λοιπῶν ποιητῶν.* Cramer, Anecd. Par. I p. 6: *τὰς δὲ σκηνικὰς Ἀλέξανδρός τε ὡς ἔφθην εἰπών, καὶ Λυκόφρων διωρθώσαντο, τὰς δὲ ποιητικὰς Ζηνόδοτος κτλ.*

[7]) Cf. Ritschl, Opp. I pagg. 200. 206. 207.

trium virorum in tractandis poëtis Graecis posita. Qua de re inter homines doctos dissensio nata est hanc, ut mihi videtur, potissimum ob rem. Scriptum est in scholio Plautino, cuius fontem Tzetzae commentationem fuisse perhibetur[1]), ab Ritschelio anno 1838, priusquam prolegomena *περὶ κωμῳδίας* et Tzetzae commentarii innotuissent, e codice Romano edito hunc in modum: „Alexander aetolus et Lycophron Chalcidensis et Zenodotus ephestius impulsu Regis ptolemaei Philadelphi cognomento qui . . . . graecae artis poëticos libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt; Alexander tragoedias, Lycophron comoedias, Zenodotus vero Homeri poëmata et reliquorum illustrium poëtarum.“ Fuerunt enim qui, cum aut scholion illud Plautinum solum notum haberent aut eius fidem praeferrent prolegomenis de comoedia a Cramero in Anecdot. Paris. I anno 1839 publici iuris factis, ubi legitur *Ἰστέον ὅτι Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ὑπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου προτραπέντες τὰς σκηνικὰς διώρθωσαν βίβλους, Λυκόφρων μὲν τὰς τῆς κωμῳδίας, Ἀλέξανδρος δὲ τὰς τῆς τραγῳδίας ἀλλὰ δὴ καὶ σατυρικάς . . . Τὰς δὲ σκηνικὰς ὡς ἔφθην εἰπὼν Ἀλέξανδρος καὶ Λυκόφρων διωρθώσαντο, τὰς δὲ ποιητικὰς Ζηνόδοτος πρῶτον καὶ ὕστερον Ἀρίσταρχος διωρθώσαντο κτλ.*, auctoritate, ut modo dixi, scholii Plautini usi dicerent Alexandri, Lycophronis, Zenodoti negotium pertinuisse aut ad corpora poëtarum secundum genus poësis instituta comparanda[2]) aut ad ordinanda et digerenda singulorum poëtarum opera[3]) adhibitis bibliothecae Alexandrinae libris manu scriptis. Sed quoniam repertis in codice Ambrosiano „Prolegomenis Tzetzae in Aristophanem“ Keilius[4]) luculenter docuit verba scholii latini „in unum collegerunt et in ordinem redegerunt“ „e graeco *διώρθωσαν* male intellecto et cum iis, quae postea scripta sunt, commixto originem duxisse“, apparet illas senten-

[1]) Cf. Ritschl, Opp. I p. 5: „Ex Caecio in commento comoediarum Aristophanis poëtae in pluto quam possumus sqq.“

[2]) Cf. Welcker, Epischer Cyclus p. 8; Duentzer, Homer und der epische Cyclus p. 49; idem, De Zen. p. 32.

[3]) Cf. Ritschl l. c. pagg. 11. 33; Müller, Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1835 p. 1181; Lange, Ueber die cyclischen Dichter und den sogenannten epischen Cyclus der Griechen, p. 56.

[4]) Ritschl, Opp. I pagg. 216. 217. 223.

tias testimoniorum adminiculis non sustentari. Immo vero tenendum est grammaticos, cum usi sint notione *διορθοῦν* s. *διορθοῦσθαι* s. *ὀρθοῦν* s. *ἀνορθοῦν*[1]), cogitasse de poëtarum carminum recensionibus ad artis criticae normam confectis, quod loco hoc[2]) satis probatur: *χρόνοις δ' ὡς ἔφην τοῦ Φιλαδέλφου παρὰ τοῦ Ζηνοδότου ὠρθώθησαν* [sc. *αἱ Ὁμηρικαὶ συγγραφαί*], *μετὰ δὲ Ζηνόδοτον Ἀριστάρχῳ πάλιν ὠρθώθησαν*. Dubitari enim nequit, quin notione *ὀρθοῦν* recensionis textus mentio fiat.

Quae cum ita sint, Bernhardyi[3]) sententiam reiciendam esse apparet. Censet autem profectus a verbis prolegomenorum *περὶ κωμῳδίας*: *ἰστέον ὅτι Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ Λυκόφρων ο Χαλκιδεὺς κτλ.*, ubi Zenodoti nomen non additum est, ceteris locis, ubi illorum trium virorum nomina coniuncta occurrunt, neglegentia et errore Zenodotum commemorari, cum confusum sit Lycophronis et Alexandri negotium cum studiis Zenodoti Homericis plane diversis. Nam ut alia mittamus, de confusione cogitare non licet, quod ex prolegomenorum quidem testimonio et Alexander et Lycophron poëtarum libris emendandis et recensendis operam dederunt. Iisdem studiis Zenodotus notitiam est assecutus.

Quoniam hac ab parte testimonia illa sine iusta causa impugnata esse vidimus, quaeritur, num quae de negotio Alexandro, Lycophroni, Zenodoto mandato perhibentur vera esse censeamus. Neque video cur diffidamus.[4]) Nam etsi luce est clarius editiones ad regulas criticae artis institutas omnium poë-

---

[1]) Cf. Keil ap. Ritschl pagg. 200. 205. 206; Anecd. Paris. I p. 6; K. L. Roth, Rhein. Mus. VII p. 136; Hiller, Rhein. Mus. XLII p. 348 sq.

[2]) Keil ap. Ritschl p. 207; cf. Ritschl l. c. I p. 139.

[3]) Grundriss der griech. Litt. I p. 534, II b p. 238.

[4]) De poëtarum libris digerendis et secundum ordinem quendam constituendis cogitaverunt praeter eos, quos p. 204 adn. 1 adscripsi, Bernhardy l. c. I p. 534, II b pagg. 709. 710; Wachsmuth, Philol. XVI p. 653; Meineke, Fr. com. Gr. I p. 10; Otto Schneider, Callimachea II pagg. 297—302; Giske, De Io. Tzetzae scriptis ac vita. Diss. Rost. 1881, p. 60; Strecker, De Lycophrone, Euphor., Eratosth. Diss. Gryphisw. 1884, p. 2; Wilamowitz, Homer. Untersuch. p. 368; Christ l. c. pagg. 404. 410. 446. Editiones esse intellegendas statuit Ulrici, Jahrbb. für wiss. Kritik. 1836, p. 925; cf. Busch l. c. p. 2; Heffter p. 9.

tarum Graecorum ab Alexandro, Lycophrone, Zenodoto proficisci non potuisse, nihil obstat, quominus putemus illos viros versatos esse in recensendis poësis Graecae thesauris et exempla voluminibus, quae praesto erant, adhibitis emendata confecisse. Atque iis poëtis, qui tum clarissimi et celeberrimi habebantur, inprimis curam impensam esse vix dicere opus est. Neque eadem cum accuratione singulorum poëtarum recensiones comparatas esse puto; immo vero rem ita animo informaverim, ut censeam illos viros modo subtilius modo neglegentius negotio functos esse.[1]) Quae sententia cum neque prolegomenorum testimonio neque rerum naturae repugnet, num iis, quae de Lycophrone, Alexandro, Zenodoto aliunde accepimus, comprobetur, nunc est circumspiciendum.

Traditum est in prolegomenis Alexandrum, Lycophronem, Zenodotum provincias ita inter se dispertivisse, ut Alexander poëtas tragicos, Lycophron comicos, Zenodotus ceteros nempe epicos et lyricos recensendos sibi sumeret. Iam dixerunt de Lycophronis et Alexandri opera in scenicorum poëtarum libris emendandis posita nihil memoriae esse traditum exceptis prolegomenis, de quibus agimus; neque falso.[2]) Attamen tenendum est Alexandrum[3]) et Lycophronem[4]) praeter artem poëticam coluisse studia grammatica et in ea litterarum parte versatos esse, cui ex prolegomenorum fide operam navaverunt. Quodsi concedendum est ad Lycophronem et ad Alexandrum pertinere posse negotium recensendi poëtas scenicos; Zenodotum, quem

---

[1]) Keilius ap. Ritschl p. 225 censuit „singula volumina ita ut congesta erant ab illis examinata et recognita fuisse, ut quid in uno quoque contineretur intellegerent num ad auctorem cuius nomen ferebat pertineret, utrum a bono librario diligenter et polite an vitiose et ita, ut novum exemplum parari oporteret, scriptum esse quaererent, et secundum haec ordinem quendam restituerent.“

[2]) Cf. Duentzer, De Zen. p. 32.

[3]) Cf. Ritschl p. 17; Meineke, Anal. Alex. p. 251; Bernhardy l. c. II b p. 709. Fuit Alexander Aetolus γραμματικός teste Suida s. v. Ἀλέξανδρος.

[4]) Cf. Ritschl p. 17; Meineke, Fr. com. gr. p. 10; Bernhardy II b p. 710. Fuit Lycophron γραμματικὸς καὶ ποιητής Suida teste s. v. Λυκόφρων; de eius libro περὶ κωμῳδίας cf. Athen. pagg. 278 B, 485 D, 501 D; Strecker l. l. p. 2.

ἐποποιόν fuisse tradit Suidas, poëtarum epicorum et lyricorum carminibus emendandis studuisse docent fragmenta, quae referenda sunt ad editiones Hesiodi, Anacreontis, Pindari, ut non dicamus de Homero. Ceterum illis locis intellegendum esse Zenodotum Ephesium vel ea re probatur, quod cognomen additum non est, ut is Zenodotus sit accipiendus, qui gloria praeter ceteros eiusdem nominis grammaticos floruerit.

Quodsi comprehendimus, quid tractandis prolegomenis Tzetzae in Aristophanis comoedias et anonymi *περὶ κωμῳδίας* effecerimus, statuendum est Zenodotum Ephesium poëtarum epicorum et lyricorum editiones adornasse.[1])

Transeamus nunc ad poëtas, quorum carmina a Zenodoto emendata esse adhuc demonstrare licet omissa recensione Homerica.

Hesiodeae Theogoniae recensionem a Zenodoto Ephesio[2]) profectam esse colligitur ex scholio ad Theog. vs. 5. Scriptum enim exstat: *Περμησσοῖο*] . . . . . *ἐν δὲ ταῖς Ζηνοδοτείοις*[3]) *γράφεται Τερμησσοῖο, κακῶς· ὁ γὰρ Τερμησσὸς ὄρος ἐστὶ καὶ οὐ ποταμός.* Significari autem illo *ἐν ταῖς Ζηνοδοτείοις* exemplaria editionis Zenodoteae consentaneum est; nam supplendum est *ἐκδόσεσι* aut *διορθώσεσι.*[4]) Iam vero de lectione, quam proposuerit Zenodotus, videamus. Agitur autem de fluminis cuiusdam nomine, cum dubium sit, utrum *Περμησσός* an *Τερμησσός* sit vocandum. Quodsi scholiasta lectionem Zenodoti fuisse *Τερμησσός* tradidit, quam librorum manu scriptorum pars

---

1) Editiones Zenodoteas, quas novimus, Homeri, Pindari, Hesiodi, Anacreontis non spectare ad illud negotium cum Alexandro, Lycophrone commune dixit Keil l. c. p. 225.

2) Cf. Muetzell pagg. 33 sqq. 281; Goettling, Hes. carm. Ed. tertia, cur. Flach p. LII; Osann, Anecd. Rom. p. 177; Flach, Gloss. u. Schol. zur hes. Theog. p. 110; Duentzer p. 34.

3) Sic legendum est ex codicum auctoritate; lectio *γράφει* male habuit viros doctos hos: Wegener l. c. p. 130; Osann, Anecd. Rom. p. 178; Wachsmuth, De Crat. p. 34.

4) Sengebusch I p. 48: La Roche p. 54 adn. 82; Flach, Gloss. u. s. w. p. 111; Duentzer p. 34. — Cf. schol. A ad Il. *δ* 3: *οἱ δέ φασι Ζηνοδότειον εἶναι τὴν γραφήν· ἐν μέντοι ταῖς ἐκδόσεσι χωρὶς τοῦ ν̄ εὕραμεν*; Apoll. De pron. p. 110 Schn.: *ἐν ταῖς Ζηνοδοτείοις διορθώσεσι*: cf. schol. A ad Il. *η* 428, *ξ* 89 *αἱ Ζηνοδότου*; schol. A ad Il. *θ* 513 *αἱ Ἀριστοφάνους*; schol. H ad Od. *ν* 178 *αἱ Ῥιανοῦ.*

altera exhibet[1]), cum in altera atque in scholii lemmate scriptum exstet *Περμησσός*, quaeritur, quem in modum explicanda sit haec nominum differentia. Quod Crates *ἐν τοῖς Βοιωτικοῖς*[2]) proposuit legendum esse *Παρμησσοῖο*, respiciendum esse non videtur, cum forma *Περμησσός*, ut infra dicemus, testimoniis satis confirmetur. Atque, ut redeamus ad nomina „Permessus" et „Termesus", scholiasta quidem dicens *ἐν δὲ ταῖς Ζηνοδοτείοις γράφεται Τερμησσοῖο, κακῶς· ὁ γὰρ Τερμησσὸς ὄρος ἐστὶ καὶ οὐ ποταμός* Zenodoto vituperium inflixit, quod montis nomen pro fluvio falso in textum receperit vocum similitudine fortasse commotus. Qua in re scholiastam errasse censeo; nam cum nemo praeter ipsum, quantum scimus, huius nominis montem noverit, verisimile esse videtur eum Termesum et Teumessum[3]) distinguere omisisse. Aptius in nominum discrepantia explicanda primo obtutu ii versati esse videntur, qui diversorum fluviorum Permessi et Termesi nomina commutata esse putaverunt.[4]) Sed ne hac quidem argumentandi via progredi licet; nam erraverunt, qui Termesum et Permessum flumina diversa intellegenda esse contenderunt. Perhibetur autem nomen Termesi praeter locum, de quo agimus, apud Paus. IX c. 29, 5[5]); fluvius Permessus commemoratur apud Verg. Buc. VI 64; Stat. Theb. VII 183; Strab. IX p. 407; Nic. Ther. 12[6]); Ps.-Serv. Comm. in Verg. Buc. X 12 (cf. schol. in Iuv. VII 6); Hes. s. v. *Περμησσός*. Quodsi conferuntur, quae exstant ap. Paus. l. c. *θυγατέρα δὲ εἶναι τὴν Ἀγανίππην τοῦ Τερμησοῦ λέγουσι· ῥεῖ δὲ καὶ οὗτος ὁ Τερμησὸς περὶ τὸν Ἑλικῶνα* et ap. Ps.-Serv. l. c.: „Callimachus Aganippen fontem esse dicit Permessi fluminis", dubium mihi non est, quin Termesus et Permessus idem fluvius sit habendus[7]), etsi, quae

---

[1]) Num haec lectio redeat ad Zenodotum necne non diiudico.

[2]) Cf. schol. ad h. l.

[3]) Cf. Steph. Byz. s. v. *Τευμησσός*: *ὄρος Βοιωτίας*; Strabo IX p. 409; Paus. IX c. 19, 1; schol. ad Eur. Phoen. v. 1100; Hes. s. v. *Τευμησσός*; Hermann, Opp. VI p. 153.

[4]) Cf. Kruse, Hellas oder geogr.-ant. Darstellung d. alten Griechenlands und seiner Colonieen II p. 483.

[5]) In librorum parte, ut alias discrepantias mittamus, scriptum est *Περμησσός*.

[6]) Forma *Περμησσός* restituenda est ex libri optimi auctoritate.

[7]) Sic statuerunt Goettling; Hermann, Opp. VI p. 153; Schoe-

utroque loco leguntur, non plane consentiunt.[1]) Quae cum ita sint, ego quidem rei explicationem eam solam habeo, ut censeam labentibus annis huius fluvii nomen commutatum esse.

Sequitur ut enucleare studeamus, num Zenodotus lectionem genuinam proposuerit scribens *Τερμησός*; nam aut alterum aut alterum a poëta profectum esse apparet. Atque Goettlingius[2]) quidem recepit in textum scripturam *Τερμησσοῖο,* cum Flachius[3]), Rzachius[4]), Schoemannus formam a littera *π* incipientem praetulerint. Neque horum virorum doctorum partes sequi dubito; nam tenendum est apud Hes. et Paus. formam utramque traditam esse, apud ceteros scriptores, quos commemoravi, exstare *Περμησσός*. Iure igitur Zenodoti lectio reicitur, quam utrum libros Hesiodeos secutus an testimoniis aliunde petitis usus proposuerit, diiudicare non audeo. — Restat ut pauca dicamus de ea re, quod scholiasta testatus est Zenodotum in perhibendo vocabulo *Τερμησός* unam litteram *σ* exaravisse. Docuerunt autem grammatici posteriorum temporum nomina locorum, urbium, cett. exeuntia in *ησσος* oxytona duplici littera *σ* exprimenda esse.[5]) Sed cum in libris hanc legem minime servatam esse constet[6]), neque num ei fides sit habenda discerno neque lectionem Zenodoti ab hac parte genuinam traditam esse dixerim. Quodsi ex hoc scholio colligitur Zenodotum Ephesium Theogoniae Hesiodeae editionem paravisse, cetera quae ferebantur Hesiodi carmina ab eo sive omnia sive ex parte recognita esse probabile est.

Denique notandum est Zenodotum primum, quantum scimus, recensionem carminum Hesiodeorum confecisse; nam quae de Pisistrato[7]) et de Praxiphane[8]) accepimus, apte huc referri vix possunt.

---

mann, Die hes. Theog. p. 39 adn.; Bursian, Geographie von Griechenland I p. 233.

[1]) Cf. Schneider, Callim. II p. 328.

[2]) Hes. carmina. Ed. altera. 1834.

[3]) ap. Goettling, Hes. carmina. Ed. tertia.

[4]) Hesiodi quae feruntur omnia. 1884.

[5]) Cf. Lobeck, Prolegg. pathol. serm. Graec., pagg. 411. 434.

[6]) Fluctuant etiam inscriptiones; cf. Meisterhans, Gramm. der att. Inschr., p. 75 adn. 695.

[7]) et [8]) cf. pag. insequ. sub [1]) et [2]).

Anacreontis carminibus in pristinam et integram formam restituendis[3]) operam dedisse Zenodotum Ephesium duobus testimoniis intellegitur. Atque primum quidem agere placet de scholio ad Pindari Ol. III 52, ubi haec leguntur:

Ὅτι ἐπιμελῶς οἱ ποιηταὶ τὴν θήλειαν ἔλαφον κέρατα ἔχουσαν εἰσάγουσι· καθάπερ καὶ τὴν θηλάζουσαν τὸν Τήλεφον γράφουσι καὶ πλάττουσι. τέτακται δὲ καὶ παρὰ Ἀνακρέοντι· Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνόν, ὅστ' ἐν ὕλαις κεροέσσης ὑπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη. Ζηνόδοτος δὲ μετεποίησεν ἐροέσσης, διὰ τὸ ἱστορεῖσθαι τὰς θηλείας κέρατα μὴ ἔχειν, ἀλλὰ τοὺς ἄρρενας· οἱ μέντοι γε ποιηταὶ πάντας κέρατα ἔχοντας ποιοῦσιν.

Quo ex scholio Bergkius[4]) Anacreontis versiculos hunc in modum constituendos esse arbitratus est collatis Athen. p. 396 D; Ael. Hist. nat. VII 39; Eust. p. 711, 34:

Ἀγανῶς οἷά τε νεβρὸν νεοθηλέα
γαλαθηνόν, ὅςτ' ἐν ὕλης κεροέσσης
ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτοήθη.

Iam in singulis verbis proponendis utrum ubique verum vidit Bergkius necne, diiudicare non nostrum est, ea tantum, quae ad Zenodotum spectant, tractamus. Coniecit autem is — nam librorum quorundam auctoritatem eum secutum esse probabile non est — legendum esse *ἐροέσσης* pro *κεροέσσης* negans cervas esse cornutas. Sed etsi recte contendit cervas cornua non habere[5]), tamen temere versatus est in Anacreontis

---

1) Plut. Thes. c. 20: *ἀπολειφθῆναι δὲ τὴν Ἀριάδνην τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας „δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηΐδος Αἴγλης“· τοιοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς.*

2) Cf. Procl. Comm. p. 3 Gaisf.: *ὅτι δὲ τὸ προοίμιόν τινες διέγραψαν, ὥσπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀρίσταρχος ὀβελίζων τοὺς στίχους καὶ Πραξιφάνης ὁ τοῦ Θεοφράστου μαθητής, μηδὲ τοῦτο ἀγνοοῦμεν. οὗτος μέντοι καὶ ἐντυχεῖν φησιν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν ἐντεῦθεν· οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος* [Erg. vs. 11].

3) Bergk, Anacr. carm. rel. 1834. p. 23; Stark, Quaestionum Anacreont. libri duo. Diss. Jen. 1846, p. 34; Duentzer, De Zen., p. 34 adn. 25.

4) Cf. Anacr. carm. rel., p. 162 fr. 49; Poëtae lyr. 1882⁴ III p. 269 fr. 51.

5) Cf. Arist. Hist. an. IV 11, 7, p. 538 b Bekk.: *οἷα κέρατα ἔλαφος θήλεια οὐκ ἔχει*; De part. an. III 1, 6, p. 622 a: *καὶ διὰ τοῦτο τῶν*

loco recensendo.[1]) Nam nihil impedit, quominus putemus Anacreontis temporibus huius rei notitiam nondum exstitisse vel satis divulgatam fuisse. Quae cum ita sint, erravit Zenodotus, cum censuit Anacreontem, quem talium rerum notitiam perfectam, ut vides, habuisse posuit, a veritate paulo recedere non potuisse. Minime enim est offendendum, quod Sophocles[2]), Euripides[3]), Pindarus[4]), Anacreon cervae cornutae mentionem fecerunt, quod bene perspexerunt Aristophanes Byzantius et Aelianus.[5]) Quodsi sine iusta causa Zenodotum in illo loco haesisse dico, de coniectura, quam recepit in textum, haud inique iudicaverim.[6]) Nam si ad litterarum ductum respicis, facillima est mutatio neque sententia perversa redditur, etsi notionem *κεροέσσης* aptiorem esse loco non nego. Denique memorandum est Zenodotum coniectura, quam proposuit, metri leges laesisse videri; nam verisimillimum est pro *ὕλαις,* quod Bergkio placuit, scribendum esse *ὕλῃ*. Haec enim lectio exstat apud Athenaeum et Aelianum, cum solus Pind. schol. perhibeat *ὕλαις*; huc accedit, quod apud Anacreontem vocabulorum primae quam dicunt declinationis dativus pluralis plerumque in *ῃσι* exit.[7]) Iam apparet abiecta littera *κ* oriri hiatum. Ceterum Zenodotum Ephesium huius coniecturae auctorem esse intellegendum docet temporum computatio; teste enim Aeliano iam Aristophanes Byzantius[8]), qui illius disciplina est usus[9]), exstitit adversarius.

ἐλάφων οἱ μὲν ἄρρενες ἔχουσι κέρατα, αἱ δὲ θήλειαι οὐκ ἔχουσιν; Plin. Hist. nat. VIII c. 32: „Cornua mares (sc. cervi) habent"; Poll. V, 76: *τῶν δὲ ἐλάφων ἄκερως μὲν ἡ θήλεια, ὁ δ' ἄρρην κερωφόρος ἢ κερασφόρος ἢ κεράστης κτλ.*; Dissen, Pind. carm. ad h. l., cf. sect. II Comm. p. 47.

[1]) Boeckh, Pind. carm. adn. ad Ol. III 30.

[2]) Fr. 87 Nauck. Cf. schol. Pind. ad l. c.; Ael. l. c.; Poll. V, 76.

[3]) Fr. 740 Nauck.

[4]) l. c.

[5]) Hist. an. VII c. 39: *πρὸς δὲ τοὺς μοιχῶντας τὸ λεχθὲν* (sc. locum Anacr.) *καὶ μέντοι καὶ φάσκοντας δεῖν ἐροέσσης γράφειν ἀντιλέγει κατὰ κράτος Ἀριστοφάνης ὁ Βυζάντιος καὶ ἐμέ γε αἱρεῖ τῇ ἀντιλογίᾳ.*

[6]) Cf. Lehrs, De Arist. p. 352.

[7]) Cf. fr. 1, 5; 18, 2; 21, 5; 81, 1. Forma dativi brevior legitur in fr. 24, 1; 65, 2; 77. Nihil certi affirmaverim de fr. 25, 2.

[8]) Cf. Leopold Cohn, Quaestiones Eustath. Diss. Vratisl. 1878, p. 33 (= Jahrbb. f. Phil., Suppl. XII p. 310).

[9]) Cf. p. 123.

Transeo nunc ad ea, quae perhibentur apud Zon., lex. p. 1512 s. v. *πανδοκεῖον*: *οὐκ ἐν τῷ X πανδοχεῖον. καὶ μελανοδόκον*[1]), *καὶ τὰ ὅμοια οὕτως. τὸν δὲ μοχλὸν ἐν τῷ χ καὶ Ἀττικοὶ καὶ Δωριεῖς καὶ Ἴωνες πλὴν Ἀνακρέοντος· οὗτος δὲ μόνος σχεδὸν τὸ κ. Ζηνόδοτος δέ· καὶ οὐ μοκλὸν ἐν οὔρῃσι δίζῃσι βαλὼν ἥσυχος καθεύδει. καὶ ὁ σχινδαλμὸς ἐν τῷ χ.* Quae verba, quantum spectant ad Zenodotum, Bergkius[2]) ita est interpretatus, ut scribendum esse censuerit: *Ζηνόδοτος δὲ μοχλόν*. Neque dubito, quin haec sententia bene se habeat. Quo concesso apparet Zenodotum formam, quam habuit traditam, reiecisse et usitatam *μοχλόν* in editione proposuisse. Ceterum temere eum versatum esse in expellenda forma *μοκλός*, etsi alibi non exstat, est concedendum.[3])

Ut Homeri, Hesiodi sic Anacreontis fuit Zenodotus *πρῶτος διορθωτής*[4]): nam Chamaeleontis Pontici librum[5]), in quo de Anacreonte egit, ad textus recensionem spectasse est negandum.

Unum tandem restat, quod omittere non debemus. Nam cum Iliadem et Odysseam a Zenodoto in vicena quaterna carmina distributa[6]) esse verisimile videatur, haud scio an, quae Anacreontis ferebantur, in libros digesserit. Nam distributionem carminum Anacreonteorum exstitisse diserte est traditum.[7])

---

[1]) Matthaei, Lectiones Mosquenses II p. 86, scribendum esse docuit *μελανοδοκεῖον*.

[2]) Cf. Anacr. carm. rel. p. 221; Poët. lyr. III p. 278.

[3]) Adnotasse satis habeo apud Iones pro *δέχομαι* in usu fuisse *δέκομαι*, pro *χιτών κιθών*, alia. Cf. G. Meyer, Griech. Gramm. § 207.

[4]) Cf. Bergk, Anacr. carm. rel. p. 25.

[5]) Cf. Athen. p. 533 E: *Χαμαιλέων δ' ο Ποντικὸς ἐν τῷ περὶ Ἀνακρέοντος*.

[6]) De Zenodoto cogitaverunt Duentzer p. 154 adn. 2; Sengebusch I p. 25; La Roche p. 11; Wilamowitz, Homer. Untersuch. p. 369, qui rem extra omnem dubitationem positam esse demonstrasse sibi visus est; cum dubitanter iudicaverint Lachmann, Betrachtungen über Homers Ilias, p. 93; Christ l. c. p. 49. Aristarchum intellexerunt Wolf p. 206 adn. 41; Heyne VIII p. 788; Schoell, Gesch. der griech. Litt., übersetzt von Schwarze I p. 106; Lehrs, De Arist. p. 351. — Pisistrateorum memoriam repetiit Bergk, Zeitschr. für die Alterthumswiss. 1846 p. 486 (= Kleine Schriften, ed. Peppmüller p. 409).

[7]) Citatur liber alter ap. Athen. p. 671 E: *ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν μελῶν*; Et. Magn. pagg. 593, 48. 713, 27; liber tertius a Porphyrione, Comm.

Reliquum est ut agamus de Pindari carminum editione Zenodotea[1]), cuius notitia debetur scholiis Pindaricis, quae exstant in cod. Vratisl. A. Adnotavit scholiasta ad Ol. II 7: ἀκροθόνια[2]) πολέμου] Ζηνόδοτος μετὰ τοῦ ῑ γράφει, ἀκροθίνια.[3]) Iam contendit Boeckhius[4]) Zenodotum scripturam ἀκροθόνια correxisse in ἀκροθίνια. Rectius hac de re mihi statuisse videtur Mommsenus.[5]) Et primum quidem quaeritur, quid omnino sibi velit vocabulum ἀκροθόνια[6]), cuius originatio plane obscura est. Quodsi reputas et Ol. II 4 et Ol. XI 57, ubi in scholiis adscripta est vox ἀκροθόνια, in textu ἀκρόθινα legi, quae forma apud scriptores veteres Graecos praeter hos duos locos nusquam occurrit, cum vocabulum ἀκροθίνιον vel ἀκροθίνια satis sit tritum, dubium esse non potest, quin scholii sententia pristina fuerit Zenodotum vocem „ἀκροθίνια" μετὰ τοῦ ῑ γράφειν recedentem a lectione „ἀκρόθινα". Atque haec coniectura, quam proposuit Mommsenus, eo verisimilior est, quod in libris manu scriptis litterae ῑ et ō saepius confusae sunt.[7]) Quae fuerit causa, cur Zenodotus ἀκροθίνια scripserit, facile intellegitur. Si enim reminisceris, quae de vocabulo μοχλόν disseruerimus[8]), concedes Zenodotum formam ἀκρόθινα reiecisse,

---

in Hor. ad Carm. I 27, 1 (ed. Meyer p. 31). — Libros exstitisse quinque collegisse sibi visus est Bergk, Anacr. carm. rel. p. 28, qui assensum tulit Richteri [Jahrbb. f. Phil. XV p. 28], sed hanc sententiam stare non posse docuit Duebner, Anthol. II p. 189.

[1]) Cf. Boeckh, Pind. carm. praef. pagg. IX. X; Duentzer p. 34 adn. 24. — Editionem a Zenodoto profectam esse ex verbis Ζηνόδοτος γράφει elucet, quae exstant in scholiis ad Ol. II 7; VI 91; cf. infra.

[2]) Ita etiam in codice Ambrosiano, cuius apographum est Vratislaviensis A, scriptum esse videtur. Cf. T. Mommsen, Adnot. crit. suppl. ad Pind. Olymp. p. 15.

[3]) Cf. Schneider, Apparat. Pindaric. Suppl. ex codd. Vratisl. pag. 60.

[4]) l. c. praef. p. IX; adn. ad h. l.

[5]) Adnot. crit. suppl. ad Pind. Olymp. p. 14.

[6]) Legitur haec forma praeter hunc locum nusquam nisi in schol. cod. Vratisl. D ad Ol. XI 67, ubi ceteri libri exhibent ἀκρόθινα, et in scholiis rec. ad Ol. II 2, quae tradunt in uno librorum scriptum esse ἀκροθόνια.

[7]) Cf. Mommsen l. c.

[8]) Cf. p. 212.

quod, quantum scimus, exceptis illis duobus locis Pindaricis et apud Pindarum[1]) et apud alios scriptores legitur *ἀκροθίνια*. Sed Zenodotus certe ea in re erravit, quod formam, quam bis habuit traditam quaeque propter rationes metricas aptior est quam *ἀκροθίνια*[2]), removit; nam causa esse non videtur, cur negemus Pindarum *ἀκρόθινα* abiecta littera ῐ exhibuisse.[3])

Lectio editionis Zenodoteae exhibetur porro in schol. ad Ol. VI 91, ubi legitur: *παμπορφύροις ἀκτῖσιν*] *Ζηνόδοτος γράφει . . . . ἀντὶ τοῦ βεβρεγμένος*. Iam quid scripserit Zenodotus, traditum non est, ut ad coniecturas sit confugiendum, si hoc de loco iudicamus. Atque ut non dicamus de Mommseni sententia fieri potuisse, ut Zenodotus formam *βεβρεγμένος*, quae ex librorum auctoritate legitur nunc in editionibus, correxerit in *βεβραγμένος*, quod in cod. Vat. A et Aug. B scriptum esse videtur — nam hoc certe librariorum errori debetur[4]) — coniecturam, quam altero loco protulit Mommsenus, amplecti non dubito. Pronum est suspicari Zenodotum offendisse in notionum coniunctione[5]) *ἀκτῖσι βεβρεγμένος* i. e. „[violarum] radiis perfusus". Iam si respicis eum pro *βεβρεγμένος* aliud vocabulum in textum recepisse, quo posito sententiam simpliciorem procedere sibi persuasit, haud scio an cogitandum sit de *βεβλημένος*[6]). Sed hac de opinione utcunque iudicabis, illud mihi dubium non est, quin Zenodotus haeserit in verborum coniunctione *ἀκτῖσι βεβρεγμένος*. Ceterum omnino locum bene se habere addere vix opus est.

Denique ad editionem carminum Pindaricorum spectat schol. ad Ol. III 52, de quo supra diximus.[7]) Iam quomodo Zenodotus hoc in loco tractando versatus sit, ubi cervae aureis cornibus

---

1) Cf. e. gr. Nem. VII 41.

2) Concedo Zenodotum metri leges non laesisse; cogitari enim potest *ἀκροθίνια* a Pindaro *τρισυλλάβως* esse usurpatum.

3) Simile occurrit in voce *χλαρόν* (*χλιαρόν*), apud Pind. Pyth. IX 38. Praeterea cf. Christ, Metrik der Griechen u. Römer, p. 22.

4) Cf. Veitch, Greek verbs p. 143.

5) Cf. quae p. 193 de vocabulo *βοτρυδόν* exposuimus.

6) Cf. Od. ε 379: *οὐδέ ποτ' Ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν*; τ 441; Eur. Suppl. 650: *ἀκτὶς ἡλίου ἔβαλλε γαῖαν*; Theocr. XXII 86: *Βάλλετο ἀκτίνεσσι κτλ.*

7) Cf. p. 210.

exornatae mentio fit, non adnotavit scholiasta, etsi dubitari nequit, quin verba tradita corrupta habuerit.[1]) Verisimile autem esse videtur Zenodotum a coniectura non abhorruisse, ut vitium, quod exstare sibi persuasit, removeret.

Quoniam de vestigiis editionis disputavimus, sequitur, ut hac de quaestione in universum pauca addamus. Contendimus supra Zenodotum carminum Pindaricorum recensionem comparasse, sed audio dicentes, satis temerariam esse hanc rationem argumentandi, cum Zenodoti nomen non occurrat nisi in scholiis ad epinicia Olympiaca, ut haec, non cetera carmina emendata esse probabile sit. Tenendum autem est notitiam doctrinae Zenodoteae fluere ex cod. Ambrosiano, qui sola Olympiaca cum scholiis continet. Quae cum ita sint, non est cur quisquam ambigat Pindari carmina omnia, quae tum ferebantur, Zenodoti opera edita esse?[2]) Ceterum Zenodotus Ephesius primus editionem Pindari „secundum criticae artis normam institutam" conficere studuit; nam Chamaeleontem in libro *περὶ Πινδάρου*[3]) aliud consilium persecutum esse apparet. Denique in numero eorum, Chamaeleontis, Callimachi, Aristophanis, Aristarchi, ad quorum aliquem distributionem carminum Pindaricorum[4]) secundum argumenti naturam paratam redire a probabilitate non abhorret, Zenodotum Ephesium omitti non debere adnotaverim.

Trium igitur poëtarum praeter Homerum, Hesiodi, Anacreontis, Pindari, editiones a Zenodoto Ephesio adornatas esse lectionibus, quas in textum recepit, servatis demonstratur; sed si computas notitiam recensionis Hesiodeae uno niti fragmento, Pindaricae scholiis codicis Ambrosiani, facillime memoriam editionum ad alios auctores pertinentium intercidere potuisse apparet, ut causa non sit, cur dubitemus, quin Prolegomenorum *περὶ κωμῳδίας* testimonium, ex quo Zenodotus negotio emendandorum carminum poëtarum epicorum et lyricorum functus est, recte se habeat.

---

[1]) Cf. p. 210 sq.

[2]) Cf. Boeckh, praef. p. IX.

[3]) Cf. Athen. p. 573 C: *καὶ Χαμαιλέων ὁ Ἡρακλεώτης ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Πινδάρου.*

[4]) Cf. Hiller, Die Verzeichnisse der Pindarischen Gedichte. Hermes XXI p. 359.

Haec fere habuimus, quae de studiis Zenodoti Ephesii excepta recensione Homerica diceremus. Reliquum est, ut paucis comprehendamus quae exposuerimus. Confecit Zenodotus praeter editionem Homericam librum, qui inscriptus fuit γλῶσσαι, recensiones poëtarum epicorum et lyricorum; egit praeterea de Homero, computavit numeros dierum Iliadis. Ceterum haec computatio dierum et illa dissertatio Homerica, ut ita dicam, utrum referendae sint ad libros peculiares, an hae res in una commentatione tractatae fuerint, quam Iliadis recensioni annexam fuisse putare licet, an de singulis ex parte quidem in libris alii materiae destinatis occasione data verba fecerit Zenodotus, discerni nequit. Atque de indole et natura studiorum grammaticorum hunc in modum iudico. Versatus est in vocabulis difficilioribus ad intellegendum explicandis ita, ut significationem statueret respecto nexu sententiarum neglecta originatione; usus est in poëtarum carminibus emendandis ea ratione, ut quam ipse rerum cognitionem habere sibi visus est, poëtis adscribendam esse censeret, ut mirum non sit, quod singularia et quae liberius, ut est poëtarum mos, dicta sunt, removere studuit. Denique Zenodotum a licentia et neglegentia non abhorruisse luce est clarius; attamen tantum abest, ut pingui Minerva et tardo ingenio artem criticam exercuerit, ut ratio et consilium ei non defuerit.

GUILELMUS MEINERS:

QUAESTIONES AD SCHOLIA ARISTOPHANEA HISTORICA PERTINENTES.

Permulta iam de iis scholiis Aristophaneis, quibus res gestae narrantur, hic illic scripta sunt, cum et ii, qui Graecorum historiam composuerunt, et ii, qui fragmenta historicorum in unum congesserunt, multique alii magnam eorum partem in usum suum converterent; sed nihilominus operae pretium videtur ea non ut fere fiebat singula sed omnia et quasi ex uno conspectu perlustrata in disputationem revocare, eo consilio, ut praecipue, quibus ex fontibus hauserint veteres interpretes rerum gestarum narrationes, quaeramus simulque quaecumque ad ea emendanda aut rectius iudicanda afferre possumus, afferamus. Disseremus igitur, ut planius dicam, de scholiis iis, quibus rerum ab Atheniensibus aliisque populis domi bellique gestarum narrationes continentur, omissis et iis, quibus de rebus mythicis aut divinis sermo fit, quorum aliquam partem tractavit P. Stengelius 'Ad res sacras cognoscendas cuiusnam momenti sint scholia Aristophanea' in Symbol. Ioachimic. Berolin. 1880, et iis, quibus agitur de rei publicae statu et institutis, de quibus nisi Harpocrationis et Pollucis lexicis diligentissime adhibitis certum iudicium fieri non potest. Sed priusquam ad argumentum accedimus, natura rei ipsa exigitur, ut quam paucissimis historiam studiorum veterum grammaticorum in Aristophane interpretando consumptorum adumbremus et de auctoribus eorum scholiorum, quae ad nos spectant, agamus vel potius, cum Didymum primas in iis agere partes statim videamus, quae ad eum aut certo aut cum probabilitate quadam referri possint quaeramus.

Iam veteres enim grammatici Alexandrini Lycophron, Euphronius, Eratosthenes, Callistratus, Aristophanes, Aristarchus[1])

[1]) De his grammaticis cf. O. Schneider, De vet. in Arist. schol. fontib., Sundiae 1838, §§ 27 sqq., cuius sententia non in una re correcta

aliique, quorum nomina et vestigia adhuc in scholiis servata sunt, cum Aristophanis fabulis explicandis sive propriis commentariis sive in scholis ut Aristophanes Byzantius, cuius observationes per discipulos maxime innotuerunt, operam navavissent, per totum reliquum secundum et primum saeculum a. Chr. n. hoc studium est continuatum, dum Didymi Chalcenteri sub finem saeculi primi florentis studio et industria factum est, ut eorum qui principes inter illos habebantur sententiis in unum coactis[2]) recens nasceretur commentarius et qui alios fere obscuraret. Qui aliis quibusdam grammaticis minoris momenti[3]) accedentibus luculentissime a Symmacho Herodiani aetate non recentiore in usum ductus, immo non semel transscriptus est[4]), post quem cum alii ut Phainus eidem rei studuissent iam incipiebant scholiastarum labores, qui magnam ad partem ad nos pervenerunt. Quorum duo discernuntur genera, prius veterum scholiorum e bonis illis scholiis haustorum, alterum Byzantinorum Tzetzae, Thomae Magistri, Triclinii stilo et ingenio ortorum, quae quamquam aliis saepe admixta sunt — ut Musurus, qui anno 1498 editionem principem curavit, utriusque generis scholia adscripsit —, et ineptiis facile cognoscuntur, cum fere nihil valeant, et a veteribus codicibus (RV) et a Suidae lexico omnino absunt. Ceterum cave ne omnia scholia, quae a RV omissa solis aliis et iis recentioribus codicibus exhibentur, Byzantina habeas, quod fieri vetuit diligenti dissertatione C. Zacherus.[5]) Iam veterum scholiastarum non unius sed complurium servatas esse sententias probant exempla schol. Ach. 82. 234. 1150; Equ. 55. 84; Vesp. 947; Pac. 289; Plut. 173[6]) multaque alia, ubi cum

---

est a Nauckio, Aristoph. grammat. fragm. pagg. 63 sqq.; R. Schmidtio, De Callistrato, in appendice libri Nauckii; Gerhardio, De Aristarcho Aristoph. interprete, Bonn. 1850; M. Schmidtio, Didymi Chalc. fragm. pagg. 292 sqq.; Streckero, De Lycophrone, Euphronio, Eratosthene, comic. interpret., Gryphisw. 1884.

[2]) Cf. Schmidtium pagg. 292 sqq.

[3]) Cf. eundem pagg. 291. 292.

[4]) Cf. R. Schnee, Ein Beitrag zur Kritik der Aristophanesscholien, Berol. 1879, pagg. 38 sqq., et A. Schauenburg, De Symmachi in Ar. interpret. subsidiis, Halis 1884, pagg. 6. 39, saepius.

[5]) Cf. Jahrbb. f. Phil. Suppl. XVI pagg. 544 sqq.

[6]) Cf. vocem *ἄλλως* sive quod bis terve legitur *ἢ καὶ οὕτως*.

videas sententias allatas hic illic inter se differre, saepius fere easdem esse, omnes quicumque quarto quinto sexto saeculo p. Chr. n. scholia exemplaribus adscripserint, constat aut ab eodem vetere commentario sive ab eisdem commentariis aut unum ab altero dependere, quamquam hic illic unus alterve eorum ex suo arbitrio aliquid addidit. Iam quaestio est saepe tractata et ne hodie quidem absoluta, quibus usi sint commentariis scholiastae. Cui cum per se facile videatur posse responderi — nam quid verisimilius est quam usurpatos esse commentarios Didymi, Symmachi, Phaini? —, Schneiderus[7]) primus putavit uno Symmacho alios commentarios in usum suum adhibente usos esse scholiastas, cui sententiae aliqua ex parte favet Wilamowitzius.[8]) Sed ut Symmachum Didymi commentarium in usum vocasse constat, ut certe iusto iure scholia redegisse dicatur, ita eum et vetustorum grammaticorum Alexandrinorum uberrimis subsidiis copiisque, id quod putavit Schneiderus, instructum fuisse et eius commentarium solum a scholiastis adhibitum esse recte refutaverunt Engerus, Bernhardyus, Schmidtius Schneeius, Schauenburgius[9]), qui Chalcentero suum tribuebant locum, ipsi contra hic illic eius studium et operam nimii aestimantes. Etenim Symmachi commentarium neque tanto apparatu instructum fuisse neque solum in usum vocatum esse probatur et scholiis ipsis, de qua re ab hominibus doctis iam satis dictum est et ipsi hic illic videbimus, et, id quod Dindorfius[10]) recte indicavit, subscriptionibus codicis V: *παραγέγραπται ἐκ τῶν Φαείνου καὶ Συμμάχου καὶ ἄλλων τινῶν* (in fine Nubium), *ἐκ Φαείνου καὶ Συμμάχου* (in fine Pacis), *ἐκ τῶν Συμμάχου καὶ ἄλλων σχολίων* (in fine Avium). Accedit quod id fundamentum, quo quam maxime utitur Schneiderus, labitur. Nempe conclusit

Ceterum permulta nobis occurrent exempla, ubi omissis his vocibus plura scholia in unum vides congesta: cognoscitur tale vitium duplici modo, aut quod quasi unum afferuntur plures res plane inter se differentes aut quod repetitae sunt eaedem sententiae.

7) Liber allatus fere totus in hac re versatur, cf. pag. 9.

8) Cf. Philol. Untersuch. I pagg. 154. 166 et Euripides Herakles I pagg. 179. 181.

9) Cf. Engerus, Zimmermanni Zeitschrift f. d. Altert. VIII pagg. 932 sqq.; Bernhardyus, Historia litt. Graec.[3] II pag. 672; alios in ll. all.

10) Cf. Duebneri edit. p. VI.

homo doctus[11]) — et hoc probavit Wilamowitzius (Untersuch. p. 166 et Herakles p. 179) — unius syllogen adhibitam esse in scholiis inde quod persaepe legitur antecedentium aut sequentium scholiorum ratione habita: *εἴρηται, προείρηται, δεδήλωται* cett., quibus verbis commotus usque eo progressus est, ut ordinem, quo in Symmachi commentario olim expositae essent fabularum explicationes, restitueret iis quae contra hunc ordinem dicebant magis minusve artificiose remotis. Quod quam vanis nitatur argumentis Engerus[12]) probavit; immo ipsis his *εἴρηται* cett. probatur complurium scholiastarum nobis servatas esse explicationes diversum fabularum ordinem secutas, quae postea in unum corpus congestae sunt. Quod uno exemplo comprobaverim. Bene Schneiderus ostendit pagg. 40. 42 Vesparum fabulam in exemplari quodam scholiis ornato, ut nos dicimus, in Symmachi commentario, ut ille putavit, post Equites locum habuisse; sed ex schol. Equit. 449 collato scholio Vesp. 502 patet eandem ante Equitum fabulam positam fuisse: unde quid sequitur? Ut alter scholiastes hoc, alter illo loco prolatas fabulas scholiis ornaverit. Ceterum idem patet ex schol. Plut. 1146 l. 16, ubi *ὄπισθεν* illud ad schol. Plut. 550 l. 3 sqq. spectans non Symmacheum esse, sed grammatici cuiusdam Byzantini postea probabo. At unus locus in scholiis exstat, quo unum solum commentarium adhibitum esse probari videtur, unde Schneideri tota argumentatio profecta est[13]), schol. Plut. 1037, ubi legitur l. 16: *ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως· τοῦτο κτλ.* (nam scholium Pac. 742, ubi est *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι* articulo omisso, huc non pertinere recte vidit Gerhardius[14])). Sed vel hoc loco quid aliud efficiatur equidem non video nisi scholiastam eum, qui hoc scholium adscripserit, hic uno tantum usum esse commentario[15]), quod ad omnia scholia transferre non licet. Sed haec hactenus. Videmus complures scholiastas compluribus adhibitis commentariis, inter quos, cum Symmacheus certe maxi-

---

[11]) l. a. pagg. 34 sqq.

[12]) l. a. pag. 949.

[13]) l. a. pag. 18; cf. Schmidtius l. a. pag. 288.

[14]) l. a. pag. 2; cf. Bernhardyus l. a. pag. 672.

[15]) Cf. Bernhardyus l. a. pag. 672; Didymi intellectum esse commentarium mihi non persuasit Schmidtius l. a. pagg. 287 sqq.

mas egerit partes, sine dubio Didymeus erat sive integer sive, id quod Schauenburgius putavit[16]), ab alio in brevius contractus, fabulas, quas sibi proposuerant interpretandas, explicasse hic illic sua adicientes, deinde iam ante Suidae[17]) aetatem in unum corpus e diversis his exemplaribus scholia congesta esse, unde denique cum per alios codices permigrassent et Suidas et eorum codicum, quibus nos scholia habemus adscripta, librarii hauserunt, cum recentioribus codicibus Byzantinorum quoque ineptiae accesserint.[18])

Caput I.

Sed etsi umbrae solum veterum commentariorum, qui certatim in brevius contrahebantur, ad nostram memoriam pervenerunt, vestigia tamen priscorum grammaticorum vel in iis scholiis, quibus nos utimur, servata sunt, inter quos in iis scholiis, quae tractare propositum mihi est, cum Didymus unus omnium valde excellat, de hoc paullo accuratius quaeram; nam quanto firmiore nitaris fundamento, cum de rerum gestarum in scholiis expositarum fontibus acturus scies, qui auctores sint horum scholiorum, per se apparet.

Primum quidem a veteribus grammaticis Alexandrinis plane alienus videtur fuisse is mos, ut uberibus, saepe loquacibus, verbis res historicas explicarent, non reconditam quandam doctrinam exquirentes: exspectabant, ut unusquisque lectorum et discipulorum sciret, quae bello Persico, bello Peloponnesiaco gesta essent. Quod ex scholiis ipsis patet. Ut enim Aristophanes et Aristarchus textui praecipue sanando, verbis compositis mire formatis exponendis, rebus ad scenam aut litterarum historiam pertinentibus explicandis operam navaverunt, res gestas nisi, ad poëtae verba intellegenda utique necessariae,

16) l. a. pagg. 23 sqq.

17) Qui cum saepe plura scholia ad unum lemma adscripta afferat, saepe ea suo arbitrio commutaverit, hic illic uberiora exhibet, immo etiam talia qualia in scholiorum codicibus omnino non leguntur, ut s. v. ὑπερακοντίζεις; cf. schol. Av. 363.

18) De tota hac re cf. Zacherus l. a. pagg. 736 sqq.

dubitationem quandam movere potuerunt non attigerunt (ut Aristarchus fecit in schol. Ran. 1422), ita Callistratus quoque, quem de minutioribus artis grammaticae partibus et de difficilibus obscoenisque vocabulis et de proverbiis praecipue egisse bene intellexit R. Schmidtius (l. a. pag. 325), triginta duorum scholiorum, quibus nomen eius exstat, tribus tantum (Vesp. 157, Av. 997, Ran. 1422) historiam tetigit, et iis quidem ita comparatis, ut res explicaretur obscurior et ad intellegendum poëtam utique necessaria. Iam ut alios omittam, in quos idem cadit, Lycophronem, Euphronium, Eratosthenem[1]), primus Demetrius Ixion, fere tertia parte saeculi secundi a. Chr. n. florens[2]), schol. Vesp. 240, quod ad eum pertinere postea exponam, vel talem rem gestam protulit, quae ad interpretandum poëtam non utique necessaria esset, cum aliis eiusmodi scholiis Ran. 191. 970 1196 iusta vice fungeretur. Sed uberius huic studio inservisse primus Didymus videtur, Ciceronis aetatem paene attingens[3]), quem omnino ut Homerum et Sophoclem commentantem curis criticis magis incubuisse ita comicum explicantem ut enarrando eum illustraret studuisse videmus. Quam ob rem ut homines docti, quicumque haec scholia attigerunt, certatim affirmaverunt maximam eorum partem a Didymo esse profectam, ita primus Schmidtius[4]) accuratius quaesivit, quot scholia ad eum referrentur; sed cum ne is quidem plane rem absolverit, equidem denuo hanc quaestionem tractabo, id solum agens, ut eorum scholiorum, quibus de rebus gestis agitur, quae ad huius grammatici studium pertineant quaeram, alia iis mittens, qui de fontibus quaestionem, a Schneidero institutam, ab aliis deinceps iterum tractatatam, denuo deproment.

---

[1]) Illos his rebus non studuisse Streckerus quoque probat l. a. pagg. 3. 11, cum hunc, ut qui chronographiam conscripserit, in libro quoque *περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας* de rebus gestis egisse afferat; sed quae huius rei profert documenta frgg. 59 (schol. Av. 556), 70 (schol. Pac. 48), 119 (Hesych. s. v. *Ῥοίκου κριθοπομπία*), eorum primum ita comparatum est, ut sine dubio ad chronographiam pertineat, id quod ipse non utique spernit, alia autem suum locum habebant in libro de vetere comoedia, cum alterum pertineat ad tempus, quo Pax docta sit, alterum ad obscuram quandam rem explicandam.

[2]) Cf. Staesche, De Demetrio Ixione. Halis 1883, pag. 11.

[3]) l. a. pag. 6. [4]) l. a. pagg. 247 sqq.

Iam ad cognoscenda scholia Didymea, ut ita dicam, nisi si eius nomine ornata sunt, duplicem habes viam, alteram ut quibus dictionis eius propriae exstent vestigia inquiras, alteram ut cum aliis auctoribus e Didymi diligentiae et doctrinae thesauris sua haurientibus scholia compares. Quod priusquam instituamus, necesse est ea afferre, quibus nominatim exhibetur. Sunt haec. 1) schol. I Av. 13 l. 45—50[5]) (frg. 19 Schmidt.), ubi cum recte explicet alter grammaticus *ἀντὶ τοῦ ὀρνεοπωλῶν* (cf. Kock. ad h. v.), Didymus, urbe Orneis falso pro Laconica habita, dicit: cum quattuor ante annis Athenienses ad Mantineam gravem cladem acceperint et Laconica urbs Orneae sint, hoc loco Euelpides ambigue dicit se malum perpessum esse *ἐκ τῶν ὀρνεῶν*, quod artificiosius esse intellexit Clausenus.[6]) Simul ex hoc scholio concluserim eam rem ab Atheniensibus apud Orneas haud praeclare gestam, quae a Thucydide narratur VI, 7, non cognitam fuisse Didymo, ut schol. Av. 399, ubi et de hac pugna sermo fit et Argolidis urbem esse Orneas exstat, ad eundem non referri certo audeam confirmare. — 2) Didymi nomen legitur in schol. Lys. 313 (frg. 56) l. 52: *Δίδυμος καὶ Κράτερός φασι ταῦτα αἰνίττεσθαι εἰς Φρύνιχον*, quae verba eam controversiam genuerunt, ut Meinekius et Cobetus[7]) putarent iam ipsum Craterum, cum de hoc psephismate ageret, comici verba attulisse et recte ad Phrynichum rettulisse, cum Krechius[7]) verba *Δίδυμος καὶ Κράτερος κτλ.* neglegenter dicta esse ratus sit pro „Didymus, ut locum illum Aristophaneum ad Phrynichum pertinere probaret, psephisma in eum factum e Crateri synagoga attulit“, quem ipsum loci Aristophanei mentionem fecisse negat. Et primum quidem hic loquendi usus (*Δίδυμος*) *καὶ* (*Κράτερος*)

[5]) Utor Duebneri editione 1842 Parisiis in lucem edita, adhibitis, si necessitas postulavit, novis collationibus: cf. Martin, Les scolies d'Aristophane du manuscript de Ravenne, bibliothèque des écoles franç. XXVII (cod. R); Holtzinger, Wien. Stud. V p. 205 sqq. (cod. V Pacis); Augsberger, Progr. Gymn. Ludovic. Monac. 1886 (cod. V Ran.).

[6]) Cf. De scholiis veteribus in Aves Arist. compos. Kiel 1881, pag. 23.

[7]) Ille in Epimetro I ad Steph. Byz. pag. 79, ubi cum nihil adnotaverit ad scholii verba, puto eum ad verbum interpretatum esse quae leguntur; hic in Mnemos. N. S. I pag. 125.

[8]) Cf. de Crateri *ψηφισμάτων συναγωγῇ*, Berol. 1888 pag. 22.

fixus quidam et certus est apud grammaticos, quo idem significant ac „apud“: Εὔπολις καὶ Δίδυμος i. e. Eupolis apud Didymum, Eupolis a Didymo adscitus et Didymus ipse, qua in loquendi ratione nihil ad rem fert, quo loco nomina ponas, utrum dicas Δίδυμος καὶ Κράτερος an Κράτερος καὶ Δίδυμος.[9]) Sed hoc nihil ad discernendum, utrum credas iam Craterum Aristophanis locum exhibuisse, an solum Didymum. In qua re quamquam scholium per se conspectum prius videtur postulare, equidem cum Krechio consentio, cum et a toto Crateri more talis res aliena videatur esse neque omnino disertis verbis apud comicum exstet Phrynichi nomen, ut vel propterea magis mirum esset eum Aristophanis locum adhibuisse. Immo facile intellegitur, quomodo vitium nasci potuerit: legebatur olim in Didymi commentario: ταῦτα αἰνίττεται εἰς Φρύνιχον· περὶ οὗ καὶ Κράτερός φησι κτλ. vel tale quid, unde factum est, ut Crateri nomen iam ad antecedentia transferretur. — 3) Chalcenteri nomen exstat schol. Ran. 970 (frg. 15). — 4) schol. Plut. 550 l. 40 (frg. 1 et pagg. 290 sqq.), de quo postea agam.

Deinde habemus quaedam dictionis Didymeae vestigia, quae quamvis corrupta et inquinata ad nos pervenerint scholia hic illic adhuc cognoscuntur. Huc primum pertinet usus particulae μήποτε i. e. fortasse igitur „also wohl“, quem Didymeum esse cum breviter adnotassent Schneiderus et Lehrsius neque uberioribus verbis Schmidtius et qui ei assensus est Friedlaenderus, accuratius tractaverunt Schneeius et Schauenburgius.[10]) Quod si ad nostra scholia adhibueris, invenies illud μήποτε: 5) schol. Pac. 242 de Prasiis, 6) Vesp. 718, 7) Vesp. 947, 8) Vesp. 1122, 9) Av. 485, 10) Av. 997 l. 25, 11) Ran. 367, denique

---

[9]) Exempla exstant apud Schmidtium l. a. pag. 289 adn. 1 et Jungblutium, Quaestiones de paroem. graec.: De Zenobio. Halis 1882, pagg. 22. 23.

[10]) Cf. Schneider l. a. pag. 112 adnot. 2; Lehrs, De Arist. stud. Homeric.[3] pag. 27; Schmidt l. a. pag. 212; Friedlaender, Jahrbb. für Philol. LXXVII pag. 9 sqq.; Schnee l. a. pag. 37, cuius exempla e Didymi περὶ τῆς Ἀριστάρχου διορθώσεως hausta (cf. Ludwich, Arist. homer. Textkritik I) augeri possunt Δ 334, Λ 104, Ξ 229, Ψ 374, Ω 42, α 234, cum pro Λ 532 legendum sit 522, pro Ο 32 Ο 33, Π 461 Π 467, Φ 536 Φ 586; Schauenburg l. a. pagg. 11. 12. Ceterum hic non omnes locos attulit.

Plut. 550 (cf. no. 4) pag. 354 a l. 21 — b l. 10, de quo iam accuratius agatur. Habes enim omisso recentissimo scholio l. 3—10 scholia septem: I l. 21 sqq. ex historici cuiusdam libro haustum, quod cum nunc satis habeam probasse Didymo non deberi, postea de eo accuratius dicam, II l. 28 sqq.: *μήποτε ὁ ἀξιωματικὸς καὶ αὐθάδης ὡς Στράττις ἐν τῷ Κινησίᾳ* (cf. Meinekius, Hist. crit. comic. graec. p. 227, Kockius I p. 716), *Διονύσιος δὲ ὁ μέν τις φαίνεται μαινόμενος, ὁ δὲ ὡς ἔοικεν ἰχθυοπώλης*, III l. 31 sqq., quod ad eundem quo II commentarium (Didymeum) refertur, quem in initio depravavit huius scholii auctor, in fine paullo integriorem servavit: *ὁ μὲν ἀξιωματικὸς καὶ αὐθάδης, ὁ δὲ μαινόμενος καὶ* (pro *καὶ* scribendum *ἢ*, nam ex altero scholio elucet iam incipi de altero Dionysio dici: usus autem talis particulae *ἢ* pro *ὁ δέ, οἱ δέ* patet ex schol. Ach. 1150 l. 48 et Pac. 363 l. 29) *ὡς ἔοικεν* (quod exstat etiam in schol. II post *ὁ δέ*) *ἰχθυοπώλης. Πολύζηλος δὲ κτλ.* (cf. Kockius I pag. 792) *μήποτε δὲ καὶ περὶ τὴν ὄψιν ἀποσκώπτει, ὡς ὁμοιούντων* (V *ὁμοιούσης*) *σφόδρα ἀνομοίως* (V *-ους*), quae verba Hemsterhusius[11]) probata cod. V lectione *ἀνομοίους*, retineri vult, Dobreus[12]), quem secutus est Dindorfius, deleri: sunt certe retinenda facili mutatione sanata: *ὡς ὁμοιῶν τοὺς σφ. ἀνομοίους* (cf. schol. Equit. 449 l. 2). Hucusque propter duplex *μήποτε* commentarius Didymi videtur pertinere, qui non ausus est certam de Dionysio afferre sententiam. A quo diversum esse illum, qui alteram de Thrasybulo tulerit sententiam (schol. I), recte vidit Ludwigius.[13]) Idem intellexit hanc de Thrasybulo sententiam fluxisse ex eodem fonte, quo schol. Eccl. 203, sine dubio e Strattidis comoedia, ut Didymus ipse indicat, quamquam non recte ad Collytensem Thrasybulum haec verba spectare dixisse mihi videtur Ludwigius contra Frohbergeri, Goetzii, Kaehleri[14]) opinionem. Iam alius gramma-

---

11) Cf. edit. Pluti 1811 pag. 165.

12) Cf. edit. Duebner. pag. 569.

13) Cf. Pluti Aristoph. utram recensionem veteres grammatici dixerint priorem. Lips. 1888, pag. 72 sqq.

14) Cf. Frohbergerus, Philol. XVII pagg. 445. 446; Goetzius, Act. Societ. phil. Lips. II pag. 346 adn. 36; Kaehlerus, De Aristoph. eccles. temp. et choro, Ien. 1889, pag. 15.

ticus Didymi commentario usus (fortasse Symmachus) addidit — nam illud ἢ ὅτι ὁ μὲν Διονύσιος τύραννος, Θρασύβουλος δὲ δημοφιλής hic omitto, quod praeclarum praebet exemplum interpolationis recentioris e scholio I huc immissae — alius igitur grammaticus, cum Didymo repugnans, addidit: μᾶλλον δ' ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολυττέως — hunc enim solum Thrasybulum non Stiriensem cognovisse videtur grammaticus aut potius e Collyto pago praeclarum illum virum ortum esse putavit —: iam sequuntur in codicibus ἀδελφὸν ἔγγιστα συγγενείας εἶναι, quae ab Hemsterhusio cum antecedentibus coniuncta et mutata sunt in ἀδελφὸν ἢ ἔγγιστα συγγενείας εἶναι, cum grammaticum putet dicere velle haec: potius autem suspicetur aliquis alium esse Dionysium Thrasybuli Collytensis aut fratrem aut genere proximum, qui scilicet facie fuerint tam dissimiles, ut si quis res longissime disparatas inter se componere aggrederetur, eodem iure contendere posset Thrasybulo similem esse vel fratrem vel propinquum eius Dionysium. In qua coniectura ego quoque acquiescam. Iam sequitur καὶ ἐν τῇ Ἰλιάδι σαφέστερον οἶδεν ἢ κατὰ Δίδυμον, quae ab Hemsterhusio mutata sunt in καὶ ἐν Γηρυτάδῃ σαφέστερον οἶδεν· ἢ κατὰ Δίδυμον· ὡς εἴ τις λέγει κτλ. (i. e. et in fabula Gerytade accuratius eum describit et cognovit poëta; deinde novum scholium incipit ἢ κατὰ Δίδυμον κτλ.). Contra quem Schneiderus l. a. pag. 14 dicens proposuit: καὶ ἐν Γηρυτάδῃ (sive ἐν Δηλιάσι adn. 1) σαφέστερον οἶδεν ἢ 'νταῦθα Δίδυμος (i. e. in commentario Gerytadae accuratius eum cognovit Didymus), cum Schmidtius denique simili vitio in schol. Homer. ϑ 224 invento[15]) nisus proposuerit: καὶ Ἀπολλώνιος σαφέστερον οἶδεν κατά γε Δίδυμον. Nulla e coniecturis allatis omnibus numeris absoluta est[16]); sensus autem loci potest quodammodo

---

[15]) Cf. Meinekius, Anal. Alexandr. pag. 184 adn. 1.

[16]) Aliter de toto hoc scholio iudicavit Ludwigius in summa rei, quantum ad Didymum refertur, mecum consentiens. Hemsterhusii enim et Schmidtii coniecturis probatis ita legit: ἢ ὅτι ὁ μὲν Διονύσιος τύραννος, Θρασύβουλος δὲ δημοφιλής. μᾶλλον δ' ἄν τις ὑπονοήσειεν ἕτερον Διονύσιον Θρασυβούλου τοῦ Κολλυτέως ἀδελφὸν ἢ ἔγγιστα συγγενείας εἶναι. καὶ Ἀπολλώνιος σαφέστερον οἶδεν ἢ κατά γε Δίδυμον, quod secundum Schmidtium vult explicari: Apollonii huius loci interpretatio evidentior est quam Didymi („Apollonius' Verständ-

restitui, id quod aliqua ex parte fecit Hemsterhusius. Exstat enim scholium huic simillimum Av. 521 l. 32: *ἔζη δὲ* (Lampon) *ἐπὶ τῆς τῶν Ὀρνίθων διδασκαλίας, οὐχ, ὥς τινες, ἐτεθνήκει· πολλῷ γὰρ ὕστερον Κρατῖνος ἐν τῇ Νεμέσει οἶδεν αὐτὸν ζῶντα,* unde patet et in schol. Plut. inserendum esse *αὐτόν* et in *Ἰλιάδι* latere fabulae cuiusdam nomen, quod quomodo sit restituendum certo dici nequit. Quod autem inde a verbis *ἢ κατὰ Δίδυμον* novum incipere scholium putavit Hemsterhusius, erravit homo doctus; nam illud *ἢ κατὰ Δίδυμον*, praeterquam quod id non respondere loquendi usui constanter in scholiis servato recte exposuit Schneiderus l. a. pag. 15 frustra negante Dindorfio, arte coniungendum est cum *σαφέστερον οἶδεν,* quia totum scholium III Didymo deberi antea vidimus. Qui revera valde in incerto reliquit, quis sit ille Dionysius, quem alter grammaticus — ut nos posuimus, Symmachus — sive poëtae cuidam sive grammatico alio loco accuratius cognitum esse *ἢ κατὰ Δίδυμον* (i. e. quam secundum Didymum putaveris) dicit. Quibus cognitis cum schol. IV l. 41—44, V l. 44—49, VII l. 52—2 omnia ex eodem commentario sive scholio quo I nata sint,

niss dieser Stelle ist einleuchtender im Verhältniss zu Didymus"). Hunc putat esse sententiarum nexum: *ἢ ὅτι — δημοφιλής,* quibus eandem loci explicationem contineri ac scholio I recte dicit, Apollonii sententia est; deinde ineptam illam fratrum dissimilitudinis opinionem Didymo tribuit, quem Symmachus ipse vituperat: *καὶ Ἀπολλώνιος κτλ.* Denique cum ipse Ludwigius intellegat schol. II et III Didymea esse, cumque sibi persuaserit explanandum fuisse Chalcentero, qua re inter se dissimiles fuerint fratres, sententiam, quae insit in schol. II et III, putat esse coniungendam cum *μᾶλλον δ' ἂν κτλ.*, quippe quae dissimilitudinis causam contineat, et propter ipsum hoc *μᾶλλον κτλ.* ea, quae illis scholiis dicantur, ad Collytensem esse referenda. Quae quam vanis nitantur argumentis per se apparet. Primum enim fundamentum, quo totam argumentationem posuit, Schmidtii coniecturam, equidem debilissimum puto, cum verba eo sensu quo putaverunt homines docti vel ab inepto quodam grammatico usurpari posse negem. Deinde si dicit Didymus: „potius suspicetur aliquis Dionysium alium esse, Thrasybuli fratrem", iam exspectamus eum certum quendam nobis proponere Dionysium, cum e duobus nos unum iubeat eligere; denique mea quidem sententia omnino non desideratur, ut dicatur, qua in re dissimiles fuerint fratres aut propinqui. Nempe facie, gestu, habitu, ut inepta haec interpretatio ad Didymum non pertineat, sed ad eum, qui contra illum dicit.

schol. VI l. 49—52 utramque sententiam afferat, quamquam Dionysios exhibet inter se commutatos, ex historia sumpta sunt sola ea quae attulit commentarius schol. I, IV, V, VII (VI partim), cum Didymus comoediam consuluerit, qui eum vituperat Symmachus rem ipse finxerit.

Propter alium sermonis usum Didymi proprium 12) schol. II Ran. 725 l. 21—25 ad hunc grammaticum pertinet. Solet enim Chalcenterus voce *οὕτως* in scholii tenore pro verbis poëtae repetitis exposita ad lemma demonstrare, qui loquendi usus cum a Schmidtio primo expositus sit probatus est a Friedlaendero et Schauenburgio. Qui usus cum inveniatur[17]) in scholii allati versu 23, Didymo id tribui potest.

Iam alteram viam ingrediamur. Mauricius enim Schmidtius[18]) probavit, id quod praemissa illa epistola ad Eulogium data elucet[19]), Hesychium vel potius Diogenianum, a quo ille totus dependet, Didymi lexicum comicum usurpasse. Atqui cum non pauca habeas scholia, quae saepe ad verbum, saepius solo sensu cum Hesychio congruant, inde sequitur haec scholia e Didymi commentario hausta esse semet ipsum de more expilantis.[20])

---

[17]) Duo hic exstare scholia non separata postea probabo. De re cf. Schmidt l. a. pagg. 134. 212; Friedländer l. a. pag. 14; Schauenburg l. a. pagg. 7. 8, qui ipse attulit exemplum schol. Av. 1297 l. 44 sq., plane cum eo quod ego attuli congruens (cf. vocem *νῦν*).

[18]) l. a. pagg. 28 sqq. 283 sqq.

[19]) Verba sunt haec: *οἱ δὲ τὰς κωμικὰς ἰδίᾳ καὶ τὰς τραγικάς* (sc. *λέξεις συντεθείκασιν*), *ὡς Θέων καὶ Δίδυμος . . . . Διογενιανὸς δέ τις . . . τά τε προειρημένα βιβλία καὶ . . . . συναγαγὼν κτλ.* Permulta dicta sunt, verba *Θέων καὶ Δίδυμος* quomodo intelligenda sint; cf. Ranke, De lexici Hes. vera origine, 1831 pag. 135, alios; quae cum ad nostram quaestionem non pertineant, meum non est ea accuratius tractare.

[20]) Dicat quispiam haec potius a scholiastis ex Hesychii sive Diogeniani lexico esse descripta; sed cum non pauca exstent scholia, quae Didymi nomine ornata sunt aut alias ob causas ad huius commentarium reduci possunt, quae fere ad verbum iterum leguntur apud Hesychium, cumque certo negari debeat in lexicis illis res a Didymo sumptas eius nomine fuisse ornatas, ut inde scholiorum auctores Chalcenteri nomen potuerint cognoscere, certo constat non alterum ab altero dependere, sed et scholiorum auctores et lexicographos eodem Didymo usos esse; cf. Schmidt pag. 76 frg. 43; pag. 77 frg. 47.

Iam intelleges non nimium referre, quod non semper plane iidem sunt hi loci, cum plurima e commentariis suis in Aristophanem, Cratinum, Eupolidem, alios in brevius contracta, alia quaedam leviter mutata in lexicon comicum transtulisse grammaticum demonstrari possit, ex lexico demum Diogenianus, inde Hesychius, hauserit. Qua re probata — et probata est a Schneeio quoque in ultima libelli pagina et a Schauenburgio pagg. 18. 19 — iam scholia, quae propter hanc causam Chalcentero tribui possunt, afferam. Congruit 13) schol. Ach. 160 l. 53 cum Hesychio s. v. *καταπελτάσονται: καταδραμοῦνται· ἀπὸ τῶν πελταστῶν*, ut totum scholium ad Didymum debeamus referre; 14) Ach. 220 l. 43 sqq. cum Hesych. s. v. *Λακρατίδας: Ἀριστοφάνης φησὶ παλαιὸν Λακρατίδαν τὰ ψυχρὰ βουλόμενος δηλοῦν. ψυχροὶ γὰρ οἱ γέροντες*, ut hoc quoque totum Didymo debeatur. Ab eodem dependet Photius s. v. *Λακρατίδας*; cf. Naberi edit. Phot. proleg. 8, 16 saep. — Ita ad Chalcenterum referuntur 15) schol. Ach. 850 l. 7, cf. Hesych. s. v. *περιπόνηρος Ἀρτέμων: παρὰ τὴν παροιμίαν τὴν περιφόρητος Ἀρτέμων· εἰσὶ δὲ δύο Ἀρτέμωνες*; nam in scholio quoque de duobus Artemonibus sermonem fieri postea probabo. — 16) schol. Equit. 132 l. 36, cf. Hesych. s. v. *προβατοπώλης: οὕτω κωμῳδεῖται Λυσικλῆς προβατοπώλης γήμας Ἀσπασίαν τὴν πόρνην* (cf. schol. Equ. 765). — 17) schol. Nub. 46 l. 2—5 sine dubio huc a lemmate ad v. 48 falso translatum, cf. Hesych. s. v. *ἐγκεκοισυρωμένη: διὰ Κοισύραν τὴν Μεγακλέους μητέρα τοῦ Ἀλκμαιωνίδου. ἔστι δὲ σεμνυνομένη τῷ γένει*, unde simul constat schol. Nub. 48, ubi explicationem invenimus paullo differentem non a Didymo esse profectum. — 18) Nub. 397 l. 20, quod, cum Hesychius habeat s. v. *βεκκεσέληνος· σεληνόπληκτος* (cf. schol. l. 20), totum ad Didymum refertur. — 19) schol. II Vesp. 1191 l. 46 sqq., cf. Hesych. s. v. *Ἐφωδίων: Ἐρατοσθένης διὰ τοῦ τ̄ Ἐφωτίωνα ἀναγράφει, Μαινάλιον, περιοδονίκην* (e coniectura) *παγκρατιάστην· ὁ δὲ Πολέμων διὰ τοῦ δ̄.* — 20) schol. Pac. 363 II. III. IV l. 50 sqq., cf. Hesych. s. v. *Κιλλικῶν: προδότης οὕτως ἐπωνομάζετο, Ἀχαιὸς μὲν τοὔνομα, Κιλλικῶν δὲ ἐπικαλούμενος, ὃς Μίλητον προέδωκε τοῖς βασιλέων στρατηγοῖς*, unde simul patet schol. I v. 26—50 non a Didymo dependere. Idem exscripserunt Photius et Suidas. — 21) schol. Av. 186 l. 53 sqq., cf. Hesych.

s. v. λιμῷ Μηλίῳ: παροιμία· ἐπεὶ Ἀθηναῖοι ἐκάκωσαν Μηλίους πολιορκοῦντες λιμῷ ὡς Θουκυδίδης. — 22) schol. Av. 487 l. 50, cf. Hesych. s. v. κυρβασία: ὀρθὴ τίαρα· ταύτῃ δὲ οἱ Περσῶν βασιλεῖς μόνοι ἐχρῶντο. καὶ κορυφὴ ἀλέκτορος. — 23) schol. Av. 556 l. 2, cf. Hesych. s. v. ἱερὸν πόλεμον: ὃν ἐπολέμησαν Λακεδαιμόνιοι πρὸς Φωκέας ὑπὲρ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ. ἐβοήθησαν δὲ Φωκεῦσιν Ἀθηναῖοι καὶ παρέδοσαν. De scholio ipso postea videbimus: hic satis habeo demonstrasse Didymum huic rei operam navavisse. — 24) schol. Av. 1021 l. 29, cf. Hesych. s. v. Σαρδανάπαλ(λ)ος: πάντες σχεδὸν ἁπάσης ἀκολασίας καὶ τρυφῆς δοῦλον τοῦτον ἀναγράφουσι γεγονέναι· καὶ ἐπὶ τῷ μνήματι αὐτοῦ ἐν τῇ Ἀσσυρίᾳ ἐν Νίνῳ φασὶν ἐπιγεγράφθαι Ἀσσυρίοις γράμμασι· Σαρδανάπαλ(λ)ος . . . . γεγόνασι δὲ δύο Σαρδανάπαλ(λ)οι. — 25) schol. Lys. 665. 666 l. 18 sqq., cf. Hesych. s. v. Λειψύδριον: χωρίον τι ὑπὲρ Πάρνηθος ὃ ἐτείχισαν Ἀλκμαίων (sic codex), quod non bene mutavit Phavorinus — quem secutus est Schmidtius in editione — in ἐτείχισεν, cum Alcmaeon iam ante mortuus esset, nepos eius huic rei interesset[21]), immo quattuor litterae in fine versus evanuerunt, ut scribatur Ἀλκμαιωνίδαι.[22]) — 26) schol. I Nub. 109 l. 48 sqq. (cf. Suidas s. v. Φασιανοί) magna ex parte repetitur ab Athenaeo IX, 387 a, quem, cum aliis locis Didymo videamus usum esse (Athen. 67 d, 70 c), hic quoque eum consuluisse dicemus. Ceterum ad eundem Didymum ducimur ab Hesychio s. v. Φασιανοί: ὄρνεις ποιοί· οἱ δὲ τοὺς Ποντικοὺς φασι, ubi equidem scholii Didymei Nub. 109 l. 52. 53 comparans post φασί putem excidisse ἵππους. Quae si constant, 27) schol. Av. 1569 l. 20 sqq. et 28) Ran. 362 l. 10 propter Hesychium s. v. Λαισποδίας et Θωρυκίων Didymo tribuemus.

Denique tertiam habemus viam, quae circuitione quadam ad Didymea invenienda ducat. Scimus enim bibliolatham tredecim libros scripsisse περὶ παροιμιῶν[23]), quos cum ipsi perditi sint a Zenobio in constituendis tribus libris proverbiorum una cum Lucilli Tarrhaei tribus libris adhibitos esse Iungblutius

---

[21]) Cf. Herodotus, ed. Stein 1882⁴ ad VI, 125; Curtius, Hist. graec.⁵ I pag. 366, cf. I pag. 253.

[22]) Cf. Rosius, Aristotelis frgm., Lips. 1886, nr. 394.

[23]) Cf. Schmidtius l. a. pagg. 396 sqq.

probavit.[24]) Libri Zenobiani, ut idem docuit, integri nullo codice servati sunt, sed proverbia a Zenobio in libros tres divisa litterarum ordine ita digesta sunt, ut primae cuiusque litterae ratio haberetur. E codice sic disposito descripta est et *Ζηνοβίου ἐπιτομὴ ἐκ τῶν Ταρραίου καὶ Διδύμου παροιμιῶν* et proverbia Pseudo-Diogeniani et appendix quae dicitur proverbiorum BV. Denique hic in censum veniunt codex Athous (M) et Laurentianus (L), quorum communem archetypum continuisse proverbiorum collectiones quinque Crusius docuit, quarum tres (I—III M, I. IV. V L) complecterentur Zenobii epitomen Tarrhaei et Didymi proverbiorum melius servatam.[24]) Iam videmus in scholiis Aristophaneis permulta allata proverbia, quae Didymo debentur (cf. Vesp. 440. 675; Av. 1620 alia). Nonne igitur plus quam verisimile est alia quoque proverbia et eiusmodi res, quae in scholiis exstant, ad Didymum pertinere, si in collectionibus illis modo allatis leguntur e Didymi libris *περὶ παροιμιῶν* haustis, ut vel hic habeas Chalcenterum se ipsum expilantem?[26])

Habes igitur Didymea schol. Ach. 850 (cf. 15, Hesych.), cf.

[24]) l. a. pag. 41.

[25]) Cf. Crusius, Analecta critica ad paroem. Graec. 1883; Brachmannus, Jahrbb. f. Phil. Suppl. XIV p. 341. Editi sunt paroem. a Leutschio et Schneidewino, Paroemiogr. Graeci, Goetting. 1839, I pgg. 1. 177. 379 (una cum app. Coesliniana). Cod. M ed. Miller, Mélanges de littérature grecque, Paris 1868, pagg. 349 sqq.; cf. Nauckius, Bulletin de l'académie de St. Pétersbourg XIII pag. 369; cod. L a Iungblutio, Mus. Rhen. N. F. XXXVIII pag. 394.

[26]) Non effugit haec res Luebkium, Observ. critic. in histor. vet. graec. comoed., Berol. 1883 pag. 12, cum dicit „idem (Antimachi decretum) apud Diogenianum, cuius opes et scholia Aristophanea constat magna ex parte ex Didymi commentariis fluxisse", quod quam falsum sit iam apparet. At liceat id quod attuli uno exemplo clarius probare. Exstant in schol. Plut. 720 complures explicationes id agentes, ut exponatur, cur Sphettium potissimum dixerit acetum poëta, e quibus una est Didymea l. 38: *ἢ* (quod deest in R, cf. Martin) *ἀπὸ τοῦ δήμου· πικροὶ γὰρ οἱ Σφήττιοι καὶ συκοφάνται,* quam Didymeam esse diserte probat Athen. II, 67 d: *Ἀριστοφάνης δὲ ἐν τῷ Πλούτῳ φησίν· ὄξει διέμενος Σφηττίῳ· Δίδυμος δὲ ἐξηγούμενος* (ergo e commentario Didymi hausit, cf. 486 d, 689 b) *τὸ ἰαμβεῖόν φησιν· ἴσως διότι οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς,* quod cum iterum legatur in prov. append. BV *ὄξος Σφήττιον: ἴσως διότι οἱ Σφήττιοι ὀξεῖς,* constat etiam in libris *περὶ παροιμιῶν* fuisse expositum.

appendix II (B) 32: ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων: ἐπὶ τῶν πάνυ ποθουμένων. φασὶ γὰρ ὅτι νεανίσκος ὁ Ἀρτέμων ἐγένετο περιμάχητος γυναιξίν. ἄλλοι δὲ ὅτι μηχανοποιὸς ἐγένετο σοφώτατος κατὰ τοὺς Περικλέους χρόνους. χωλὸς δὲ ὢν περιεφέρετο ἐπὶ τῷ ὁρᾶν τὰς μηχανάς (cf. cod. M I ξγ', L IV ν'). — 29) Ach. 1150 schol. II l. 49 sqq., cf. Pseudo-Diogen. VIII 71: Ψέκας· ὁ δρόσος· οὕτως ἐκαλεῖτο Ἀντίμαχος πτυελώδης ὤν. οὗτος δὲ μελῶν ἦν ποιητής. οὕτω δὲ ἐκαλεῖτο διότι προσέρραινε τοῖς ὁμιλοῦσι διαλεγόμενος (mel. τοὺς ὁμιλοῦντας ut in schol.). ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος ψήφισμα πεποιηκέναι ὅτι μὴ δεῖ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος.[27]) — schol. Pac. 363 II. III. IV (cf. 20, Hesych.), cf. Zenob. I, 3: Ἀγαθὰ Κιλλικῶν· λείπει τὸ ἔχει. προδότης γέγονεν οὗτος ὁ Κιλλικῶν, Μιλήσιος τὸ γένος, ὃς προδοὺς Μίλητον εὐπόρησεν (cf. Pseudo-Diog. I, 9). — schol. Av. 186 (cf. 21, Hesych)., cf. Zenob. VI, 94: Λιμῷ Μηλίῳ· παροιμία· ἐπεὶ Ἀθηναῖοι ἐκάκωσαν Μηλίους πολιορκοῦντας ἐν λιμῷ ὡς Θουκυδίδης ἐν τῇ ε̄. (cf. Pseudo-Diog. IV, 14). — 30) schol. Nub. 859 I l. 28—37, III l. 44 sqq., cf. Zenob. III, 91: εἰς τὸ δέον· Περικλῆς, ὥς φασιν, ἔδωκε χρήματα τῷ βασιλεῖ τῶν Λακεδαιμονίων Πλειστοάνακτι καὶ συνέπεισεν αὐτὸν ἀναχωρῆσαι ἐκ τῆς Ἀττικῆς ἐπὶ πολέμῳ προαχθέντα. διδοὺς οὖν λόγον τῶν χρημάτων μετὰ ταῦτα τοῖς Ἀθηναίοις καὶ μὴ θελήσας φανερῶς λογίσασθαι εἶπεν· εἰς τὸ δέον ἀνήλωσα τοσάδε τάλαντα (cf. L V υθ'). — 31) schol. Plut. 1002 II. III l. 12 sqq., de quibus postea videbimus; cf. Zenob. V, 80: πάλαι ποτ' ἦσαν . . . φασὶ τοὺς Κᾶρας πολεμουμένους ὑπὸ Δαρείου τοῦ Πέρσου κατά τινα παλαιὰν μαντείαν εἰρημένην αὐτοῖς τοὺς ἀλκιμωτάτους προςθέσθαι συμμάχους ἐλθεῖν ἐς Βραγχίδας καὶ τὸν ἐκεῖ θεὸν ἐρωτῆσαι εἰ Μιλησίους πρόσθοιντο συμμάχους· τὸν δὲ ἀποκρίνασθαι· πάλαι ποτ' κτλ. οὗτος δὲ ὁ στίχος εἴρηται τὸ πρότερον παρὰ Ἀνακρέοντι,

[27]) De scholio ipso postea dicam; cadunt autem probata mea disputatione ea, quae Cobetus dixit, Observ. critic. in Plat. comic. rell., Amstelod. 1840, pag. 36: „certum esse natum esse istud commentum e futili recentiorum grammaticorum coniectura“; qui, cum de scholio ipso recte iudicaverit, ut postea videbimus, paullo severius iudicium statuit de eius auctore, quem quamvis frustra oleum perderet pro virili parte in poëtae verbis explicandis operam consumpsisse probabimus.

ος ἤκμασε κατὰ Κῦρον τὸν Πέρσην. τρίτος δέ ἐστιν ἀπὸ Κύρου Δαρεῖος (cf. cod. M I με', L IV λη'). — Denique schol. Ran. 970 (cf. 3), Zenob. IV, 74; append. BV V, 28.

Iam hoc certo iacto fundamento cum Didymum maximas partes in scholiis agere probaverimus, paullo confidentius licet progredi. Praemittam hic statim mentionem quandam in universum spectantem. Saepe enim in scholiis compluribus locis fere eadem fere iisdem verbis bis vel saepius invenimus repetita, ut Vesp. 502 et Lys. 619 in priore scholio l. 21—26. Cuius, cum finis diversus sit a fine schol. Vesp. 502, l. 1—4, in initio eadem leguntur ac illic, cf. l. 52—55. Fac, quaeso, schol. Vesp. 502 ad Didymum referri: oritur quaestio, num ea quae ad Lys. 619 exposita sunt, ab eodem Didymo prolata sint, ut ipse in commentario bis fere idem exhibuerit, an scholiastes demum quidam rem illic allatam hic repetiverit. Quae quaestio, cum huic exemplo posterius evenisse putem, nisi certa exstant vestigia, quibus recentissimum esse alterum scholium probatur, discerni non semper potest, neque vero magni momenti est eam discerni; etenim sive eadem sunt sive aliquanto inter se diversa talia scholia, si ad ultimum finem recedis, certe eidem debentur. Quam ob rem equidem satis habebo et in hoc capite et cum de fontibus agam talia scholia apponere solum, hoc illo exemplo rem illustrans. Sed ut ad viam relictam reflectamus, vidimus schol. Ran. 970 ad Didymum referri, quo in scholio invenis *καθωμίλει τοὺς καιροὺς* V (*τοῖς καιροῖς* ΘM Suidas s. v. Ἀγχίστροφοι et Θηραμένης), quae enuntiatio, praeterea semel apud Athenaeum inventa[28]), recurrit in schol. Ran. 541 l. 16 (*καθομιλῶν τοῖς καιροῖς*). Quid igitur verisimilius quam hoc quoque scholium in universum boni et sobrii grammatici ingenium redolens[30]) eidem Didymo tribui, cum neque transscriptum esse possit de posteriore Ran. scholio neque credibile sit duos

[28]) Cf. 513 b, ubi Megaclidis peripatetici verba afferuntur; apud Athenaeum quoque cum accusativo coniungitur verbum *καθομιλεῖν*, ut in schol. Ran. 970 a cod. V exhibetur. Quo in scholio cum ΘM Suidas exhibeant *τοῖς καιροῖς*, quod iterum legitur in omnibus codicibus schol. Ran. 541 et Ran. 47, schol. Didymeum Ran. 970, ut postea videbimus, adhibentis, hic puto deteriorum codicum auctoritati esse obsequendum et scribendum *καθωμίλει τοῖς καιροῖς*.

grammaticos in idem incidisse enuntiatum tam singulare. Aliter res se habet in schol. I Ran. 47 l. 21—26 — de quo postea videbimus —, quod aperte adhibuisse Ran. 541 praeter alia docet *οἱ δέ* (i. e. Didymus ipse). Cum Didymea ad Plut. 550 sententia congruit, ut iam dixi, 33) schol. Eccl. 203 l. 4—6, cum schol. Vesp. 947 34) schol. Ach. 703 l. 28—34, de quo postea agetur, ut vel hoc totum Chalcentero tribuas. Tribuas porro eidem 35) schol. Ran. 720 l. 11—13, quia schol. Ran. 725 ad eandem rem pertinens paucis versibus intermissis ad eum referri vidimus. Deinde propter schol. Ach. 1150, quo psephismatis *τοῦ μὴ κωμῳδεῖν* mentio fit, 36) schol. Ach. 67 eidem tribuam (cf. Nub. 1022), propter schol. Av. 186 37) schol. Av. 363 vel potius id scholium, quod Symmachus a Didymo dependens olim in commentario exhibuit, quod cum in codicibus non sit servatum apud Suidam exstat s. v. *ὑπερακοντίζεις*: *Σύμμαχος· πρὸς τὴν Μηλίου πολιορκίαν· Φρύνιχος Μονοτρόπῳ κτλ. ἢ ὅτι* . . . iam sequitur id quod codices habent, ut ne hoc quidem Byzantinum esse constet.

Iam patet alia via, qua ad huius grammatici opes inveniendas pervenire possimus: ut de fontibus quaeramus; quod quamvis paullo magis lubricum sit iter, tamen quadam cum probabilitate confirmare ausim, si in compluribus scholiis eundem sive eosdem fontes paullo obscuriores — nam Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, ipsum Philochorum in scholiis quoque Lucianeis certe non Didymeis adhibitos alii quoque cognoverunt — videamus usurpatos, ad eundem has notitias esse referendas. Quam ob rem certo dixerim 38) schol. Ach. 532 l. 21 sqq. e Didymi commentario olim haustum esse, quia Timocreontem Rhodium (cf. Bergk, Poët. lyr. graec. III pag. 540) hic videmus in usum vocatum, qui cum praeterea in solo scholio Vesp. 1063 recurrat, illic a Didymo consultus est. Quae si recte disputata sunt, 39) schol. quoque Pac. 605 l. 30 sqq. ei tribuendum est, quo unde ea, quae Ach. 530 exposita sunt, hauserit cognoscitur.[29]) Eandem rationem, cum schol. Lys. 313 a Didymo viderimus esse profectum, ad ea scholia velim adhiberi, quibus Cra-

[29]) Eidem hoc scholium tribuit Sauppius, Goetting. gelehrt. Anz. 1867 pagg. 180 sqq. et dubitanter Schoellius, Sitzungsber. der k. bayer. Akademie, philos.-philol. u. histor. Klasse 1888 pag. 250 adn. 1.

terus consultus est, non obscurus ille quidem sed rarius adhibitus et ab eo auctore, cuius interest optimum quidque proferre. Iam mihi crede praeter 40) schol. Av. 1073 (cf. schol. Ran. 320, Nub. 302), quod Crateri nomen prae se fert, 41) schol. Lys. 273 l. 36 sqq.[30]), 42) schol. Eccl. 1098 l. 50—54, 43) schol. Pac. 246. 609 ad Craterum referri: concedes ratione mea probata haec omnia Didymea esse. Idem denique transferam ad 44) schol. Ach. 214 l. 13 sqq. et 45) ad schol. II Av. 283 l. 35 sqq., quae Chalcentero puto esse tribuenda, quod in iis Eratosthenis olympionicarum index, ut postea probabo, adhibitus est, idemque index consultus est in schol. Didymeo Vesp. 1190. Eidem quadam cum probabilitate 46) schol. Equit. 84 l. 21—37 et 41 sqq. tribui potest. Duo olim scholiastae exemplaribus ex eodem communi fonte — nam congruunt inter se I et II — explicationes adscripserunt, sed ita adscripserunt, ut prior ea tantum afferret, quae ad locum interpretandum utique necessaria erant, alter omnia quae inveniebat.[31]) Cuius erat commentarius ille, unde hausta sunt scholia? Erat Symmachi, quae res patet e fine scholii II: *Σύμμαχος δέ φησι ψεύδεσθαι περὶ Θεμιστοκλέους· οὔτε γὰρ Ἡρόδοτος οὔτε Θουκυδίδης ἱστορεῖ.* Statim quaeritur, quis sit ille, quem *ψεύδεσθαι* dicit Symmachus. Duo possunt cogitari: aut historicus quidam, quem de morte Themistoclis consuluerit (nempe, ut postea videbimus, Ephorus), aut interpres aliquis, unde Symmachus totam hanc historiam hausit, addens eum mentitum esse. Et profecto hoc unum verum esse e tota ratione scholiorum intelleges. Etenim ut credibile non est Symmachum, cum certam Ephori historici narrationem ante oculos haberet, dixisse eum mentiri, quia apud Herodotum

---

[30]) Ceterum facere non possum, quin hic commemorem Krechii (l. a. pag. 18) errorem, viri ceteroquin diligentissimi, qui adnotat „item in arce positum erat *παρὰ τὸν ἀρχαῖον νεών* psephisma de Isagoraeis . . ., quod ex Crateri *συναγωγῇ* petiisse Caecilium, ex Caecilio scholiastam Aristophan. Lys. 273 recte coniecisse videtur Wilamowitzius" (phil. Unters. I pag. 70); ubi neglegentia factum est, ut id quod Wilamowitzius de Antiphontis sociis paullo antea dixit, a Krechio ad Isagoraeos transferretur.

[31]) Deinde cum in unum corpus e diversis exemplaribus scholia conferrentur, is qui hoc corpus confecit, cum idem bis afferre nollet, in altero scholio exposuit *ὡς ἄνω εἴρηται*, cf. Schauenburgius l. a. pag. 8.

et Thucydidem res non exstaret, ita quid magis naturae grammaticorum proprium est, quam eum interpretem, qui nomine auctoris omisso hanc rem exposuit, vituperare, quia Herodotus et Thucydides, qui soli ante oculos erant, de hac re omnino tacerent? Qua cum re optime consentit et vocabuli ψεύδεσθαι usus et alia scholia, ubi eundem in modum grammaticos alterum alterum videmus reprehendentes (cf. schol. Av. 283, 997). Iam cum sciamus a Symmacho Didymum potissimum usurpatum esse, nec raro vituperari, ad Didymi commentarium referemus schol. Equ. 84, quem mentiri Symmachus Thucydidis et Herodoti nisus auctoritate probare studuit. Unde simul apparet ea scholia, in quibus Ephorum videmus in usum vocatum esse, certo ad Symmachum, quippe qui hunc historicum non consuluerit, non esse referenda. Ad Didymum deinde, tam accurate de Themistoclis morte agentem, etiam 47) schol. Equ. 814 l. 3 sqq. de eius dolo puto reduci[32]) posse, praesertim cum de rebus adeo cognitis veteres grammaticos Alexandrinos egisse credi non possit. Porro Staeschius[33]) probavit 48) schol. III Ran. 191 l. 53 sqq. propter Aristarchum et Demetrium Ixionem (ἕτεροι) iuxta positos Didymeum esse, unde patet etiam 49) schol. Ran. 694 l. 33 sqq. eidem esse attribuendum, cum illic et de servis libertate donatis sermo fiat et Hellanicus citetur, quem a Didymo esse adhibitum apparet e schol. Ran. 720, Av. 1021. Propter similem causam, cum veterum Alexandrinorum grammaticorum observationes utique per Didymi commentarium posteritati innotuisse Schmidtius probaverit, eidem tribuam 50) schol. Ran. 1422 l. 23 sqq. Callistrati et Aristarchi testimonia praebens et 51) schol. Vesp. 157 l. 21 sqq. Callistratum in usum vocans. Denique 52) schol. I Equit. 445 l. 12 sqq. et 53) schol. Plut. 173 l. 37—43 Didymea esse postea probabo.

Haec sunt ea scholia, quae aut certo aut maiore vel minore cum probabilitate Didymo deberi puto me probasse. Quem cum tantas egisse partes in explicando poëta videamus, aliorum quoque multorum scholiorum historicorum, ut ita dicam, fontem esse certo confirmaverim, nempe omnium, quae ita sunt com-

---

[32]) Utrumque et hoc et antecedens Symmacho tribuit A. Schmidtius, Pericles und sein Zeitalter, Jena 1879, II pagg. 306. 307.

[33]) l. a. pagg. 26. 27.

parata, ut exquisitioris doctrinae speciem prae se ferant, cum bonis fontibus, saepenumero non uno sed pluribus, poëtae verba studeant explicare (ut schol. Ach. 234, Vesp. 502, cf. Lys. 619, multaque alia, quae facile cognoscuntur). Etenim ut ante Chalcenterum grammaticos, nisi plane obscurum esset id quod indicaret poëta et utique explicatione egeret, talibus rebus non indulsisse statuere licet, ita paene certum est Didymum, quippe quem quinquaginta trium scholiorum auctorem magis minusve certo probaverimus, omnia quae sibi non satis nota viderentur, commentatum esse, ut scholia historica in universum dicere liceat ex eodem fonte, Didymi commentario, fluxisse. Quamquam sunt alia ex parte nonnulla, quae alii deberi certo dici potest, nempe ea, quae ad idem lemma adscripta differunt a Didymi sententia, ut schol. II. III Equit. 445, schol. Equit. 449, de quo postea videbimus, Nub. 48 (cf. pag. 15), 859 II l. 38—44 (cf. pag. 18), Pac. 363 l. 26—50 (cf. pag. 15), Av. 399 (cf. pag. 9), Plut. 550 schol. I (cf. pag. 11), 1002 schol. I (cf. pag. 18), aut quae eum antecedunt, ut Pac. 606, de quo infra agetur, aut quae aperte recentiora sunt, ut schol. Equit. 55 l. 36—35; sed in universum stat sententia tot et tantis argumentis firmata.

Caput II.

Iam ad indagandos fontes ipsos accessuri ut ab Aristophanis aliorumque comoediis initium faciamus res ipsa fert. Etenim grammaticos — et hic quoque primas partes Didymi esse postea videbimus — accuratissima imbutos esse veterum comoediarum cognitione unusquisque statim intelleget, qui vel leviter talia scholia perlegerit aut qui Meinekii vel Kockii fragmenta comicorum inspexerit, quorum — de solis iis loquor, quae ex antiqua quae dicitur comoedia servata sunt — maxima pars ipsis scholiis Aristophaneis debetur.

Discernendum autem est inter eas res, quarum notitia ex Aristophanis ipsius aliorumque comoediis hausta est, et eas, quarum explicationem ex eo ipso loco, quem commentatur, scholiastes

sive vetus grammaticus sumpsit a nullo adiutus neque rerum gestarum scriptore neque alio auctore, sed solo suo nisus ingenio. Iam cum illa scholia saepe et propter res ipsas et propter comicorum fragmenta allata maximi sint momenti, quamquam, ut natura fert et exempla docebunt, summa cum cautione excipiendae et ad historiam adhibendae, his plerumque merae nugae proferuntur. Ceterum, ut a posteriore genere initium faciam, statim praemoneam me nonnulla huiusmodi scholia infra esse tractaturum, hic illud potissimum agentem, ut quasi fundamentum iaciam, quo nisa maiorem probabilitatem habebunt ea quae postea hic illic exponam.

Et primum quidem summa laude dignus est auctor, cum indicat se ipsum nihil certi aliunde cognitum habere, sed a solo poëta explicationem petivisse, ut dilucide factum videmus in iis scholiis, in quibus additum est *ὁ ποιητής φησι κτλ.* ut in schol. Equit. 438 l. 27, ubi cum alia, ut postea probabimus, e Thucydidis libro orta sint, additur: *ἀπὸ ταύτης φησὶ* (scil. *ὁ ποιητής*) *τῆς πόλεως κεκλοφέναι δέκα τάλαντα τὸν Κλέωνα*, ut nemo dubitare possit, quin hoc sit interpretamentum a poëta ipso repetitum. Simile invenitur schol. I Equit. 248. 478; Vesp. 970; Lys. 1058. Eodem pertinent ea scholia, quibus addito vocabulo *φαίνεται* sive *δοκεῖ* dubitatio aut inscientia conceditur. Ut schol. Ach. 8 l. 11—13 legitur: *εἰς τὸ δρᾶμα οὖν τῶν ἱππέων* (i. e. *τὸ ἔργον τῶν ἱππέων*, ea quae equites effecerunt[1])) *ἀποτείνεται. διὰ τούτου* (quod corrige in *τούτους*) *γὰρ φαίνεται καταδικασθεὶς ὁ Κλέων τάλαντα ε'*. De re ipsa postea videbimus, hic satis sit notasse hunc scholiastam concedere se certi quicquam de hac re cognitum non habere. Deinde huc pertinet schol. Ach. 1150, ubi cum prius scholium, quamvis confidenter res proferatur, ineptiat, ut postea videbimus, altero l. 51, quod Didymeum est, dicitur: *ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντι-*

[1]) Quae verbi *δρᾶμα* significatio eo plus habet insolentiae, quod quotiescumque ita usurpatur haec vox, ut apud Aeschyl. Ag. 538 W., saepius apud recentiores (cf. Achill. Tat. 8. 9: *τὸ γὰρ δρᾶμά σου ἐπὶ τῶν ἀγρῶν ἠκούσαμεν*, Theodoret. H. E. IV pag. 620: *τὸ τῆς κλοπῆς δρᾶμα*, saepius) in malam semper partem accipitur: non invenit scholiastes aliud vocabulum ad periphrasin vocis *τοὖργον*, qua poëta utitur.

μαχος κτλ., similiter schol. Vesp. 197, Av. 790, Thesm. 804 l. 15 sqq.: *καὶ ἴσως οὐδὲν ἀξιόλογον ἔπραξεν· διὸ λέγει δῆλα τὰ ἔργα*, ubi addito *ἴσως* clare indicatur scholiastam nihil aliud de Charmini rebus gestis compertum habere nisi quod haurire potuerit e poëtae verbis. Eundem in modum comparatum est schol. II Ran. 153 l. 43 sqq. nonnullaque alia, quae, cum res ipsa luce clarior sit, singula afferre facile supersedeam.

Longe maxima autem huiusmodi scholiorum pars ita se habet, ut pro certo afferatur explicatio, quasi si aliunde ex historici aliusve auctoris libro quodam cognita esset res, non ab interprete ipso e poëtae verbis hausta, sive poëtae versus gratia inventa. Neque vero semper talem neglegentiam — an simulationem dico? — in iis scholiis, quae ad studia veterum grammaticorum referre possumus (quamquam rei natura fert huic ipsi interpretandi generi quam maxime indulsisse recentiores), iam veteribus illis grammaticis crimini dandam esse, sed saepe posterioribus demum temporibus ortam, cum certatim in brevius contraherentur commentarii et sub scholiorum forma in exemplaria deferrentur, nos quoque hic illic certo cognoscere possumus. Ut ad Equit. 331 duo habes scholia, prius sine ulla dubitatione rem afferens, alterum ad eandem explicationem addens *ἐδόκει*, aut Pac. 289, ubi ad interpretanda poëtae verba:

νῦν τοῦτ' ἐκεῖν' ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος
ὅ δεφόμενός ποτ' ᾖδε τῆς μεσημβρίας
ὡς ἥδομαι καὶ χαίρομαι κεὐφραίνομαι,

exstant scholia quattuor, quorum tria (I l. 35—41, quod usque ad *ἐβαρβάριϲε* fere transscripsit Suidas s. v. *νῦν τοῦτ' — μέλος*, II l. 42—47, III l. 50 ad finem) ab eodem dependere commentario sive scholio vetustiore primo aspectu elucet. Hic quoque illud factum est, quod antea vidimus, ut vetus interpres, sine dubio Didymus, cuius verba optime servata sunt in scholio II addito scholii IV fine: *τινὲς δέ κτλ.*, dubitanter rem afferret, posteriores magis magisve certo. Alterius scholii verba haec sunt: *στοχάζεται* (quod vocabulum cum falso hic active usurpetur, quasi si deduceretur a *στοχάζω*, in aliis scholiis Equ. 574, Vesp. 283 intransitivam semper vim habens, elucet nomen grammatici, qui sequentia suspicatus est [Didymi], esse omissum, ut equidem scribam *Δίδυμος στοχάζεται*) *ὅτι εἴη ἂν διαμνημο-*

νενόμενος περὶ Δάτιδος τοῦ Πέρσου ὅτι εἶπέ ποτε παρά τινα συνουσίαν ἥδομαι καὶ χαίρομαι ἑλληνίσαι τι θέλων. καὶ γὰρ καὶ παρὰ παλαιοτέρου τινὸς (V καὶ γὰρ ὡς παρὰ κτλ.) ἐμφαίνεται. εἴη δὲ (supplendum ἄν) ὕπαρχος τοῦ βασιλέως τῶν ἐλθόντων ἐπὶ Μαραθῶνα ὃν καὶ φυγεῖν φασι πολὺν χρυσὸν καταλιπόντα, deinde ad eundem pertinent, quae in fine leguntur: τινὲς δὲ (quod in R deest[2])) Δᾶτιν λέγουσι τὸν τραγικόν, κακῶς ὑπονοοῦντες· ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς Καρκίνου, οὗτος δὲ ὕπαρχος Περσῶν, quae Didymum sapiunt propter κακῶς ὑπονοοῦντες[3]). Revera haec cum antecedentibus arte cohaerere et scholiastarum demum neglegentia mirum in modum turbatum esse scholium sententiarum quoque nexu puto apparere, ut reliquum sit, ut locus sanetur. Nam quid sibi vult illud καὶ γὰρ καὶ παρὰ (V ὡς παρὰ) παλαιοτέρου τινὸς ἐμφαίνεται? Paullo propius ad verum accessit V, scribendum enim est: καὶ γὰρ ὡς περὶ κτλ. Quod solum verum esse inde probatur, quod in aliis scholiis plane idem legitur, ut schol. Vesp. 1187 l. 28: ἐμφαίνει μὲν (sc. ὁ ποιητής) ὡς περὶ γενναίων τινῶν. Sic igitur olim sententiarum nexus videtur fuisse: τινὲς Δᾶτιν λέγουσι τὸν τραγικόν, Καρκίνου υἱόν· κακῶς· καὶ γὰρ ὡς περὶ παλαιοτέρου τινὸς (sc. Δάτιδος) ἐμφαίνεται (= nam quasi de vetustiore quodam Datide indicatur a poëta, cf. schol. Av. 877 l. 47; dicit enim ποτέ). εἴη δ' ἂν διαμνημονευόμενος usque ad καταλιπόντα. Rem ipsam autem nihil esse nisi Didymi interpretamentum e poëtae verbis et suo ipsius ingenio petitum probatur et toto loquendi genere et quod certe falso intellexit poëtae verba. Quem hic ad Datidem praeclarum illum ducem ante plus quinquaginta annos viventem alludere cogitari non potest. Accedit quod occasio ipsa quae fingitur nisi ad aequalem irridendum apta non est. Rectius igitur antiquior grammaticus vidit Carcini filium intellegi, quamquam res ipsa, id quod Meinekius primus indicavit, Halbertsma et, qui eius librum cognitum non videtur habuisse, van Leeuwen[4])

---

[2]) Hoc δέ ab iis demum additum esse, qui in unum congesserint scholia, similibus exemplis probavit Ludwichius l. a. I pagg. 102 sqq.

[3]) Quantopere Didymus talia brevia iudicia amaverit, alii iam satis exposuerunt; cf. Schauenburgius l. a. pag. 7 adn. 12.

[4]) Cf. Meinekius, Hist. critic. comic. graec. pagg. 523—517; Hal-

diserte exposuerunt, ita comparata est, ut Carcino saepe ab Aristophane illuso tres essent filii, e quibus uni, Xenocli, poëtae tragico, propter dicendi genus minus purum Datidis nomen inditum esse verisimillimum est, quem propter hoc ipsum vitium hic irridet poëta. Ceterum non soloecismum *χαίρομαι*, sed totius eius sermonis languorem *ἥδομαι καὶ χαίρομαι κεὐφραίνομαι* poëta videtur perstringere. Deinde eiusdem dicendi generis praeclarum habemus exemplum schol. Av. 766, ubi cum prius scholium l. 23—30 habeat *οὐδὲν σαφὲς ἔχομεν τίς ὁ Πεισίου κτλ. εἴη δὲ ἄν τι συμπεπραχὼς τοῖς ἑρμοκοπίδαις*, alterum pro certo affirmat: *οἱ μὲν . . . ἕνα εἶναι τῶν ἑρμοκοπιδῶν*. De scholio ipso postea videbimus. Quibus expositis nihil volui efficere nisi ut, id quod saepe dictum est, umbras solum scholiorum ad nos pervenisse vel talibus cerni exemplis probarem.

Sed minus iam miraberis, quod saepissime res pro certo afferri vides, quae e solis poëtae verbis natae sunt, quibus hic illic accedit scientia quaedam earum rerum, quae in omnium ore erant. Quae scholia cum quanti aestimanda sint et quo ex fonte hausta iam constet, satis habebo ea afferre, hoc illud tantum accuratius tractans, alia quaedam, ut iam dixi, deinceps exponens.

Habes talia: Ach. 134 *οὗτος δὲ ἐκαλεῖτο Θέωρος*, 266, 298, 527, ubi, cum res ipsae bonis fontibus debeantur, earum nexus e poëtae verbis haustus est; deinde Ach. 617 l. 37 sqq., 1032, cf. schol. Vesp. 1432, Equit. 2, ubi diversae finguntur causae, cur *Παφλαγὼν* dictus sit Cleon, cf. schol. Vesp. 34, qua in quaestione ad eam stultitiam recentior aliquis scholiastes progressus est, ut revera Paphlagonem Cleonem esse putaret, cf. schol. Equ. 199 l. 8: *εἶπε δὲ Παφλαγόνων διὰ τὸν Κλέωνα* (hucusque R, Martin) *ἐπειδὴ Παφλάγων ἦν*, cf. Pac. 753. Non aliter comparatum est schol. Equ. 7, 282, ubi cur cibo publico non donatus esset Pericles, diversas causas ipse excogitavit scholiastes; deinde schol. Equit. 248, 300 et multa alia de Cleone byrsopola, quae omnia poetae verba circuitu quodam reddunt, ut schol. Equit. 768, 44, 300, 331, Pac. 43, deinde schol. II Equit.

---

bertsma, Spec. litt. continens prior. part. prosopographiae Arist., Lugd.-Batav. 1855, pagg. 32 sqq.; Leeuwen, Mnemos. XVI pag. 435.

361 l. 13 sqq. et alia permulta, quibus de peculatu Cleonis aut Lachetis dicitur, ubi omnia bona cum fide acceperunt scholiastae nulla cognitione aliunde hausta adiuti, quae poëta aut iocose invenit aut auxit, ut schol. Equit. 932, in quo ex verbis *μέτοικοι δὲ Ἀθηναίων οἱ Μιλήσιοι* satis cognoscitur, quid de auctore sit iudicandum, sive Equit. 1034, aut de Lachete schol. Vesp. 241, 836, ubi ipse se poëtae verbis uti ad eum explicandum fatetur addito vocabulo *κωμῳδεῖται*, aut Vesp. 909, 924, 936, ubi ter pro Lachete scriptum vidémus Charetis nomen, quales neglegentiae complures inveniuntur. Eodem pertinent schol. Equit. 610, 624 de Cleonis voce, quem locum recte explicat Kockius in edit.; 819, quod, quamquam res potuit legi apud Thucyd. I, 135, 3, nihil aliud videtur esse nisi interpretatio vocis *φεύγειν*; Equit. 877, ubi ad interpretanda poëtae verba:

ὅστις
ἔπαυσα τοὺς βινουμένους τὸν Γρύττον ἐξαλείψας

duo habes scholia ad eandem originem recedentia verbis genuinis melius servatis in scholio altero: *ὑγρόν τινα καὶ κατωφερῆ, ὃς διὰ τὴν πολλὴν ὑγρότητα ἐν τοῖς ἑταιρείοις διέτριβεν. ὁ δὲ Κλέων δημαγωγῶν θάνατον αὐτῷ ἐπέθηκεν τὴν ζημίαν,* quae ut recentiora esse probat usus vocabuli *κατωφερής*[5]), ita poëtae versus gratia inventa esse docet falsa vocis *ἐξαλείψας* interpretatio, de qua cf. Kock. in ed. Eodem spectat schol. Equit. 1054 l. 3—9, ubi clarum huius rei exstat exemplum. Etenim cum alia a Thucydide hausta sint, l. 5 pergit scholiastes: *καὶ θαυμάσαντες πάντες ἔλεγον αὐτὸν μεθύειν,* quasi haec quoque apud Thucydidem legerentur, quae propter poëtae verbum *μεθυσθείς*, cum ioco dictum, inventa sunt. Non aliter se habet schol. Equit. 1225, ubi ad explicandum poëtae versum: *ἐγὼ δέ τυ ἐστεφάνιξα* adnotatur: *δημοσίᾳ γὰρ ἐτιμήθη ὁ Κλέων στεφάνῳ,* quamquam certe rectius scholiastes verba mihi videtur intellexisse quam Kockius, qui ioco poëtae saepius repetito (ut Equit. 647) haud intellecto hic ad coronam oratoriam vult alludi.

---

[5]) De *κατωφερής* sive *καταφερής* cf. Phrynichus (ed. Lobeckius pag. 439): *καταφερής· ἐπὶ τῶν πρὸς ἀφροδίσια ἀκολάστων λέγουσι οἱ πολλοί, οὐδαμῶς οὕτω τῶν δοκίμων χρωμένων.* Nos apud Laert. Diog. IV, 40 primum legimus *καταφερής* (= libidinosus) omisso *πρὸς τὰ ἀφροδίσια* (quod addit etiam Plutarchus, Mor. 839 A, 849 D).

Optimum porro huius rationis exemplum habes Equit. 1392: *μετὰ γὰρ τὴν Κλέωνος καὶ Βρασίδου τελευτὴν σπονδαὶ τοῖς Πελοποννησίοις καὶ Ἀθηναίοις ἐγένοντο τριακοντίδες. οὗτοι γὰρ ἐναντιοῦντο τῇ εἰρήνῃ. ἀποθανόντων δὲ αὐτῶν ἐγένοντο αἱ σπονδαί,* quae inde nata sunt, quod scholiastes, cum haud nesciret post Cleonis et Brasidae finem pacem factam esse, cuius rei persaepe in scholiis mentio fit, nihil antiquius habuit, quam ut hanc pacem a poëta hic indicari crederet. Unde factum est, ut cum poëta ad pacem anno 445 (cf. Thuc. 115, 2) factam spectet, quae revera in triginta annos concludebatur, scholiastes eam pacem, quae Niciae studio debetur, quam quinquaginta annorum fuisse a Thucydide edocemur (V, 18, 3), in tantum temporis spatium factam esse putaret poëtae verbis falso intellectis. Eiusdem generis sunt schol. Nub. 6, ubi aliis scholiis de proelio ad Arginusas facto consultis certatim finguntur causae servorum liberationis; Nub. 585 l. 37—42, quo loco duo exstant scholia, prius l. 35—39 poëtae verborum gratia solem defecisse fingens, alterum eiusdem, ut equidem puto, qui ad v. 584 scholium adscripsit (Didymi), qui, cum apud Philochorum solis defectum hoc anno factum esse (cf. infra cap. VI) non invenisset, quadam cum dubitatione poëtae verba studuit explicare, quamquam ne hic quidem recte. Eodem pertinent porro schol. Vesp. 241, 418 de Cleone et Theoro prostatis; Pac. 406, insigne exemplum scholii II Pac. 665 l. 33. 34, ubi cum prior scholiastes e vetere commentario Philochori fragmentum afferat, alter eodem hoc commentario usus poëtae verborum *τρὶς ἐν τἠκκλησίᾳ* causa invenit illud *καὶ τοῦ ἐπιστάτου τρίτον ἐρωτήσαντος τὴν βουλὴν τί βούλεται,* quorum verborum apud Philochorum ne vestigium quidem invenitur. Huc pertinet porro schol. Lys. 59 l. 6 *ἡ Σαλαμὶς μοῖρα τῆς Μεγαρίδος* codicis R, quae res, cum Salamis insula iam fere anno quingentesimo septuagesimo (cf. Busoltius, Griech. Gesch. I pag. 546 adn. 6) in Atheniensium dicionem subacta esset, poetae verbis prave intellectis et scholio antecedenti originem debet. Scholiastes enim, cum *ἐκ Σαλαμῖνος* opponi putaret *Παράλων,* cumque scholio antecedente cognosceret in partes quattuor divisam esse Atticam, Paraliam, Diacriam, Pediaeam, Megaridem, quia aliis tribuere non posset, nihil antiquius habuit, quam Megaridi Salamina attribuere.

Non aliter se habet schol. Lys. 632 l. 41 sqq., ubi verba *ὅτι ἐν — Ἀριστογείτων* fere reddunt scolium, quod legitur apud Athenaeum 695 b:

ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω,
ὥσπερ Ἁρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων
ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην

(cf. Bergkius, Poët. lyr. graec. III pag. 646). Quod ne scholiastae quidem ignotum fuisse probat praeter hunc locum schol. Ach. 980. Iam vides ea quae sequuntur: *οὗτοι γὰρ ἀπὸ τῶν μυρσίνων κλάδων τὰ ξίφη ἀνασπάσαντες τὸν τύραννον κατέβαλον* nihil esse nisi scolium oratione soluta allatum. Interpretamentum e poëtae versu haustum profertur porro schol. Lys. 394, quamquam potuit scholiastes a Thucydide doceri, qui II 9, 4 inter socios Atheniensium enumerat Zacynthios, Thesmoph. 495, Ran. 362, quod dignum est quod paullo accuratius tractetur. Coniungendum est cum hoc scholio schol. Equit. 279 (cf. Suidas s. v. *ὑποζώματα*): *ἀπείρητο δὲ ἀπὸ Ἀθηνῶν ἐξάγειν ξύλα καὶ πίσσαν· εἶχον δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι τριήρεις*, quae verba e poëtae ipsius verbis hausta sunt adhibito schol. Ran. 362. Ad hunc enim versum praeter glossam codicis R *τἀπόρρητ'*: *τὰ τῆς πόλεως μυστήρια* (Martin) habes scholia tria, quibus operam navavit Fritzschius, De carm. myst. pagg. 57 sqq.: schol. I l. 10—13, falso *ἀπόρρητα* de mysteriis intellegens; II l. 14—20 adhibito Arist. Equit. v. 379 exhibens haec: *ἀπόρρητα δὲ ἔλεγον τὶ ἀπειρημένα ἐξάγεσθαι. ἐν γοῦν τούτοις ἐπιφέρει ἀσκώματα καὶ λίνα καὶ πίτταν. δῆλον ὅτι οὐδὲν ἔδει ἀποπέμπειν τούτων*[6]) *ἐξ Αἰγίνης, ὧν* (pro quo Blaydesius in edit. Ran. non rectius suspicatus est *ὡς*; equidem puto scribendum esse *οἱ*) *Θωρυκίων τὰ ἀπόρρητα Ἀθήνηθεν ἀποπέμπει. ὅτε οὖν πρὸς τοὺς Πελοποννησίους ἦν ὁ πόλεμος, ἀπόρρητον ἦν τὰ πρὸς ναυπηγίαν ἐξάγειν.* Quae sequuntur mea quidem sententia non iam huc pertinent, sed eo spectant, ut quaeratur, quo referatur illud *ἐξ Αἰγίνης*, utrum ad *ἀποπέμπει* an ad *ὧν*. Leguntur enim haec: *ἤτοι δὲ ὁ Θωρυκίων ἐξ Αἰγίνης*

---

[6]) V: *τοῦτον ἀποπέμπειν* et l. 17: *Ἀθήνηθεν τὰ ἀπόρρητα*; ceterum non in animo habeo tales differentias omnes afferre, cum ad textum nullius sint momenti: quod unusquisque facile mihi ignoscet.

ὤν, ἢ εἰς Αἴγιναν ἐξάγων· καθὸ δὴ κοινὸν ἐμπόριον ἡ Αἴγινα, quae a Fritzschio, qui idem videtur sensisse quod ego, bene mutata sunt in — ἐξ Αἰγίνης ὤν, ἢ ἐξ Αἰγίνης ἐξάγων, quod proxima quoque verba καθό κτλ. suadere videntur. Denique exstat schol. III l. 21 ad finem, quod non minus autoschediasma est grammatici cuiusdam pro virili parte poëtae verba ex iis ipsis explicantis. Idem valet de schol. Ran. 1023, 1039 l. 36—40 a RV omissum: ὁ Λάμαχος οὗτος ἄριστος ἦν τὰ πολεμικά· ἦν δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Αἰσχύλου καὶ Ἀριστοφάνους στρατηγὸς Ἀθηναίων, quod e poëtae verbis haustum est, apud quem ab Aeschylo nominatur Lamachus. Deinde huc pertinet schol. II Plut. 173 l. 24 sqq., de quo infra videbimus; schol. II Equit. 55 l. 37—55, quo Pylus cum Thermopylis commutata est. Scholiastes enim quidam, sine dubio recentior, cum forte fortuna aliquid audivisset de re apud Thermopylas gesta, temperare sibi non potuit, quin ea hoc loco apponeret. Certo autem auctore non usus est; quod si fecisset, non tam turpiter loca potuit commutare; nam hoc per se elucet et grammaticos et scholiastas aliqua rerum praeclare a veteribus Graecis gestarum cognitione fuisse imbutos, ut operam et oleum perderet, qui fontes eiusmodi scholiorum quaereret, ut sunt: Ach. 61. 698. 716. 980 (cf. Suid. οὐδέποτ' ἐγώ et παροίνιος); Equit. 768; Vesp. 711. 1078; tria illa schol. Pac. 289 antea allata; Av. 485; Lys. 1253, 54, aut id quod similiter est comparatum schol. Equit. 355; Nub. 475.

Scholiastarum aut grammaticorum ingenio, ut ita dicam, obscura quadam rerum scientia aut similes res ad alium locum explicandum adscriptas transferentium ea quoque fere omnia debentur, quae leguntur in schol. Plut. 178 ad interpretanda Aristophanis verba: ἡ ξυμμαχία δ' οὐ διά σε τοῖς Αἰγυπτίοις, quibus verbis cum pateret olim Atheniensibus cum Aegyptiis societatem fuisse, iam certatim quaesiverunt scholiastae, quonam tempore contra quos factum esset hoc foedus. Iam cum et ipsi scirent et ab Herodoto cognitum possent habere tam saepe contra Persas Aegyptios bellum gessisse, hos pro certo attulerunt, tamquam eos, contra quos iniissent societatem Athenienses cum Aegyptiis. Quibus rebus cognitis unusquisque intelleget, quanti aestimanda sint schol. II l. 9—11, III l. 11—14, VI l. 19—23,

quae aliud ab alio dependentia nituntur schol. Vesp. 718, nisi quod in scholio VI tres Γ myriades librarii vitio in triginta Λ videntur mutatae esse. Ceterum videtur schol. III auctor obscura quadam imbutus fuisse scientia ea, ut sciret Psammeticho rege Graecos primum in Aegyptum exceptos esse (cf. Herodot. II, 151 sqq.); quintus autem scholiastes potest cognitum habuisse ex Herodoti III, 10 sqq. Cambysen contra Psammetichum bellum gessisse, quamquam omnia confudit, nova in suum usum finxit. Non maioris pretii sunt schol. IV l. 16—18 et V l. 18. 19 eadem narrantia de Xerxe, quo, cum Atheniensibus quoque hostis esset, aptior nemo inveniri potuit. Restant igitur duo scholia: VII l. 23 sqq. a codicibus excepto RV exhibitum, quod quamquam rem omnino non recte explicat Thucydide bene uti postea probabo, et I l. 54 — l. 9: *ἐπὶ Ἀμάσιδος Αἰγυπτίων βασιλέως ἐν σιτοδείᾳ ὄντες οἱ Ἀθηναῖοι ἔπεμψαν πρὸς αὐτὸν αἰτοῦντες σῖτον. καὶ ἔπεμψεν αὐτοῖς ἱκανόν. ἐκ τούτου οὖν* (in R compendio scriptum, cf. Martin) *Ἀθηναῖοι ἔπεμψαν τοῖς Αἰγυπτίοις συμμαχίαν εἰς τὸν πρὸς Πέρσας πόλεμον καὶ εἶχον φιλίαν καὶ συμμαχίαν πρὸς ἀλλήλους. ὕστερον μέντοι ἐλύθη, καὶ συνεμάχησαν οἱ Ἀθηναῖοι τοῖς βασιλέως στρατηγοῖς κατὰ τῶν Αἰγυπτίων Ἰφικράτους ἡγουμένου*; sed vel hoc scholium maxima ex parte merae inventioni scholiastae debetur haud nescii *φιλέλληνα* fuisse Amasidem, ita ut Graecis agros daret, Delphiis mille talenta aliaque mitteret (cf. Herod. II, 178 sqq., quamquam de frumento hic omnino tacet). Ceterum duce Iphicrate una cum Persis Athenienses bellum gessisse contra Aegyptios Diodorus quoque auctor est (XV, 41); sed unde scholiastes pendeat, utrum ab Ephoro, qui Diodori fons est[7]), an ab alio, dici non potest. Recte fecerunt Rehdantzius et Dunckerus[8]), quod nullam auctoritatem tribuerunt scholio, cum quam ad rem ostenderit poëta idem Rehdantzius bene demonstraverit. Interpretamentum porro a scholiasta factum habes Eccl. 825, ubi cum de decretis antea dictum sit commodo reipublicae datis ad verba:

---

[7]) Cf. Volquardsenus, Untersuchungen üb. d. Quellen d. griech. u. sizil. Gesch. b. Diodor. Kiel 1868, pagg. 1—71.

[8]) Cf. Rehdantzius, Vitae Iphicratis, Chabriae, Timothei Athen. Berol. 1845, pag. 241 adn. 10; Dunckerus, Abhdl. a. d. griech. Gesch., pag. 135 adn. 1.

τὸ δ' ἔναγχος ουχ ἅπαντες ημεῖς ὤμνυμεν
τάλαντ' ἔσεσθαι πεντακόσια τῇ πόλει
τῆς τετταρακοστῆς ἥν, ἐπόρισ' Εὐριπίδης;

scholiastes adnotat: *οὗτος ἔγραψε τεσσαρακοστὴν εἰσενεγκεῖν ἀπὸ τῆς οὐσίας εἴς τὸ κοινόν,* quae verba cum neque de Euripide quicquam addiderit, ut omnino dubium sit, qui hic intellegatur, neque omnino rem accuratius videatur cognitam habuisse, equidem nihil aliud puto esse nisi scholiastae interpretamentum e poëtae ipsius verbis haustum. De re ipsa cf. Boeckhius, Der Staatshaushalt d. Athener[3] I pagg. 577. 589. 606 cum adn. 825; Bergkius, Comment. de rell. com. attic., pag. 85 adn.; Goetzius, Act. societ. phil. Lips. II, 345. Idem quod de hoc scholio valet, valet de scholio Didymeo Ach. 160: *καταπελτάσονται· — — ἢ καταδραμοῦνται· πέλτη γὰρ ἀσπὶς μικρὰ* (hucusque R) *μὴ ἔχουσα ἱμάντα. ἐχθροὶ δὲ ἦσαν οἱ Βοιωτοὶ τοῖς Ἀθηναίοις,* quamquam has gentes inter se inimicas fuisse constat. Neque aliter res comparata est in schol. Ach. 1077, schol. Nub. 710: *οἱ Κορίνθιοι· ἴσως μὲν ὅτι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐπέκειντο αὐτοῖς οἱ Κορίνθιοι κτλ.,* quae verba, cum a Thucyd. IV, 42—45 certiores fiamus mense Iulio 425 contra Corinthios proelio pugnatum esse ab Atheniensibus, mense Martio 423, quo anno Nubes docta est, Corinthios aggressos esse finitimos, poëtae verbis et explicationi scholiastae debentur, quod ipse indicavit addito vocabulo *ἴσως*. Explicatur locus a Kockio in ed. Nub. Denique hic statim afferam schol. Eccl. 356, ubi ad poëtae verba interpretanda:

νῦν δέ μοι
ἀχράς τις ἐγκλήσασ' ἔχει τὰ σίτια.
Al.: *μῶν ἦν Θρασύβουλος εἶπεν τοῖς Λακωνικοῖς;*

scholiastes adnotat haec: *οὗτος ἀντιλέγειν μέλλων τοῖς Λακεδαιμονίων πρέσβεσι περὶ σπονδῶν ἐληλυθόσιν, εἶτα δωροδοκήσας ἀχράδας προσεποιήσατο βεβρωκέναι καὶ μὴ δύνασθαι λέγειν,* cui narrationi Droysenus, Goetzius[9]), alii fidem habuerunt. Sed primum quidem si tale quid significare voluisset poëta, non ita locutus esset, ut fecit — ante omnia enim dicere debuit *τοῖς Ἀθηναίοις* non *τοῖς Λακωνικοῖς* —, deinde autem

---

[9]) Cf. Droysen, Vers. german. pag. 365 adn.; Goetz. l. a. pag. 346.

narratio ipsa nonne utique mira est, immo non solum mira sed absurda, et orta e prava poëtae verborum interpretatione? quippe qui omnino non loquatur de piro aliquo, quod in faucibus, id quod putavit scholiastes, haeserit Thrasybulo? Ergo recte puto fecisse Velsenum, quod hanc narrantiunculam autoschediasma putavit ortum e scholiastae ingenio et ne satis feliciter quidem inventum, cui suo iure adstipulavit Kaehlerus[10]. Sed unum in medio reliquit uterque, ut explicaret, quomodo fieri posset, ut ad talem potissimum narrationem perveniret scholiastes. Nam fuisse aliquid, quo ductus hanc rem invenerit, negari non potest. Quod quid fuerit forte fortuna cognoscitur e Gellii N. A. XI, 9, ubi haec exstant: Critolaus — sive fuit peripateticus ille sive is qui scripsit ἠπειρωτικά, si quidem hic diversus fuit a philosopho — scripsit legatos Mileto Athenas profectos ut auxilium peterent, cum Demosthenes contradixisset rem in posterum prolatam esse. „Legatos ad Demosthenem venisse magnoque opere orasse uti contra ne diceret; eum pecuniam petivisse et quantum petiverat abstulisse. Postridie cum res agi denuo coepta esset, Demosthenem lana multa collum cervicesque circumvolutum ad populum prodisse et dixisse se synanchen pati, eo contra Milesios loqui non posse.“ Quam narratiunculam cum cognitam haberet scholiastes, suam de Thrasybulo invenit, ut iam nunc videas, unde originem duxerit et quod corruptus dicatur Thrasybulus et cur collo laborasse. Sed haec fere sunt ea interpretamenta, quae e loco, qui erat interpretandus, petiverunt auctores aut eius causa hic illic invenerunt.

Iam priusquam ad historicos accedamus, necesse est de iis loqui scholiis, quae non tam inventioni grammatici cuiusdam aut scholiastae debentur, quam comoediis Aristophanis aliorumque. Quorum ad totam rationem intellegendam afferam haec: schol. Vesp. 1245: *Κλειταγόρᾳ τε· . . . Θετταλή τις γυνή . . . Ἀθηναίοις δὲ Θετταλοὶ συνεμάχησαν ἐν τῷ πρὸς τοὺς τυράννους πολέμῳ*, quae, cum revera res ita gesta sit, ut Hippiae socii essent Thessali (cf. praeter alia schol. Lys. 1153; Duncker

---

[10]) Cf. v. Velsen, Indic. Philol. VI, 394; Kaehler, De eccl. tempore et choro. Kiel. 1889, p. 21.

l. a. VI p. 554), orta sunt ex ipsis Vesparum versibus prave intellectis et e Lys. v. 1153. 54. 1237. Melius etiam exemplum exstat in schol. II Lys. 619 l. 26—30: οὗτος τύραννος ἦν ὃς ἐποίησε τοὺς Ἀθηναίους κατωνάκας φορεῖν ὅπως μὴ δυνηθῶσι προενεγκεῖν τὰς χεῖρας. τοῦτον δὲ κατέλυσαν (R falso κατέλευσαν) οἱ Λακεδαιμόνιοι, quae sententia nata est e prava interpretatione Lys. 1151:

οὐκ ἴσθ' ὅτ' ὑμᾶς οἱ Λάκωνες αὖθις αὖ
κατωνάκας φοροῦντας ἐλθόντες δορὶ
πολλοὺς κτλ. . . . . ἀπώλεσαν,

cum κατωνάκαι, quae certe scholiastae temporibus vestimenta, quibus domarentur homines ('Zwangsjacke'), fuerint, quid sit optime exponit Hesychius s. v. κατωνάκη: ἱμάτιον, ἔχον ἐκ τῶν κάτω μερῶν νάκος προςερραμένον ὅ ἐστι μηλωτή. δοκοῦσι δὲ τοῦτο ἀμφιέσασθαι Ἀθηναῖοι τῶν περὶ Πεισίστρατον τυράννων ἐπαναγκασάντων, ἵνα ἀπὸ εὐτέλειας μὴ κατίωσιν εἰς τὸ ἄστυ οἱ πολῖται, quae Hesychii explicatio sine dubio e Didymi lexico comico hausta est, cum alludat ad Lys. 1151, ut fere eadem olim in commentario Chalcenteri ad hunc versum exstitisse credere liceat. Simile quid invenitur in schol. Ran. 541, ubi cum alia e Thucydidis et Xenophontis historia hausta sint, ut postea probabimus, l. 18—22 haec exhibentur: δοκεῖ δὲ οὗτος καὶ τὰ τρία ψηφίσασθαι ἐπιζήμια ἢ δεσμεύεσθαι ἐν τῷ ξύλῳ ἢ πιεῖν κώνειον ἢ ἐκφυγεῖν. δοκεῖ δὲ ἀπὸ Κέω τῆς νήσου εἶναι· οὐκ εἶναι δὲ γνήσιος ἀλλὰ ποιητὸς υἱὸς τοῦ Ἅγνωνος, quae sive ab ipso Didymo, cui alia debentur, addita sunt, quod cur negemus iusta causa non est, sive a recentiore interpolatore, apud historicos frustra quaeres, quamquam eodem tenore afferuntur, quo antecedentia, quasi ab eodem orta essent. Sed forte fortuna fontem possumus cognoscere, cum apud Photium s. v. τῶν τριῶν κακῶν ἓν praeter alia quaedam exstent haec: ταῦτα δὲ εἶναι λέγουσιν ἃ Θηραμένης ὥρισεν προστιμήματα· Πολύζηλος Δημοτυνδάρεῳ

τριῶν κακῶν γοῦν ἦν ἑλέσθ' αὐτῷ τι πᾶσ' ἀνάγκη
ἢ ξύλον ἐφέλκειν ἢ πιεῖν κώνειον ἢ προδόντα
τὴν ναῦν ὅπως τάχιστα τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι
ταῦτ' ἔστι τρία Θηραμένους ἅ σοι φυλακτέ' ἐστί.

(cf. Meinekius, Hist. critic. p. 261 fragm. 867, 1 = Kockius I

p. 790). *Ἀριστοφάνης Τριφάλητι· ἐγὼ γὰρ ἀπὸ Θηραμένους δέδοικα τὰ τρία ταυτί* (cf. Meinekius frg. II, 1165, 8 = Kockius I p. 531). E Polyzeli fabula igitur natam esse hanc scholiastae narrationem licet concludere. Idem de postremis verbis valet, quae iam magis comici alicuius ingenium sapiunt, qui identidem homines ut peregrinos et per fraudem civibus adscriptos perstringunt (cf. schol. Ach. 11. 642; Ran. 679. 709. 1514). Hausta esse verba ex Eupolidis Urbibus docet schol. Ran. 970 l. 27 sqq.: (*Θηραμένης*) *δοκεῖ προσγεγράφθαι τῇ πολιτείᾳ Ἅγνωνος αὐτὸν ποιησάμενον ὡς Εὔπολις Πόλεσιν* (cf. Meinekius frg. II 516, 19 = Kockius I, 322).

Sed haec hactenus: iam vides non alienum esse a scholiastis et ne a Didymo quidem in comoediis quae invenerunt cum bona fide pro veris vendere.

Ad eundem autem fontem pertinet totum genus ut ita dicam scholiorum. Sescenties enim Aristophanes, ut natura comici fert, aequales irridet, qui cum in republica gerenda aut rebus bellicis non excellerent, neque ab historico digni habiti sunt qui commemorarentur et omnino qui fuissent solis Aristophanis mentionibus cognosci posset, nisi permulta exstarent in scholiis quae aliunde sumpta ad eos pertinerent.[11]) Iam permirus erat Stoeckeri[12]) error ea quae de his hominibus obscuris exstarent rati iam poëtae ipsius temporibus singulis comoediarum locis addita esse. Utinam res sic se haberet! Profecto aliam haberemus cognitionem poëtae aequalium atque ea est, qua nunc sumus imbuti. Etenim quam falsa sit Stoeckeri opinio, primo aspectu is intelleget, qui pauca huiusmodi scholia perlegerit, ut, id quod Clausenus[13]) disputatione hac in re satis accurata de scholiis in Aves factis dixit, ad omnia talia scholia Aristophanea

---

[11]) Ceterum addam hunc illum horum hominum historicis ignotorum titulis nominatum perhiberi ut „*γραμματεὺς τοῦ δήμου*“, sive votum solventem sive alia vice fungentem, quas res, cum ad scholia intellegenda nihil afferant, hic nolim planius tractare.

[12]) Cf. De Soph. et Aristot. interprett. graec., Progr. Hammon. 1826 pag. 2. Ceterum qui de hominibus a poëta irrisis egerunt: Halbertsma l. a.; Richterus, De prosopographia Arist., Progr. Rastenburg. 1864. 1867, et Meseritz. 1871; Harwardtius, De Aristoph. irrisionibus, Part. I, Königsberg 1883, hanc quaestionem non attigerunt.

[13]) Cf. l. a. § 5 p. 30 sqq.

transferatur, nempe cum ad definiendos eos poëtae aequales, qui in vita publica partes quasdam egerunt atque ab historicis hic illic collaudantur, quamquam non semper eo studio, quod nos desideramus[14]), historici plerumque consulerentur — de quibus scholiis progrediente opusculo agetur —, omnia, quae de obscuris alioquin personis exstant in scholiis, a comicis solis orta esse. Duo velim excipias: semel in schol. Lys. 808, cum de Timone misanthropo sermo fiat (cf. Cic. Tusc. IV, 11; Diog. Laert. IX, 12, 4), Neanthes Cyzicenus affertur (cf. Muellerus, Frg. h. g. III, p. 2), cuius liber περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν consultus est. Sed hunc de iis poëtae aequalibus, qui res memoria dignas non gesserint, non egisse unusquisque intelliget. Deinde autem et in schol. Plut. 149 (cf. Lys. 91) et Plut. 179 l. 10 sqq. tam accurate de meretricibus agitur, ut ne hae quidem narrationes e comoediis haustae esse videantur; immo haustae sunt ex uno περὶ ἑταιρῶν librorum haud paucorum, cui rei operam navaverunt Machon, Aristophanes Byzantius, Callistratus eius discipulus, alii[14]), ut certo cuidam auctori tribui non possint hi loci.

Sed aliae personarum ignotarum mentiones solis comoediis debentur. Quod strictius potuit probare Clausenus, si omnes Aristophanis fabulas in disputationem vocasset. Qui recte quidem rem inde elucere dicit, quod nihil nisi hominum vitia sive animi sive corporis afferantur in scholiis, qualia comici in fabulis soliti sint perstringere. Deinde autem si iam a vetustissimis temporibus adscriptae essent personae, optimo iure concluderemus non hanc solam aut illam, quae esset, esse adscriptam, sed omnes quaecumque poëtae verbis perstringuntur, omnes quoque sive fere omnes in veteres commentarios translatas. Quae si recte disputata sunt, non intellegitur, quomodo fieri potuerit, ut hic illic ἴσως seu alia dubitandi particula adderetur (cf. schol. Av. 766) aut ut omnino inter se differrent grammatici, qui tandem homo esset intellegendus (cf. schol. Equ. 1216 — minus apte hic allatum — Vesp. 1191, Ran. 1513, Plut. 174 l. 12. 13). Sed vel clarius res potest perspici, si scholia huius generis ipsa vel pauca inspicies, quibus identidem legitur, ut exemplum afferam

---

[14]) Cf. Nauckius, Aristoph. Byzant. frg. p. 277; R. Schmidtius, De Call. Arist. p. 328 adn. 57.

schol. Ach. 88, non „Cleonymus erat magno corpore et ignavus“, sed „Cleonymus irridetur (κωμῳδεῖται, σκώπτεται, διαβάλλεται) ut magno corpore praeditus“, qua re, cum irridere comici sit, satis probatur e comoediis orta esse quae de Cleonymo et deinceps de aliis exponantur. Quin etiam ad probandam rem expositam identidem versus quidam comicorum afferuntur, ut schol. Ach. 134. 122; Equ. 534; Nub. 109[15]). 333. 355. 1001; Vesp. 82. 592. 787. 1187; Av. 11; Ran. 1036; Eccl. 71; Plut. 177 aut omisso comicorum testimonio Ach. 88. 353. 388. 603; cf. Av. 31; Ach. 839. 843. 844. 846. 908. 1002. 1116; Equit. 504. 556. 608. 673. 674. 676. 958. 1044. 1103, ubi sine dubio illud quoque ἦν δὲ ὑπογραμματεύς eidem fonti, cui alia, nempe sive comico sive grammatici inventioni debetur; Equit. 1268. 1293; Vesp. 19. 26. 42; Pac. 394; Lys. 103; Thesm. 273; Ran. 14. 48. Innumerabilia alia exempla possunt proferri, sed haec sufficiant ad probandum omnia quae de personis poëtae aequalibus, alioquin obscuris, afferantur e comoediis hausta esse. Ut enim comicorum verba, quae testimonio erant vitio alicui sive virtuti hominis cuiusdam probandae, persaepe omissa sunt, ita scholiis magis magisve in brevius contractis illud κωμῳδεῖται etc. commutatum est in ἔστι talis et talis, ut, si exempli causa in schol. Ach. 710 sola cod. R auctoritate niteremur, miraremur, unde terrarum scholiastes hausisset Euathlum fuisse oratorem malum; nunc e cod. V aliisque videmus Aristophanis Holcadibus eum de hac re certiorem factum esse, aut Plut. 303, ubi affert scholiastes l. 24 καὶ ταῦτα εἰς Φιλωνίδην τὸν Μελιτέα κτλ., si deesset Nicocharis Galateae fragmentum:

τί δῆτ'; ἀπαιδευτερος εἶ Φιλωνίδου
τοῦ Μελιτέως (cf. Mein. II p. 843 = Kock. I p. 791),

a quo tandem historico, e qua illius hominis vita haec sumpsisset

---

[15]) Habes hic scholia quattuor codicum praeter RV: I l. 48 — l. 5, II l. 5—10, cod. V III l. 10—16, R IV l. 16—20, e quibus optime et maxime genuine Didymi (cf. p. 232) verba reddit schol. I codicum recentiorum, cui proxime accedit cod. R scholium. Omnia, quae hic attulit, ex Aristarchi commentario et vetere comoedia hausit Didymus qui Leogoram Andocidis filium fuisse, cum Thuc. I 51, 4 Ἀνδωκίδου τοῦ Λεωγόρου nomen corruptum esse probaverit Stahlius, Mus. Rhen. XL p. 439 (cf. etiam Lipsius, Andoc. orationes, Lips. 1888 p. VI cum adn. 9), ex Andocidis oratione cognitum videtur habuisse.

auctor scholii, frustra quaereremus. E comoedia igitur — et sine dubio operae pretium est hanc quaestionem persequi — hausta sunt schol. Ach. 11. 13. 16. 118. 705; Equit. 242. 901. 1372. 1374. 1377; Nub. 348; Thesm. 575. 829; Ran. 151. 709. 965; Eccl. 77. 97. 102. 208. 248. 365. 366. 630. 810. 846. 932, nonnulla alia ad personas pertinentia, quae in rebus publicis partes non egerunt.

Sed claris et dilucidis verbis in scholiis ipsis videtur demonstrari comoediam esse unicum fontem, unde tot de hominibus obscuris mentiones natae sint. Leguntur enim in schol. Vesp. 1178 haec: *Καρδοπίων· καὶ τοῦτο ἀρχὴ μύθου. Δίδυμος· ὁ Καρδοπίων ζητητέος· οὐδαμοῦ κωμῳδεῖται· ἀλλ' Ἀγκυλίων ἐπὶ τῷ τὴν μητέρα διατιθέναι* (desideratur *κακῶς*, quod voluit Portus, aut tale quid)· *λείπει δὲ ἔτυψεν.* Quid inde sequitur? Illudit Aristophanes Cardopionem sine dubio aequalem aliquem, quod matri vim affecerit: nam sic locus explicandus, non ut Didymus fecit. Iam Didymus locum interpretatus frustra de Cardopione, de quo in aliis commentariis nihil inveniebat, quaesivit. Ubinam quaesivit? In comoediis, quas semper in his quaestionibus solas consultas esse patet e toto dicendi genere: *ζητητέος· οὐδαμοῦ κωμῳδεῖται,* utpote cum alii libri de his rebus omnino consuli non esset moris. Simile quid in schol. Av. 17 invenitur, ubi ad interpretandos versus:

κἀπέδοτο τὸν μὲν Θαρρελείδου τουτονὶ
κολοιὸν ὀβολοῦ

habes quarto omisso scholia tria: I. *Σύμμαχος· Ἀσωπόδωρον. καὶ γὰρ οὗτος ἐπὶ σμικρότητι ὑπὸ Τηλεκλείδου κεκωμῴδηται, καὶ ὁ κολοιὸς μικρὸς ὢν ἐκ τῶν πτερῶν τὴν σύστασιν ἔχει,* quae Symmachi verba non plane integra servata esse probat Suidas s. v. *Θαρρελείδης*: *Σύμμαχος· Ἀσωπόδωρος· Διδυμαχίας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἐπὶ σμικρότητι διεβέβλητο σώματος* et s. v. *Ἀσωπόδωρος*: *καὶ Διδυμαχίας, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἐπὶ σμικρότητι διεβέβληντο,* quae a Bernhardyo corrupta habita et sic mutata sunt: *Θαρρελείδης· Σύμμαχος· Ἀσωπόδωρος. ὡς δὲ Δίδυμος, ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ,* quod falsum esse e scholio patet[16]; II. hic potest omitti, quia nihil novi affert; III. *οἱ μὲν*

---

[16]) Quamquam uno vitio inquinata sunt ea quae Suidas affert.

πλείους ὑπειλήφασιν υἱόν τινα Θ. βραχὺν καὶ παραπλήσιον κολοιῷ κωμῳδεῖσθαι. οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν· μήποτε οὖν, φησί[17]*, κατὰ περίφρασιν εἴρηκε Θαρρελείδου κολοιόν, ἐν ἴσῳ τῷ Θαρρελείδης, ὅς ἐστι κολοιώδης· ἢ ὡς κολοιοὺς αὐτὸν πωλοῦντα διαβάλλει.* Quod scholium, ad eam quaestionem in qua versamur gravissimum, difficile est intellectu. Constant duo: et Schneiderum nimio cum artificio et vi id studuisse explicare et sanare, qui iam satis refutatus est ab Engero[18]) et ante *φησί* grammatici cuiusdam nomen excidisse, quem Didymum esse illo *μήποτε* docemur, sed cum illud *μήποτε οὖν, φησί, κτλ.* cohaereant cum antecedentibus: *οὐκ ἔχομεν δὲ υἱὸν αὐτοῦ διὰ τῆς κωμῳδίας εἰπεῖν*[19]) — haec enim causa est cur ad tam contortam explicationem refugerit — haec quoque Didymea sunt, quae cum sua ex parte cum antecedentibus coniungantur necesse sit, totum scholium fere ad verbum putabis e Didymi commentario esse transscriptum. Qui cum in veteribus commentariis cur *κολοιός* dictus sit filius Tharrhelidis — nam hoc, non quis filius esset, quaesiverunt ut docent verba *υἱόν τινα* — invenisset quamvis falso (cf. edit. Kockii) explicatum, ipse filium quis esset quaesivit operam perdens. Iam iterum quaero: unde tandem huius rei cognitionem studuit haurire? Iterum respondebis: e comoedia (*διὰ τῆς κωμῳδίας*). Hic unus fons, qui de talibus rebus semper consulebatur. Eandem quaestionem Symmachus sine dubio Didymi interpretatione offensus tractavit, cui contigit invenire Tharrhelidis filium in Teleclidis quadam fabula (cf. Meinekius II p. 376 = Kockius I p. 221). Nam equidem causam non video,

---

Nam quid sibi vult Didymachiae nomen? Quod cum omni analogia repugnans corruptum fortasse est ex *Διδύμαρχος*, quod invenitur C. I. A. I, 536 [*Δι*]*δύμαρχ*[*ος*]. Praeterea legitur *Διδύμιας* C. I. A. I, 435. 438.

[17]) Pro quo falso Dindorfium *φασί* scribi voluisse statim videbimus.

[18]) Cf. Schneiderus l. a. p. 71; Engerus l. a. p. 996. De scholio vide praeterea Schauenburgium l. a. p. 27, a quo hic illic dissentio.

[19]) Dicat quispiam prima verba (— *οὐκ ἔχομεν*) ad scholiastam recentiorem pertinere sua ex parte et Didymo et Symmacho nisum, qui et ipse propter corporis exiguitatem eum cum monedula comparatum esse putaverit, sed si res ita se haberet, omnino non intellegeretur, cur hic Didymo fidem haberet, cum Symmachus nominatim afferat filium (seu filios, Suid.) et cur diceret *υἱόν τινα*.

cur non credamus Symmacho Asopodorum et Didymarchum (cf. adn. 16) Tharrhelidis filios esse dicenti, quod verum esse negavit Clausenus l. a. pp. 35. 36, ipsum Symmachum ratus eos fecisse Tharrhelidis filios propterea quod ἐπὶ σμικρότητι κεκωμῴδηνται.

Iam cum viderimus unicum fontem harum de Aristophanis aequalibus alioquin obscuris notitiarum esse comoediam, cui quanta sit fides historica unusquisque intellegit, restat ut quaeramus, quibus grammaticis haec scholia tribuenda sint.

Et primum quidem veteriores grammaticos Alexandrinos de his personis egisse ne vestigium quidem in scholiis inest. Egerunt hic illic de hominibus, praecipue qui litteris excellerent, ut saepius Callistratus (cf. schol. Ran. 791, Plut. 178 l. 44. 385[20]), Aristarchus (schol. Av. Thesm. 31), Euphronius de Cinesia (cf. schol. Av. 1378. 1379), de Pamphilo (schol. Plut. 385), semel Eratosthenes de Execestida (schol. Av. 11, cf. Streckerus l. a. p. 141, 78, 102, 42), aut de iis, qui ex alia re gloriam ceperant, ut Callistratus de Dracontide schol. Vesp. 157, de Metone una cum Euphronio Av. 997, sed de iis poëtae aequalibus, qui nisi e comoediis cogniti non erant non quaesiverunt. Deinde autem duobus scholiis Vesp. 1178 et Av. 17 Didymum primum de his personis vidimus quamquam frustra egisse, eiusdem nomen legitur in schol. Av. 440 l. 26. 877; Ran. 13. 55. 965, eius vestigia reperiuntur in schol. Nub. 109. 1022; Vesp. 380; Av. 1295; Ran. 367; Plut. 550 (schol. II. III, cf. antea). Quid ergo probabilius est quam credere omnino Didymum primum fuisse, qui his rebus diligentissime operam navaverit? ut equidem putem ea scholia, quibus d e A r i s t o p h a n i s a e q u a l i b u s a p o ë t a i r r i s i s, s e d c e t e r o q u i n o b s c u r i s, agatur, ad Didymi Chalcenteri c o m m e n t a r i u m esse referenda, qui a solis comicis hausit quae de his hominibus cognita habuit, praeter eum autem Symmachum, quem sua ex parte hic illic consuluisse comoedias patet ex schol. Av. 17. 997 l. 31 (cf. infra) Plut. 1011 l. 13, quam minimas partes in his quaestionibus egisse.

[20]) Cf. R. Schmidtius l. a. p. 327 adn. 53.

Caput III.

Iam ut ad historicos transeam, initium faciam ab artis historicae parente Herodoto quem consuluit

1) Schol. Equit. 91 l. 38—41 (cf. Suidas s. v. *εἰσηγήσαιντο* et paullo mendosius s. v. *οἶνον γάρ κτλ.*) — nam alterum l. 41. 42 ab eodem dependet commentario —: *Ἡρόδοτος δὲ τοὺς Πέρσας τοῦτον τὸν τρόπον βουλεύεσθαί φησιν· εἰ μὲν οὖν εἰσηγήσαιντό τι νήφοντες, βουλεύεσθαι περὶ τούτου ἐν μέθῃ καὶ κυροῦν, νήφοντες δὲ ἐπικυροῦν*, ad quae verba cf. Herod. I, 133: *μεθυσκόμενοι δὲ εἰώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιέστατα τῶν πρηγμάτων. τὸ δ᾽ ἂν ἅδῃ σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίᾳ νήφουσι προτίθει ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἔοντες βουλεύονται· καὶ ἢν μὲν ἅδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτῷ, ἢν δὲ μὴ ἅδῃ, μετιεῖσι.*

2) Schol. I Equit. 963 l. 9—11: *Φαεινός· μολγὸν ἀντὶ τοῦ τυφλόν· Ἡρόδοτος ἱστορεῖ τοὺς Μόλγους τούτους ἐπάνω τῆς Σκυθίας εἶναι.* Alia scholia, quorum id quod l. 16 incipit e Didymi commentario haustum esse sua e parte Eratosthenem consulentis Hesychii congruentia probatur s. v. *μολγός*, hic possumus omittere. Sed hac potissimum Phaini sententia Schneiderus[1]) usus est, ut summam huius grammatici, quem fere omnis doctrinae expertem fuisse et paene nullas egisse partes putat in poëta interpretando, scientiae demonstraret paupertatem, cum contra omnem analogiam et veterum usum usurpatum sit vocabulum *μολγός*. Contra quem cum Dindorfius[2]) defendere quodammodo studeat grammaticum, ne is quidem quomodo ad hanc explicationem vocis certe cum analogia pugnantem pervenerit exponit. Ad quod aggredientibus hoc tenendum est arte inter se cohaere priorem sententiam *μολγόν κτλ.* et Herodoti mentionem, ut haec iam ab ipso Phaino orta sit. Cui rei non obstat, quod apud Suidam s. v. *μολγός*, quamquam legitur Phaini interpretatio, deest Herodoti testimonium, cum et aliis locis idem fiat et in hoc ipso articulo, ut ita dicam, alteram quoque Hesiodi (l. 18) mentionem videamus omissam. Profertur autem Herodoti exemplum his verbis: *Ἡρόδοτος δὲ ἱστορεῖ*

---

[1]) l. a. p. 118.
[2]) in Addendis.

τούτους (Θ τοὺς Μόλγους τούτους) ἐπάνω τῆς Σκυθίας εἶναι, quibus verbis unusquisque mihi concedet patere Molgos intellegi homines sive populum. Iam si dicit grammaticus: hos autem Molgos supra Scythiam esse Herodotus auctor est, inde sequitur eum sumpsisse Molgum pro nomine proprio: „du wirst ein Molge werden"; quod cum interpretatus sit ἀντὶ τοῦ τυφλόν, hoc non ex analogia vocabuli factum est, sed sine dubio eo quod homines sive populum, qui Molgi nominabantur, hoc corporis vitio praeditos esse aut ab aliis affectos cognitum habuit.[3]) Quae si constant, non adeo miraberis quod tali vocis explicatione cum omni analogia repugnante usus sit grammaticus, qui pro virili parte studuit vocabulum interpretari, crucem veterum criticorum (cf. Polluc. X, 187; Lobeck., Aglaoph. II p. 966; Kock. in edit.). Restat unum ut cognoscamus, unde didicerit Phainus Molgos homines esse aut gentem caecam supra Scythiam habitantem. Ipse Herodotum indicat auctorem, sed neque apud hunc historicum neque apud ullum scriptorem aut poëtam graecum sive latinum hi Molgi nominantur[4]), ut aut Phainus ipse valde erraverit aut Herodoti nomen corruptum sit ex auctoris nomine qui ad nos non pervenit. Quam ob rem Dobreeus[5]) putavit grammaticum ad Hippemolgos transtulisse quae tradit Herodotus de Arimaspis. Sed ut difficile est credere Phainum et Molgos cum Hippemolgis et hos cum Arimaspis commutasse — nam ad scholiastam quendam hic error transferri non potest —, ita neque τυφλοί erant Arimaspi, sed coclites (cf. Herod. III, 116; IV, 13. 27) neque supra Scythiam habitabant, sed e parte orientali huius terrae (cf. Herod. IV, 23 coll. 24), ut haec via ad verum non adducat. Deinde Wesselingius et Schneiderus[6]) ad alium Herodoti locum putaverunt spectare grammaticum. Etenim cum Herodotus IV, 1. 2 narret Scythas cum in Mediam

---

[3]) Non assentiemur igitur Schneidero, qui l. a. 118 quamvis dubitanter pro τούτους proposuit τοιούτους.

[4]) Molgios cognoscit Diodorus I, 37 in Aegypto habitantes: τῶν δὲ Τρωγλοδυτῶν οἱ μεταναστάντες ἐκ τῶν ἄνω τόπων διὰ καῦμα, προσαγορευόμενοι δὲ Μόλγιοι, λέγουσι κτλ.

[5]) Cf. adversaria ed. J. Scholefield 1883, II p. 183.

[6]) Ille ad Herod. IV, 27; hic l. a., quamquam in adnotatione ad Dobreei magis vergit sententiam.

ingressi reverterentur filiorum τῶν δούλων, qui virorum absentium uxores amplexi essent, exercitum contra se profectum invenisse, servos autem ab iis solere caecari[7]), ad hanc rem ostendisse eum putant homines docti modo nominati. Sed ne hoc quidem placet, cum omnino non intellegatur, unde terrarum hauserit hos Molgos vocatos esse et supra Scythiam habitasse. Iam dicam quid equidem sentiam, quamquam vereor, ut multis persuadeam. Mordaciter enim tenendum Phainum a Molgis demum, quorum sedes ubi sint, certo scit, explicationem derivasse; iam cum unicuique, qui Herodoti Scythicarum regionum descriptionem perleget, tot et tanta miracula et, ut ita dicam, monstra populorum occurrant, causa non est, cur non credamus veteres putasse hic habitare populum Molgorum nomine ornatum, quem auctor aliquis aut omnino caecum aut ab aliis caecatum esse narravit. Quae si recte disputata sunt, Herodoti nomen esse corruptum elucet, id quod dubitanter iam indicare videtur Steinius l. a. Pro quo cum quaeris, quid sit restituendum, equidem accepto errore persaepe in scholiis invento proponam Ἡσίοδος, quem et in aliis carminibus, quae ei adscripta sunt, et potissimum in mulierum catalogo et eoeis, cum de origine aut itineribus deorum et heroum loqueretur, permulta exposuisse de terris reconditis e reliquiis elucet. Quod autem ἱστορεῖ dicit, non offendit, cum idem de Aristophane poëta dictum videamus in schol. Vesp. 1191.

3) Schol. Nub. 304, ubi l. 19. 20 verba puto esse corrupta. Habes enim hunc sententiarum ordinem: „bene poëta Nubes facit primum de Cerere et Proserpina canentes (cf. v. 301 sqq.). Cum quibus habent aliquid propinquitatis. Ut enim earum est fructus procreare, ita apud Nubes stat imbres proferre, sine quibus fructus crescere nequeunt“. Iam pergitur: εἴ γε καὶ τὸν Ἴακχον (αὐτόν add. R) ἐχόρευσαν ταῖς θεαῖς, ὡς Ἡρόδοτος κτλ., quae verba sensu cassa sunt. Apertum est dicere velle grammaticum: deinde iam ad Bacchum (v. 311) celebrandum se convertit Nubium chorus, addito Herodoti exemplo, qui et ipse cum deabus Eleusiniis coniungit Bacchum. Quam ob rem

[7]) Non meum est de hac re agere; cf. Steinius in ed. et Neumannus, Die Hellenen im Skythenlande I p. 281. 282, qui Herodoti errori miram hanc rem tribui vult.

puto scribendum esse: εἶτα καὶ τὸν Ἴακχον ἐχόρευσαν (i. e. Nubes B. choro celebrant) πρὸς (praeter) ταῖς θεαῖς. Sequitur miraculi illius ante pugnam Salaminiam facti narratio, quam ut ex Herodoti VIII, 65 haustam esse scholiastes ipse indicat, ita non paucis rebus ab hac narratione differre videmus, quamquam ea, quae diversa sunt, scholiastae sive veteri grammatico debentur, non accurate quae legerat in memoria tenenti. Ut enim apud historicum pridie ante pugnam res evenit, ita neque in conspectu exercituum, ut apud scholiastam (μελλόντων γὰρ λοιπὸν[8]) τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν βαρβάρων εἰς χεῖρας ἥξειν et πάσῃ τῇ στρατιᾷ κατάδηλον γενέσθαι) miraculum evenit, et iam priusquam in nubem contraheretur pulvis, vox audita est; et omnino consilium totius narrationis paullum mutatum est; sed nihilominus ab Herodoto ortam esse scientiam et ipse scholiastes indicat et similitudine quadam verborum probatur, ut κονιορτὸν ἀπὸ τῆς Ἐλευσῖνος αἰρόμενον: cf. Herod. κονιορτὸν χωρέοντα ἀπὸ Ἐλευσῖνος; μυστικὸς ὁ λόγος: cf. Herod. τὴν φωνὴν εἶναι τὸν μυστικὸν ἴακχον.[9])

4) Schol. Nub. 397, quorum alterum l. 41 sqq. recentius esse eo probatur, quod abest et a RV et a Suida[10]) s. v. βεκκεσέληνε. Res ipsa, quae magis genuine narratur in vetere scholio I cod. V, in altero recentiore iam Byzantini cuiusdam prodit ingenium suo arbitrio nonnulla mutantis, res ipsa, dico, hausta est ex Herodoti II, 2, quacum narratione hic illic ad verbum congruit scholium, ut schol. l. 21 sqq.: Ψαμμήτιχος Αἰγύπτου βασιλεύσας ἠθέλησεν ἐπιγνῶναι τίνας πάντων ἀνθρώπων πρεσβύτατοι καὶ πρῶτοι γένοιντο· ὡς δὲ πάντα πολυπραγμονῶν οὐχ οἷός τε ἦν ἀνευρεῖν τὸ ἀκριβὲς διὰ τὸ πολλοὺς

---

[8]) Ceterum mentione dignum est hoc λοιπόν = ἤδη, quod ut saepius a solo Polybio usurpatur, ita in scholiis ter legitur, praeter hunc locum in schol. Didymeo Equit. 814 l. 24 et Pac. 435 l. 47.

[9]) Ceterum quod in scholio legitur Δήμητραν, eiusmodi accusativi, quibus adde γυναῖκαν, θυγατέραν, quales in titulis leguntur primum C. I. Gr. 2088 in inscriptione Traiano non vetustiore, altero fere et exeunte primo p. Chr. n. saeculo in usum pervenerunt. Sed ad enucleandum scholii tempus haec res nihil affert, quia a librariis verae et genuinae formae persaepe mutatae sunt; cf. inscriptio hymn. Hom. in Cererem V et XII, Callimachi in eandem VI.

[10]) Cf. Zacherus l. a. p. 650 sqq. 692.

περὶ τούτου φιλονεικεῖν μηχανᾶταί τι τοιοῦτον; cf. Herod.: *ἐπειδὴ δὲ Ψαμμήτιχος βασιλεύσας ἠθέλησε εἰδέναι οἵτινες γενοίατο πρῶτοι . . . Ψαμμήτιχος δὲ ὡς οὐκ ἐδύνατο πυνθανόμενος πόρον οὐδένα τούτου ἀνευρεῖν . . . ἐπιτεχνᾶται τοιόνδε.* Sic cetera quoque ad verbum fere transscripta sunt, ut satis habeam ea afferre, quibus inter se discedunt scholium et historicus. Primum ea quae scholiastes statim inseruit sermonis ordini l. 29: *οἱ δὲ ὡς τροφοὺς παρέστησε τὰς γλώσσας αὐτῶν ἐκταμὼν ὥστε τῆς φωνῆς αὐτῶν μὴ ἀκούειν τὰ παίδια,* Herodotus in fine demum addidit l. 21 ut Graecorum opinionem: *Ἕλληνες δὲ λέγουσι ἄλλα τε μάταια πολλὰ καὶ ὡς γυναικῶν τὰς γλώσσας ὁ Ψαμμήτιχος ἐκταμὼν τὴν δίαιταν οὕτω ἐποιήσατο τῶν παίδων ταυτῇσι τῇσι γυναιξί.*[11]) Deinde in schol. (cf. Suid.) legimus: *ἀπαλλαγέντα τῶν ἀσήμων κνυζημάτων,* apud Herodotum in R *ἀπῃλαχθέντων* (α supra), in aliis libris *ἀπαλλαχθέντων τ. ἀ. κ.*, C *ἀπαλλαγέντων*. Iam utrum rectius, dubitari non potest. Nam ut *ἀπαλλαγέντα τῶν ἀσήμων κνυζημάτων* merae mutationi scholiastae debetur, ita bene fecit Steinius, quod contra codicis C et scholii auctoritatem *ἀπαλλαχθέντων* in textum recepit. Deinde apud Herodotum et in lexico Vindobonensi[12]) et schol. Apoll. Rhod. IV, 262 *διετής* legitur apud Didymum, cui scholium deberi p. 231 vidimus, *τριετής* quod e neglegentia grammatici ortum esse sive, cum idem in altero scholio legatur, librarii cuiusdam non nimis recentis, vel inde apparet, quod primas voces distinctas emittere solent

---

[11]) Idem narrat Quintilianus X, 1 § 10: „omnem enim sermonem auribus primum accipimus. propter quod infantes a mutis nutricibus iussu regum in solitudine educati etiamsi verba quaedam emisisse traduntur, tamen loquendi facultate caruerunt". Liceat mihi hic errorem vituperare in omnibus editionibus, quoad vidi, exstantem. Spaldingius enim, Frotscherus, Bonnellius, novissimus Kruegerus patris editionem curans hoc „mutis nutricibus" dictum putant de capellis ut bestiis mutis, et ita dici posse hic ille uberius studuit probare. Quod falsum est. Nam ut a Quintiliani usu loquendi, praecipue hoc loco, plane abhorret haec dicendi ratio poëtica, ita iam videmus omnino non necesse esse credere eum haec verba tali significatione accepisse: id secutus est, quod sibi magis placebat: a nutricibus lingua privatis altos esse infantes.

[12]) Edidit Nauckius, Petropoli 1867: p. 52.

pueri duorum annorum, immo saepe vel minoris aetatis, cum trium annorum liberi saepe iam continentia verba emittant. Denique *βέκος* quoque solum rectum est.

5) Schol. Nub. 1130 l. 34—37 (cf. Suidas s. v. *βουλήσεται*), nam alterum scholium ex eodem commentario haustum est, sed ita haustum, ut posteriora eius verba melius servata sint quam in priore. Ad nos pertinent l. 36 sqq.: *ἢ βουλήσεται πορρωτάτω εἶναι, ὅπου αὐτὸν οὐ βλάψει ὁ ὑετός. ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ δοκεῖ μὴ ὕειν ὥς φησιν Ἡρόδοτος· ὕσθησαν γὰρ τότε αἱ Θῆβαι οὐδαμὰ* (Suidas, *οὐθαμά* V) *πρότερον ὑσθεῖσαι*, cf. Herod. III, 10 l. 2 sqq.: *ὕσθησαν γὰρ Θῆβαι αἱ Αἰγύπτιαι οὔτε πρότερον οὐδαμὰ ὑσθεῖσαι οὔτε κτλ.*

6) Schol. Vesp. 502, quicum coniungendum schol. Lys. 619 l. 21—26 (cf. Suid. *ὄζειν*). Iam ad Vesp. versum duo habes scholia, quorum, cum ambo ex eodem commentario nata sint, alterum uberius est: . . *εἰκότως δὲ τεσσάρων ὄντων κατ' ἐνίους τῶν Πεισιστρατιδῶν τὸν Ἱππίαν παρέλαβεν. πρεσβύτατος γὰρ ἦν αὐτὸς* (scr. *οὗτος*) *καὶ τὴν τυραννίδα εἶχε, καθὰ καὶ Θουκυδίδης φησί. δοκεῖ δὲ ἡ τυραννὶς καταστῆναι ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐπὶ ἔτη ν', τοῦ ἀκριβοῦς διαμαρτάνων, Ἀριστοφάνους μὲν τεσσαράκοντα καὶ ἓν φήσαντος, Ἡροδότου δὲ ἓξ καὶ τριάκοντα.* — Deinde schol. Lys. 619: *τεσσάρων ὄντων τῶν Πεισιστρατιδῶν εἰκότως τοῦ Ἱππίου μόνου ἐμνημόνευσεν. πρεσβύτατος γὰρ ἦν οὗτος τῶν ἄλλων καὶ τὴν τυραννίδα ὑπέθετο καθάπερ Θουκυδίδης φησί. κατέσχε δὲ ἡ τυραννὶς ἐπὶ ἔτη γ', οἱ δὲ δ', Ἡρόδοτος δὲ ς'.* De re cf. Busolt, Griech. Gesch. I p. 551 adn. 3; Unger, Jahrbb. f. Phil. CXXVII p. 383 sqq.; Toepffer, Quaestt. Pisistr., Dorpat 1886. Consuluit de Hippiae aetate Thuc. VI, 54, ubi auctor diserte de hac re loquitur. Iam unde quattuor filios Pisistrato fuisse hausit?, cum idem Thucydides VI, 55 diserte tres numeret: Hippiam, Hipparchum, Thessalum. Quibus cum Herodotus, quo et ipso postea utitur grammaticus, VI, 94 nominatim addat Hegesistratum nothum, Sigei tyrannum, hos complexum ad numerum quem exposuit puto eum pervenisse. Iam quod ad regni tempus attinet praeter Eratosthenem[13]) et Herodotum (cf. V, 65: *ἄρξαν-*

[13]) De quo cf. Muellerus, Ed. Herodot. Didot. Parisiis 1849. Ap-

τες μὲν Ἀθηναίων ἐπ' ἔτεα ἕξ τε καὶ τριήκοντα) adhibuit Aristophanem μα' annos eum regnasse dicentem. Quis est hic Aristophanes? Plane falsum est quod putavit Meursius (Pisistratus p. 142), qui, ut pro μα' scripsit να', ita poëtam ipsum intellexit, quo absurdius cogitari non potest; alii, inter quos erat Clintonus (f. h. II p. 201) et novissimus Ungerus (l. a. 390. 91), grammaticum Alexandrinum, id quod verbis et re exigitur, intellegi voluerunt; sed iam Bentleius[14]) nomine corrupto habito scripsit Ἀριστοτέλους. Et recte quidem Nauckius (l. a. p. 66) credibile esse negavit Aristophanem Byzantium auctoritati Eratosthenis opponi aut cum Herodoto consociari. Accedit quod, si eius quae in scholiis exstant vestigia contemplaberis, ter sive quater (Nub. 967. 1007, Av. 1541. 1610) in poëtae verbo aliquo explicando eum versantem invenies, bis in textus difficultatibus removendis sive statuendis (Av. 1342, Ran. 153), semel in quaestione ad accentum pertinente (Nub. 1150), semper certe in iis rebus, quae ad poëtae verba intellegenda utique necessaria essent, sed numquam in re historica ita comparata, ut in schol. Vesp. 502, quae ad textum ipsum omnino non pertinet. Quam ob rem corruptum certe est nomen. An item bene sanatum, ut probata hac mutatione totum locum habeas integrum? Quod cum crederent Rosius (Aristotel. fragm. nr. 396) et Toepfferus l. a., de quo statim agam, alii praeterea aliud vitium in scholio latere putaverunt. Legitur enim in eiusdem Aristotelis politic. VIII (V), 1315 B 24: τρίτη δὲ ἡ τῶν Πεισιστρατιδῶν (sc. τυραννίς) Ἀθήνησιν οὐκ ἐγένετο συνεχῶς. δὶς γὰρ ἔφυγε Πεισίστρατος τυραννῶν· ὥστε ἐν ἔτεσι τριάκοντα καὶ τρισὶν ἑπτακαίδεκα τούτων ἐτυράννησεν, ὀκτωκαίδεκα δὲ οἱ παῖ-

---

pendic. p. 200 frg. 100. Quem in libro περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας de hac re dixisse cum primus putavisset Bernhardyus, Eratosthenica p. 217, quae sententia probata est a Stiehlio, Philol. Suppl. II, 488, et dubitanter a Streckero l. a., suum locum in chronographia huic rei primus tribuit Muellerus l. a. Nam quod documentum attulit Bernhardyus alium Eratosthenis librum non afferri in scholiis, postea refutabo, cum probavero eiusdem olympionicas esse adhibitas. Deinde autem facile intellegitur omnino locum non fuisse huic rei in libro de vetere comoedia, cum ad interpretationem nihil afferret.

[14]) Breves eius notae publici iuris factae sunt in 'Classical journal' XIII no. 25 p. 590.

δες· ὥστε τὰ πάντα ἐγένετο ἔτη τριάκοντα πέντε, ut hic numerus omnino non congruat cum eo, qui in scholio legitur. Quam diversitatem Dindorfius et Toepfferus (l. a. p. 131) ea re excusari volunt, ut hic calculus in Atheniensium republica, quam certe solam hic esse adhibitam alia docent scholia Ach. 234, Lys. 665. 1153, ille in politicis usurpatus sit a philosopho, alii alio modo.[15]) Velut Nauckius (l. a.) putat hic quoque pro μα' scribendum esse λε', Schneidewinus ad Heraclidis[16]) fragmentum: Πεισίστρατος λγ' ἔτη τυραννήσας, cum putet Heraclidis περὶ πολιτειῶν fragmenta compilata esse ex Aristotelis politicis et non posse sibi non constitisse philosophum, pro Ἀριστοφάνους legi vult Ἀπολλοδώρου. Sed ut constat non omnia Heraclidis fragmenta ex Aristotelis politicis esse excerpta, ita, etiamsi illud esset Aristotelium, nihil obstaret, quin veram putares Bentleii mutationem, cum ibi de solius Pisistrati annis loquatur philosophus, hic de toto tyrannorum regno. Quae cum ita se habeant, concedemus fieri potuisse, ut non plane sibi constaret Aristoteles, si modo bene se habeat numerus μα'. Ad quam rem examinandam iam accedamus. Exstant enim apud Isocratem περὶ ζεύγους (XVI) 25. 26 haec: Alcmaeonidae, dicit, semper benevolentiam erga populum praestiterunt, praecipue ἐν τοῖς τυραννικοῖς. συγγενεῖς γὰρ ὄντες Πεισιστράτου καὶ πρὸ τοῦ εἰς τὴν ἀρχὴν καταστῆναι μάλιστ' αὐτῷ χρώμενοι τῶν πολιτῶν οὐκ ἠξίωσαν μετασχεῖν τῆς ἐκείνου τυραννίδος, ἀλλ' εἵλοντο φυγεῖν μᾶλλον ἢ τοὺς πολίτας ἰδεῖν δουλεύοντας. τετταράκοντα δ' ἔτη τῆς στάσεως γενομένης, ὑπὸ μὲν τῶν τυράννων τοσούτῳ μᾶλλον τῶν ἄλλων ἐμισήθησαν, ὥσθ' ὁπότε τἀκείνων κρατήσειεν οὐ μόνον τὰς οἰκίας αὐτῶν κατέσκαπτον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ταφοὺς ἀνώρυττον . . . καὶ τὸ τελευταῖον Ἀλκιβιάδης καὶ Κλεισθένης . . . στρατηγήσαντες τῆς φυγῆς κατήγαγον τὸν δῆμον καὶ τοὺς τυράννους ἐξέβαλον . ., quae fere tota exposui, cum non paullum referat ea recte interpretari. Habes enim hic quoque eundem fere numerum annorum atque in scholio, ut eius lectionem hoc Isocratis

---

[15]) Omitto Bournotum, Philol. IV p. 271, et Stiehlium l. a. p. 488, qui in eum errorem inciderunt, ut putarent iam a Meursio scriptum esse Ἀριστοτέλους να' φήσαντος.

[16]) Cf. Heraclidis politiarum quae exstant, Goetting. 1847, p. 37.

loco confirmari putaverint homines docti. Ad quem numerum Clintonus (l. a. p. 202) ita putavit pervenisse oratorem, ut de toto numero annorum (51) detraheret eos annos, quos cum iterum expulsus esset in exilio degeret Pisistratus (11), eodemque modo scholiastae fontem, Aristophanem Byzantium, ut ille putavit, cum de 51 detraheret annos completos decem. Comprobavit hanc rationem Toepfferus (l. a. 134. 135), et ipse, cum primum exulante Pisistrato tantum afuisset, ut controversiae civiles quiescerent, ut Megacles princeps Alcmaeonidarum non dubitaret pristinum Athenas revocare adversarium, alterius exilii decem annos deductos esse ratus a Pisistrati tyrannide. Sed sine dubio non recte interpretati sunt auctorem. Et primum quidem plane cum Toepffero (l. a. p. 126) consentio Isocratis narrationi non nimium momentum tribui debere dicenti: non sunt historici oratores neque id agunt — id quod praecipue ad graecos oratores spectat —, ut stricte et accurate rem exponant, ut sine dubio erraverit quodammodo Ungerus (l. a. p. 384) verba rhetoris nimis premens. Sed vehementius erravit Toepfferus. Qui cum vituperet Ungerum, quod pro certo habuerit Isocratem στάσεως illius finem ad 511/10 (Hippiam expulsum[17]) rettulisse, cum ipse putet nusquam dictum esse, haec discordia quando exitum habuisset, postrema Isocratis verba videtur neglexisse, quibus dicitur discordias mansisse, dum Alcibiades et Clisthenes tyrannos expulissent. Deinde autem cum ipse doceat tyrannum cum alterum Athenas intraret a Megacle esse vocatum (cf. Herod. I, 61), quomodo hoc tempore discordiam fuisse inter hos viros Isocrates dicere possit, equidem non video, immo, quamquam in singulis rebus non nimis premendus est auctor, initium τῆς στάσεως inde ab eo tempore videtur fecisse, quo ab ipso Megacle modo revocatus Pisistratus iterum eiectus est, id quod bene indicavit Ungerus l. a. A quo anno, quem esse circiter 550 homines docti fere consentiunt, usque ad expulsos tyrannos revera sunt fere quadraginta. Quod autem iam ante hanc rem discordiam fuisse narrat Herodotus I, 59, non obstat, cum auxilium quod tyranno ferebant Alcmaeonidae et ea quae sequebatur

[17]) Nam hoc anno expulsus est tyrannus, non quod putavit Petersenus, Quaest. de histor. gentium Attic., Kiel 1880, p. 117. 118, demum 509; cf. Busolt. l. a. et quae postea de hac re dicam.

expulsio res fuerint graviores et a quibus bene potuerit incipi ἡ στάσις, aliis illis annis neglectis. In universum igitur Ungerum puto rectum vidisse, ut non necesse sit Toepfferum artificiosius agentem uberioribus refutari. Quibus rebus expositis iam vides satis singularem esse hunc calculum et non tam ad tyrannidis tempus spectantem quam ad Alcmaeonidarum et Pisistratidarum simultates, de qua re sola locutus est Isocrates. An hunc calculum Aristoteli tribues quot annos regnassent Pisistratidae quaerenti? Et ei quidem, qui in politicis eos triginta tres annos imperium tenuisse dixit? Quod fieri posse equidem utique nego, ut numerum quoque corruptum esse iam appareat. Sed, ut iam in Aristotelis nomine quiescamus, facilior patet modus ad locum sanandum, quam quem proposuit Nauckius λε′ scribens. Etenim cum Aristoteles in Politicis ipse dicat Pisistratum principatum habuisse annos 33, exulasse 17, filios regnasse annos 18, hic — numerum ipsum iam indicavit Meursius — puto esse scribendum pro μα′ να′ (= 18 + 33), quem calculum in republica Atheniensium secutus est philosophus. Quem numerum plane aliter se habere atque alium illum 41 vides. Scholium ipsum igitur novum solum Eratosthenis numerum exhibet: alii iam aliunde cogniti sunt. Sed ut ad schol. Lys. 619 accedamus, numeris his expositis Clintonus (l. a.) et Ungerus (l. a. 386) propriam vim tribuerunt et eos ad historiam construendam usurpaverunt, cum Dindorfius, Bernhardyus (Eratosth. p. 217), Toepfferus (l. a. p. 130 adn. 1) eos foede corruptos rati secundum schol. Vesp. corrigi malint, ν′ pro γ′, μα′ (Bernh. μ′) pro δ′, λϛ′ pro ϛ′ scribentes. Et primum quidem permirum esset, quod initium huius scholii e verbo transscriptum esset e schol. Vesp. 502, in fine nova adderentur. Deinde fac his verbis ostendi ad unius Hippiae tyrannidem fratre mortuo, ne tum quidem recte se habent, cum Herodotus V, 55 dicat: μετὰ ταῦτα (mortem Hipparchi) ἐτυραννεύοντο Ἀθηναῖοι ἐπ' ἔτεα τέσσαρα οὐδὲν ἧσσον ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἢ πρὸ τοῦ, Thucydides VI, 59 τυραννεύσας ἔτη τρία Ἱππίας καὶ παυσθεὶς ἐν τῷ τετάρτῳ, sex autem annos solum Hippiam principatum obtinuisse nemo auctor sit.[18]) Itaque cum, quidquid statuis,

[18]) Nam ut magnis panathenaeis (i. e. hecatombaeone) 514/13 occisum esse Hipparchum docent Herod. V, 56, Thuc. VI, 56, ita 510 Hippiam expulsum esse iidem probant (Herod. V, 55, Thuc. VI, 59).

corrupta sint verba, equidem cum iis consentio, qui ea nihil esse putant nisi iteratum schol. Vesp. 502, ut ν' putem scribendum esse pro γ', να'[19]) pro δ', λς' pro ς'.

7) Schol. Vesp. 1122, ubi ad nos pertinent ea, quae in fine leguntur, a codice R quoque exhibita: *μήποτε ὁ διαφθείρας τὸν ἐπ' Ἀρτεμισίῳ στόλον τῷ βαρβάρῳ* (scr. *τῶν βαρβάρων*)· sc. *ὁ βορέας. καλῶς δὲ τὸ ἐπεστρατεύσατο· πολὺς γὰρ ἐλθὼν* (scr. *ἐπελθὼν* ut V) *κατέδυσεν* (sic V pro *κατέλυσεν* cod. R) *αὐτῶν τὰ σκάφη*, quod scholium in aliis codicibus similiter exhibitum olim ad lemma *βορέας* adscriptum esse per se constat. Rem ex Herod. VII, 188. 189 hausit Didymus (cf. antea), sed ita ut ea quae Herodotus evenisse dicit cum Artemisium veherentur Graeci, ad ipsum proelium transferret.

8) Schol. Pac. 410, ubi R sola habet haec: *οἱ βάρβαροι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην τιμῶσιν ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ*, alii codices, inter quos est V, addunt: *ἐπιεικῶς δὲ οἱ βάρβαροι τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην θεῶν μᾶλλον πάντων σέβουσι. διὰ τοῦτο καὶ τὴν Δῆλον καὶ τὴν Ἔφεσον οὐ διελυμήναντο. ὁ μὲν γὰρ ἥλιος Ἀπόλλων ἐνενόμιστο, ἡ δὲ Ἄρτεμις σελήνη* (V falso addit *ἐνόμιστο*). Mire res comparata est. Nam quid sibi vult illud *ἐπιεικῶς* i. e. apte? Quod, nisi poëtae sententiam bene et recte se habere probari volunt, addere non solent grammatici (cf. *εἰκότως*, quod idem valet, in schol.

Ad eundem annum pervenimus Thuc. VI, 59 adiuti, cum proelium apud Marathona evenisse archonte Phaenippo (M. Par. 48; Plut. Arist. 5) contra Ungerum bene probaverit Toepfferus l. a. 136. Cum hac ratione congruit Aristoteles 51 annos tyrannos regnasse dicens. Etenim cum Pisistratus archonte Comia (M. Par. 56, Plut. Sol. 32) tyrannidem accepisset, a qua ratione non est cur cum Toepffero l. a. p. 141 Eusebium secuto discedamus 561/60 initium tribuente, cumque 33+18 = 51 annos regnasse tyrannos exponat philosophus, ad 510 perveniemus, si modo ponimus eum annum, quo et Pisistratus obiit et filii successerunt, bis in rationem ductum esse. Ita enim facillime scrupulus removetur, qui pupugit Peterseuum l. a. 117 adn. 1, ut ad 509 perveniret, qua re commotus est, ut magna panathenaea non tertio sed quarto anno ol. LXXXI tribueret et Hippiam 518 mortuum esse crederet. Ceterum cf. Busoltius I p. 551 adn. 3, qui de pugnae Marathoniae tempore sibi non constat, cf. II, 83 adn. 2.

[19]) Hoc scholio quodammodo sententia mea corroboratur, cum facilius *N* ex *Δ* potuerit corrumpi quam *M*.

Equit. 356, Nub. 549, Vesp. 502 schol. II); quod hic omnino aptum non est. Praeterea verba *ἐπιεικῶς* — *σέβουσι* eandem sententiam exhibent, quam antecedentia *οἱ βάρβαροι* — *ἱστορεῖ*, ut equidem putem veteris scholii formam esse hanc: *οἱ βάρβαροι* — *ἱστορεῖ. διὰ τοῦτο καὶ* — *σελήνῃ*, inter quae illud, quod restat: *ἐπιεικῶς δὲ* — *σέβουσι*, quod recentiori cuidam scholiastae originem debet, inepte immissum est. Hausta est res ex Herodoti I, 131 l. 15: *θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ κτλ.*, quicum coniungendum est VI, 97, ubi Datidem legimus Delo insulae, quia ibi nati essent duo dii, pepercisse. Quod autem de Epheso narrat, originem videtur debere aut falsae interpretationi verborum *ἐν τῇ χώρῃ οἱ δύο θεοὶ ἐγένοντο* (VI, 97) aut Herod. I, 26, ubi Ephesios urbem, cum a Croeso obsideretur, audimus dedicavisse Dianae a templo usque ad murum fune extento.

8) Schol. Lys. 675: *Ἀρτεμισία Λυγδάμιδος θυγάτηρ τὸ γένος Ἐφεσία, ἥτις συνεμάχησε Ξέρξῃ κατὰ τῆς Ἑλλάδος καὶ ἱκανῶς ἠνδραγάθησεν*, quae sine dubio, quamquam patria Artemisiae commutata est, hausta sunt ex Herodoti VII, 99: *Ἀρτεμισίης δὲ τῆς μάλιστα θῶυμα ποιεῦμα ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατευσαμένης γυναικός . . . οὔνομα μὲν δὴ ἦν αὐτῇ Ἀρτεμισίη, θυγατὴρ δὲ Λυγδάμιος, γένος δὲ ἐξ Ἁλικαρνάσσου τὰ πρὸς πατρός.*

Sed iam alia quaedam exstant, quae, quamquam neque nomen afferatur et verba paullo diversa sunt, eidem Herodoto tribui possunt. Sunt:

10) Schol. Ach. 84 l. 29 sqq.: *Δάτιδος γοῦν καὶ Ἀρταφέρνους τῶν στρατηγῶν τοῦ Περσῶν βασιλέως εἰς Μαραθῶνα ἐμβεβληκότων περιέμενον τὴν πανσέληνον ἐπὶ τῷ τότε ἐξελθεῖν ἐπὶ τὸν πόλεμον. πρὶν οὖν ἐκείνους παραγενέσθαι, καθώρθωσαν οἱ Ἀθηναῖοι τὸν πόλεμον.* Cf. Herod. VI, 106. 107: *ἀδύνατα δέ σφι* (Lacedaemoniis) *ἦν τὸ παραυτίκα ποιέειν ταῦτα* (auxilium ferre Atheniensibus) *οὐ βουλομένοισι λύειν τὸν νόμον. ἦν γὰρ ἱσταμένου τοῦ μηνὸς εἰνάτη, εἰνάτῃ δὲ οὐκ ἐξελεύσεσθαι ἔφασαν μὴ οὐ πλήρους ἐόντος τοῦ κύκλου· οὗτοι μὲν οὖν τὴν πανσέληνον ἔμεινον.* De re ipsa inter se differunt sententiae hominum doctorum; cf. Boeckhius, Kleine Schriften IV p. 85; Curtius II^5 p. 26; Dunckerus

VII p. 122 adn.; Busoltius II p. 69 adn. 2. Sed hic maioris momenti est, ut scriptor utrum ad hunc solum mensem voluerit hunc morem transferri an ad omnes quaeramus, quod cum Herodotus in dubio reliquerit, historici qui sequebantur ut ipsis placuit intellexerunt. Etenim Ephorum, quem aliquis dicat a grammatico esse consultum, cum alium hisce de rebus praeter hos duos adhibitum non esse videamus, inspectum non esse patet ex Justini II, 9, 8. 9, Trogi epitomatoris, qui, cum eum has res ab Ephoro petiisse ex eius cum Diodoro aliisque similitudine probaverit Volquardsenus[20]), habet haec: „Igitur Athenienses audito Darei adventu auxilium a Lacedaemoniis, socia civitate, petiverunt, quos ubi viderunt quadridui teneri religione etc." Accedit quod verba ipsa Herodoti congruunt cum scholiasta, qui eandem in se admisit neglegentiam, quam Plutarchus de mal. Herod. cap. 26, 861 F. 62 A. et Pausanias I, 28, 7, ut generaliter loqui putarent auctorem de omnibus mensibus.

11) Equit. schol. II 449 l. 54 sqq.: *Πεισιστράτου γυνὴ γέγονεν ἡ Μυρρίνη Ἱππίου καὶ Ἱππάρχου μήτηρ· Βυρσίνην οὖν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Μυρρίνην ὡς βυρσοπώλην πάλιν κωμῳδῶν τὸν Κλέωνα. ταύτην ὁ Πεισίστρατος ὅποτε κατήγαγεν εἰς Ἀθήνας ἐφ᾽ ἅρματος ἔφασκεν Ἀθηναίαν εἶναι βουλόμενος τυραννεῖν,* quod cum a Didymo ortum non esse probetur Hesychii glossa, sine dubio e Chalcenteri lexico comico hausta *Βυρσίνης· Μυρρίνης· ἦν δὲ αὕτη γυνὴ Ἱππίου τοῦ τυράννου· ἐν τοῖς ἱππεῦσι,* simul videmus Didymum operam navavisse huic loco interpretando, sed non ad nos pervenisse eius adnotationem. Scholiastes autem, cuius sententia nobis servata est, duplici modo erravit, primum quod Myrrhinen vocavit Hippiae matrem, cum esset eius uxor (cf. Thuc. VI, 55, 1), deinde quod ab ea in urbem reductum esse putavit tyrannum, quod ad Phyen spectare docet Herodot. I, 60. Sed hic error natus est e neglegentia; cum Herodoti mentionem in memoria retineret, nominibus deceptus est. Sed quomodo alterum vitium explicatur? An eundem in modum? Quod mihi non videtur. Neque enim eum nomen huius feminae in memoria tenuisse puto; si autem Thucydidem inspexit, errare non potuit. Immo ita mihi error videtur

---

[20]) Cf. Untersuch. üb. d. Quellen etc. p. 1—71.

ortus esse, ut scholiastes in vetere aliquo commentario sive Didymi sive Symmachi ab illo dependentis invenerit tale quid: *Βυρσίνης· ἀντὶ τοῦ Μυρρίνης· ὡς κωμῳδῶν* etc., quod cum e Thucydidis loco haustum esset, omissum erat eam uxorem fuisse Hippiae. Iam poëtae verbis *τῶν Βυρσίνης τῆς Ἱππίου* prave intellectis propinquitatem ipse finxit et falso finxit.[21])

12) Schol. Nub. 64 l. 97 sqq. Habes hic duo scholia: I l. 47—6, II l. 6—13, quorum prius in duas partes divisum est, quarum altera ad Xanthippum pertinet l. 47—52, altera ad Calliam et Hipponicum l. 52—l. 6, quod dubitanter iam protulit Dindorfius. De Xanthippo autem — nam de hoc solo agetur in hoc capite — in vetere commentario, cuius verba non integra hic servata sunt, exstitisse videntur haec: *ὁ Ξάνθιππος Περικλέους ἦν πατήρ, ὃς ἦν τοῦ τῶν Ἀλκμαιωνιδᾶν γένους· ἐσεμνύνετο δὲ ἡ γυνὴ αὐτοῦ μέγα* (ab hoc verbo initium faciunt RV) *φρονοῦσα πάντως ἐπὶ τῷ προγόνῳ Μεγακλεῖ* (ea quae ed. Aldin. exhibet *ἐσ. δὲ τὸ γύναιον θείῳ Μεγ.* falsa sunt et Byzantina) *τῷ νικήσαντι τρὶς Ὀλύμπια καὶ δι' ἱπποτροφίαν κατελθόντι ἐκ τῆς φυγῆς. ἐδίωξε γὰρ αὐτὸν ὁ Πεισίστρατος, ὃν καὶ μετεπέμψατο παραχωρήσαντα αὐτῷ τὸ τῆς νίκης κήρυγμα.* Quae narratio, de qua tacet Petersenus, l. a. p. 91, priore ex parte hausta est ex Herod. VI, 131: *ἐκ δὲ Ἱπποκράτεος (γίνεται) Μεγακλῆς τε ἄλλος καὶ Ἀγαρίστη ἄλλη . . . ἣ συνοικήσασα τε Ξανθίππῳ τῷ Ἀρίφρονος . . . τίκτει Περικλέα Μεγακλεῖ.* Revera hunc esse fontem eo magis elucet, quia si ab Herodoto scholiastam dependere vidimus, iam patet quomodo fieri potuerit, ut alia illa *τῷ νικήσαντι — κήρυγμα* accederent. Quae ad Megaclem omnino non pertinere, sed ad Cimonem priorem, Stesagorae filium (cf. Petersenus l. a. 25), probat idem Herodotus, cui haec quoque originem debent, V 103: *Μιλτιάδης τοῦ τὸν πατέρα Κίμωνα τοῦ Στησαγόρεω κατέλαβε φυγεῖν ἐξ Ἀθηνέων Πεισίστρατον τὸν Ἱπποκράτεος. καὶ αὐτῷ φεύγοντι Ὀλυμπιάδα ἀνελέσθαι τεθρίππῳ συνέβη, καὶ ταύτην μὲν τὴν νίκην ἀνελόμενον μὲν τὠυτὸ ἐξενείκασθαι τῷ ὁμομητρίῳ ἀδελφεῷ Μιλτιάδῃ. μετὰ δὲ τῇ ὑστέρῃ*

[21]) Aliqua ex parte igitur recte dicit Petersenus l. a. p. 111 adn. 3 distortionem inde ortam esse, quod scholiastes eius ipsius quem commentaretur verba prave intellegeret.

Ὀλυμπιάδι τῇσι αὐτῇσι ἵπποισι νικῶν παραδιδοῖ Πεισιστράτῳ ἀνακηρυχθῆναι, καὶ τὴν νίκην παρεὶς τούτῳ κατῆλθε ἐπὶ τὰ ἑωυτοῦ ὑπόσπονδος. καί μιν ἀνελόμενον τῇσι αὐτῇσι ἵπποισι ἄλλην Ὀλυμπιάδα κτλ. Iam cum et Pisistratus et Megacles filii essent hominum, quibus idem nomen Hippocratis erat, cumque scholiastes neglegeret Pisistrati nomen, quod apud Herodotum ante τὸν Ἱπποκράτεος exstat, prave omnia de Megacle dicta esse putavit.

13) Schol. Vesp. 355: ὅτι Νάξος ἑάλω· τὴν Νάξον ἐπετετήρηκε πρὸς τὸν γέροντα· ἑάλω γὰρ ἐπὶ Πεισιστράτου κτλ. ἔστι δὲ μία τῶν Κυκλάδων νῆσος (i. e. die Erwähnung von Naxos hat er auf den Greis abgepasst etc.), unde elucet, cum Pisistratus plus quam centum annis ante Vespas doctas viveret, scholiastam aut non stricte scivisse, quo tempore Athenis tyrannis esset, aut temporum rationem non nimis curasse. Hausit rem ex Herod. I, 64: οὕτω δὴ Πεισίστρατος τὸ τρίτον σχὼν Ἀθήνας ... καταστήσας εἰς Νάξον (καὶ γὰρ ταύτην ὁ Πεισίστρατος κατεστρέψατο πολέμῳ καὶ ἐπέτρεψε Λυγδάμι). Ceterum non hanc sed alteram Naxi insulae captionem indicat poëta, quam breviter commemorat Thuc. I, 98, 4. Quae quo anno acciderit inter se dissentiunt homines docti, cum Kruegerus eam anno 473, Ungerus 468, Dunckerus 465, Curtius et Busoltius 467 tribuant.[22])

14) Denique schol. Vesp. 1084 l. 38—42 ad Herodotum potest referri, qui, nisi quod pro Leonida Dienecae nomen rectius positum est, fere congruit cum scholiasta exhibens haec, VII 226:

---

[22]) Cf. Kruegerus, Hist.-philol. Stud. 1837 p. 46; Ungerus, Philol. XLI p. 98; Dunckerus l. a. N. F. I p. 168 adn.; Curtius l. a. III[5] append. p. 82; Busoltius l. a. II p. 401 adn. 1. Ceterum temperare mihi non possum, quin suspicionis mentionem faciam, quae priusquam Herodoti loci memineram mihi orta est. Etenim cum primo aspectu scholiastes — et vidimus scholia historica ad Didymum pleraque recedere bonos fontes adhibentem — accuratam videatur temporis cognitionem habere (ἐπετητέρηκε κτλ.), putabam pro Πεισιστράτου vitio, quod similiter identidem in scholiis invenitur (cf. 'Chares' pro 'Laches', 'Aristophanes' pro 'Aristoteles', alia), hic quoque commisso scribendum esse Λυσιστράτου, ad cuius praeturam (ol. 78, 2, 467/66; cf. Clinton. F. H. II p. 38) rem transtulerunt Curtius, Busoltius, et scientiam ipsam e Philochori Atthide (cf. paullo infra) ortam esse.

Διηνέκεα πυθόμενον πρός τευ τῶν Τρηχινίων ὡς, ἐπεὰν οἱ βάρβαροι ἀπιέωσι τὰ τοξεύματα, τὸν ἥλιον ὑπὸ τοῦ πλήθεος τῶν ὀιστῶν ἀποκρύπτωσι . . . τὸν δὲ εἰπεῖν . . . ὡς πάντα σφι ἀγαθὰ ὁ Τρηχίνιος ξεῖνος ἀγγέλλοι, εἰ ἀποκρυπτόντων τῶν Μήδων τὸν ἥλιον ὑπὸ σκίῃ ἔσοιτο πρὸς αὐτοὺς ἡ μάχη καὶ οὐκ ἐν ἡλίῳ, quae a scholiasta esse usurpata praecipue patet ex iis quae respondentur, quae usque ad particulam *εἰ*, ad scholiastae sermonem minus aptam, transscripta sunt. Ceterum idem exstat apud Pseudo-Plutarchum, apophtheg. reg. et imp. 225.

Iam restat ut de iis scholiis agam, quae res Persarum narrant ab Herodoto non repetitas. Quorum primum est schol. Av. 1021 (cf. Suid. *Σαρδαναπάλος*). Duo hic habemus scholia ab eodem Didymeo, ut vidimus p. 232, dependentia commentario: I l. 29—39, II l. 40—53, in quo cum videas versus exhibitos, qui in priore scholio non exstant, aut a scholiasta illic omissi sunt aut a grammatico quodam Didymo posteriore hic additi. Quod epigramma a Choerilo versibus esse expressum Athenaeus 509 f auctor est, qui permulta de Sardanapallo exhibet 528 f — 530 c. Complures huius poëmatis exstant recensiones, sed de hac re tam accurate dictum est a Naekio, Choerili Samii quae supersunt, Lips. 1827 p. 196 sqq., et ab aliis, ut equidem nolim rem iterum in disputationem vocare. Restat ut unde reliqua sumpta sint quaeramus. Primum affertur Apollodorus, quem dicit Didymus (cf. Hesych. et p. 232) *ταῦτα φάναι· ἐγγεγράφθαι ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ Ἀσσυρίοις γράμμασι· Σαρδανάπαλος Ἀνακυνδαράξου παῖς Τάρσον τε καὶ Ἀγχιάλην ἔδειμεν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ· ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τἆλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια.* Egit de hac inscriptione praeter Naekium l. a. p. 237 sqq. Niesius, Ind. lect. Marburg. aestatis 1880. Iam primum videamus, num stare possit, id quod p. 232 studuimus probare, scholium esse Didymeum, quia et apud Hesychium, Chalcenteri lexico comico quamquam non ipsum usum, fere eadem exstarent et in proverbiis appendicis cod. BV, in quam maiorem partem proverbiorum Didymeorum translatam esse vidimus. Quae sententia certe cadit, si recte Naekius putat aliam esse scholii recensionem, aliam appendicis, cum de Hesychio nihil certi addat, cf. p. 245. 247. 242. Sed iam videamus, utrum revera tantum

intersit inter tres locos. Quod ad Hesychium attinet, cum inscriptio non servata sit, eum a Didymo dependere inde elucet, quod hic quoque addit *δύο δέ κτλ.*; appendicis autem auctor adeo cum eodem congruit, ut non solum ea quae inscriptioni antecedunt ad verbum transscripserit omisso Apollodori nomine, sed etiam in inscriptione ipsa illud *Τάρσον τε καὶ Ἀγχιάλην* et *ὄχευε*. Quae igitur diversa sunt? Primum quod in scholio et app. BV *ἐπὶ τῷ τάφῳ* insculptum esse epigramma legitur, apud Hesychium *ἐν μνήματι*, hoc plane idem est, vocabula solum commutata (cf. Niesius p. 4 adn. 1). Quam ob rem, ut cum Hesychio utique congruit scholium, ab appendicis auctore eam solam habet differentiam, ut in scholio legantur in fine haec: *ὡς τἄλλα οὐδενὸς ἄξια*, in appendice: *ὡς τά γε ἄλλα οὐδὲ τούτου ἄξια· τουτέστι τοῦ τῶν δακτύλων ἀποκροτήματος· τὸ γὰρ ἐφεστὸς τῷ μνήματι ἄγαλμα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχον τὰς χεῖρας πεποίηται, ὡς ἂν ἀποληκοῦν τοῖς δακτύλοις*, cui diversitati a Naekio p. 244 nimium puto tribui momentum. Qui cum recte dicat, si *τούτου* legatur, eximiam quandam exsistere inter statuam Sardanapalli et inscriptionem responsionem et mutuam explicationem, hanc tolli ab iis qui scripserint *οὐδενός*, in ea re deceptus est, quod ab Apollodoro primo hanc mutationem putat ortam esse. Immo cum viderimus alia plane congruere inter scholium et appendicem, dicemus aut Didymum ipsum in commentario satis habuisse sensum verborum solum reddere, cum verteret illud *τούτου κτλ.* in *οὐδενός*, aut, id quod mihi verisimilius videtur, a posteriore demum scholiasta ortam esse hanc mutationem, qui sic facili opera supersedebat omnia illa, quae de figura in monumento expressa exstabant, reddere.[23]) Ergo revera omnes tres, Hesychius, scholiastes, appendicis auctor ad eundem Didymum recedunt. Qui quo fonte usus sit videamus. Ipse l. 35 Apollodorum nominat, qua re

---

[23]) In ea igitur re cum Niesio l. a. p. 10 consentio, quod mutationem non Apollodoro puto esse tribuendam. Quod autem apud Plutarchum legitur de Alex. virt. II, 3 . . . . *καὶ τοῖς δακτύλοις ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς οἷον ἀποψοφοῦντι ἐπιγραφέν· ἔσθιε, πῖνε, ἀφροδισίαζε. τἄλλα δὲ οὐδέν*, hoc nihil contra meam sententiam dicit, cum longe absit, ut hic ad verbum inscriptionem afferat, ut nihil nisi sensum reddat.

commotus primus Heynius (in fragm. Ap.) ex eius χρονικοῖς[24]) iambico metro scriptis rem putavit sumptam esse, iamborum vestigia in ipso fragmento cognosci posse ratus, quem secutus est Naekius, l. a. p. 246, qui iambos studuit restituere. Sed una cum Clauseno[25]) bona cum fide eos secuto aperte erraverunt. Dielsius enim l. a. p. 8 pauca ea fragmenta Apollodori nomine ornata, quibus de rebus Aegyptiacis, Babyloniis, Persicis ageretur, omnino ei esse abiudicanda probavit, cum in rebus ad Athenienses pertinentibus solis eum versatum esse pro libri natura verisimile sit. Deinde putat se certum vestigium, quo non ad eius chronica referri posse fragmentum probaretur, invenisse obscoenum illud ὄχευε, quod plane alienum esset ab Apollodori ingenio (cf. p. 7 adn. 1). Itaque arbitratur pro Ἀπολλόδωρος scribendum esse Ἀριστόβουλος. Sed ut ab Apollodoro historico talis obscoenitas abhorret, ita eam ne Aristobulo quidem tribui posse certo probavit Niesius, p. 5. 6. Apud Arrianum enim anab. Alex. II, 5 post inscriptionem allatam additur: καὶ τὸ παῖζε ῥαδιουργότερον ἐγγεγράφθαι ἔφασαν (οἱ Ἀσσύριοι) τῷ Ἀσσυρίῳ ὀνόματι i. e. pro παῖζε legi aliud vocabulum minus honestum. Iam cum Arrianus se Aristobuli historia uti ipse indicet (cf. prooem.), Aristobulum autem exhibuisse idem παῖζε eluceat ex Athen. 502 b et Strab. XIV, 672, ad hunc referenda est mutatio, qua verbum obscoenum removerit. Quibus rebus expositis, ut Niesius p. 10 et adn. putat in alio Apollodori libro rem esse narratam, quorum in scholiis nullus affertur, ita equidem nescio an Apollodori grammatici Tarsensis[26]), vestigium hic habeas, qui certo adhibitus est schol. Ran. 330. Quem huic rei operam dedisse vel propterea minus miraberis, quia ipse Tarsi natus erat, de Tarso in inscriptione mentio fit. Orta igitur inscriptio e stilo Apollodori Tarsensis. Qui cui debeat hanc rem dici non potest, certo non Aristobulo, ut vidit Niesius p. 10. Qui cum putet Callisthenem ab eo consultum esse, nititur Photio et Suida s. v. Σαρδαναπάλους, ubi legitur: Σαρδαναπάλους ἐν β' Περσικῶν δύο φησὶ γεγονέναι Καλλισθένης, ἕνα μὲν

---

[24]) Cf. Muellerus, Fragm. h. gr. I p. XLIV; Dielsius, Mus. Rhen. XXXI p. 4.

[25]) Cf. l. a. p. 40.

[26]) De Apollodoro Tarsensi cf. Schneiderus l. a. p. 90.

κτλ. ἐν Νίνῳ δ' ἐπὶ τοῦ μνήματος αὐτοῦ τοῦτ' ἐπιγέγραπται κτλ.; sed ut concedo Niesio hic eundem esse consultum de inscriptione, quem ab Apollodoro, cuius sententia Didymi opera servata est in scholio et magis genuine in proverbio appendicis BV, ita ad Callisthenem rem recedere et aliis causis credere vetamur, de quibus cf. Westermannus, De Callisth. Ol. part. II p. 2 sqq., et Muellerus, Script. rer. Alex. M. 6, 22, et ea quod si res ita se haberet apud Photium et Suidam ipsos exspectaremus *ἐπιγεγράφθαι* non *ἐπιγέγραπται*. Ergo de hac re certi quicquam dici nequit. Iam restat primum fragmentum ex Hellanici Persicis sumptum: *ὁ δὲ Ἑλλάνικος ἐν τοῖς Περσικοῖς δύο φησὶ Σαρδαναπάλους γεγονέναι*[27]) et verba l. 30 sqq.: *βασιλεὺς Νίνου Περσικῆς χώρας (ὃς ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ Ταρσὸν καὶ Ἀγχιάλην ἔκτισε* ex Apollodori mentione orta), *ἐκτράπελος* (R falso *εὐτράπελος*) *ταῖς τρυφαῖς. φασὶ γὰρ αἰσχρῶς αὐτὸν καλλωπίζεσθαι καὶ μυρίζεσθαι τοῖς τε οἰκείοις μὴ ὁρᾶσθαι εἰ μὴ εὐνούχοις καὶ κόραις. πεπυρπολημένου δὲ τοῦ οἴκου ἔνδον εὑρεθεὶς ἀπέθανεν*, quae dicat aliquis ab eodem Hellanico dependere, praeter Apollodorum Tarsensem adhibito. Quod cum per se a verisimilitudine non abhorreat, tamen ad alium auctorem adducimur Athen. XII, 528 e. f: *Κτησίας ἐν τρίτῳ Περσικῶν καὶ πάντας μέν φησι τοὺς βασιλεύσαντας τῆς Ἀσίας περὶ τρυφὴν σπουδάσαι, μάλιστα δὲ Νινύαν . . καὶ οὗτος ἔνδον μένων καὶ τρυφῶν ὑπ' οὐδενὸς ἑωρᾶτο εἰ μὴ ὑπὸ τῶν εὐνούχων καὶ τῶν ἰδίων γυναικῶν. Τοιοῦτος δ' ἦν καὶ Σαρδανάπαλλος κτλ.*, deinde contra plurimorum de eius morte narrationem Ctesiae sententia affertur 529 b: *αὐτὸν τελευτῆσαι ἑαυτὸν ἐμπρήσαντα ἐν τοῖς βασιλείοις . . ἔπειτα ὑφάψαι ἐκέλευε τὴν πυράν. καὶ ἐκαίετο ιε' ἡμέραις· οἱ δὲ ἐθαύμαζον ὁρῶντες τὸν καπνὸν καὶ ἐδόκουν αὐτὸν θυσίας ἐπιτελεῖν· ταῦτα δὲ μόνοι ᾔδεσαν οἱ εὐνοῦχοι*, quae verba

---

[27]) Cf. Muellerus, Frg. h. gr. I p. 67 frg. 158, qui Sturzium secutus usque ad l. 43 *Ἀγχιάλην* putavit Hellanici fragmentum pertinere. Quam ad sententiam commoti sunt verbis *εἰς τὸ αὐτό*, quae pro *ἄλλως* l. 40, ut saepe fit, in textu scholiorum legerunt. Quae cum haud intellexissent deleto vocabulo *δέ* in *εἰς αὐτῶν* mutaverunt. Reiecti sunt iam a Prellero, De Hellanico Lesbio historico: Ausgew. Aufs. p. 49 adn. 55.

tam arte cum scholio congruunt, ut Ctesiam videamus praeter Hellanicum in usum vocatum esse.[28]) Revera plures usurpasse Didymum in hac quaestione patet ex Hesychii adnotatione, ubi legitur: *πάντες σχεδὸν ἀναγράφουσι γεγονέναι ἁπάσης ἀκολασίας καὶ τρυφῆς δοῦλον τοῦτον κτλ.*, quod dici non poterat, nisi praeter Hellanicum alium de hac re consuluisset.

Deinde hic in censum veniunt schol. Ach. 82, ubi duo habes scholia, quorum alterum nihil est nisi scholiastae cuiusdam ineptissimum commentum e priore scholio sive eo commentario, ex quo hoc haustum est, natum. Prius igitur haec habet: *παρόσον ἱστόρηται ὁ Περσῶν βασιλεὺς ὑπὸ χρυσῆν πλάτανον καθεζόμενος· ἔπαιζεν εἰπών κτλ. ἢ διὰ τὰ ἐν Περσίδι χρυσοῦ μέταλλα.* De hac platano et vite aurea saepius narrant auctores; cf. Herod. VIII, 27; Xenoph. Hellen. VIII, 1. 38; Diodor. XIX, 48; Photius, Bibl. 375 (B.) ex Himerii sophistae declamatione quadam. Ea quae in scholio leguntur, recurrunt apud solum Athenaeum XII, 539 d: *τὰς δὲ χρυσᾶς πλατάνους καὶ τὴν χρυσῆν ἄμπελον ὑφ' ἣν οἱ Περσῶν βασιλεῖς ἐχρημάτιζον πολλάκις καθήμενοι,* unde primum apparet, cum affatim singularis videatur fuisse haec narratio et scholium non integrum traditum sit, post *καθεζόμενος* esse scribendum *χρηματίζειν* vel aliud eiusmodi vocabulum, unde alter scholiastes sua finxit. Deinde autem cum Athenaeus haec Phylarchi *ἱστοριῶν* libro XXIII (cf. Muellerus I p. 339) se debere ipse indicet 593 b. d, equidem non dubito, quin scholii auctor (Didymus) ab eodem dependeat.

Denique afferantur schol. Av. 487. Sunt scholia duo: I l. 50 — l. 54, quod solum in R exhibetur: *τὴν κυρβασίαν: τοῦτο ἐξ ἱστορίας εἴληφε. πᾶσι γὰρ Πέρσαις ἐξῆν τὴν τίαραν φορεῖν, ἀλλ' οὐκ ὀρθήν, ὡς Κλείταρχος ἐν τῇ δεκάτῃ· μόνοι δὲ οἱ τῶν Περσῶν βασιλεῖς ὀρθαῖς ἐχρῶντο*; deinde II falso cum priore particula *δέ* coniunctum: *τὴν ἐπὶ κεφαλῆς κίδαριν,* quod sine dubio glossa interlinearis olim erat. Deinde ad lemma spectans: *ἔστι δὲ αὕτη, καθὰ προείπομεν* (schol. Ach. 63) *τίαρα· τοῖς μὲν ἄλλοις ἔθος καὶ ἐπτυγμένην καὶ προβάλλουσαν εἰς τὸ*

[28]) Ceterum Ctesiae liber accuratissime de summis Assyriorum regibus in tribus prioribus libris agens omnibus antiquitatis temporibus in usum vocatus est, de qua re cf. Gutschmidius, Mus. Rhen. VIII p. 257, cf. p. 259.

μέτωπον ἔχειν, τοῖς δὲ βασιλεῦσι ὀρθήν. Utrumque scholium ad Didymum recedit, sive ad eum, a quo hic consultus est (cf. p. 232). Qui rem e Clitarchi *τῶν κατ᾽ Ἀλέξανδρον* libro X hausisse ipse indicat. Apud Photium s. v. *τίαρα* legitur: *κόσμος ἐπικεφάλαιος, ἣν οἱ βασιλεῖς μόνοι ὀρθὴν ἐφόρουν παρὰ Πέρσαις, οἱ δὲ στρατηγοὶ κεκλιμένην,* deinde de Demarato sequitur narratio, *ὡς Φύλαρχος ἐν ι´.* Idem exstat apud Suidam s. eadem v. (cf. Muellerus I p. 339). Iam cum verba fere eadem sint cumque Clitarchus numquam consultus sit in scholiis, Phylarcho autem aliud deberi scholium iam viderimus, equidem cum Bernhardyo[29]) puto hic errore saepius commisso *Κλείταρχος* pro *Φύλαρχος* scriptum esse, ut fragmentum Clitarchi libro decimo sit abiudicandum; cf. Muell., Ed. Arriani Didot. p. 74.

Caput IV.

Thucydidis historiarum usum late vigere in scholiis per se elucet, quippe qui luculentissime in ipsis iis rebus narrandis versatus sit, quae ad tempus a poëta descriptum pertineant. De necessitudine autem, quae inter scholiastas et historicum intercedit, disputaturus eam viam ingrediar, ut primum quae ad verbum transscripta sint exponam, deinde ubi argumentum tantum ab historico petitum sit dicam. In priore parte antecedentem habeo F. Schroederum[1]), quamquam ut hic totam quaestionem absolverit longe abest.

Hausta igitur sunt e Thucydidis libris:

1) Schol. Ach. 145 — nam ad 134 nihil exstat quod e poëtae verbis oriri non potuerit — I: *τοῦτον πολίτην ἐποίησαν Ἀθηναῖοι τοῦ πατρὸς στρατιὰν αὐτοῖς παραπέμποντος· ἐλέγετο δὲ οὗτος Τήρης.* II: *ἔνιοι δέ φασιν ὅτι ὁμώνυμος ἦν τῷ πατρὶ Σιτάλκει, σύμμαχος Ἀθηναίων* (e coniectura Valckenaerii ad Herod. IV, 80). III: *μέμνηται Θουκυδίδης, προστί-*

---

29) In edit. Suidae ad l. a.

1) Cf. Thucyd. histor. memoria quae prostat ap. Aristidem etc. Goetting. 1887.

θησι δὲ καὶ τὸ ὄνομα λέγων οὕτως „καὶ Σάδοκον τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ἀθηναῖον“; cf. Thuc. II, 29, 5. Habes igitur in hoc scholio, cuius maxima pars inde a verbis *τοῦ πατρός* l. 10 abest a R (V omnino scholia non praebet ad Acharn.), de nomine huius hominis tres sententias, primam eius, qui Terem eum vocat, cui oppositus est is qui idem ei putavit esse nomen ac patri. Hae duae sententiae cum arte inter se cohaereant, ut sine dubio tamquam unum scholium olim in exemplari quodam huic loco fuerint adscriptae, in altero libro scholiis ornato tertia exstitit et ea quidem vera, Thucydidis auctoritate nisa. Iam cum in unum corpus congererentur scholia, collata sunt haec duo scholia. Hic statim in censum venit alterum schol. Equit. 969, quamquam scholiastes — nam in vetere commentario quodam non exstitisse hoc scholium rei perversitas docet — non ipsius Thucydidis locum inspexit, sed solum quamvis leviter in memoria tenebat quae adscripserat illi loco modo tractato. Habes enim scholia tria: I l. 35—42, II a priore non separatum l. 42—47, III *ἄλλως* — l. 50, quorum cum I et III ex eodem vetere commentario hausta sint et bonam praebeant explicationem, secundum sic ineptit: *ὁ (δὲ) Σμικύθης Θρακῶν βασιλεύς· Κύριον δὲ ἀντὶ τοῦ Κύρου κτλ.* De Cyro postea videbimus; quae de Smicytha exposita sunt neque ad sensum apta sunt, de quo vide Kockii editionem, neque apud ullum auctorem inveniuntur, ut Dobreeus[3]) putaverit scholiastam fortasse Miltocythen significari voluisse, quem Xenophon Anab. II, 2. 7 hominem Thracem, ducem 40 equitum et 300 peditum fuisse narrat. Immo res sic se habet, ut scholiastes cum Sitalce, Thracum rege, cuius nomen leviter in memoria tenebat, eum commutaverit, ut Vossius in vers. german. utique falso fecerit, quod ullam auctoritatem tribueret huic scholio.

2) Schol. Ach. 510, ubi l. 19—21 historica exstant haec: *τοῦτο δὲ εἶπεν ἐπειδὴ τοὺς εἵλωτας οἰκέτας καθεσθέντας ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ποσειδῶνος τοῦ Ταιναρίου οὐδὲν δείσαντες* (scr. *ας*) *ἀνεῖλον Λακεδαιμόνιοι καὶ διὰ τοῦτο ἐναγεῖς ἦσαν*;

---

[2]) Teres avus, Sitalces pater fuit, ut eam ob causam nepoti et filio haec nomina imponerent.

[3]) Cf. l. a. II p. 183.

cf. Thuc. I, 128, 1, unde simul patet pro *οἰκέτας* scribendum esse *ἱκέτας*.

3) Schol. Equit. 438, cuius ad nos spectant l. 21—26: *ἡ δὲ Ποτίδαια πόλις ἐστὶ πρὸς τῷ Ἰσθμῷ τῆς Παλλήνης κατῳκισμένη, Κορινθίων μὲν ἄποικος, Ἀθηναίων δὲ σύμμαχος καὶ φόρους ἐτέλει· ἣν ἀποστᾶσαν πολιορκήσαντες οἱ Ἀθηναῖοι πολιορκίᾳ μακρᾷ ὡς καὶ σφῶν αὐτῶν γενέσθαι καταναγκάσαι παρέλαβον καὶ ἐξανδραποδίσαντες τὴν πόλιν*; cf. Thuc. I, 56 sqq. Prima verba cum Thucydidis textu (I, 56, 2) fere congruunt, nam illud *φόρους ἐτέλει*, quod cum constructione pugnat, recentiore demum aetate videtur natum esse ex *φόρου ὑποτελής*. Nihilominus cave ne scholiastam meliorem textum putes in manibus habuisse, ut apud historicum post *Κορινθίων* id quod exspectatur *μὲν* sit inserendum; sed insolentia particulae *δέ* solitariae apud Thucydidem excusationem habet.[4])

[4]) Cf. Poppo-Stahlius ad h. l. et Oeltzius, De particularum *μέν* et *δέ* ap. Thuc. usu, Halis 1887, p. 57. Nolo equidem de multis iis et levibus vitiis agere, quae aut a grammaticis et scholiastis textum traditum neglegenter transscribentibus aut a librariis, per quos scholia pervulgata sunt, commissa sunt; quae omnia exposita sunt a Schroedero in dissertatione indicata. Mihi liceat hic de tertio vitiorum genere quaerere eorum, quae communia sunt Thucydidis textui et scholiis; nam ipse vides, cum probaverimus in universum non aliam historici textus recensionem in scholiis usurpatam esse atque codices, qui ad nos pervenerint, servaverint, per se verisimile esse ne differentiis quidem nimis momenti esse tribuendum. Habes autem in schol. V Pac. 479 l. 4 (in R ut saepius locus contractus est) *ὁμοίως φησί*, cum apud Thucydidem legatur V, 15, 1 *ὁμοίως σφισί*. Atqui, ut taceam de *φησί* prave e *σφισί* nato, quicumque post Bekkerum Thucydidi operam navaverunt, in hac re consentiunt illud *ὁμοίως* vitiose traditum esse, cum quomodo sanandus sit locus sententiae differant. Inde quid sequitur? Aristophanis commentatorem vel ut cautius agam eum qui huic loco scholium adscripserit textum in manu habuisse eodem vitio inquinatum, quo is corruptus est qui ad nos pervenit. Sed latius possumus progredi. In eodem enim scholio l. 6 legitur *οὔπω* ut in codice C, cum R habeat *οὔπως*, quod rectius est; non aliter schol. RV Av. 484 l. 44 exstat *τε* quod omittitur in B; denique in schol. V Equit. 562, quod et ipsum e Thuc. II, 86, 4 haustum esse postea probabo, legitur *νζ'*, quod cum B Thucydideus codex habeat *οζ'* iterum invenitur in C. His igitur in scholiis cum codice videantur usi esse grammatici aut scholiastae, cui cod. C propius accedit quam B, in schol. V Pac. 450, ubi l. 49 legitur *ἔτι ὤν*, ea recensio usurpata esse videtur,

4) Schol. Equit. 449, ubi tria exstant scholia: I l. 12—18, II 19—32, III 32—38, quorum cum II et III ex eodem commentario hausta esse primo aspectu appareat, schol. I ab alio commentario dependet, quae res summa narrationis diversitate elucet. Qui commentator quo e fonte hauserit postea videbimus; prior in usum vocavit Thuc. I, 126, 3—12 et ita quidem, ut non pauca ad verbum fere transscriberet. Unum dignum est quod commemoretur. Nempe in utroque scholio legitur Cylonem cum arcem urbis cepisset olim deprehensum esse templum Minervae spoliantem (cf. l. 27. 34), quae res, cum apud Thucydidem ne vestigium quidem eius appareat, aperte probat a communi quodam commentario utrumque scholium ortum esse, sive alterum ab altero dependere. Iam quaerenti unde tandem haec hauserit grammaticus, ita puto esse respondendum, ut dicas eum rem ipsum finxisse et finxisse quidem admodum inepte.

5) Schol. V Equit. 793, ubi cum ad *γυπαρίοις* nihil habeas, quod non sibi ipse finxerit scholiastes ad interpretanda poëtae verba, ad lemma *οὐκ ἐλεαίρεις* affert Thuc. V, 16, 1. De scholio ipso cf. Schroederus, l. a. p. 21; ceterum negari non potest illud *τε* l. 33, si in Thucydidis textu legeretur, optimum locum esse habiturum, cum inter se arte coniungantur *καταφανέστερος νομίζων ἂν εἶναι κακουργῶν* et *ἀπιστότερος διαβάλλων*, sed haec ipsa causa videtur fuisse, cur a grammatico in textum illata sit particula.

6) Eundem in modum insequens scholium ad v. 794, quamquam in temporis rationibus errasse scholiastam iam Palmerius demonstravit[5]), haustum est e Thuc. IV, 119, 2, ubi cf. Poppo-Stahlius.

7) Deinde magnam ad partem congruit cum verbis historici schol. cod. V ad Equit. 834, ubi cum de peculatu se nihil certi cognitum habere interpres ipse indicet exponens l. 42: *φαίνεται λαβὼν κτλ.*, alia hausit grammaticus e Thuc. III, 36—49, quae

---

qua utitur codex B, cum ABE habeat *ἔτι ὤν*, C *ὢν ἔτι*. In universum liceat dicere eum Thucydidis textum, qui in veterum grammaticorum et scholiastarum Aristophaneorum manibus fuerit, non diversum fuisse ab eo, quo nobis Thuc. libri servati sint, plerumque propius ad recensionem C quam ad cod. B accedere.

[5]) Cf. Exerc. p. 727.

cum hic illic cum scholio congruant (ut praeter alia cap. 49, 4 *παρὰ τοσοῦτον μὲν ἡ Μυτιλήνη ἦλθε κινδύνου* cum l. 38. 39) pleraque a scholiasta in brevius contracta sunt. Nec vitiis caret scholium, quae magnam ad partem Thucydidis verbis sanari possunt et sanata sunt. Ut l. 36 sqq., quibus ab aliis frustra opera navata est, bene correxit secundum Thuc. 49, 4 Bethius[6]: *ὥστε οὐκ ἔφθη καταπλεύσασα ἡ προτέρα ναῦς καὶ ἐκείνη ἐπεισέπλευσεν*, deinde semper *Πάχης* pro *Χάρης* scribendum, pro *γενομένης δὶς τῆς ἐκκλησίας* l. 22 secundum Thuc. 36, 5 *γενομένης αὖθις κ. ἑ.*; plane sensu cassum autem est illud quod l. 17 legitur: *παῖδας μὲν καὶ γυναῖκας ἡβηδὸν ἀποκτεῖναι Μιτυληναίων, ἐξανδραποδίσασθαι δὲ πᾶσαν πόλιν*, cum Thucydides habeat III, 36: *τοὺς ἅπαντας Μυτιληναίους ὅσοι ἡβῶνται (ἀποκτεῖναι), παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας ἀνδραποδίσαι.*

8) Schol. V Equit. 1389: *σπονδὰς ἐσπείσαντο μετὰ Εὐβοίας ἅλωσιν οἱ Ἕλληνες πρὸς ἑαυτοὺς πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου*; cf. Thuc. I, 115, 1: *ἀναχωρήσαντες δὲ ἀπὸ Εὐβοίας . . . σπονδὰς ἐποιήσαντο πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς ξυμμάχους τριακοντούτεις.*

9) Schol. Equit. 55, ubi cum tria habeas scholia, unum est alterius recensionis, codicis R[7]) (cf. adn. Duebneri ad h. l. et Martin), alia aliorum codicum: II l. 16—27, III l. 27—53 ad eundem veterem commentarium recendentia, cuius verba haec fere fuisse videntur: *τοῦτο ἀφ' ἱστορίας τέθεικεν ἧς μέμνηται Θουκυδίδης. ἔχει δὲ οὕτως* (V alii: schol. I). *Δημοσθένης στρατηγὸς Ἀθηναίων ἀποσταλεὶς εἰς Σικελίαν διὰ τὸν αὐτόθι πόλεμον* (schol. R et schol. I alior. codic.) *ἀπόβασιν ἐν Πύλῳ ποιησάμενος σὺν ὀλίγοις ἐξετείχισε τὸ χωρίον καὶ κατέστησε φρούριον. βοηθησάντων δὲ τῶν Λακεδαιμονίων διὰ τάχους Βρασίδου στρατηγοῦντος αὐτός τε ὁ Βρασίδας ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα καὶ* (solum schol. II et Thucyd.) *πολλοὶ τῶν Λακεδαιμονίων ἀπέθανον ἐν τῇ μάχῃ. ἔνιοι δὲ καταπονούμενοι κατέφυγον εἰς Σφακτηρίαν τὴν ἀντικρὺ νησίδα* (schol. R et schol. II alior.). *τόπος δὲ οὔτ* (sic R, cf. Martin,

---

6) Cf. genethliac. Gotting. 1886 p. 166.

7) Cf. Zacherus l. a. p. 709 sqq., p. 713.

= οὗτος) τῆς Λακωνικῆς στενός (schol. R et initium schol. II)· οὓς (scil. τοὺς καταφυγόντας) καταστήσας εἰς πολιορκίαν αὐτὸς ὁ Δημοσθένης στρατίαν μετεπέμψατο ἀπὸ τῶν Ἀθηναίων (R). ὁ οὖν Κλέων γνοὺς ὅτι ὑπὸ τῆς ἀνάγκης καὶ λιμοῦ καὶ δίψης οὐχ οἷοί τε ἔσονται πλείοσιν ἀντέχειν ἡμέραις παρελθὼν εἰς τὸν δῆμον εἰ λάβοι δύναμιν ἣν (R) αἰτεῖ Δημοσθένης, ἐπηγγείλατο ἐντὸς εἴκοσιν ἡμερῶν ἄξειν τοὺς πολιορκουμένους (R et schol. II) ὥστε γέλωτα πολὺν κατ' αὐτοῦ γενέσθαι (schol. I et Thuc.). ἐκπλεύσας οὖν ἔλαβεν αὐτοὺς (R) τριακοσίους ὄντας (schol. I), καὶ ἔδοξεν κατορθοῦν πλέον Δημοσθένους ὑφαρπάσας τὸ τέλος τῶν ἐκείνου πόνων (R et schol. II fin.). Quibus verbis e vetere commentario haustis scholiastes quidam recentior de suis addidit ea, quae de Leonida exposita sunt l. 30 sqq.[8]) Iam tota narratio hausta est e Thuc. IV, 2—38, cui auctori hic magnam operam navavit grammaticus, quamquam hic illic neglegenter eum reddidit aut prave intellexit, ut cap. 2, 4 Demosthenem non iam ducem sed hominem privatum legimus iussum esse χρῆσθαι ταῖς ναυσὶ περὶ τὸν Πελοπόννησον, sed neglecto capite II e III error facile nasci potuit, quasi Demosthenes tertius dux Siciliam missus esset, deinde cap. 5, 2 verba: τειχίσαντες δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τοῦ χωρίου τὰ πρὸς ἤπειρον καὶ ἃ μάλιστα ἔδει . . . τὸν μὲν Δημοσθένη μετὰ νεῶν ε' αὐτοῦ φύλακα καταλείπουσι causa fuit quod diceretur καὶ κατέστησε φρούριον. Auxilio porro veniunt cap. 8 οἱ Σπαρτιᾶται αὐτοὶ μὲν καὶ οἱ ἐγγύτατα τῶν περιοίκων, non illi quidem duce Brasida, sed cum cap. 11, 4 hic φανερώτατος dicatur et inter trierarchos sit, neglegentiae grammatici facile ignoscitur. E cap. XII, 1 ἡ ἀσπὶς αὐτοῦ περιερρύη factum est ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα a grammatico, qui non minus neglegenter temporis rationes curavit neque compluria ut Thucydides discernens proelia et nunc demum Sphacteriam ratus a Lacedaemoniis obtentam, quae res apud Thucydidem iam initio huius belli partis (cap. 8, 5. 6) fit. Illorum quoque verborum: τόπος δὲ οὗτος κτλ., quae schol. II falso ad Pylum refert, ansam praebet Thucydides, cum in cap. 30, 2 loquatur de στενοχωρίᾳ τῆς νήσου (cf. 8, 6). Nuntios porro a Demosthene Athe-

[8]) De quibus cf. cap. II p. 247.

nas missos esse, qui auxilium peterent, sano sensu conclusit grammaticus e cap. 27, 3: *παραινούντων δὲ τῶν ἀφιγμένων κτλ.*; erravit, quod obsessos inopia pressos esse dicit, quos aqua et cibo abundasse Thuc. cap. 26. 27 docet. Iam cum videamus pro numero 292, qui apud Thucydidem legitur (cap. 38, 5), 300 Spartiatas captos esse dici, paullo amplificatum eum dicemus esse. Idem numerus recurrit apud Diodorum XII, 63, 3, qui, cum alia quae in scholio exstent a Thucydide petita esse pateat, ita ut vetemur credere Diodorum aut Ephorum esse adhibitum, in eandem incidit amplificationem. Sed res etiam difficilior fit. Exstat enim idem numerus in schol. V Equ. 1053, quod, cum novi nihil afferat, originem videtur debere scholio Equit. 55, exstat porro idem in scholiis RV Nub. 186, ubi recentiorum codicum[9]) scholium l. 43—4 ex eodem commentario haustum est unde prius l. 34—43 (cf. Suidas s. v. *ἐοίκασι*), cui rei primo aspectu oppugnare videtur, quod in priore scholio *τριακόσιοι* numerantur captivi, in altero *ἑπτακόσιοι*, sed haec differentia ita mihi videtur esse tollenda, ut *ψ'*. corruptum sit e *τ'*. Iam ab auctore veteris huius commentarii Thucydidem ipsum volutum esse, non ex aliis scholiis de eadem re agentibus rem esse natam probatur verbis quae in his scholiis non leguntur l. 42: *ἰστέον δὲ ὅτι τρεῖς ἐπωνυμίας εἶχεν ὁ τόπος, Πύλος, Κορυφάσιον, Σφακτηρία,* ubi cum Pylum eandem esse ac Sphacteriam e poëtae verbis falso concluserit scholiastes *τοὺς ἐκ Πύλου ληφθέντες* dicentis, qui revera, id quod haud ignoravit, Sphacteriae capti erant, in usum vocavit Thuc. IV, 3, 2: *καλοῦσι δὲ αὐτὴν* (sc. Sphacteriam) *οἱ Λακεδαιμόνιοι Κορυφάσιον.*[10]) Idem denique numerus trecentorum, ut rem totam hic absolvam, legitur in priore scholio Pac. 219, quod solum in R, melius in V, legitur sic: (l. 43—49) *ἐν ἀντιγράφῳ* (i. e. in libro quodam manuscripto Pacis Aristoph.) *δὲ εὑρόν ποτε „ἣν ἔχομεν τὴν Πύλον" καὶ οὐκ ἄκαιρος αὕτη ἡ γράφη, ἐπεὶ . . . καὶ διὰ τοὺς ληφ-*

---

[9]) Codices RV et Suidas alteram praebent recensionem, alteram alii codices ΘM Aldina (cf. Zacherus l. a. p. 650. 692), ut si quid solis his codicibus exhibeatur plus quam verisimile sit id recentissimum esse additamentum.

[10]) De qua re accuratius disputavit Bursianus, Geogr. Griechenl. II p. 176.

θέντας τριακοσίους ἐν Σφακτηρίᾳ, καὶ διὰ τὸ ἐπιτείχισμα ὅπερ Ἀθηναῖοι κατέστησαν ἐν Πύλῳ καὶ ὅτι ληφθείσης αὐτῆς περὶ εἰρήνης πρῶτοι Λακεδαιμόνιοι πρὸς Ἀθηναίους ἐπρέσβευσαν. Tria possunt cogitari: aut tres grammaticos sive scholiastas in eandem incidisse amplificationem qua usus sit Diodorus, quae cum per se non ita recondita sit, si ter sive quater repetitur, non verisimilis res est; aut Thucydidis textum olim fuisse corruptum; aut, id quod mihi maxime probatur, unius eiusdemque grammatici hic inveniri vestigia, qui id, quod semel fecit, saepius fecit.

9) Schol. V Equit. 1054: *πέρυσι γὰρ ὑπέσχετο τοῖς Ἀθηναίοις ὁ Κλέων κατορθῶσαι τὸν ἐν τῇ Πύλῳ πόλεμον ἕως ἡμερῶν κ'. καὶ θαυμάσαντες πάντες ἔλεγον αὐτὸν μεθύειν. καὶ Θουκυδίδης δέ φησιν ὅτι τῇ ἀπονοίᾳ τῆς ὑποσχέσεως ἐθαύμαζον οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ἐγέλων,* cf. Thuc. IV, 28, 4. 5, unde apparet pro falso illo *ἕως* scribendum esse *ἐντός*. De verbis *καὶ θαυμάσαντες — μεθύειν* iam dixi in cap. II p. 244. De eadem re dicitur in schol. Equit. 393. 703 et schol. Equit. 1. 392. 404. 742. 1056 hic illic poëtae verbis ad explicationem assumptis.[11])

10) Scholia Nub. 213 quinque sunt, quorum IV et V l. 33 —36—44 recentissima esse probatur et loquacitate quadam Byzantina in quinto exposita et ea re, quod absunt a V et R.[12]) Neque miraberis quod Abantes hic commemorantur, quem populum revera Euboeam inhabitasse probat Hom. *B* 536, Herodotus I, 146, Strabo X, 445, qua re commotus vel horum mentionem ad Philochorum, cui totum scholium dedit, recurrere putat Muellerus. Certe falso. Nam hoc ipsum indicium est quo probatur homini cuidam Byzantino glorianti doctrina quod forte fortuna Homeri vel Herodoti mentionis meminit hoc scholium deberi: nam quid ineptius quam credere Philochorum dixisse

[11]) Eandem rem videtur in mente habuisse scholiastes Equit. 411: *καί φησι . . . αἰνιττόμενος τὰ περὶ Ἀκαρνᾶνα καὶ Αἰτωλίαν καθ' ὧν εὐδοκίμησε* (sc. *ὁ Κλέων*) *στρατηγῆσαι φθάσας,* quibus in regionibus cum Cleon numquam bellum gesserit, sed Demosthenes et Phormio, sine dubio eas commutavit scholiastes cum Elide et Lacedaemone, rei ad Pylum gestae recordatus.

[12]) Cf. ea quae dixi in adn. 9.

contra Abantes Periclem bellum gessisse? Neque vero multo melius res se habet, si ponis hac occasione oblata eum attulisse olim Abantes in Euboea fuisse. Iam restant tria scholia neque ea inter se separata, primum l. 19—22, quod R solum habet, falso illud *παρετάθη* poëtae ad tributum auctum referens, secundum l. 23—26, quod, cum in rei gestae narratione ab eodem commentario quo III dependeat, falso e poëtae verbis interpretamentum hausit fictis iis quae de Chalcidensibus et Eretriensibus amplissimarum Euboeae urbium incolis addita sunt, tertium denique l. 27—33, rem bene explicans sic: *πρὸς τὸ παρατέταται . . . Περικλέους στρατηγοῦντος καταστρέψασθαι αὐτοὺς πᾶσαν φησὶ Φιλόχορος καὶ τὴν μὲν ἄλλην ἐπὶ ὁμολογίᾳ κατασταθῆναι, Ἑστιαιέων δὲ ἀποικισθέντων αὐτοὺς τὴν χώραν ἔχειν* (cf. Muellerus, Frg. h. gr. I p. 399, frg. 89). Quibus cum verbis si comparabis Thuc. I, 114, 3: *καὶ Ἀθηναῖοι πάλιν ἐς Εὔβοιαν διαβάντες Περικλέους στρατηγοῦντος κατεστρέψαντο πᾶσαν καὶ τὴν μὲν ἄλλην ὁμολογίᾳ κατεστήσαντο, Ἑστιαιᾶς δὲ ἐξοικίσαντες αὐτοὶ τὴν γῆν ἔσχον*, tantam inter Philochorum et Thucydidem videbis similitudinem, ut illum ab hoc ad verbum transscriptum esse non neges, immo non solum ea transscripta sunt, quae in scholio exstant, sed etiam ea quae antecedunt apud Thucydidem *καὶ Ἀθηναῖοι — διαβάντες*, cum aliter quomodo scholiastes Philochori verba transscribens subiectum et obiectum omittere potuerit non intellegatur. Accedit quod paucae textus diversitates quae exstant, ut passivum pro activo, *χώραν* pro *γῆν*, *ἀποικισθέντων* pro *ἐξοικ.*, *ἐπὶ ὁμολογίᾳ* pro *ὁμολογίᾳ* aut grammatici consilio aut scholiorum corruptelis malim adscribere quam Philochori consilio, ut hic revera totum locum Thucydideum et eum quidem paullo uberiorem quam qui exstat in scholio exscripserit necesse sit. An hic mos historici? Iam id quod Wilamowitzius[13]) indicavit, quod in rei natura positum a nobis quoque postea saepius exponetur, Philochorum legisse et secutum esse Thucydidem, Schroederus[14]) eo auxit, ut eum Thucydidem non solum novisse diceret sed etiam e verbo exscripsisse, ad quam rem

---

[13]) Cf. Herm. XII p. 333 adn. 13; Siebelis, Philoch. fragm. p. X et 51 idem iam exposuit solo hoc quem nos tractamus nisus loco.

[14]) Cf. l. a. p. 33. 34.

probandam affert praeter hunc locum Thuc. III, 115, IV, 65 = Phil. frg. 104 (schol. Ar. Vesp. 240); Thuc. IV, 120 = Phil. frg. 107 (schol. Ar. Vesp. 210); Thuc. V, 17—19 = Phil. frg. 108 (schol. Pac. 466). Sed qui hos locos, praeter quos alios non inveni, accuratius tractaverit, rem aliter se habere videbit. Nam aut huc omnino non cadunt ut schol. Pac. 466, ubi cum de sociis pactionis participibus agatur non miraberis quod inter se congruunt historici, aut ita sunt comparati, ut res e diversis capitibus petitas vix aliis vocabulis potuerit nominare Philochorus, numquam tot verba transscripsit quot hic transscripsisset. Accedit aliud. Neque enim puto Philochorum obscurius illud ὁμολογίᾳ καθίστασθαι ('pactione constituere', cf. Poppo-Stahlius ad h. l.) a Thucydide transscripsisse, sed paullo accuratius quid dicere vellet exposuisse, ut fecit Diodorus (Ephorus), cum habet XII cap. 7: τὰς δὲ ἄλλας (πόλεις) καταπληξάμενος ἠνάγκασε πάλιν πειθαρχεῖν Ἀθηναίοις, quibus omnibus rebus commotus equidem putaverim errasse hoc loco scholiastam Philochori nomen pro Thucydide exponentem.[15]) Quod verum esse alia re probatur. Solet enim Philochorus, ut postea videbimus, ita res gestas digerere, ut quo quaeque archonte facta sit exponat; quod cum neque historicum ipsum hic omissurum fuisse credam neque grammaticum, alioquin bonum et accuratum, vel propterea Philochoro hoc fragmentum esse abiudicandum puto.[16]) Restat ut de mutationibus loci Thucydidei in scholio allati dicam, ubi ἐξοικισθέντων anteferendum esse probatur Thucydidis loquendi usu[17]); ἐπὶ autem inde in textum irrepsit quod ita constructio paullo clarior fit: rectius deesse particulam probatur Thuc. I, 29, 5 παραστήσασθαι ὁμολογίᾳ, III, 28, 3. 35, 2 καθίστατο ᾗ αὐτῷ ἐδόκει.

11) Schol. Pac. 273 l. 43. 44: ὡς αἴτιον δὲ αὐτὸν (scil. Cleonem) τοῦ πολέμου διαβάλλει ὡς καὶ Θουκυδίδης ἱστο-

[15]) Talis erroris ut arduum est bonum auctorem insimulare, ita grammatico complures libros cum poëtae verba interpretaretur volventi, inter quos erant et Thucydides et Philochorus, potuit accidere, quippe quem saepius viderimus neglegenter agentem.

[16]) Quod dubitanter iam proposuit Stahlius ad h. l., cum vel novissime verba esse Philochori putaret Schoellius, Sitzungsber. d. bayer. Akad.: philol.-philos. u. histor. Klasse 1888 p. 31 adn. 1.

[17]) Cf. Strengius, Quaestiones Philochoreae. Gotting. 1858 p. 50.

ρεῖ, quae spectant ad Thuc. IV, 21, cf. 27, 3. Idem recurrit schol. Equ. 668, schol. Vesp. 41 l. 51, quamquam hic a Philochoro dependere videtur scholiastes propter illud „πρὸ δύο ἐτῶν τῆς διδασκαλίας τούτου τοῦ δράματος", quem de eadem hac re consultum esse docet schol. Pac. 665. Eodem denique pertinet scholii Pac. 482 (cf. Suid. σαρκάζων), ceteroquin e scholiastae ipsius cognitione hausti, l. 43. 44: καὶ ἐπεθύμουν (sc. Megarenses) μὲν τῆς εἰρήνης, διὰ δὲ τοὺς Ἀθηναίους ἀνεβάλλοντο αὐτήν, ὥς φησι Θουκυδίδης, quae sine dubio genuina ita olim exhibebantur: διὰ δὲ τοὺς Ἀθηναίους ἀνεβάλλετο αὐτή.

12) In schol. V Pac. 435 haec habes ex historia sumpta (l. 44—49): ἐν ἀρχῇ γὰρ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου πεμφθεὶς πρεσβευτὴς ὁ Μελησίππος ὑπὸ Λακεδαιμονίων εἰς τὰς Ἀθήνας ὡς οὐχ ὑπήκουσαν οἱ Ἀθηναῖοι ἠξίου (i. e. ausus est, animum induxit ut diceret, cf. Eurip. Andr. 659, Thuc. I, 132, 2, saepius) ἀπαλλαττόμενος λοιπὸν καὶ γενόμενος ἐπὶ τοῖς ὁρίοις εἰπεῖν ὡς ἥδε ἡ ἡμέρα πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν τοῖς Ἕλλησιν ἄρξει. Hausta sunt verba e Thuc. II, 12, 1—4, apud quem, cum Aristides II, 175 de Lysandro verba faciens dicat eum fuisse πολλῶν καὶ μεγάλων κακῶν τοῖς Ἕλλησιν ἄρξαντα, Schroederus[18]) putat e scholiastae consensu posse concludi: 'in aliquo codice πολλῶν καὶ μεγάλων revera perscriptum fuisse cumque πολλῶν ante μεγάλων propter homoeoteleuton facile excidere potuerit, πολλῶν καί esse restituendum'. Quod mihi non videtur. Nam primum puto hoc quasi dictum quoddam fuisse, ut Aristides Thucydidem non inspexerit, immo e memoria scripserit, ut πολλῶν καί in tali sententia tam usitatum facile potuerit addi; deinde autem, cum antea viderimus in universum non aliam historici textus usurpatam esse recensionem ac nos habemus, a scholiasta demum sive grammatico puto illatum esse illud πολλῶν καί, quem utique non arte hic Thucydidis vestigia videmus pressisse, sed verba potius e memoria reddidisse, ut eadem causa, qua Aristides, commoveretur, ut verba adderet, nempe ea quod valde in usu erat eiusmodi verba componere: πολλῶν καὶ μεγάλων. In Thucydidis ergo textum verba supervacanea inferre utique

[18]) Cf. l. a. p. 18. 41.

vetamur, praesertim cum multo facilius sit explicatu, quomodo irrepserint in textum verba tam usitata quam quomodo interciderint.

13) Ad verbum Thucydidem VI, 12, 2 exscripsit schol. Pac. 450 l. 49—52[19]), ubi verba aliqua ex parte omnino sensu cassa ab historico medicinam sumunt. Unum quod in censum venit est illud *τῷ τῆς πόλεως κινδύνῳ ἀπολαμπρύνεσθαι* (= ignobilem fieri), quod ex *ἐλλαμπρύνεσθαι* (= se iactare) corruptum esse probat et sensus et antecedentia: *ὅπως θαυμασθῇ μὲν ἀπὸ τῆς ἱπποτροφίας*. Deinde eiusdem scholii l. 54 — l. 2 transscriptae sunt e Thuc. VI, 16, 1, cum scholii insequentis auctor: *πάλιν πρὸς Ἀλκιβιάδην, ἐπεὶ πρὸς Λακεδαιμονίους φυγὼν αἴτιος ἐγένετο τοῦ Δεκέλειαν αὐτοὺς ἐπιτειχίσαι· διὸ καὶ δοῦλον αὐτὸν καλεῖ διὰ τὴν Κοισύραν, ἥτις δούλη ἦν ὥς φησιν ἐν Νεφέλαις*[20]) (cf. schol. Nub. 46 l. 2) ea quae ex historia affert hausit e Thuc. VI, 93, 2, ut luculenter probatur usu vocabuli *ἐπιτειχίζειν*. Ceterum, id quod etiam maioris momenti est, iam ab Aristarcho Thucydidem in usum vocatum esse docet schol. Ran. 1422 l. 32, ubi idem *ἐπιτειχίζειν* legitur. De scholio ipso infra dicam.

14) Deinde ad verbum transscriptus est historicus in schol. Pac. 479, ubi l. 52—54 reddunt Thuc. IV, 117, 2. Unum hic exstat quo vehementer a Thucydidis textu differt scholium: *ἕως ὅτε ὁ Βρασίδας,* pro quo habet Thucydidis textus *ὡς ἔτι ὁ Β.*, de qua differentia Schroederus nihil addidit. Et profecto non necesse est multa addi. Ut enim primo aspectu elucet *ἕως ὅτε* sive *ἕως ὅτ'* (R) teneri non posse, cum sensu careat, sed mutandum esse in *ἕως ἔτι,* ita ne *ἕως* quidem recte se habet, quamquam ipsum hoc *ἕως* a Reiskio[21]) scholii non memore pro *ὡς* scriptum est. Sed luculentissima Herbstii[22]) disputatione affatim demonstratum esse mihi videtur hic omnino locum non esse particulae *ἕως* (= so lange als). Neque enim calculant

---

[19]) Cf. Schroederus l. a. p. 22.

[20]) Falso scholiastam interpretatum esse iam demonstravit Palmerius l. a. p. 744.

[21]) Cf. Animadv. ad graec. auct. II p. 45.

[22]) Quam Philol. XVI p. 313 sqq. instituit contra Velseni schedas criticas, Bonn. 1857, p. 9—13.

Athenienses: Lacedaemonios malle captivos recuperare dum res bene accidant Brasidae, sed „qui adhuc (hoc ἔτι valde premendum) status secundus Brasidae sit", cui oppositum est: ἐπὶ μείζονος χωρήσαντος αὐτοῦ καὶ ἀντίπαλα καταστήσαντος, ut bene Herbstius verba vertat: „wie damals noch der Glückstand des Br. war". Eiusdem porro scholii l. 54—9 reddunt Thuc. V, 15, 1. 2, ubi omissis levioribus quibusdam vitiis, de quibus iam dictum est, in Thuc. textu desunt verba μάλιστα δὲ οἱ τῶν δεδεμένων συγγενεῖς ἐνῆγον καὶ ἐσπούδαζον ὡς ἂν εἰρήνη γένηται (l. 8. 9), quae, cum Steupius[23]) praecipue propter vocem ἐσπούδαζον ab historici sermone alienam Thucydidi abiudicanda esse putaret, Schroederus[24]) in textum recipienda arbitratus est, quamquam neque eo loco ubi in scholio exstant neque eadem scriptura. Etenim cum ipse intellexisset verbum σπουδάζειν abhorrere a Thucydide, καὶ ἐσπούδαζον (= id est ἐσπ.) glossema putavit esse, falso in textum illatum ad explicandum vocabulum ἐνῆγον, ut verba sic scripta μάλιστα δὲ οἱ τῶν δεδεμένων συγγενεῖς ἐνῆγον ὡς ἂν εἰρήνη γένηται inseri velit inter πράσσειν et ἀλλ' οἱ Ἀθηναῖοι. Ita ratiocinatur Schroederus: „illo loco quo tradita sunt verba scripta esse non possunt, ergo cum inter καταλύεσθαι et σφαλέντων lacuna non sit, aut a scholiasta verba addita sunt aut in alium locum transponenda, quorum cum prius non verisimile sit quia non facile intellegitur quibus causis commotus sit scholiastes ut verba quae minime ad suam rem necessaria erant adderet, nisi si ea in libris invenisset, alterum verum esse docet scholiastes Thucydidis, qui cum adnotet ὡς τὸ εἰκὸς οὖν οἱ συγγενεῖς αὐτῶν σπουδὴν ἐποιοῦντο postremis verbis, quae explicando ἐνῆγον inserviant, probat se hoc olim in textu legisse". Exposuit autem scholiastes haec: ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται· τὸ οἱ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ἔνιοι· ἦσαν γάρ τινες αὐτῶν Σπαρτιᾶταί τε καὶ πρῶτοι καὶ τοῖς πρώτοις συγγενεῖς· ὡς τὸ εἰκὸς οὖν οἱ συγγενεῖς σπουδὴν ἐποιοῦντο. Quae verba libere concedo me non intellegere cur probent scholiastam legisse ea quae in scholio Aristophaneo exhibeantur. Immo nulli alii rei inserviunt nisi ut explicent, cur

[23]) Cf. Mus. Rhen. N. F. XXV p. 288.
[24]) l. a. p. 21. 47 sqq.

Lacedaemonii studuerint pacem facere: quia pace facta captivi reddebantur, captivis autem cogniti erant principes Lacedaemoniorum, propinqui denique, ut rei natura fert, quam maxime pro propinquis nitebantur. Haec quamvis loquaciter dicta sint alia explicatione omnino non egent. Ergo nullum aliud testimonium exstat, quo probetur verba esse Thucydidea, nisi scholium Aristophaneum. Quod ut accuratius perstringamus, Schroederus primum Steupio concessit *καὶ ἐσπούδαζον* non esse Thucydideum, quod non sine artificio removit; deinde idem concessit verba illo quo tradita essent loco scripta esse non posse, ut ea insereret inter *πράσσειν* et *ἀλλ' οἱ Ἀθηναῖοι*: sed ne illic quidem plane apta sunt. Nam primum supervacanea quodammodo sunt, cum sententia antecedenti *ἦσαν γὰρ κτλ.* fere eadem dicantur, ut facere non possis quin loquacitatis accuses historicum plane ab eo alienae; deinde quo referes illud *ὡς ἂν εἰρήνη γένηται?* Quod si putas a *πράσσειν* dependere, ut *μάλιστα — ἐνῆγον* sit parentheseos instar, contra dicit scholiastes, qui sine additamento legit *πράσσειν* neque diversus videtur esse ab eo qui paullo ante eam exposuit adnotationem qua eum legisse haec verba apparere putavit Schroederus; sin autem ad *ἐνῆγον* id refers, pugnare videntur cum Thucydidis usu loquendi, qui quater (IV, 24, 2; VI, 61, 1; VII, 17, 1; VIII, 78) hoc verbo absolute, quater (I, 67, 2; II, 21, 3; VI, 15, 2; VI, 21, 10 quamquam hic accusativum personae habes) cum accusativo usus est, semel (VIII, 26, 1) cum insequenti infinitivo, numquam autem neque ipse neque Herodotus cum *ὡς* aut *ὡς ἄν*. Praeterea cum viderimus huius ipsius scholii auctorem Thucydidis recensionem in manibus habuisse non diversam ab ea, qua nobis textus servatus est, verba *μάλιστα — γένηται* historico utique esse abiudicanda puto. Sed quid iis faciamus? Est ita ut Steupius indicavit. Sunt scholiastae verba addita ad Aristophanis verba interpretanda:

ἆρ' οἶσθ' ὅσοι γ' αὐτῶν ἔχονται τοῦ ξύλου
μόνοι προθυμοῦντ'·

et falso afferuntur ut Thucydidea. Ita omnia luce clariora, et plane congruunt verba cum loquacitate scholiastae. Unum quod Schroederus indicavit vocabulum *ἐνάγειν* cum apud solum Herodotum et Thucydidem inveniretur, scholiastae esse abiudican-

dum, non utique verum est, cum apud Isocratem et Dionysium Halicarnassensem idem reperiatur. Spero igitur fore, ut ab iis qui Thucydidis textui operam navabunt hoc scholium non iam adhibeatur.

15) Schol. Av. 1028: *Φαρνάκῃ· στρατηγὸς Περσῶν ὁ Φαρνάκης Φαρναβάζου,* quae non dubito quin hausta sint e Thuc. II, 67, 1: *κορευθῆναι πέραν τοῦ Ἑλλησπόντου ὡς Φαρνάκην τὸν Φαρναβάζου,* quamquam aliis quoque locis a Thucydide Pharnacis mentio fit (V, 1; VIII, 6, 1; 58, 1), sed numquam patris nomen additur.

16) Ad Av. 484 duo habemus scholia: I l. 38. 39, II l. 40—45, ab eodem commentario dependentia, cuius verba melius servata sunt in altero. Qui e verbo transscripsit Thuc. I, 109, 3. 4, praeter leviora quaedam vitia *Μεγάβαζον* pro *Μεγάβυζον* exhibens. Nam quod satrapem Darei vocat scholiastes Megabazum, cum eum esse Artaxerxis e Thuc. I, 104, 1 eluceat, hic error e falsa commentarii interpretatione natus est, qui similem in modum ac prius scholium habuit *Δαρεῖος βασιλεὺς ἦν, Μεγάβαζος δὲ σατράπης περὶ οὗ Θουκυδίδης κτλ.*[24]) Vitium autem *Μεγάβαζον* pro *Μεγάβυζον* natum est e mera neglegentia, quae inde excusationem habet, quod et Thucydides paullo ante de Megabazo loquitur et, quod gravissimum est, poëta ipse coniungit Megabazum, non Megabyzum, cum Dareo. De versus interpretatione vide Kockii editionem. Ceterum idem vitium iterum invenitur in postremo scholio Plut. 178 recentiorum codicum l. 23—31, quod ipsum Thuc. I cap. 104 et 109, 3. 4 debetur, falso Xerxis nomine pro Artaxerxe posito. Iam cum hic scholiastes ab altero hausisse non possit, quia multo plura affert, cumque in recensione Thucydidea qua usus est, quae non differebat ab ea quam nos habemus, vitium iam exstitisse verisimile non sit, in idem vitium incidit quo schol. Av. 484, quod eo facilius fieri potuit quo magis cognitum erat Megabazi nomen quam Megabyzi.

17) Denique schol. Plut. 1193, ubi tria habes scholia: I l. 9

---

[24]) Ipse igitur videas, quid de Clauseni adnotatione iudicandum sit, qui habet haec p. 48: „Megabazus Darei dux qui expeditione in Scythas facta in Europa relictus est et Megabyzus Zopyri filius aperte inter se commiscentur.“

—11, II l. 11—14, III l. 14—21, ad eundem commentarium recedentia, qui cum e libro quodam topographico hauserit, de quo accuratius agere hic omittam, tertius scholiastes adiit Thucydidem, cuius exscripsit II, 13, 3 admissis vitiis nonnullis levissimis.

Iam cum tot viderimus scholia e Thucydidis libro esse transscripta, alia quoque quibus de tempore ab hoc historico descripto agitur, quorum hoc illud ipso eius nomine ornatum est, nisi certa vestigia obstant, inde hausta esse dicemus.

18) Velut schol. Lys. 801: *δύο Μυρωνίδαι ἦσαν, ὡς ἐν ταῖς ἐκκλησιαζούσαις δεδήλωται· ἐνθάδε τοίνυν μέμνηται τοῦ ἐν Οἰνοφύτοις νικήσαντος*; cf. Thuc. I, 108, 2. 3: *Ἀθηναῖοι . . . ἐστράτευσαν ἐς Βοιωτοὺς Μυρωνίδου στρατηγοῦντος καὶ μάχῃ ἐν Οἰνοφύτοις τοὺς Βοιωτοὺς νικήσαντες κτλ.*, unde sine dubio, quamquam saepius exstat Myronidis nomen, notitia nata est. Ceterum scholium illud ad eccl. 803, quod significat scholiastes, nobis servatum non est, cum ibi exstet nihil nisi glossa (cf. Martin) *τῶν εὐδοκιμούντων οὗτος στρατηγός.*

19) De Salaminia et Paralo, navibus publicis[26]), agitur scholiis his: 1) Ach. 1158 l. 13 *ἐπεὶ καὶ ἱερὰ ναῦς τῶν Ἀθηναίων Πάραλος καλεῖται* (abest a R et V); 2) Av. 147 (cf. Suid. *Σαλαμίνια*): *δύο εἰσὶ νῆες παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὑπηρετίδες ἡ Πάραλος καὶ ἡ Σαλαμινία· ὧν ἡ μὲν Σαλαμινία τοὺς ἐκκαλουμένους* (scr. *ἐγκαλ.* secundum Suidam) *εἰς κρίσιν ἦγεν, ἣν ἐπὶ* (R) *Ἀλκιβιάδην φησὶ πεμφθῆναι Θουκυδίδης. ἡ δὲ Πάραλος τὰς θεωρίας ἀπῆγεν τουτέστι τὰ εἰς θυσίαν πεμπόμενα.* 3) Brevius de his navibus disseritur schol. Av. 1204. 4) Ran. 204, ubi cum scholii partes inter se turbatae sint, immo falso duo scholia distincta, textus ita est restituendus: in R glossa interlinearis super *ἀθαλάττωτος· μὴ ὢν ναυτικός,* super *ἀσαλαμίνιος· ἀπὸ τῆς νέως ἡ ὀνομασία* (cf. Martin), in *Θ* super illud *ἀμέτοχος θαλάττης,* super hoc *μὴ ναυμαχήσας περὶ Σαλαμῖνα,* quibus glossis adscriptum est scholium *τὰ κατὰ Ξέρξου δὲ οἶμαι,* in aliis denique codicibus, quorum princeps est V, ad *ἀθαλάττωτος· θέλει — ἐστιν,* deinde ad *ἀσα-*

---

[26]) De navibus ipsis cf. Boeckhius, Staatshaush. I³ p. 305 sqq., et Att. Seewesen p. 77.

λαμίνιος (ex quo errore ἄλλως natum est) ἢ δία — Πάραλος. 5) Ran. 1071 l. 51. 6) Eccl. 38, cf. Hesych. s. v. Σαλαμίνιος et Suid. artic. 5. Iam cum scholium postremum propter Hesychium ad eundem comici locum ostendentem Didymo deberi plus quam verisimile sit, eam quaestionem hic non repetam, ut num alia quoque ad eundem sint referenda quaeram an scholiastae saepius fere idem adscripserint. In censum venit solum schol. Av. 147, ubi fons indicatur Thuc. VI, 53, 1: τὴν Σαλαμινίαν ναῦν ἥκουσαν ἐπί τε Ἀλκιβιάδην — ἐς ἀπολογίαν ὧς ἡ πόλις ἐνεκάλει, unde statim elucet ea quoque quae in universum de munere Salaminiae dixerit hinc hausisse grammaticum[27]), quem Didymum esse propter schol. Eccl. non dubito proferre. Quem utique alio historico hic usum non esse inde praecipue apparet, quod duas tantum nominat naves publicas, quas cum solas Thucydides cognitas haberet[28]), quamquam apud hunc ad alia quoque usurpantur negotia, recentiores scriptores, Aristotelem, Androtionem, Philochorum plures cognovisse probat Photius, Bibl. 676, 7. Sed unde hausit Paralum solam τὰς θεωρίας egisse, quod neque Thucydides narrat, neque omnino ad hanc navem solam pertinuisse probat Boeckhius.[29]) Sine dubio hoc et Chalcenterus et Photius, sive is a quo dependet, a scriptore quodam sumpserunt, a quo semel haec navis hoc officio functa esse narrabatur; quod cum in memoria esset Didymo rem in universum accepit.

20) Schol. Ach. 183: οἱ γὰρ Πελοποννήσιοι εἰσβάλλοντες εἰς τὴν Ἀττικὴν ἔτεμνον τὴν γῆν τῶν Ἀχαρνέων natum est e diserta narratione populationis finium Acharnensium II, 19 sqq.

21) Ad Ach. 270: ὁ Λάμαχος οὗτος Ἀθηναίων στρατηγός, υἱὸς Ξενοφάνους, ὃν ὅτε εἰς Σικελίαν ἔπλεον οἱ Ἀθηναῖοι ἐχειροτόνησαν. ἦν δὲ μετὰ Ἀλκιβιάδου καὶ Νικίου ὡς ἱστορεῖ Θουκυδίδης διὰ τῆς ϛ' consultum est Thuc. VI, 8, 2 (cf. schol. Thesm. 840 l. 3. 4).

22) Schol. Equit. 237, ubi post interpretamentum verborum poëtae a fonte historico profecta habes l. 48 sqq. haec: ἔλαβε

[27]) Quod iam Clausenus recte percepit l. a. p. 52. 53.

[28]) Cf. Thuc. III, 33, 1 et Poppo-Stahlius ad h. l.

[29]) Cf. Att. Seewesen p. 78. 79.

δὲ τὴν πρόφασιν εὔκαιρον τοῦ ὀνόματος τῶν Χαλκιδέων διὰ τὸ κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν (nempe quo Equitum fabula docta est archonte Stratocle) ἀποστῆναι αὐτοὺς τῶν Ἀθηναίων, deinde alterum scholium — nam est sine dubio alterum falso, ut mox videbimus, cum antecedentibus coniunctum — ἀπέστησαν δὲ ἀπὸ Ἀθηναίων Χαλκιδεῖς ἐπὶ Εὐκλείδου ἄρχοντος. Euclides sive potius Eucles[30]) archon erat anni 427/6 (ol. 88, 2, cf. Clinton, F. H. II p. 64), quo anno Chalcidenses omnino non defecerunt. Quorum cum aliqua pars una cum Potidaea urbe defecisset (Thuc. I, 58, 2), magna illa defectio facta est anno post Equites doctam archonte Isarcho (Thuc. IV, 120 sqq.), cum iam aestate 424 sub eodem archonte Brasidas cum aliis illis urbibus, quae antea defecerant, et Perdicca rege foedus fecisset (Thuc. IV, 79). Quae cum ita se habeant, longe abest, ut ab historico secundum praetores res digerente profecta sint ea quae de defectionis tempore exstant; sed ut prior scholiastes et ita sine dubio vetus interpres e Thucydidis narratione rem ipsam cognitam habuit, e suis, ut saepius fit, addidit κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρόν, ita ab altero pro hoc κατὰ ἐ. τ. κ. Stratoclis nomine inserto, quo praetore fabula docta est, posteriore tempore pro Στρατοκλέους vitio saepius in scholiis commisso Εὐκλέους irrepsit, quod deinde in Εὐκλείδου corruptum est; sine dubio praeter Thucydidem alium non consuluit.

23) Scholii Equit. 562 ad nos pertinent l. 53 sqq.: στρατηγὸς δὲ Ἀθηναίων ναυτικώτατος ὁ Φορμίων καὶ πολλάκις εὐτυχήσας καὶ ἐν τῇ πρὸς Λακεδαιμονίους μάχῃ κατορθώσας νζ' ναῦς διέφθειρεν et Equit. 565 l. 5. 6 ἐπεὶ νεωστὶ Ἀθηναῖοι Φορμίωνος στρατηγοῦντος περὶ ναυμαχίαν ἠνδραγάθησαν, denique schol. Pac. 347 (cf. Suid. Φορμίων), ubi quinque habes scholia neque ea bene distincta: I l. 15—22 ex historia adnotans haec: λέγεται δὲ ὁ Φορμίων νικῆσαι ναυμαχίαις β' Λακεδαιμονίους στρατηγήσας, II l. 23—25 (λίθος) eadem ex historia afferens, III l. 25—31 solos comicos con-

[30]) Eucles recte nominatur ab Aristotel. Meteorol. I, 6 et schol. Vesp. 240, Euclides a Diodoro XII, 53, Photio et Suida s. v. Σαμίων ὁ δῆμος; scholiastes Ach. 270 autem nihil potest probare, ut videbis; cf. Boeckhius, Staatshaushalt II² p. 149. Ceterum de hoc scholio iam egit Palmerius, l. a. p. 724.

sulens, IV l. 31—45, quod praeter comicos amplum Atthidis Androtionis libri III fragmentum affert de pecunia qua multatus est Phormion[31]), denique V l. 45—47 (RV). Ad eundem denique pertinet schol. Lys. 804: *Φορμίων στρατηγὸς σφόδρα εὐδόκιμος Ἀσωπίου υἱός*. Iam quod ad fontes attinet, cum saepius comicos, semel Androtionem videamus adhibitum esse, alia quae de Phormione scholiastis nota sunt, hausta sunt e Thuc. II, 83—93, ubi cum longe absit ut omnes naves dicantur destructae esse, tamen bis ab hostibus reportasse dux Atheniensium narratur. Iam unum memoria dignum est. Nam quod in schol. Equ. 562 legitur eum delevisse Lacedaemoniorum naves *νζ'*, idem iterum invenitur in schol. ad Aristid. p. 230 v. 32. 33 D, ubi ad lemma *οὔτε ὀλίγῳ πλείονας* in codd. BD adscripta sunt haec: *ἐν μὲν τῇ προτέρᾳ* (sc. *ναυμαχίᾳ*) *κ̄ ναυσὶ μ̄ζ, ἐν δὲ τῇ ὑστέρᾳ ν̄ζ ταῖς αὐταῖς ἐνίκησεν* et in codic. C Thucydideo, cum B habeat *ο̄ζ*; sed cum antea viderimus alio quoque scholio recensionem codicis C esse adhibitam, cumque in his Thucydidis partibus cod. B auctoritas maior sit, numerum *ο̄ζ* intactum relinquemus, etiam Aristidis scholiastam recensionem cod. C secutum dicentes esse.

24) Schol. Av. 379: *τὰς τριήρεις· ταῦτα δὲ εἰς Συρακοσίους αἰνίττεται οὓς ἐνίκησαν Ἀθηναῖοι διὰ τὸ ταπεινοὺς ἔχειν τοὺς πύργους*, quod quamquam poëta talia omnino dicere noluit — neque enim illo tempore in bello Siciliensi memorabile quicquam gestum est[32]) — ad certam quandam rem pertinere non fictam a scholiasta apparet. Quamquam verba corrupta esse recte Dobreeus[33]) vidit, cui assentior quod scripsit *οἳ ἐνίκησαν Ἀθηναίους*, non assentior, quod *ταπεινοὺς πύργους* mutari voluit in *ταπεινὰς πρώρας*, cum Etymol. Magn. doctus: *πύργος· . . λέγεται δὲ καὶ μέρος τι νέως* recte se hic habere *πύργους* putem. Hausit scholiastes e Thuc. VII, 36, 2 *καὶ τὰς πρώρας τῶν νεῶν ξυντεμόντες ἐς ἔλασσον κτλ.* et 40, 5 (cf. Diod. XIII, 10, 2: *τὰς πρώρας τῶν νεῶν ποιήσατο βραχυτέρας καὶ ταπεινοτέρας*).

---

31) De qua re cf. Boeckhius ap. Meinekium, Frg. comic. graec. II p. 527.

32) Quod iam intellexit Clausenus, l. a. p. 47, qui ceteris, quae in scholio afferuntur, fidem facit.

33) l. a. p. 217.

25) Schol. Av. 399: *Ὀρνεαῖς ἀντὶ τοῦ* (R: Martin) *παρὰ τὰ ὄρνεα· ἔπαιξεν· ἔστι δὲ τῆς Ἀργείας πόλις, ἧς Ὅμηρος μνημονεύει κτλ. ἴσως δὲ ὅτι ἐν Ὀρνεαῖς μάχη ἐγένετο Λακεδαιμονίων καὶ Ἀργείων· γελοῖον δὲ τὸ φήσομεν ἀποθανεῖν,* quod scholium originem debet Thuc. VI, 7. Ceterum cf. p. 225 et Curtius, Peloponnes II p. 478.

26) Ad Av. 186 tria habes scholia, duo ad lemma *τοὺς δ' αὖ θεούς*: I *ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς κατὰ πάντων Μηλίων Νικίαν πέμψαντες Ἀθηναῖοι, ἐπὶ τοσοῦτον ἐπολιόρκησαν αὐτοὺς ὥστε λιμῷ διαφθεῖραι,* II *τῷ δὲ πρώτῳ* (scr. *προτέρῳ*) *ἔτει Νικίας Μῆλον παρεστήσατο οὐ μόνον μηχανῶν προσαγωγῇ ἀλλὰ καὶ λιμῷ διὰ τὸ ἀποστῆναι αὐτῶν πρότερον ὑποτελῆ οὖσαν,* tertium ad lemma *λιμῷ Μηλίῳ· ἀντὶ τοῦ μεγίστῳ· Μῆλος δέ ἐστι πόλις Θεσσαλίας* (quod ineptum est)· *καὶ οἱ Μήλιοι πολιορκούμενοι ὑπὸ Ἀθηναίων λιμῷ ἐπιέσθησαν καὶ παραδεδώκασιν ἑαυτοὺς ὡς Θουκυδίδης ἐν τῇ πέμπτῃ,* quod cod. R solum habet. Eodem pertinet schol. Av. 363: *Νικίαν· φρονιμώτατα γὰρ λιμῷ Μηλίους ἀνεῖλεν.* Profecta est narratio a Thuc. V, 114; 116, 2 sqq., cum illud *λιμῷ ἐπιέσθησαν* et e poëtae verbis sumptum sit et e Thuc. 114, 1 *περιετείχισαν κύκλῳ τοὺς Μηλίους.* Sed duo restant. Nam unde illud *προτέρῳ ἔτει* sumptum et unde sumptum Nicia duce rem evenisse, cum Thuc. cap. 84, 3 diserte doceat missos esse Cleomedem et Tisiam? Quam ob rem Wassius Tisiam pro Nicia substitui vult, cum Wesselingius[34]) errore a prima expeditione a Nicia facta nomen ad hanc translatum putet esse. Quod fere rectum est. Sed forte fortuna quomodo vitium natum sit melius possumus cognoscere. Ut enim in Didymi commentario, ad quem haec scholia recedere antea probavimus, de Nicia nihil exstitisse docet Hesychius et Zenobius et schol. III, ita ne ad versum 363 quidem explicandum: *ὑπερακοντίζεις σύ γ' ἤδη Νικίαν ταῖς μηχαναῖς* solum olim exstitit id scholium quod attuli, sed forte fortuna Suidas s. v. *ὑπερακοντίζεις* vetustissimum servavit scholium: *Σύμμαχος· πρὸς τὴν Μηλίου πολιορκίαν· Φρύνιχος . . . ἢ ὅτι κτλ.,* unde cernitur, cum Symmachus ad eam Meli obsessionem rem rettulerit, quae revera Nicia duce evenerit, quamquam

[34]) Hic ad Diodor. XII, 80, ille ad Thuc. V, 116.

non multa de ea apud Thucydidem III, 91 legimus, alium quendam scholiastam recentiorem et hic falso alteram obsessionem intellexisse et non minus falso in schol. Av. 186 [Niciae nomen intulisse. Tempus autem προτέρῳ ἔτει, id quod saepe fit (cf. schol. Av. 750 et exempla quae ibi addidi, fictum est.

27) Schol. Av. 639, ubi cum prius scholium l. 40—44 a Didymo ortum sit (cf. Hesych. s. v. μελλονικιᾶν), in altero legitur: ὁ Νικίας Ἀλκιβιάδου (scr. Νικηράτου, nominibus in idem fere exeuntibus ut saepe inter se commutatis) ὅς ἀνεβάλλετο ἀπελθεῖν ἐς Σικελίαν, quod haustum est e Thuc. VI, 8, 2 et 4 παρελθὼν ἀποτρέψαι ἐβούλετο (sc. Νικίας ὁ Νικηράτου § 2).

28) Schol. Av. 750, ubi cum alia e comoediis sumpserit, pergit l. 45: τέταρτος δέ (sc. Phrynichus) ἐστιν Ἀθηναῖος τὸ γένος ὁ στρατηγήσας τὰ περὶ Σάμον καὶ Ἀστυόχῳ προσθέμενος, ἐπιχειρήσας δὲ τῇ τοῦ δήμου καταλύσει. περὶ ὧν ἐν τοῖς Βατράχοις ἱκανῶς εἰρήκαμεν, quod spectat non ad schol. Ran. 1299, ut Duebnero videtur, sed ad 688, ubi quaecumque adscripsit interpretamentum est e poëtae ipsius verbis ortum. Contra Thucydidi VIII, 50. 51 debentur ea quae schol. Av. protulit. Hic statim afferam schol. Thesm. 804: l. 12 Χαρμῖνος δὲ περὶ Σάμον συνεστρατήγησε κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον τοῖς περὶ Φρύνιχον, et II ab eodem commentario dependens Θρᾴκῃ falso pro Σάμῳ scripto: συνεμάχησε γὰρ Φρυνίχῳ ἐν Θρᾴκῃ ὁ Χαρμῖνος. καὶ ἴσως οὐδὲν ἀξιόλογον ἔπραξεν. διὸ λέγει „δῆλα τὰ ἔργα", de quo additamento iam dictum est. Res hausta est e Thuc. VIII, 25, 1 et 30, 1, quippe quem de aliis huius temporis rebus gestis luculentissime consultum esse viderimus. Sed unde illud κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον? Quod primo aspectu optimam praebet ansam ad definiendum tempus cui fabula sit tribuenda. Nam cum e Thuc. locis allatis appareat hieme 412/411 Charminum additum esse Phrynicho, quid magis arridet quam credere lenaeis aut magnis Dionysiis eiusdem anni fabulam doctam esse? Sed qua tandem via pervenit scholiastes ad illud κατὰ τ. κ. τ. quod non nimis certum esse unusquisque concedet? Fac eum in manibus habuisse didascaliam, qua quo archonte fabula doceretur cognovit. Ubinam invenit eodem archonte Charminum ducem creatum esse, ut dicere posset hoc factum esse eodem tempore quo fabula doceretur? Apud Thu-

cydidem, quem consuluit, invenire non potuit, cum hic, quamquam in universum quo tempore res evenerit cognoscitur, praetorem non addat. Ergo scholiastae illud *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* nihil potest probare, sed, ut saepius factum vidimus (cf. insignia exempla schol. Nub. 710 et Equ. 237), tempus fictum est, cum quia poëta ducem hunc exposuit, eum ipso hoc tempore Sami cum aliis bellum gessisse suspicaretur.[35])

29) Schol. Av. 1556 et duo scholia Pac. 394 omnia quae de Pisandro afferunt e comoediis hauserunt, non item schol. Lys. 490: *ὁ γὰρ Πείσανδρός ποτε προειστήκει τῆς πολιτείας μετὰ Θηραμένους καὶ Φρυνίχου. κωμῳδοῦσι δὲ αὐτὸν ὡς δωροδόκον . . . ἦν δὲ καὶ δειλός· ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Πείσανδρος ὁ Ὀνοκίνδιος ὡς Εὔπολις διακρίνει τὴν ὁμωνυμίαν ἐν Μαρικᾷ*, ubi in posteriore parte erravit scholiastes hunc alium dicens esse Pisandrum atque Onocindium, cum potius alter sit unus e triginta *ὁ δειλός* (cf. Xenoph. Conviv. II, 14), *ὁ μέγας, ὁ ὀνοκίνδιος*, alter *ὁ στρεβλός*, ut patet ex Eupolidis fragmento. Sed unde prior pars *ὁ γὰρ — Φρυνίχου*? Quae cum propter incertum illud *ποτέ* Philochoro aut alii atthidographo non debeatur, orta est sine dubio e Thuc. VIII, 68, ubi exstant haec: *ἦν δὲ ὁ μὲν τὴν γνώμην ταύτην εἰπὼν Πείσανδρος καὶ τἆλλα ἐκ τοῦ προφανοῦς προθυμότατα ξυγκαταλύσας τὸν δῆμον*, deinde nominat Antiphontem consiliis solis adiuvantem sed in publicum non prodeuntem, deinde § 3: *παρέσχε δὲ καὶ Φρύνιχος ἑαυτὸν πάντων διαφερόντως προθυμότατον ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν*, § 4 *καὶ Θηραμένης ὁ τοῦ Ἅγνωνος ἐν τοῖς ξυγκαταλύουσι τὸν δῆμον πρῶτος ἦν*, cum hic plures non enumeret historicus quod facit demum cap. 89, 2; 90.

30) Schol. Av. 1569 (cf. Suid. s. v. *Λαισποδίας*), ubi duo habemus scholia ex eodem (Didymi, cf. p. 232) commentario orta: I l. 20—23, II l. 23—32. Hausit Didymus omnia e comoedia consulto Demetrio Ixione; historicum unum Thucydidem adiit l. 26: *τοῦτον δὲ τὸν Λαισποδίαν καὶ στρατηγῆσαί φησι Θουκυδίδης ἐν η'*. Sed error hic exstat. E libro enim octavo (*η'*) cap. 86, 9 non ducem fuisse cognoscimus Laespodiam sed lega-

[35]) Ut mea quidem sententia recte fecerit Engerus, Mus. Rhen. N. F. IV p. 54, quod non multum tribuit huic scholio, quamquam in aliis rebus ei non assentior.

tum una cum Aristophonte et Melesia Lacedaemona missum, cum contra l. VI (ς'). 105, 2, quo solo loco praeterea mentionem facit Laespodiae Thucydides, legamus: *τότε δὲ Πυθοδώρου καὶ Λαισποδίου καὶ Δημαράτου ἀρχόντων ἀποβάντες ἐς Ἐπίδαυρον . . . ἐδῄωσαν.* Ergo aut vetus interpres, cum utrumque locum cognitum haberet, memoriae lapsum in se admisit aut ipse utramque narrationem exposuit, postea altera omissa numeri librorum inter se confusi sunt.[36])

31) Schol. Lys. 107: *σκώπτει δὲ συνεχῶς Μιλησίους καὶ κωμῳδεῖ ὡς μοιχούς, ἐπειδὴ ἀπέστησαν τῶν Ἀθηναίων καὶ πολλοὶ τῶν νησιωτῶν,* ubi primum quidem, cum quomodo sententia *ἐπειδή* usque ad finem causa indicari possit irridendi non satis intellegatur, duo scholia sub uno lemmate confluxisse videmus, quae ita sunt secernenda, ut *σκώπτει — μοιχούς* pertineat ad *ἀλλ' οὐδὲ μοιχοῦ; ἐπειδὴ — νησιωτῶν* ad *ἐξ οὗ γὰρ ἡμᾶς.* Propter verba *καὶ πολλοὶ τῶν νησιωτῶν* non e poëtae ipsius verbis scholiastam rem hausisse puto, sed cognitam habuisse Thuc. VIII, 14. 16. 17. 19 narrationem, qua de Chii, Erythrarum, Clazomenarum, Tei, Lebedi, aliarum insularum et urbium defectione agitur.

32) Schol. Ran. 1463. 65. Ad Ran. 1463 tria adscripta sunt scholia: I l. 36—39, II l. 39—41, III l. 41—46, quod abest a RV et clara vestigia doctrinae Byzantinae prae se fert (cf. *μέγα βοήσας κτλ.* l. 44). Ad unum commentarium omnia referuntur

---

36) Non aliam librorum divisionem — duae enim praeterea exstabant, in novem et in tredecim libros — adhibitam esse inde patet, quod neque ad alterutram convenit librum sextum olim octavum fuisse neque alio loco in scholiis unam ex his recensionibus videmus usurpatam. Per hoc igitur scholium stat quod Wilamowitzius exposuit, Ind. lect. Gott. aestat. 1885 p. 7 grammaticos et rhetores fortasse sola usos esse octateucho. Ceterum Brandesius, Observ. critic. de com. aliqu. attic. temp., Rostochii 1886 p. 36, qui solus hoc scholio offensus est, aliter vitium explicat, cum putet exstitisse olim *ὡς Θουκυδίδης ἐν* $\overline{E} = \overline{ς}$ (vel fortasse *Z*), sed de *Z* cogitari non potest, nam et in scholiis liber sextus signo ς indicatur (cf. schol. Ach. 270) et omnino hoc signo usos esse et Thucydidis scholiastas et quicumque e veteribus per numeros notarent historici libros Wilamowitzius exposuit l. a. p. 8; nescio autem an facilius error explicetur mea ratione quam ea corruptela adhibita quam voluit Brandesius.

haec fere exhibentem: ἐπὶ τὴν Περικλέους φέρεται γνώμην, ὃς συνεβούλευσε περιπλεῖν τὴν πολεμίαν, μὴ μάχεσθαι δὲ τεμνομένης τῆς Ἀττικῆς. Ad versum 1465 deinde (cf. Suid. πόρον κτλ.) duorum grammaticorum servatae sunt sententiae: I l. 47—1 a R solum exhibita, eandem rem quam schol. 1463 paullo uberius quamquam falso exponentis sic: . . ὃς ἐκέλευσεν Ἀθηναίοις ἐμβαλόντων (R falso ἐκβ.) Λακεδαιμονίων εἰς τὴν Ἀττικὴν μὴ ἐπεξιέναι, ἀλλ' εἴσω τείχους μένειν, αὐτοὺς δὲ διὰ τῶν πλοίων ἐπιέναι τῇ Λακωνικῇ κτλ., II l. 2—16 aliter et rectius quidem versum explicantis, quamquam ex historia nihil hausit. Quod scholium a Suida medelam sumit, qui pro ὃς ἂν ἔξω τῆς γῆς ᾖ (l. 3. 4) bis rectum praebet ὃς ἂν ἔξω τούτου (sc. τοῦ πόρου in navibus positi) γένηται. Nam quid sibi vult illud ὃς ἂν ἔξω τῆς γῆς ᾖ? An τὰ θεωρικὰ ἢ δικαστικὰ ἢ ἐκκλησιαστικά, quae ut exemplum afferuntur, extra terram sunt? Fontem neque Ephorum (cf. Diod. Sic. XII, 42) neque omnino alium ac Thucydidem esse probatur verborum quadam similitudine, cum apud Thucydidem legatur II, 13, 2: παρῄνει . . . ἔς τε μάχην μὴ ἐπεξιέναι, ἀλλὰ τὴν πόλιν ἐσελθόντας φυλάσσειν καὶ τὸ ναυτικόν, ᾗπερ ἰσχύουσιν, ἐξαρτύεσθαι κτλ.

33) Denique hic afferam ea quae de Scellii filio leguntur in scholio RV ad Av. 125: ἀριστοκρατεῖσθαι· ἀντὶ τοῦ ὀλιγαρχεῖσθαι. Ἀριστοκράτης δὲ Σκελλίου υἱὸς ἐπεβούλευσεν εἰς (quod delendum puto) κατάλυσιν τῷ δήμῳ, quae, quamquam saepius de hoc homine dictum est a scriptoribus (cf. Pseudo-Demosth. LVIII, 67, Lys. XII, 86, Xenophon saepius, C. I. A. I, 422 Ἀριστοκράτης Σκελίου et quae Kirchhoffius hic adnotat), orta sunt e Thuc. l. VIII, 89, 2: ἔχοντας ἡγεμόνας τῶν πάνυ στρατηγῶν τῶν ἐν τῇ ὀλιγαρχίᾳ καὶ ἐν ἀρχαῖς ὄντων οἷον Θηραμένη . . καὶ Ἀριστοκράτην τὸν Σκελλίου καὶ ἄλλους, οἳ μέτεσχον μὲν ἐν τοῖς πρώτοις τῶν πραγμάτων κτλ.

Iam restat ut de iis scholiis loquar, quibus praeter alios Thucydidis historiae usurpatae sunt, e quibus cum unum alterumve iam tractaverim, alia (ut Equit. 814 et 84) postea sim tractaturus, hic afferam:

34) Schol. Pac. 681, ubi cum alia usque ad καταλύσαιεν aliunde hausta sint, ut mox videbimus, verba insequentia ἐξωστρα-

κίσθη δὲ οὗτος (sc. Hyperbolus) οὐ διὰ δυνάμεως φοβον καὶ ἀξιώματος, ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως translata sunt e Thuc. VIII, 73, 3: καὶ Ὑπέρβολον ... ὠστρακισμένον οὐ διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως, quod verum esse luculenter probatur verbis αἰσχύνην τῆς πόλεως (cf. Stahlius ad h. l.).

35) Deinde huc pertinet schol. Pac. 990. Adscripta sunt scholia duo ab eodem commentario sive libro iam scholiis ornato profecta: I l. 1—14: τὸ χ ὅτι οὐ συμφωνεῖ τοῖς χρόνοις ἃ λέγει. καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσί φησι „ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖδον εἰς τὰ χώρια", ἀλλὰ καὶ ὁ Φιλόχορος ἀπὸ Πυθοδώρου, ἀφ' οὗ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου δοκεῖ γεγενῆσθαι, μέχρι Ἰσάρχου καταριθμούμενος εἰς τὰ ιγ' ἔτη συνάγει τοὺς χρόνους. πάλιν Θουκυδίδης κατὰ τὰς τῶν χειμώνων καὶ θερέων εἰσβολὰς τὸν πόλεμον γεγενῆσθαι λέγων οὐδὲ αὐτὸς εἰς τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ἔρχεται, ἀλλ' ἀπολείπεται παρὰ τὰ θ' ἔτη, ergo parum accurate locutus est poëta; II 14 ad finem, eadem exponens in brevius contracta: ... ἀπὸ γὰρ Πυθοδώρου μέχρι Ἀλκαίου θ' ἔτη κτλ., quae ad partem melius servata sunt quam prius scholium. Et primum quidem signum χ cum satis neglegenter Clausenus dixerit[37]) iis locis apponi a veteribus solere qui aliquid offensionis haberent, accuratius de hoc signo egit Schraderus et Lehrsius[38]), a quo quae de Pindari scholiis dicta sunt utique ad Aristophanem pertinent. Signum enim χ, cum ad sermonis insolentiam (λέξεις καὶ σχῆμα καὶ ὅλως τὴν συνήθειαν) iam a veteribus grammaticis Alexandrinis adhibitam esse Diog. Laert. III, 65 doceat, cum aliis rebus alia signa tribuerent, quasi unum signum alia eiiciens ad quamlibet insolentiam memoria dignam notandam tempore satis recenti usurpatum est. Sed nihilominus ea scholia, quibus exstat τὸ χ tali vice fungens, non necesse est propterea recentissima haberi, cum persaepe codici alicui, qui scholiis ornatus esset e veteribus commentariis haustis, scholiastes quidam aetatis recentioris adscriberet signum χ aut in scholia ipsa insereret τὸ χ διότι ... explicatione ipsa e vetere

[37]) Cf. l. a. p. 25.

[38]) Cf. Lehrsius, Die Pindarscholien, Leipzig 1873, p. 107. 110; Schraderus, De notatione critica a vet. gramm. in poët. scaenic. adhibita, Bonn 1863, p. 17 sqq.

quodam commentario hausta. Deinde signa ipsa saepe evanuerunt. Plane idem in scholiis Aristophaneis factum est. Habes enim nonnullos locos quibus servatum vides τὸ χ, ὅτι . ., plures quibus e verbis ipsis potest in textum restitui, de quibus rem non ad finem ducens egit Rutherfordius.[39]) Quos si perstringes, non paucos referri videbis ad poëtae usus loquendi insolentiam et ad rem grammaticam, ut schol. Vesp. 696, ubi illo σεσημειῶσθαι aliud signum non videtur esse intellectum, Av. 76, Ran. 567. Haec certa sunt exempla, quibus signum χ iam ab veteribus grammaticis Alexandrinis probatur esse adhibitum et ad eas quidem res notandas adhibitum, quae cum communibus grammaticae artis praeceptis quodammodo pugnare videntur. Eodem fortasse pertinet schol. Thesm. 917, de quo cf. Nauckius l. a. p. 6 adn. 9 et p. 65 cum adn. 94, quamquam dubitari potest num iam Callistratus huic versui τὸ χ adscripserit. Ad poëtae συνήθειαν et λέξιν, ut ait Laertius, pertinet etiam in schol. Nub. 1176 et, quibus in scholiis signum olim exstitisse videtur, schol. Plut. 66. 78. 137. 155 (cf. Rutherfordius). Ad res autem cum poëtae verbis non congruentes — ad quem usum recentiore demum aetate translatum esse τὸ χ ostendit Lehrsius[40]) — notandas usurpa-

[39]) Cf. Classical review I p. 242.

[40]) Contra dicere contra hanc Lehrsii opinionem, quam in schol. Aristoph. quoque valere studuimus probare, videtur quod Rutherfordius de schol. Plut. 3 exposuit, quem puto hic vehementer errasse. Habemus hic in codice G ad verba:

ἢν γὰρ τὰ βέλτισθ' ὁ θεράπων λέξας τύχῃ,
δόξῃ δὲ μὴ δρᾶν ταῦτα τῷ κεκτημένῳ

tria scholia Didymi, ut equidem puto, commentario ab Aristarcho dependente usa: I τὸ ἢν ἀπόστροφον λαμβάνει, ὅ ἐστιν ἀντίστροφον. ἔστι δὲ ὥσπερ καὶ ἄλλως τοὐναντίον δρῶν; II καὶ τοῦτο γὰρ ἀντίστροφον δέχεται. ἔστι γὰρ τὸ ἐναντίον δρῶν. ἡ δὲ ἀπόστροφος ἀντίστροφος καλεῖται; III Ἀρίσταρχος γὰρ τοῦτο σημειοῦται. ὅ ἐστιν παρ' ἡμῖν ἀπόστροφος, ἀντίστροφος αὐτῷ καλεῖται, quae cum ad lemma ἢν referri non posse recte intellexerit Rutherfordius, putat continere Aristarchi explicationem quomodo μὴ δρᾶν sit intellegendum. Putat igitur genuinam adnotationis Aristarcheae formam fuisse hanc: τὸ χ' (= καί schol. II)· τοῦτο γὰρ — τοὐναντίον δρᾶν (ut recte pro δρῶν restituit), cum alius fortasse Aristarchi discipulus adnotasset I: τὸ μὴ ἀπόστροφον λαμβάνει — δρᾶν i. e. ut eius ipsius verba afferam: he (the master) takes μὴ as reversing the sense, it is as also might be said in another way to do the reverse. Sine dubio erravit Ruther-

tum est in schol. Vesp. 1191[41]) et Plut. 179: (τὸ χ) ὅτι Ἀριστοφάνης οὐ λέγει σύμφωνα κατὰ τοὺς χρόνους, quo in scholio τὸ χ falso esse omissum unusquisque iam intelleget. Quibus expositis cum viderimus, quamquam χ exstet, a bono posse dependere commentario scholium, ad schol. Pac. 990 revertamur. Grammaticus enim, didascalia fabulae certior factus doctam esse Pacem archonte Alcaeo, cum offenderetur poëtae verbis iam tredecim annos homines pacem desiderare dicentis, hoc falso dictum esse primum probavit e comoedia. Etenim cum meminerit Ach. versus 266: ἕκτῳ σ' ἔτει προσεῖδον εἰς τὰ χωρία, cumque sine dubio Philochori annalibus usus, qui paullo post proferuntur, inter eum praetorem, quo Acharnenses docta est, Euthynem 426/25, et eum, quo Pax docebatur, tres intermitti Stratoclem, Isarchum, Aminiam haud nesciret, ἀπὸ

---

fordius; nam neque ad μή pertinet scholium neque verba ipsa Aristarchi recte explicata sunt neque signi χ puto hic mentionem fieri. Inde enim quod dicit grammaticus Aristarchum ἀντίστροφον nominare quod suae aetatis grammatici vocare solerent ἀπόστροφον elucet hic non esse usurpatum ἀντίστροφον eo usu quo fere semper adhibita est vox nempe „oppositus, contrarius“, sed esse signum illud quod inservit notandae elisioni vocalis ('). Quod si statuis, optime quoque explicatur λαμβάνει, δέχεται ἀπόστροφον, ad quod verbum non „grammaticus (Aristarchus)“ supplendum est subiectum, sed „vox“. Quae si constant, non ad ην pertinere potest scholium, sed ad ταῦτα et nihil aliud facit Aristarchus quam novam profert lectionem ταὐτά pro ταῦτα (neglecta accentus differentia). Huc bene quadrat illud quod dicit ἔστι γὰρ τοὐναντίον δρᾶν. Immo rei ipsius vestigium latet in καὶ τοῦτο, ubi cum καί inserviat sententiis coniungendis, posteriore demum tempore illatum, in τουτο latet vox ταυτα. Quae cum ita se habeant, signi χ omnino hic locus non est, sed alius signi, quo textus differentias solebat adnotare Aristarchus. Quibus expositis non necesse est planius refutare quae Gerhardius, l. a. p. 34, et, qui contra eum dicit, Schraderus, l. a. p. 10. 11 de hoc scholio attulerunt.

[41]) Quo puto optime Lehrsii rationem veram esse demonstrari. Exstant enim duae explicationes signi χ inter se diversae: I l. 45 τὸ χ ὅτι . . . ὡς ἀληθῶς ἱστορεῖ, II l. 46 sqq. τὸ χ (quod hic supplendum est) ὅτι κατεψευσμένοι φαίνονται κτλ. Res ita explicatur. Veteres commentarii (Didymi, deinde hinc haurientes alii) nihil habebant nisi scholium II omisso initio τὸ χ ὅτι; iam cum poëtae verba cum re vera non congruere inveniret scholiastarum aliquis, exemplaris margini signum χ adscripsit, quod ab insequentibus diversum in modum in-

τῆς τῶν Ἀχαρνέων διδασκαλίας γ' ἔτη εἰσίν (l. 17) temporum non bene ratione habita dixit, ut non ad tredecim annos, ut poëta, sed ad novem perveniret. Deinde Philochorum ipsum consuluit ἀλλὰ καὶ Φιλόχορος — τοὺς χρόνους. Sed hic vitium latet. Incipiens enim a Pythodoro, archontes deinceps enumerat, quot poëta dicit, tredecim, sed cum Isarchus (424/23) octavus sit a Pythodoro, huius nomen corruptum esse constat, ut scribas μέχρις Ἀρχίου pro μέχρι Ἰσάρχου (anni 419/18, cf. Clinton II p. 72) vitii origine facile intellecta, cum littera ι bis scriberetur. Iam a Philochoro quoque probato poëtae errore ad Thucydidem accessit, qui revera nono anno indutias factas esse secundum rationem quam sequitur exposuit (cf. IV 117, 1; 135, 2), cum illud ἀπολείπεται παρὰ τὰ ϑ' ἔτη, quamquam insolentius dictum est, videatur significare: „er bleibt stehen bei 9 J.".

36) Denique Thuc. adhibitus est et in schol. Lys. 1094, ubi cum maxima pars ad Philochorum (cf. Muellerus frg. 110 = I p. 402) pertineat[42]) praeter eum consultus est Thucyd. VI, 53, 1, et

37) schol. Ran. 541 l. 23: ὁ Θουκυδίδης δὲ αὐτὸν ἐπαινεῖ, cf. Thuc. VIII, 68, 4.

Caput V.

Xenophontis librorum non ita multa exstant vestigia, quibus eos esse adhibitos aut clare indicatur aut licet concludi. Ut praeter schol. III Plut. 173, de quo infra videbimus, et schol. Ran. 1422 l. 28, de quo in capite VI dicemus, ad eum

tellectum est, cum alter putaret τὸ χ adscriptum esse, quia Ephudionis nomen cum rerum veritate congrueret, alter, quia ficti essent homines.

[42]) De re cf. Gilbertus, Beitr. z. innern Gesch. Athens p. 250 sqq. Ceterum ipse vides tempus hoc scholio allatum (πρὸ ἐτῶν δ' τῆς καϑέσεως τούτου τοῦ δράματος) aliter se habere atque alia nonnulla magis generalia, de quibus vidimus. Dependet a Philochoro adhibita didascalia fabulae.

referendum est schol. Ran. 970 (cf. Suid. *Θηραμένης*), ubi post Aristarchi opinionem a Demetrio vituperatam[1]) exstant haec: *Δίδυμος δέ φησιν ὅτι δύναται καὶ τῆς παροιμίας μεμνῆσθαι οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος, παρόσον ποίκιλός τις ὢν καὶ ἀγχίστροφος καθομιλεῖ τοὺς καιροὺς* (scr. *τοῖς καιροῖς*; cf. p. 235 adn. 28) *πρὸς τὸ κρεῖττον μέρος ἀεὶ διδοὺς ἑαυτόν. Κῷος* (scr. *Κεῖος*) *δὲ ἐλέγετο εἶναι*, unde, ut antea exposui, patet ad Didymum pertinere etiam schol. I Ran. 541 l. 1—23, optime comparatum; nam scholium II l. 23—27 inventis indulget, praeterquam quod hic falso videtur adscriptum esse: suum locum teneret, si ad Ran. 970 esset appositum. Deinde huc pertinet schol. Ran. 47, quod quamquam ipsum praebet rarissimum illud *καθομιλεῖν τοῖς καιροῖς* non esse Didymeum p. 236 breviter dixi; nunc probabo. Vides enim duas in unum contractas interpretationes, alteram quae hic parum apte affertur, *τινὲς ὅτι ὁ κόθορνος εἰς ἀμφοτέρους τοὺς πόδας ἁρμόζει, οἱ δὲ ὅτι ἀνδράσι καὶ γυναιξὶν ἁρμόττει. ἔνθεν καὶ Θηραμένης κόθορνος ἐλέγετο, ὅτι τοῖς καιροῖς καθομιλεῖν δύναται. ὁ δὲ Ξενοφῶν ἐν Ἑλληνικοῖς ἀμφοτέροις τοῖς ποσὶν ἁρμόζειν αὐτόν φησιν*, alteram, cuius proprius hic locus est, quae cum priore omnino non potest coniungi: l. 26 *ἐκπλήττεται δὲ* (quod falso ad coniungendam utramque sententiam additum est; cf. p. 242 adn. 2) *ὁ Ἡρακλῆς ὁρῶν τὴν ἄτοπον ταύτην σκευήν, καὶ ὅτι τὰ ἄμικτα ἔμιξεν. ὁ μὲν γὰρ κροκωτὸς καὶ ὁ κόθορνος γυναικεῖά ἐστιν, ἡ δὲ λεοντῆ καὶ τὸ ῥόπαλον ἀνδρῷα*, unde statim elucet priorem scholiastam cupidissimum doctrinae ostendendae e schol. Ran. 541 sive ex ipso Didymi commentario et ex Xenoph. Hell. II, 3, 31 hausisse ea quae affert, ut quae *οἱ δέ* l. 22 dixisse dicantur Didymi sint, alia Xenophontis. Quam ob rem in censum venit solum schol. Ran. 541, quod accuratius perstringenti maxima ex parte e Xenoph. Hellenic. II, 3. 23—56 haustum esse apparebit. Apud quem legitur § 28: *αὐτὸς μὲν ἄρξας τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους πίστεως καὶ φιλίας, αὐτὸς δὲ τῆς τοῦ δήμου καταλύσεως*, cf. schol. l. 9, et § 32: *τῶν στρατηγῶν κατηγορῶν ἀπέκτεινεν αὐτούς*, cf. l. 8, cum certiorem huius rei cognitionem hauserit Didymus e Xen. Hell. I,

---

[1]) De qua cf. Staeschius, l. a. p. 54. 55.

7, 4 et I, 8, 18, ubi Callixenus quoque commemoratur, qui neque apud Diodorum XIV, 4, 5 (Ephorum) neque apud Plut. Lys. 15 apparet, ut luculentissime historicus a Chalcentero adhibitus sit; porro § 52: *ἀπεπήδησεν ἐπὶ τὴν Ἑστίαν*, § 55: *εἷλκε μὲν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ ὁ Σάτυρος, εἷλκον δὲ οἱ ὑπηρέται*, cf. schol. l. 12. 13, § 30 Hagnon pater commemoratur cf. l. 5, § 33 *τοῦ μὲν πλεονεκτεῖν ἀεὶ ἐπιμέλησας, τοῦ δὲ καλοῦ καὶ τοῦ φίλου μηδέν* . . cf. l. 16, denique de cothurno legitur § 30 et 47, ut dubitari nequeat quin ea quae usque ad l. 18 exstant excepta l. 4. 5: *διδάσκαλος Ἰσοκράτους Στειριεὺς τῶν δήμων*, quae aliunde cognita habuit Didymus (cf. etiam schol. Nub. 361, quod nihil novi affert), ad Xenophontem sint referenda, Thucydidem autem a se inspectum esse ipse indicat l. 22, cum quae l. 18—22 leguntur comicis deberi iam antea viderimus.[2]) Sed una res restat quae non indigna est quae commemoretur et ea quidem ad Xenophontis textum pertinens. Apud quem II, 3, 30 leguntur haec: *ὅθεν δήπου καὶ Κόθορνος ἐπικαλεῖται. καὶ γὰρ ὁ κόθορνος ἁρμόττειν τοῖς ποσὶν ἀμφοτέροις δοκεῖ. ἀποβλέπει δ' ἀπ' ἀμφοτέρων* (postrema verba corrupta sunt, sed hoc ad nostram disputationem non pertinet). Iam si haec cognominis explicatio apud Xenophontem exstaret, Didymus ceteroquin diligenter eius vestigia premens cur tandem tam miram causam finxit cognominis ut diceret l. 17: *ἐπειδὴ καὶ ὁ κόθορνος ἀνδράσι καὶ γυναιξὶ πρὸς τὰς ὑποδέσεις ἁρμόττει?* Sed verba ipsa *καὶ γάρ — ἀμφοτέρων* ab hominibus doctis qui in Xenophonte interpretando operam navaverunt ei abiudicata sunt et pro interpretamento satis recenti habita.[3]) Quod

---

[2]) Quibus rebus cognitis per se apparet, quid sit iudicandum de iis quae dicit Poehligius, Jahrbb. f. Philol. Suppl. IX p. 231: „Andere Quellen aus späterer Zeit tadeln wiederum den Theram., wie der Scholiast des Aristoph., der nicht nur sein Schwanken in politischer Beziehung erwähnt, sondern ihm auch zweierlei geradezu zur Last legt, nämlich die Verurteilung der Arginusenfeldherrn und die Einsetzung der 30 Tyrannen. Als gerechte Strafe dafür habe er den Tod durch die 30 gefunden", quae cum Didymi fontes indicaverimus, non habent eam auctoritatem quam Poehligius iis tribuit.

[3]) Cf. edit. Breitenbachii: iusto iure editores verba eiecerunt; nam ut alia omittam, quam languidum est, si Critias interpretamentum addidisset Theramenis cognominis, quod unde ortum esset unicuique notum erat!

cum equidem probem alias ob causas in re ipsa positas, si quid video, hic exstat certum argumentum, quo eum textum, quo Didymus usus sit, vacasse hac interpolatione stricte probatur; exstitit iam in eo textu quem recentior Ran. 47 scholiastes in manibus habuit. Ceterum apud Plut. Nic. 2 et De republic. gerend. 32, 4 eandem cognominis causam legimus.

Deinde schol. II Equit. 969 pars altera — nam de priore iam diximus p. 279 —: *Κύριον δὲ ἀντὶ τοῦ Κύρου τοῦ Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως, ὃς κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους τῆς Λυδίας πεμφθεὶς σατραπεύειν Λακεδαιμονίοις προςθεμένοις εἰς πόλεμον τὰ πρὸς Ἀθηναίους ἐχορήγησε χρήματα,* de qua re cum Thucydides II, 65, 12 paucis tantum verbis egerit, accuratius locuti sunt praeter Xenophontem Hell. I, 5, 1 Diodorus XIII, 70 et Plutarchus Lys. 4, quem utrumque ad Ephorum recedere probatur eadem differentia, quae inter hos et Xenophontem intercedat, de qua cf. Breitenbachius, Hellenic. ad l. a. Uterque et Xenophon et Ephorus in scholiis in usum vocatus est, sed Ephorus in iis potissimum rebus consultus est, quae ad bellum Persicum pertinent, ut vel propterea verisimilius sit Xenophontem esse scholii fontem. Quod probabilius fit ea re, quod apud Diodorum Darei, apud scholiastam Artaxerxis filius nominatur Cyrus neque quicquam de Cyri satrapia legitur apud Diodorum, cf. Xen. I, 4, 4. Etenim cum necesse sit credi aut hoc ipso loco aut paullo antea Ephorum nominavisse Cyrum filium Darei, unde Diodorus hausit, multo facilius ignosci potest scholiastae error, si eum e Xenophontis libro hausisse putas, qui in tota hac de Cyro narratione I, 4, 1—8. 5, 1—11 eum semper „*βασιλεύς*“ notat, quam si ad Ephorum eum refers, qui diserte exposuit nomen. Denique illud *κατὰ τούτους τοὺς χρόνους* (i. e. anno 425/24, quo Equitum fabula docta est) optimum praebet exemplum quo quam caute eiusmodi generales temporis rationes scholiorum Aristophaneorum sint accipiendae probatur, cum rem de qua agatur autumno 408 evenisse Xenophon auctor sit.

Ad eundem fontem puto recedere schol. Ran. 365: *Κῦρος γὰρ Λυσάνδρῳ ἔπεμψε χρήματα τότε εἰς πόλεμον δανείου χάριν,* quae verba ad locum interpretandum nihil afferunt (cf. edit. Kockii ad h. v.). Bis a Cyro Lysander pecunia adiutus

est, primum eo tempore quod attuli, iterum initio anni 405 (cf. Curtius II[5] p. 791; Xen. II, 1. 10. 11; Diod. Sic. XIII, 104); sed etiam in hoc scholio illud *τότε* merae inventioni deberi, non ab atthidographo quodam dependere inde patet, quod neque certum tempus indicatur neque archon quo regnante haec res facta est.

Deinde schol. Ach. 11 l. 34. 35: *Θέογνις δὲ οὗτος τραγῳδίας ποιητὴς πάνυ ψυχρός, ἐκ τῶν τριάκοντα, ὃς καὶ Χιὼν ἐκαλεῖτο*; cf. schol. Ach. 140, ubi eiusdem *ψυχρότης* exponitur, de qua praeterea cf. Aristoph. Thesm. 168. Suidas s. v. *Θέογνις* artic. II schol. Ach. 11, s. v. *ψυχροῦ βίου* schol. Ach. 140 exscripsit, cum Harpocration s. v. *Θέογνις* de solo eo qui paucorum partes secutus sit et de melio quodam loquatur poëta, tragoedias quoque fecisse illum omnino non exponens, qui utrum revera idem fuerit ac fabularum poeta certo dici nequit. Scholiastes enim ut „*Χίων*" eum dictum esse sine dubio e comoedia aliqua hausit, ita *ἕνα* — nam *εἷς* pro *ἐκ* esse scribendum vidit Bergkius[4]) — *τῶν τριάκοντα* eum fuisse eidem debet, cui Harpocration, Xenophonti, Hell. II, 3, 2. Ceterum unum eius fragmentum servatum est (cf. Nauckius, Frgm. tragic. Graec.[2] p. 769).

Ad Xenophontem porro quem iam vidimus de his temporibus esse consultum, referam schol. Ran. 1513, ubi duo habemus scholia: I *εἴη ἂν οὗτος ὁ τοῦ Λευκολοφίδου οὗ καὶ Πλάτων μέμνηται ἐν τῷ Πρωταγόρᾳ* (cf. p. 315 E). *ἦν γὰρ τῶν περὶ τοὺς καιροὺς τούτους στρατηγούντων. ἡγεῖτο δὲ τοῦ μέρους τοῦ ναυτικοῦ. τάχα δ' ἂν οὗτος εἴη ὃν καὶ παρεγγεγραμμένον λέγουσι. οἰκεῖον γὰρ αὐτοῦ τὸ „στίξας αὐτούς"· ἦν γὰρ ξένος,* II fere idem quamquam paullo certius exhibens, nisi quod additur Eupolidis Urbium fragmentum, de quo cf. Meinekius II, 513, 12 = Kockius I, 317. Interpres, cum alia et id quoque quod peregrinum eum dicit et iniuria in civitatem acceptum a comico quodam sine dubio sumpserit, quippe qui certent quodammodo homines tali crimine afficere, alia e Xen. Hell. I, 7, 1 sumpsit: *πρὸς δὲ τοῦτον* (sc. Cononem) *εἵλοντο Ἀδείμαντον καὶ τρίτον Φιλοκλέα,* cf. II, 2, 30. 32: *ᾐτιάθη μέντοι ὑπό τινων προδοῦναι τὰς ναῦς.* Idem homo in titulis invenitur C. I. A. I, 274. 275. 276.

---

4) Cf. Griech. Litteraturg. III p. 610 adn. 45.

De Eccles. denique schol. 1089 in capite VI dicam.

Iam unum restat scholium, quod ad Xenophontis recedit non hellenica illud quidem, sed anabasin, nempe Equit. 1089: *Σοῦσα γὰρ καὶ Ἐκβάτανα τῆς Περσικῆς χώρας πόλεις. ὧν ἐν μὲν τῇ ἑτέρᾳ ἐχείμαζε βασιλεὺς ὁ μέγας, ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ ἐθέριζεν,* quae orta sunt ex Anab. III, 5, 15: *ἡ δὲ πρὸς ἕω ἐπὶ Σοῦσά τε καὶ Ἐκβάτανα φέροι, ἔνθα θερίζειν καὶ ἐαρίζειν λέγεται βασιλεύς,* cum praeterea de eadem re loquatur Xenophon in Cyrup. VIII, 6, 22; cf. Kiepertus, Lehrb. d. alten Geographie p. 69.

Iam ut ad Ephorum transeamus, eius nomen exstat in solo schol. Nub. 859, cf. Suid. s. v. *Δέον* artic. II. Habes scholia quattuor: I l. 28—37, II l. 38—43, III l. 44—52, altera recensione (*Θ* M Aldina) expressa, IV 53 usque ad finem altera (RV).[5]) Quod ad Suidam attinet, quam cum his duabus familiis haberet cognationem Zacherus quaesivit, ad quam quaestionem ita respondit, ut eum magis cum RV quam cum altera familia consentire putaret, sed ita ut ad archetypum propius accederet. Quod hoc scholio probatur. Exhibet enim Suidas primum scholium IV ad verbum fere expressum usque ad vitium *Κλεάνδρῳ* pro *Κλεανδρίδῃ,* cum in fine rectius exhibeat *ἀναλῶσαι αὐτά* pro *ἀναλῶσαι ταῦτα* codicum RV. Deinde Suidas praebet schol. I alterius recensionis, quod cum usque ad *ἐζημίωσαν* ad verbum transscriptum sit, in fine leviter mutatum est aut Suidae ipsius consilio, ut iam antea Ephori nomen deest, aut librorum depravatione. Huc pertinet et quod pro *ιε΄ τάλαντας* scriptum est *ε΄* omissa littera *ι* et quod eodem modo *κ΄* l. 29 corruptum est in *ν΄*. Quam ob rem utique falsum est quod Schmidtius adnotat[6]): „Da der Scholiast des Aristophanes und Suidas von Kleinigkeiten abgesehen (wozu auch 5 für 15 gehört) ganz wörtlich übereinstimmt, (ist der Wortlaut des Ephoros grade an dieser Stelle vollkommen constatirt) und doch ist bei Suidas hier nicht etwa, wie sonst öfters, jener Scholiast abgeschrieben, da bei ihm das Fragment des Ephoros noch weiter reicht“, immo postremorum verborum mutatio aut Suidae debetur aut recensioni *ϑ* (cf. Zacherus), quorum uterque ex eodem archetypo

---

[5]) Cf. Zacherus, l. a. p. 650 sqq. 692.

[6]) Cf. Das Perikleische Zeitalter, Jena 1877, II p. 254.

hausit. Veteris igitur corporis scholia sunt I et IV ab eodem commentario dependentia, cum duo alia a recentioribus scholiastis nata sunt alia illa scholia adhibentibus.[7]) Auctorem vetus interpres ipse (Didymus, cf. p. 234) Ephorum indicat (cf. Muellerus frg. 118, I p. 266), cuius narrationem praeterea exstare apud Plutarchum Pericl. 22 Sauppius[8]) ostendit, contra quem frustra nititur Schmidtius, l. a. II p. 252 sqq. Quod autem apud Diodorum alioquin Ephorum secutum in narrationum ordine nulla huius rei mentio superest post XII, 7, ubi de antecedentibus rebus gestis narrat, inde factum esse puto, quod inde a cap. 8 ad res siculas transit. Exstat narratio sub digressionis forma XIII, 106, quamquam contra Schmidtium, l. a. II p. 254 adn. 1, stricte negaverim hoc demum loco iam Ephorum de ea re esse locutum.[9]) Cf. etiam Thuc. II, 2 et V, 16.

Iam cum hoc certum habeamus documentum, quo Ephori libros in usum esse vocatos probetur, aliae exstant eiusdem reliquiae, ad quas investigandas ansam praebet comparatio cum iis scriptoribus, quos hoc historico usos esse constat. Primum enim Diodorum in bibliothecae l. XI—XVI Ephoro fere solo usum esse Volquardsenius summa cum probabilitate evinxit.[10])

---

[7]) Quorum alterum insulsa proferre O. Muellerus, De Phidiae vita, 1827, bene exposuit.

[8]) Cf. Die Quellen Plut. für d. Leben des Pericles: Abhandlungen d. königl. Gesellsch. d. Wissensch. zu Göttingen, 1867, p. 35, a quo dissentit Ruehlius, Jahrbb. f. Philol. XCVII p. 666, alium auctorem non afferens.

[9]) Exstat idem proverbium apud Zenobium II, 33. Iam antea probavimus (p. 234) et hoc proverbium et scholium ad Didymum referri, qui et in commentario Aristophaneo et in proverbiis de hac re locutus sit. Iam cum viderimus Chalcenterum ea quae in commentario exposuerit ex Ephori libro hausisse, nonne fere cogimur, ut putemus ne in proverbiis quidem alium auctorem esse adhibitum? Praesertim cum narrationes ipsae inter se congruant, nisi quod in scholio paullo amplius de re dictum est, Ephorum autem non sprevisse historiam proverbiis ornare fragmentis eluceat (cf. frg. 107 et Harpocr. s. v. Εὐρυβάτην = frg. 100). Quibus expositis patet falsum esse, quod Crusius dixit, l. a. append. I p. 144, proverbium Zenobianum e Demonis copia fluxisse, ad quam rem probandam nullam aliam affert causam nisi, id quod ei libenter concedo, quod Demonis liber saepe a Didymo usurpatus sit (cf. p. 150).

Quam rem ad schol. Equit. 814 [11]) adhibens statim videbis tam arte Diodori narrationem cum scholio cohaerere, ut utrumque ex eodem fonte haustum esse debeat. In utroque enim invenitur vocabulum *καταστρατηγῆσαι*; deinde exstat cap. 39, 3: *μὴ τειχίζειν τὴν πόλιν διὰ τὸ μὴ συμφέρειν κοινῇ τοῖς Ἕλλησι*, cf. schol. 9. 10 *ὅτι ἐπὶ τῷ κοινῷ τῆς Ἑλλάδας συμφέροντι τειχίζοιεν τὴν πόλιν*; apud utrumque ipse cum paucis aliis legatus mittitur Lacedaemona; legitur apud Diodorum *μετὰ μεγάλης σπουδῆς ᾠκοδόμουν*, in scholio l. 12 *τειχίζειν πάσῃ σπουδῇ τὴν πόλιν*, apud Diodorum *μὴ πιστεύειν κεναῖς φήμαις*, in schol. l. 25 *μὴ ταχέως πιστεύειν κτλ.*, apud Diodorum *ἐγγυητὴν ἑαυτὸν παρεδίδου*, in schol. l. 29 *ὅμηρον ἑαυτὸν κατεπηγγείλατο*. Accedit aliud. Nam si quaerimus, qua tandem re temporis mora efficiatur apud Ephorum, una ea exstat quod Lacedaemoniis persuadet Themistocles, ut legatos Athenas mittant, qui ibi retineantur, dum legati Athenienses a Lacedaemoniis absoluti sint. Quae mora cum apud scholiastam quoque inveniatur (cf. l. 29: *κἂν τούτῳ τριβήν τινα χρόνου ἐμποιῶν*) [12]), hic alteram eam habet, ut legatos socios creatos statim secum proficisci vetet Themistocles. Quod e Thuc. I, 89, 90 haustum est, quamquam apud eum altero hoc dolo non id efficitur, ut inde quoque temporis mora oriatur, sed ut Themistocles a Lacedaemoniis, muros aedificatos esse cum cognoverint, reddatur civibus. Thucydidem praeter Ephorum adhibitum esse

---

[10]) Cf. Untersuch. üb. d. Quellen d. griech. u. sizil. Gesch. bei Diod. B. XI—B. XVI, Kiel 1868 p. 1—71; quantum ad expeditionem Siciliensem attinet, eius sententiam probavit Sternius, Philol. XLII p. 461 sqq.

[11]) De quo accuratissime egit iam Schmidtius l. a. II p. 32, minus recte Bauerus, Themistocles, Merseburg 1881, p. 108 adn. 3, qui quod dicit: „Dass dieser (der Scholiast zu Aristoph.) aus einer zusammenhängenden Darstellung schöpfte, lässt sich noch erkennen: *αἰνίττεται δὲ διὰ τούτου* (poëta) *τὴν ἱστορίαν Θεμιστοκλέους ὅτι τὴν πόλιν ἐτείχισεν, καὶ ταῦτα παρὰ γνώμην τῶν Πελοποννησίων ἀπατήσας αὐτοὺς κτλ.*“, sine dubio falso intellexit verba *καὶ ταῦτα*, quae non significant, id quod Bauerus videtur putare, „auch hierin“, sed „und dieses“ nempe *τὸ τειχίζειν* = „und zwar“. Cadit igitur eius sententia.

[12]) Optime igitur explicatur id quod Schmidtius, l. a. p. 306, miratur, quomodo factum sit ut apud solum scholiastam legeretur *κἂν τούτῳ — ἐμποιῶν*, nempe quia solus coniunxit duas diversas causas, quarum alteram ab Ephoro, alteram a Thucydide sumpsit.

multis aliis similitudinibus patet, ut l. 11 legitur: *μὴ φειδομένους μήτε ἰδίου μήτε δημοσίου τινὸς οἰκοδομήματος*, cf. Thuc. I, 90, 3 *φειδ. μ. ἰ. μ. δημοσίου οἰκοδομήματος*, cum apud Ephorum (Diod. 40, 1) videatur exstitisse *οὔτ' οἰκίας οὔτε τάφου φειδόμενοι*, deinde iis quae Lacedaemoniorum magistratui respondet Themistocles, cf. l. 18 sqq., Thuc. 90, 5, ubi illud *καὶ θαυμάζειεν ὡς οὔπω πάρεισιν* congruit cum verbis *καὶ ἤσχαλλεν ὅτι μήπω παρεγένοντο*. Finis denique totius narrationis proxime ad Thucydidem accedit, ut videamus bonum grammaticum, quem Didymum esse cap. I p. 238 verisimile reddidimus, duas narrationes in unam contaminavisse.

Iam loquendi rationem quam Ephorus, Isocratis discipulus, secutus est rhetorem sapere nos quoque e paucis fragmentis et Diodori narratione possumus cognoscere, de qua re cf. Volquardsenius, l. a. p. 64 sqq. Ad hanc rem pertinet etiam numerorum quidam lusus aut pugnantium aut caesorum, qui cum, quod ad bellum Persicum attinet, ab Herodoto non soleat indicari, a posterioribus scriptoribus plerumque inventus est et ita quidem inventus, ut auctorum ingenio placuit. Iam cum Ephorum in his quaestionibus videamus uti arte quadam et consilio (cf. Volquardsenius l. a. p. 65), si hanc argumentationem adhibueris ad Cornelii Nepotis Milt. cap. 4, ceteroquin Ephorum secuti[13]), ubi est: „nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit praeter Plataeenses, ea mille misit milites; itaque horum adventu decem milia armata completa sunt", recte putabis Curtium II[5] p. 822 adn. 6 et Busoltium II p. 73 adn. 1 indicasse hac in re Nepotem Ephorum secutum esse; qua cum re congruit complendi vocabulum ad eius loquendi rationem quam maxime idoneum, si quidem probari potest non a Cornelio demum inventam esse hanc vocem. Quod probare contingit schol. Equit. 781 contemplanti: *Μαραθὼν τόπος τῆς Ἀττικῆς, εἰς ὃν ἐνώρμησαν Δᾶτις καὶ Ἀρτάβαζος* (scribe *Ἀρταφέρνης*), *Μηδικοὶ σατράπαι, πεμφθέντες ὑπὸ Δαρείου βασιλέως καταδουλώσασθαι τὴν Ἑλλάδα. ἔνθα συμβαλόντες αὐτοῖς οἱ Ἀθηναῖοι Μιλτιάδου στρατηγοῦντος, μόνων Πλαταιέων συμμαχησάντων αὐτοῖς χιλίοις ἀνδράσι*

---

[13]) Cf. praeter alios Endemannus, Beitr. z. Kritik d. Ephorus, Marburg 1881, p. 12.

καὶ οὕτω πληρωθέντος τοῦ ἀριθμοῦ τῆς Ἑλληνικῆς δυνάμεως[14]), *τοῖς Ἕλλησι τῆς ἐλευθερίας αἴτιοι κατέστησαν, μόνοι ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων τὸν πρῶτον τῶν Περσῶν διαφθείραντες* (sc. *στόλον*, ut iam proposuit Dindorfius).

Itaque etiam haec narratio ex Ephori hausta est libro XII (cf. Muellerus I, 264). Idem alia via potest probari. Iustinus enim II, 9, 9, ubi legitur: „instructis decem milibus civium et Plataeensibus auxiliaribus", quamquam paullum mutavit numerum, quae res ex errore videtur orta esse, ab eodem fonte dependet quo scholium et Nepos. Atqui Iustinum in his narrationibus Ephorum consuluisse aliis causis probavit Volquardsenius, l. a. p. 30 sqq., p. 66. Ergo vel propterea scholium nostrum ad Ephorum recedit. Iam alteram habes in scholiis numeri mentionem ad eandem pugnam pertinentis, nempe Nub. 986: *τοὺς ἐν Μαραθῶνι τρωπωσαμένους τὴν Δαρείου στρατιὰν ἣν Δᾶτις ὁ τούτου στρατηγὸς ἤγαγεν οὖσαν περὶ πεντήκοντα μυριάδας.* Nonne verisimillimum est a scholiasta, praesertim cum probaverimus unius (Didymi) laborem quam maxime esse cognoscendum in scholiis, eundem, qui antea in usum vocatus est, Ephorum adhibitum esse? Unde sequitur hunc historicum eundem numerum exposuisse quem Pseudo-Plato in Menexeno p. 240 et Pseudo-Lysias in orat. funebr. 21. Sed difficultatem hic oriri unusquisque facile intelleget, cum Nepos numeret 200 000, Iustinus II, 9 600 000[15]), quorum utrumque ab eodem Ephoro dependere antea vidimus. Atqui neque inter se neque cum scholiasta consentiunt, ut mea ratiocinatio hic sola ea re adiuvetur, quod cum antea in eadem re Ephorum videamus esse usurpatum, probabile est eundem hic quoque adhibitum esse. Diversitas autem numerorum quomodo sit explicanda dici nequit: potuerunt Nepos et Iustinus (Trogus) suo ex arbitrio aut alio auctore adiuti Ephori numerum commutare, potest etiam cogitari numerum in iis exemplaribus, quae in manu haberent, fuisse corruptum.

---

[14]) Addit Aldina: *ὡς ἐξισωθῆναι τὴν τῶν Ἀθηναίων δύναμιν τῇ Περσῶν*, cui additamento sine dubio a Musuro ipso ficto aliquid auctoritatis tribuit Campeius, De pugna Marathonia, Gryphisw. 1867 p. 12, qui non minus falso credidit p. 13 corruptum illud *Ἀρτάβαζον* ad singularem ostendere fontem.

[15]) Cf. Campeius, l. a. p. 11. 12.

Deinde huc pertinet schol. Equ. 886 (cf. Suid. ἀνεῖλε) et Equ. 1044, ubi de oraculo ante proelium Salaminium dato sermo fit. Adscripta sunt ad Equ. 886 scholia duo: I l. 1—6: . . . ὁ Θεμιστοκλῆς σαφηνίσας Ἀθηναίοις τὸν δοθέντα χρησμόν·

τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς.

ἄλλων γὰρ ἄλλα λεγόντων Θεμιστοκλῆς ἔφη τὰς τριήρεις λέγειν ξύλινον τεῖχος, II l. 6—9 ubi fere idem affertur atque in schol. Equ. 814. Deinde schol. Equ. 1040: οὗτος ὁ χρησμὸς ἐπιόντος τοῦ βαρβάρου ἐδόθη. ἀγνοούντων δὲ αὐτῶν καὶ βουλομένων ξυλίνῳ τειχίσαι τὴν πόλιν τείχει Θεμιστοκλῆς ὁ στρατηγὸς νοήσας τὸν χρησμόν, εἶπε τεῖχος τὰς ναῦς λέγειν· ἔστι δὲ ὁ χρησμός· κτλ., quod cum maiore e parte cum schol. Equ. 886 consentiat, alia pauca affert, quae ibi non exstant, ut utrumque ad veterem videatur commentarium recedere ad Equ. 1040 rem paullo uberius explicantem. Iam unde haec sumpta sunt? Herodotus plures a scholio habet dissimilitudines, quam ut usurpatus esse possit. Apud quem VII, 141 duae de oraculo proferuntur sententiae, una τῶν χρησμολόγων, qui intellegi τὸν φραγμόν arcis putant, altera eorum qui naves putant esse murum ligneum, quibus cum illi opponant oraculi versum postremum ὦ θείη Σαλαμίς κτλ., quo cum Athenienses apud Salamina cladem accepturos esse patefieri arbitrentur ineptum esse de navibus cogitare, Themistocles in publicum progressus assentitur propter ipsam illam vocem θείη (i. e. diva), qua non Athenienses sed barbaros clade affectum iri probetur. Vides igitur totius narrationis sensum adeo esse commutatum, ut hae mutationes a scholiasta aut grammatico ortae esse nequeant, immo alium fontem adhibitum esse et eum quidem qui Herodoti narrationem simpliciorem reddiderit eluceat. Quem esse Ephorum, qui historiam huius temporis in universum Herodoto debet[16]), per se probabile fit, cum antea eundem in his rebus gestis narrandis videamus adhibitum. Ad eundem pervenimus alia via. Idem enim exstat apud Plutarchum vit. Themist. cap. 10: . . λέγων μηδὲν ἄλλο δηλοῦσθαι ξύλινον τεῖχος ἢ τὰς ναῦς, apud Polyaenum I, 30, 1, qui vel proprius ad scholium accedit nisi quod rectius pro πόλιν legitur ἀκρόπολιν: οἱ μὲν ἄλλοι Ἀθη-

[16]) Quod praeter alios probavit Bauerus, Jhrbb. f. Philol. Suppl. X p. 281 sqq. et Themistocles p. 96 sqq.

ναῖοι τὴν ἀκρόπολιν ἠγόρευον, Θεμιστοκλῆς δὲ τὰς τριήρεις ἐπιβαίνειν, ὡς ταύτας οὔσας τὸ ξύλινον τεῖχος τῶν Ἀθηναίων; cf. porro Nepos Them. 2, Iustin. II, 12. 14. Qui omnes ad unum eundemque fontem referuntur. Quem esse Ephorum docuerunt, quod ad Polyaenum attinet, Schirmerus et Melberus, ad Plutarchum Albrachtius.[17]) Restat oraculum. Cuius unum tantum versum habes in schol. Equ. 886 et eundem in cod. V — in R omnino desunt scholia ad longe maximam partem Equitum — schol. Equ. 1040, cum hic additi sint quinque alii, quamquam quibus codicibus hi exhibeantur non posse intellegi e scholiorum editionibus quam maxime dolendum est. Etenim ut unus ille versus utique congruit cum versu Herodoteo sexto (VII, 141), ita alii praebent non paucas differentias, quibus differt scholium non solum ab Herodoto, sed ab omnibus aliis quicumque has oraculi partes exhibent.[18]) Qua re probatur scholiastam habuisse propriam recensionem oraculi quinque illorum versuum neque eam aut ipsam bonam aut accurate transscriptam. Iam cum videamus Polyaenum unum tantum versum exhibere, cumque idem versus unus et in schol. Equit. 886 et 1046 (cod. V) exstet, alii autem tam prave sint traditi, hos puto a scholiasta quodam recentiore esse additos, de qua re certius auderem iudicare si scirem, qui codex (num fortasse sola Aldina) exhibeat hos versus.[19])

Schol. Ach. 850: ὡσεὶ ἔλεγεν „ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων", ἀπὸ τῆς παροιμίας ἧς μέμνηται καὶ Ἀνακρέων κτλ. συνεχρόνισε δὲ τῷ δικαίῳ Ἀριστείδῃ οὗτος ὁ Ἀρτέμων ὃς ἦν ἄριστος μηχανητής. διὰ δὲ τὸ χωλὸν αὐτὸν εἶναι, ὅπου ἂν κατειλήφει πόλεμος καὶ χρεία μαχανῆς ἢν ἐπὶ τὸ τεῖχος καταβληθῆναι ἢ τὸ τοιοῦτον, μετεπέμποντο αὐτὸν φερόμενον.

---

[17]) Cf. Schirmerus, Ueber die Quellen des Polyaen: Progr. Eisenberg. Altenburg. 1884, p. 6—11, et Melberus, Jahrbb. f. Phil. Suppl. XIV p. 433. 434. Ceterum ad suum Stesimbrotum rem refert Schmidtius, l. a. II p. 137. 355.

[18]) Cf. Anthol. Pal. XIV, 93; Euseb., Praep. evang. V, 24; Suidas s. v. ἀνεῖλεν, qui hic non exscripsit scholium Arist.; Aristid. II, 279; schol. recentissimum Aeschyl. Pers. p. 420 Dind.; schol. vet. ad Lycophr. Alex. p. 193 (Kinkel); Tzetzes ad Lycophr. 1432. Cf. de tota hac re Hendessius, Orac. graec., Halis 1877 no. 112 p. 67.

[19]) Cf. Zacherus l. a. p. 709. 713.

ἀπὸ τούτου οὖν ἡ παροιμία. καὶ πάντες οἱ σοφοὶ περιφόρητοι καλοῦνται. Scholii tenor sine dubio aliquanto obscuratus est; elucet enim de duobus Artemonibus sermonem fieri, primum de Anacreonteo, quo factum est, ut ἐπὶ καλοῦ καὶ ἁρπαζομένου πρὸς πάντων παιδός dictum sit proverbium, deinde de artifice illo sapientissimo qui primus invenisse dicitur machinas ad obsidionem pertinentes, ita ut de unoquoque homine sapienti adhibitum sit. De duobus olim hic distincte exposuisse Didymum (cf. p. 233) probatur proverb. append. IV, 32 (B).[20]) Iam unde hausit Didymus? Potuit ex proverbiorum aliquo corpore rem sumere, sicut Crusius, l. a. p. 147, ad Demonem eam rettulit. Sed cum apud Plutarchum Pericl. 27 legatur: Ἔφορος δὲ καὶ μηχαναῖς χρήσασθαι τὸν Περικλέα τὸν καινότητα θαυμάσαντα, Ἀρτέμωνος τοῦ μηχανικοῦ παρόντος, ὃν χωλὸν ὄντα καὶ φορείῳ πρὸς τὰ κατεπείγοντ ατῶν ἔργων προσκομιζόμενον ὀνομασθῆναι Περιφόρητον (cf. Muellerus, Frg. h. gr. I p. 265), cumque a Didymo Ephorum adhibitum esse antea viderimus, vel inde probabile fit hoc quoque scholium ad Ephorum recedere. Accedit aliud. Contra Ephori enim sententiam pugnat Plutarchus Heraclidis Pontici auctoritate nisus, qui maiorem natu esse Artemonem Anacreontis carmine probat, unde patet non multos historicos, certe neminem eorum quos cap. XXVIII de eodem bello affert agentes, de Artemonis cognomine dixisse, quod si factum esset profecto non tantopere contra Ephori narrationem nisus esset. Iam verba scholii ipsa quodammodo

---

[20]) Anacreontis fragmentum servatum apud Athen. XII, 533 e:
Ξάνθῃ δ' Εὐρυπύλῃ μέλει
ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων
(cf. Bergkius III³ p. 261), quamquam plane aliam hic profert explicationem a Chamaeleonte petitam: διὰ τὸ τρυφερῶς βιοῦντα περιφέρεσθαι ἐπὶ κλίνης. Videtur Anacreon sensu etiam proprio dixisse ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων de Artemone, qui, cum antea miserrimo vivendi modo uteretur, mutata fortuna nisi curriculo aut lectica vectus in publicum non prodiret; deinde forte accidit ut artifex Artemon et gloria excelleret et quia pede claudus erat sella circumferretur, qua re factum est, ut memores dicti Anacreontis homines ioco quodam quamquam alio sensu ei nomen περιφόρητος indiderint. Ceterum de eodem Artemone cf. Plin. H. N. VII, 202, XXXIV, 56; Wold. Ribbeckius in edit.; Richterus l. a., Progr. II p. 14.

hanc opinionem adiuvant. In quo corrupta esse καὶ χρεία μηχανῆς ἣν ἐπὶ τὸ τεῖχος καταβληθῆναι mihi constat. Nam quid sibi volunt machinae in murum deiectae? Immo facile sanatur locus si scribitur . . ἐπὶ τῷ τὸ τεῖχος καταβληθῆναι, i. e. ut murus deiceretur, quae si cum Diodoro XII, 28, 3 καὶ ταῖς μηχαναῖς καταβαλὼν τὰ τείχη ad Ephorum secundum Volquardsenium recedente comparas, tantam inter utrumque habes similitudinem, ut vel propterea Ephorum adhibitum esse credas.

Deinde hic afferantur scholia Equit. 84, quae quam inter se habeant necessitudinem iam antea vidimus. Quae scholia cum Aristodemi cap. X, 1. 4. 5 (cf. Muellerus, Frg. h. graec. V p. 12. 13) tam arte congruunt, ut dubitari non possit, quin ad eundem fontem recedant hae duae narrationes; quin etiam Wachsmuthius Aristodemum partem ipsius scholii excerpsisse putat, quae opinio ab Hieckeio probata, cum Schaeferi, Buecheleri, Meynckei, Maehlyi, Prinzii, Matthiaei, Muelleri[21]) disputationibus probatum sit, id quod negavit Wachsmuthius, genuinum esse librum, stare non potest. Differunt in ea sola re, quod Aristodemus, ut Diodorus (Ephorus) XI, 19, 6, Themistoclem per nuntium regem facit edocentem Graecos pontem esse rescissuros, scholiastes contra ut Herodotus VIII, 108. 109 eos dicit a duce prohibitos esse ne hoc facerent, quae res deinde regi nuntiata esset. Haec igitur narrationis pars e complurium sententiis, ut videbimus compilatae, ab Herodoto videtur dependere. Sed iam quaerentibus qui tandem fons principalis sit, res facile esset comparata, si quod Plutarchus dicit Them. cap. 27 ad scholium posset adhiberi, Ephorum, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem, alios ad Xerxem eum venisse narravisse, Thucydidem, Charonem ad Artaxerxem; sed huic rei, cui Bauerus, l. a. p. 116, maximam auctoritatem tribuit, non nimiam fidem esse habendam Schmidtius,

---

[20]) Persaepe ad verbum eadem exhibent, ut Aristodemum e scholio liceat emendare.

[21]) Cf. Wachsmuthius, Mus. Rhen. N. F. XXIII p. 310; Hieckius, Zeitschr. f. d. Gymnasialw.' 1868 p. 735; Schaeferus, Jahrbb. f. Phil. XCVII p. 832; Buechelerus, ibidem p. 237; Meynkeius, ibidem p. 834; Prinzius, ibidem CI p. 193; Maehlyus, ibidem CIII p. 447; Matthiaeus, Das Fragm. des Aristodem., Jena 1874; Muellerus, l. a. p. XXII sqq.

l. a. I p. 218, II p. 153, probavit duas ob causas, quia revera Xerxe vivo in Asiam transiisse sed eo mortuo ad Artaxerxem venisse videretur, et quia auctorum aliquis nominibus omissis dicere potuisset nihil nisi „*βασιλέα*“, unde error facile nasci potuisset. Accedit quod scholii auctor ipse, quem Didymum esse antea probabile reddidimus, nomen alii fonti, alii rem ipsam debere potest. Ergo haec res nihil potest probare. Iam ut ad scholium accedamus neque totum neque, id quod voluit Bauerus[22]), initium e Thucydidis narratione haustum est, quamquam hunc consultum esse statim videbimus. Nam id quod apud Aristodemum deest eundem fontem secutum: l. 36 sqq. *οἱ δέ φασιν ὅτι συνειδὼς ὁ Θεμιστοκλῆς οὐχ οἷός τε ἦν διαπράξασθαι τῷ βασιλεῖ ἅπερ ἐπηγγείλατο οὕτως ἐπὶ τὴν τοῦ θανάτου αἵρεσιν παρεγένετο* haustum est e Thuc. I, 138, 4: *λέγουσι δέ τινες καὶ ἑκούσιον φαρμάκῳ ἀποθανεῖν αὐτόν, ἀδύνατον νομίσαντα εἶναι ἐπιτελέσαι βασιλεῖ ἃ ὑπέσχετο.* Alia quae de morte proferuntur certe non a Thucydide orta sunt, qui eum aegritudine mortuum dicit; ea autem quae antecedunt quamquam multis rebus cum eo consentiunt tamen non ad eum referam, cum pauca exstent quae ab eo diversa sunt. Ut verborum *φυγαδευθεὶς ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπὶ προδοσίας αἰτίᾳ ψευδεῖ* ne vestigium quidem exstat apud Thucydidem (cf. I, 135, 2), deinde ordo rerum in Persia a Themistocle gestarum paullo diversus exhibetur, cum apud Thucydidem iam antequam linguam barbaram didicit beneficiorum regi memoriam revocet; denique ne propter haec quidem beneficia ab Artaxerxe urbibus eum donatum esse historicus auctor est, sed in fine demum totius narrationis (138, 5) haec res commemoratur. Quam ob rem nihil nisi una illa sententia et Artaxerxis nomen, si quidem Plutarcho tantum tribui vis auctoritatis, Thucydidi debetur. Iam ad cognoscendum fontem narrationis duabus rebus adiuvamur. Nam primum quidem vel leviter scholia perlegenti in utroque occurrit rhetorices quidam color, ut l. 30: *εἰ δι' αὐτὸν σωθέντες Ἕλληνες, δι αὐτοῦ δουλεύσουσι βαρβάροις* aut l. 4: *καὶ διὰ θανάτου* (nam sic puto esse scribendum, non *μετὰ θάνατον* quod sensum non praebet) *τὸν μισοβάρβαρον ἐνδει-*

---

[22]) l. a. p. 122 adn. 1.

κνύμενος τρόπον, ut ab historico artis rhetoricae studiosissimo dependere scholium eluceat. Iam quaerentes quis tandem eorum historicorum, quos Didymus in usum vocavit aut vocare potuit, huic rei indulserit, ultro in Ephorum incidemus, Isocratis discipulum, quem tali loquendi ratione usum esse docuit Volquardsenius.[23]) Deinde autem ad eundem alias ob causas ducimur. Etenim quod legitur apud Plut. De Herod. malign. p. 855 F: *ὥσπερ ἀμέλει περὶ Θεμιστοκλέους Ἔφορος μὲν εἰπὼν ὅτι τὴν Παυσανίου προδοσίαν ἀνέγνω καὶ τὰ πρασσόμενα πρὸς τοὺς βασιλέως στρατηγούς· ἀλλ' οὐκ ἐπείσθη οὐδὲ προσεδέξατο κοινουμένου καὶ παρακαλοῦντος αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἐλπίδας* (cf. Muellerus I, 265) plane congruit cum scholii l. 23 *ἐπὶ προδοσίας αἰτίᾳ ψευδεῖ.* Deinde Diodori narrationem XI, 57. 58, quam Volquardsenius, a Bauero l. a. p. 117 comprobatus, optimo iure ad Ephorum rettulit (l. a. p. 57) comparantes maximas videbimus similitudines. Legitur cap. 58, 3 — et tali congruentia rei quae ad narrationem ipsam non nimii est momenti optimum paritur documentum — *τὸν δὲ Θεμιστοκλέα διὰ τῆς ἰδίας τελευτῆς ἀπολογίαν ἀπολιπεῖν καλλίστην ὅτι καλῶς ἐπολιτεύθη τὰ πρὸς τοὺς Ἕλληνας* fere eundem in modum ac schol. l. 4 *καὶ κτλ.*, deinde in eadem paragrapho: *σφαγιασθέντος δὲ ταύρου . . τὸν Θεμιστοκλέα κύλικα τοῦ αἵματος πληρώσαντα ἐκπιεῖν παραχρῆμα τελευτῆσαι*, cf. schol. l. 32 sqq.[24]), denique 57, 6 *ὁ δὲ βασιλεὺς περιχαρὴς γενόμενος* . ., cf. l. 51, ut utrumque et Didymum et Aristodemum[25]) ex Ephori libris ut fonte principali hausisse putem; adhibuit grammaticus praeterea

---

[23]) l. a. p. 47 sqq., 64 sqq.

[24]) Ubi cum Diodorus qua occasione sacrificium factum esset memoriae tradiderit, Didymus et Aristodemus pro *κύλικα* melius *φιάλην* (pateram) exhibent. Ceterum de morte tauri sanguine bibito effecta cf. Roscherus, Jahrbb. f. Phil. CXXVII p. 123.

[25]) Quod ad Aristodemum attinet iam alii, Schaeferus, l. a. p. 81, Buechelerus, l. a. p. 240, eum praecipue Ephoro usum esse probaverunt, cum Prinzius, l. a. p. 193, et Matthiaeus, qui errat, quod ea, quae Suidas praebet s. v. *Θεμιστοκλῆς* artic. II, ex Aristodemo hausta esse putat — immo e scholio transscripta sunt — fontem sumant quem dicunt mediarium; Muellerus autem frustra contra utramque sententiam nititur ex libro eum hausisse ratus auctoris, Philippo, Amyntae f., coaevi fuco oratorio tincto.

Thucydidem et Neanthem cf. l. 53 (cf. Muellerus, Frg. h. gr. III p. 3); quae autem sub fine de sepultura dicuntur, quae similitudinem quandam habent cum iis quae Plutarchus de Thesei fine narrat, possunt ex eiusdem Neanthis hellenicis fluxisse; certe non ab Ephoro nata sunt, cum Themistoclis sepulcrum primum Diodori Periegetae aetate Athenis demonstraretur (cf. Schmidtius, l. a. II, 160).

Ad eundem Ephorum puto referri posse schol. Equit. 660, ubi duo habes scholia ab eodem communi fonte dependentia, quorum alterum melius rem servavit l. 11 sqq.: *ἐξ ἱστορίας. Καλλίμαχος ὁ πολέμαρχος λέγεται εὔξασθαι τῇ Ἀρτέμιδι τοσαύτας βοῦς θῦσαι ὅσους ἂν φονεύσῃ βαρβάρους ἐν Μαραθῶνι. ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ ἐφονεύθησαν, μὴ δυνάμενος τοσαύτας βοῦς θῦσαι ἔθυσε χιμαίρας.* Invenis hanc rem praeterea apud Xenoph. Anab. III, 2, 12 a scholiasta discrepantem, apud Plut. De malign. Herod. XXVI, 7 p. 862, qui idem narrat quod Xenophon, apud Aelian. V. H. II, 25: *καὶ Ἀθηναῖοι δὲ τῇ Ἀγροτέρᾳ ἀποθύουσι τὰς χιμαίρας τὰς τριακοσίας κατὰ τὴν εὐχὴν τοῦ Μιλτιάδου δρῶντες τοῦτο,* ubi numerus 300 (*T*) fortasse corruptus est e Xenophontis 500 (*Φ*). Quibus cognitis ut non nimis arduum est ceteros omnes ad Xenophontem referre (cf. vocem *ἀποθύειν* omnibus communem), solus stat scholiastes, cum et Callimachum exhibeat eum qui nuncupaverit et solverit votum et votum ipsum commutaverit, non pro tot capellis quot hostes cecidissent 500 quotannis caesas esse exhibens, sed pro bobus semel capellas. Bene igitur Lugebilus[26]), quia Callimachus polemarchus diceretur votum nuncupasse, e bono fonte haustam esse hanc narrationem dixit, cum polemarchi esset tale votum nuncupare; non idem de aliis scholii partibus valet. Nam cum ab Herodoto VI, 114, aliis certiores fiamus in pugna mortuum esse Callimachum, non potest idem votum solvisse, sed hoc scholiastae errori tribui potest aut inde natum est, quod unum e paucis muneribus erat, quae posteriore etiam tempore polemarcho servata sunt, ut Agroterae sacrificio prae-

[26]) Cf. Jahrbb. f Phil. Suppl. V p. 645, quamquam quod inde sequi putat summum imperium in proelio tenuisse Callimachum, recte refutavit Muellerus-Struebingius, Jahrbb. f. Phil. CXIX p. 441 adn., cf. Busoltius, l. a. II p. 71 adn. 2.

esset. Deinde autem quod Dianae ab initio boves votae esse dicuntur, ne hoc quidem verum videtur esse, cum tale sacrificium omnino a cultu Agroterae abhorreat, cui apud Spartanos quoque ante proelium capella sacrificabatur (cf. Xen. Hell. IV, 2, 20; Resp. Lac. XIII, 8). Quibus rebus cognitis qui sit fons quaeritur, de quo nisi ex analogia, ut ita dicam, iudicari non possit; etenim cum Xenophon de hac re non consultus sit, cumque alia scholia quibus de his temporibus agatur ad Ephorum referantur, eidem hanc de Callimacho sacrificium ante pugnam Marathoniam nuncupante narrationem tribuendam puto.

Eidem tribuo alteram partem schol. I Nub. 64 (cf. p. 271) ad lemma *Καλλιππίδην* (quod excidit): *ἐπεὶ καὶ Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος ὁ ἐν τῇ ἱερᾷ στολῇ προσελθὼν ἐπὶ τὴν μάχην εἰς Μαραθῶνα καὶ ἀριστεύσας κατὰ τῶν βαρβάρων τρὶς Ὀλύμπια νικήσας ἅρματι τὸν υἱὸν ἐκάλεσεν Ἱππόνικον* (hucusque R)· *λέγεται δὲ τοῦτον πλουτῆσαι* (e coni. Palmerii, l. a. p. 730) *μάλιστα, αἰχμαλώτου τινὸς ἐν τῇ μάχῃ τῶν βαρβάρων προσελθόντος αὐτῷ καὶ μηνύσαντος θησαυρὸν ἐπὶ μισθῷ ὃν καὶ αὐτὸν ὕστερον ἀπέκτεινεν ὁ Καλλίας.* Cuius narrationis apud Herodotum ne vestigium quidem exstat[27]); exstat paullum mutata apud Hesychium et Suidam s. v. *λακκοπλοῦτον,* quorum uterque sine dubio ad comicum spectat, ut ex commentario quodam vocem *λακκοπλοῦτον* explicante aut e lexico comico haec sumpta sint. Haec igitur nihil afferunt ad nostrum locum. Maioris momenti est quod eadem res legitur apud Plutarch. Aristid. cap. 5: *ὧν ἦν Καλλίας ὁ δᾳδοῦχος. τούτῳ γάρ τις, ὡς ἔοικε, τῶν βαρβάρων προσέπεσε οἰηθεὶς βασιλέα διὰ τὴν κόμην καὶ τὸ στρόφιον εἶναι. προσκυνήσας δὲ καὶ λαβόμενος τῆς δεξιᾶς ἔδειξε πολὺν χρυσὸν ἐν λάκκῳ τινὶ κατορωρυγμένον. ὁ δὲ Καλλίας ὠμότατος ἀνθρώπων καὶ παρονομώτατος γενόμενος τὸν μὲν χρυσὸν ἀνείλετο, τὸν δ' ἄνθρωπον, ὡς μὴ κατείποι πρὸς ἑτέρους, ἀπέκτεινεν. ἐκ τούτου φασὶ καὶ λακκοπλοῦτον ὑπὸ τῶν κωμικῶν κτλ.,* quam narrationem

---

[27]) Apud quem quod VI, 122 in capite a recentiore quodam immisso (cf. Steinii edit. maior.) de Calliae secundi victoriis legitur, cave ne cum Petersenio, l. a. p. 39 adn. 1 ad hunc translatum putes, quod facere vel propterea vetamur, quia eum neque semper Olympiae neque ter primam palmam reportasse illic legimus.

cum scholio comparanti, cum Plutarchum ipsum adhibitum esse ne vestigium quidem supersit, immo si probantur quae in cap. I exposui, cogitari non possit eum usurpatum esse, ad eundem fontem quo scholium recedere apparebit, cum et quae de furto Calliae dicta sunt congruant et quae leguntur de eius habitu. Ut igitur recte dicit Muellerus-Struebingius[28]) hanc historiam inventioni deberi, cave ne a Plutarcho eam putes esse inventam. Exstat enim idem apud Aristodem. XIII, 2 (Muellerus, l. a. V p. 15) *καὶ στρατηγὸν αἱροῦνται Καλλίαν τὸν ἐπίκλην Λακκοπλοῦτον, ἐπεὶ θησαυρὸν εὑρὼν ἐν Μαραθῶνι ἀνελόμενος αὐτὸν ἐπλούτησεν.* Hae praeter Suidae et Hesychii locos solae sunt huius rei mentiones. Iam unde haustae sunt? In scholiis de his rebus ad bellum Persicum pertinentibus praeter Herodotum Ephorus consultus est; ab eodem Aristodemum pendere ante exposuimus (cf. p. 320). Plutarchum denique in vita Aristidis Roseius[29]), cum cap. 8—10 ad Ephorum recederet, cap. 1—7, 22, 24 § 4—27 credit usum esse scriptore quodam, qui Panaetii aetate posterior esset et exeunte saec. II a. Chr. n. vixisset, quem propter contemplationes de hominum moribus hic exstantes et cogitationes in universum tendentes peripateticum esse putat; quod quam vanis nitatur argumentis per se apparet, praesertim cum unusquisque statim quaerat, a quo tandem ignotus hic homo pendeat. Immo propter ea quae exposui ad Ephorum totam hanc de Callia narrationem referam, praesertim cum amaverit hic scriptor comoedias in usum vocare.[30])

Denique schol. III Pac. 289 l. 47—50. Iam antea vidimus schol. Pac. 289 fere omnia ad Didymi commentarium recedentia huius grammatici inventioni deberi, nullo libro historico adiuti; unum aliter comparatum est, tertium, quod quamquam et ipsum poëtae verba falso interpretatur necesse est ad bonum fontem recedat. Sunt verba haec: *Δᾶτις τῶν ἐν Μαραθῶνι παραταξαμένων Ἀθηναίοις στρατηγὸς Δαρείου ὅν φασιν ἀντιποιήσασθαι τῆς Ἀττικῆς ὡς ἰδίας. ἀπὸ Μήδου γὰρ τοῦ Μηδείας καὶ Αἰγέως ἐδόκει εἶναι,* quae narratio tam singularis

---

[28]) Cf. l. a. p. 446 adnot.

[29]) Cf. De Plut. Aristid. font., Gotting. 1874, p. 5—9; cf. p. 18.

[30]) Quod exposuit praeter alios Ruehlius, l. a. p. 672.

recurrit apud Diod. l. X excerpt. Vatic.: ὅτι Δᾶτις ὁ τῶν Περσῶν στρατηγός, Μῆδος ὢν τὸ γένος καὶ παρὰ τῶν προγόνων παρειληφὼς ὅτι Μήδου τοῦ συστησαμένου τὴν Μηδίαν Ἀθηναῖοι κατέστησαν ἀπόγονοι, ἀπέστειλε πρὸς τοὺς Ἀθηναίους εἰπεῖν ὡς πάρεστι μετὰ δυνάμεως ἀπαιτήσων τὴν ἀρχὴν τὴν προγονικήν. Μῆδον γὰρ τῶν ἑαυτοῦ προγόνων [πρεσβύτερον Δᾶτιν] γενόμενον ἀφαιρεθῆναι τὴν βασιλείαν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων καὶ παραγενόμενον εἰς τὴν Ἀσίαν κτίσαι τὴν Μηδίαν κτλ.[31]) Iam cum Volquardsenius l. a. probaverit inde a libro XI a Xerxis expeditione initium capiente Ephorum quam latissime adhibitum esse, quid verisimilius est quam libri X quoque quae ad bellum Persicum pertineant ab eodem Ephoro pendere, ut ad Ephorum recurrat etiam scholium, quem saepius de ipsis his rebus Persicis videmus consultum esse? Quae cum ita se habeant, causam quoque cur Medus Atheniensium olim appeteret imperium, nempe quod Aegei et Medeae filius erat — cuius rei apud Diodorum ne vestigium quidem exstat —, ad eundem Ephorum referemus, ut per hoc scholium stet Decharmeii sententia[32]) duo solum inveniri scholia Aristophanea dicentis quibus ipse Apollodorus esset adhibitus (schol. Nub. 1063 et Ran. 1238); nam haec quoque res narratur ab Apollodoro I, 9, 28. 2.

Theopompus Chius (cf. Muellerus, Frg. h. gr. I p. LXV; p. 278 sqq.) in iis scholiis quibus res gestae exhibentur perraro adhibitus est.

Commemoratur: 1) schol. Ach. 6: ἐζημιώθη γὰρ ο Κλέων πέντε τάλαντα διὰ τὸ ὑβρίζειν τοὺς ἱππέας. παρὰ τῶν νησιωτῶν ἔλαβε πέντε τάλαντα ὁ Κλέων ἵνα πείσῃ τοὺς Ἀθηναίους κουφίσαι αὐτοὺς τῆς εἰσφορᾶς. αἰσθανόμενοι δὲ οἱ ἱππεῖς ἀντέλεγον καὶ ἀπῄτησαν αὐτόν. μέμνηται Θεόπομπος. 2) schol. Equit. 266: Θεόπομπος ἐν δεκάτῳ Φιλιππικῶν φησιν ὅτι οἱ ἱππεῖς ἐμίσουν αὐτόν. προπηλακισθεὶς γὰρ ὑπ' αὐτῶν καὶ παροξυνθεὶς ἐπετέθη τῇ πολιτείᾳ καὶ διετέλεσεν αὐτοὺς κακὰ μηχανώμενος. κατηγόρησεν γὰρ αὐτῶν ὡς λειποστρατούντων (cf. Muellerus frg. 101: I, 294), unde

[31]) Praeterea brevis huius rei mentio exstat apud Herod. VI, 94; VII, 62 et Pausan. II, 3, 8.

[32]) Cf. Révue de philologie VIII p. 129. 130.

simul patet Ach. quoque illud scholium e libro decimo et ex illa quidem parte, cui speciatim inscriptum erat „περὶ τῶν δημαγωγῶν“ esse haustum (cf. Muellerus frg. 100). Ad eandem rem pertinent 3) schol. Ach. 8 de quo iam vidimus, 4) schol. Equit. 247, 5) schol. Equit. 630, e poëtae ipsius verbis haurientia, denique 6) hypoth. equit. p. 32 b l. 23: ὁ δὲ χορὸς τῶν ἱππέων ἐστίν, οἳ καὶ ἐζημίωσαν τὸν Κλέωνα πέντε ταλάντοις ἐπὶ δωροδοκίᾳ ἁλόντα, quae verba idem exhibent quod schol. Ach. 6. Habemus igitur duo Theopompi fragmenta; oritur quaestio, quid tandem in his fragmentis dicatur, quousque pertineant. Plerique enim homines docti, inter hos dubitanter Droysenius, Kockius[33]), alii, bona cum fide ea quae scholiastae adnotant ut recte dicta et vere Theopompea acceperunt. Aliter censuit Muellerus-Struebingius[34]), qui quattuor praecipue nititur causis. 1) Cum proprium non sit Aristophanis hominis cuiusdam vitium semel tantum irridere, Cleonem autem a iudicibus largitionis esse invictum nullo alio loco nisi Ach. 6 inveniamus, immo ne ibi quidem inveniamus, ubi quam maxime exspectamus Nub. 581 sqq., omnino verisimile non est eum re vera criminis, cuius hic accusetur, esse convictum. 2) Non potest esse convictus; etenim si quis peculatus convictus erat, aut mortis aut decuplae pecuniae et capitis deminutionis maximae damnabatur. Lex autem, qua minui iuberetur multa aut removeri deminutio, nisi a sex milibus Atheniensium opertis tabulis agentibus permissum erat, ne ferri quidem potuit. Quod factum esse cum nullam habet verisimilitatem, tum, si factum esset, causa omnino non esset, cur gauderet poëta, immo vero aperta clades fuisset

---

[33]) Ille in introduct. vers. germanic.[2] p. 84; hic in introduct. edit.[3] § 23.

[34]) Cf. Aristophan. u. d. histor. Kritik 119 sqq. Singulorum de loco Aristophaneo sententias afferre meum non est; vides breviter eas allatas apud Gilbertum, Beiträge etc. p. 140 adn. 1. Equidem neque M.-Struebingii probo sententiam, cum negem eo tempore iam exstitisse ταμίαν τῆς κοινῆς προσόδου, cuius ante Euclidem ne vestigium quidem apparet, neque quod novissime Luebkeius proposuit, l. a. p. 17; qui cum scholio fidem habeat, id quod poëta narrat v. 5. 6 re vera in scena — in Babyloniorum fabula — putat gestum esse, ut Cleon in scenam inductus equitum opera quinque talenta evomuerit, unde Theopompus historicus rem hauserit.

equitum. 3) Qua vice equites in hac re functi sint non intellegitur: alii putant accusantium, alii iudicum: neutrum quasi collegium facere potuerunt. 4) Denique Theop. fragm. non caret suspicione, cum longe absit ab huius hominis diligentia cum rerum narrandarum tum sermonis iudicialis. Quae cum ita sint, non totum scholium Theopompo tribuendum est, sed solum illud *διὰ τὸ ὑβρίζειν τοὺς ἱππέας* (cf. schol. Equit, 226), nomine hinc falso ad finem totius scholii translato. Quae argumentatio ut falsa ita vera habet. Certo enim puto hominem doctum evinxisse rem talem, qualis hic narretur, omnino actam non esse, qua cum sententia utique consentit Gilbertus, l. a. p. 139. 140; non idem vidit, id quod Dindorfius et Gilbertus indicaverunt, duas hic exstare explicationes falso in unam contractas, alteram *ἐζημιώθη — τοὺς ἱππέας,* alteram *παρὰ τῶν — Θεόπομπος,* quae inter se distincte sunt discernendae. Iam cum posteriore coniungenda ea quae in initio exstant: *ἀπλήστως ἀλλότρια καταφαγὼν ἐξήμεσεν αὐτά· ἀντὶ τοῦ κλέψας καὶ καταπιὼν ἀπέδωκεν,* nam cum hac explicatione congruit Theopompi testimonium. Quibus rebus cognitis simul constat Theopompi nomen ad prius scholium, id quod putavit Muellerus-Struebingius, non posse pertinere, cum hoc nihil sit nisi interpretamentum e poëtae ipsius verbis haustum quod vel patet illo *διὰ τὸ ὑβρίζειν τοὺς ἱππέας,* quo, cum nimis generaliter dictum sit, probatur certi quicquam de hac re non cognitum fuisse scholiastae. Neque maiorem huic rei scientiam fuisse scholiastae ad Ach. 8 iam antea vidimus. Ergo Theopompeum restat *παρὰ τῶν* usque ad finem, sed hoc ipsum esse Theopompi quam maxime negavit homo doctus, quem iam antea dixi recte negasse rem ita potuisse accidere. Dicat quispiam: certe non ita accidit, sed Theopompus fortasse comico ipso usus eam ita accidisse ipse credidit, ipse narravit. Sed tum hunc historicum quem omnes solent laudare nugas egisse crederemus; quas cum pugnent cum institutis Atheniensium ei cognitis certe non egit.[35]) Quae cum intellexisset Gilbertus, l. a. p. 139. 140, ut prius ita hoc scholium autoschediasma esse ratus, nomen Theopompi ab eo qui scholia redegerit

[35]) Comicum Theopompum, id quod aliquis putaverit, non posse intellectum esse, inde patet, quod hic extrema tantum Aristophanis tempora spectasse videtur (cf. Meinekius, Hist. crit. com. graec. p. 230).

propterea putat additum esse, quia e scholio Equit. 226 in memoria teneret locutum esse historicum aliquando de necessitudine quae inter Cleonem et equites intercederet, ut illi *μέμνηται Θεόπομπος* nihil sit tribuendum auctoritatis. Quae explicatio non ab omni parte mihi probatur. Putat Gilbertus eo quod saepius (Vesp. 669, Pac. 644) a sociis Cleon esse corruptus dicatur scholiastam ad hanc explicationem esse commotum; sed numquam causa additur: *ἵνα πείσῃ κτλ.* Accedit quod quomodo factum sit ut Theopompi nomen additum sit nimis artificiose explicatur. Immo cum Theopompus in historiarum libri X ea parte, cui inscriptum erat *περὶ τῶν Ἀθήνησι δημαγωγῶν*, uberrime de demagogis egerit, ut etiam postea videbimus, hinc re vera scientiam quandam hausit scholiastes, sed eam tantum, ut disceret Cleonem saepius ab insularum incolis, Atheniensium stipendiariis, pecuniam accepisse, ut civibus persuaderet ut eorum tributa minuerent, alia omnia, ut saepius fit, e poëtae verbis hausit et quasi ab eodem historico narrarentur addidit. Deinde ea quae de Hyperbolo dicuntur partim e comicis hausta sunt (cf. schol. Ach. 846), quorum ipse indicat scholiastes ad Nub. 457 Hermippum, Pac. 692 Cratinum, Thesm. 808 Platonem (cf. Cobetus l. a. p. 136 sqq.), Ran. 569 Eupolidis Marican; e comoedia quadam haustum etiam schol. Nub. 1065, ubi in fine leguntur *οὗτος — πριαμένους*, quae quomodo cum Gilberto[36]), recte talibus fidem historicam non deberi dicente, soli scholiastae inventioni, poëtam quodammodo in rebus fingendis superantis, attribui possint non intellego. Sed alia quaedam restant quae aliis debentur, ut schol. Vesp. 1007 l. 53 — l. 3 Andocides in usum vocatus est (cf. Lipsius, Andoc. Lips. 1888, frg. 5), cuius cum verbis consentit schol. ad Luc. I p. 58 vs. 5. Pergit scholiastes Aristophaneus: *Θεόπομπος δέ φησι καὶ τὸν νεκρὸν αὐτοῦ καταποντωθῆναι, γράφων ὅτι „ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἓξ ἔτη· ὁ δὲ καταπλεύσας εἰς Σάμον καὶ τὴν οἴκησιν αὐτοῦ ποιησάμενος ἀπέθανε· καὶ τούτου τὸν νεκρὸν εἰς ἀσκὸν ἀγαγόντες εἰς τὸ πέλαγος κατεπόντωσαν“* (Muellerus frg. 103: I p. 294). Quibuscum si comparaveris ea quae in eodem scholio Lucianeo leguntur *Θεόπομπος — πέλαγος*, videbis et scholiastam

---

[36]) Cf. l. a. p. 210.

Aristophaneum e decimo libro Philippicon hausisse et ante ἀπέθανε in fragmento pauca excidisse: nempe ὑπὸ τῶν Ἀθήνηθεν ἐχθρῶν ἐπιβουλευθείς, denique pro τούτου scribendum esse οὗτοι. Quod verum esse vel clarius elucet e fine schol. Pac. 681 l. 20—23, quae ad eundem Theopompum referri iam nemo negabit. Quibus probatis oritur suspicio alia quoque quae in eodem scholio legantur ab eodem Theopompo dependere, nempe l. 8 ὅτι — l. 17 καταλύσειεν. Quod iudicium maxima e parte verum esse probatur alio eiusdem scholii Lucianei loco: ἔστι δὲ τῇ ἀληθείᾳ Χρέμητος (υἱὸς) ὡς Θεόπομπος ἐν τῷ περὶ Δημαγωγῶν. Est autem hic liber de demagogis nihil aliud nisi postrema pars libri decimi Philippicon — non ab omni parte dilucide de hac re egit Muellerus (l. a. I p. LXXI) — qua demagogorum Atheniensium scripsit historiam, ut Athen. IV, 166 d probat: Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ δεκάτῃ τῶν Φιλιππικῶν ἀφ᾽ ἧς τινες τὸ τελευταῖον μέρος χωρίσαντες ἐν ᾧ ἐστι τὰ περὶ Ἀθήνησι δημαγωγῶν . . .[37]) Εὔβουλός φησι. Iam cum videamus et in initio et in fine scholii Theopompi librum X (de demagogis) esse usurpatum, iis autem, quae in medio sint, de demagogia agi Hyperboli, cogimur ut omnia decimo libro Theopompi tribuamus et inseramus ante frg. 102. Praeter hunc l. 18. 19 Thucydidem esse adhibitum iam exposui; nam hunc e verbo a Theopompo esse exscriptum propter insolentius illud αἰσχύνης τῆς πόλεως credi non potest, praesertim cum non alienum esse a scholiastarum sive veterum grammaticorum more iam viderimus plurium sententias coniungere. Ab eodem grammatico quo hoc scholium videtur ortum esse schol. Equit. 1304: ὀξίδες ἃ ἐκάλουν ὀξυβάφεα· λυχνοποιὸς δὲ ὁ Ὑπέρβολος. μετὰ δὲ τὴν ἀποβολὴν τοῦ Κλέωνος εὐθέως ὑπερέβαλεν ὑπὲρ τοῦ Ὑπερβόλου (de quibus cf. Meinekius, H. crit. p. 190)· μετ᾽ αὐτὸν γὰρ ἐπολιτεύσατο, ubi nihil nisi postrema sententia, e Theopompo hausta sive ex altero illo scholio repetita. Nam eum fuisse κεραμέα, cum re vera esset λυχνοποιός, inventioni debetur cuiusdam grammatici (τινές) verborum poëtae (quamquam falso, cf. Kockius ad h. v.) explicandorum gratia prolatae,

[37]) Hiatum in codic. exstare notavit Kaibelius; qui quomodo explendus sit dici non potest: sensus exquiritur hic: „proprio ornant titulo". Cf. Pflugkius, De Theop. Chii vita et scriptis, Berol. 1827, p. 40.

ut non probem id quod exposuit Meinekius l. a.: „neque vero haec repugnant iis quae ceteri de lucernarum fabrica Hyperboli tradiderunt, siquidem figuli et *λυχνοποιοῦ* artes coniunctissimas fuisse docet Philetaerus, Athen. X, 474", sed in scholio scholiastes ea quae de Hyperbolo *κεραμεῖ* exposuit sibi ipsi debet. Denique quae in schol. Equit. 855 de demagogo leguntur, e libro quodam manaverunt, quo de institutis Atheniensibus agebatur, fortasse ex Aristotelis Atheniensium republica, quam in eiusmodi quaestionibus adhibitam esse e scholiis elucet.

Ad Av. 1013 duo habes scholia: I *περὶ τῆς ἐν Λακεδαίμονι ξενηλασίας Θεόπομπος ἐν τῇ τρίτῃ καὶ τριακοστῇ*, alterum *ποτὲ γὰρ ἐκεῖσε* (scr. *ἐκεῖ*; *σε* ex insequenti *σι* ortum) *σιτοδείας γενομένης ξενηλασία γέγονεν ὥς Θεόπομπος ἐν τῇ λς' φησίν*, ubi, cum poëta in universum loquatur de more peregrinorum expellendorum[38]), scholiastes certam posuit expulsionem. Quaeritur utrum rectius sit *λς'* an *λγ'*. Quorum cum Muellerus (frg. 197: I p. 311) hoc, Dindorfius illud probaverit, equidem pauca illa fragmenta consulens, quae e libris XXXII—XXXVIII servata sunt, cum Muellero facio.

Denique afferam schol. Pac. 363, de quo iam dictum est p. 234. Hic satis habeo adnotasse Theopompi[39]) fragmentum, e l. XIII sumptum l. 30—45, a Muellero omissum, cui accedunt Leandri verba e Milesiacorum l. II hausta. Cf. de toto scholio Lenschauius, De rebus Prienens.: Leipz. Stud. XII p. 130—134.

Caput VI.

Hellanicus[1]), qui saepius in quaestionibus mythicis adhibitus est, in iis scholiis quae ad nos pertinent bis commemoratur.

---

[38]) Cf. Xenoph. Resp. Laced. XIV, 4; Thuc. I, 144, 2; II, 39, 1; Plut. Lys. cap. 27; Hermannus, Griech. Staatsalterth. I § 28, 7.

[39]) Sic bene nomen Theophrasti emendavit Prellerus, Polem. perieg. frg. p. 50.

[1]) De quo cf. Prellerus, De Hellanico Lesbio historico: Ausgewählte Aufsätze p. 23 sqq.; Islerus, Jahrbb. f. Phil. CIII p. 115 sqq.;

1) Schol. Ran. 694: *καὶ Πλαταιᾶς· ἀντὶ τοῦ Πλαταιέας· τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους Ἑλλάνικός φησι ἐλευθερωθῆναι καὶ ἐγγραφέντας ὡς Πλαταιεῖς συμπολιτεύσασθαι αὐτοῖς διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ πρὸ Καλλίου*; cf. Muellerus, frg. 80: I p. 56. Fragmentum ipsum non caret difficultatibus. Nam ex Xenoph. Hell. I, 6, 1 *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ᾧ ἡ σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας* (a. d. XVII Kal. Maias 406) constat archonte Callia 406/5 fere mense Septembri evenisse proelium ad Arginusas, cum pridie Kal. Iul. (cf. Ungerus: J. Muelleri Handbuch I p. 589) Antigenes e munere discessisset. Iam vides Hellanicum hoc archonte exponentem *τοὺς συνναυμαχήσαντας κτλ.* Quam difficultatem, qua potissimum Islerus, l. a. p. 116, commotus est, ut crederet apud Hellanicum nihil exstitisse nisi *τοὺς δούλους ἐλευθερωθῆναι* ad Marathoniam pugnam spectans, alia a scholiasta esse addita — quod permire excogitatum est —, Dielsius, l. a. p. 52, bene ita removit, ut historicum, cum de praeparationibus ageret re vera sub archonte Antigene gestis, haec exposuisse credat, ut certe (ut apud Diodorum XIII, 97 *τοὺς βουλομένους συναγωνίσασθαι*) tempus futurum *συνναυμαχήσοντας* exstiterit apud Hellanicum.

2) Schol. Ran. 720: *τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους Ἑλλάνικός*[2]) *φησι χρυσοῦν νόμισμα κοπῆναι. καὶ Φιλόχορος ὁμοίως τὸ ἐκ τῶν χρυσῶν Νικῶν*; cf. Boeckhius, Staatshaushalt I[3] p. 30 et adnot. f; Hultschius, Metrologie[2] p. 223 sqq.

3) Ad eundem potest referri schol. Ran. 33: *ὅτι τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντιγένους περὶ Ἀργίνουσαν ἐνίκων ναυμαχίᾳ οἱ Ἀθηναῖοι συμμαχούντων δούλων — — οὕστινας ἠλευθέρωσαν — ἡ δὲ Ἀργίνουσα πόλις τῆς Αἰολίδος, ἀντικρὺ δὲ Λέσβου κειμένη καὶ Μαλίας καλουμένης ἄκρας*; sed cum postrema fere congruant cum Xenoph. Hell. I, 6, 26. 27: *ἐδειπνοποιεῖτο τῆς Λέσβου ἐπὶ τῇ Μαλέᾳ ἄκρᾳ ἀντίον τῆς Μυτιλήνης· . . . οἱ Ἀθηναῖοι δειπνοποιούμενοι ἐν ταῖς Ἀργινού-*

Dielsius, Mus. Rhen. XXXI p. 49; Wilamowitzius, Herm. XI p. 292; Lipsius, Leipziger Stud. IV p. 153. Ceterum quod ad civitatem attinet contra Islerum probo Kirchhoffii sententiam, Abhandl. d. k. Akad. d. Wissensch. z. Berlin 1873 p. 9.

[2]) Quod bene emendavit praecedente Tyrrwhittio Bentleius, Classical journal XII, 1815, p. 732.

σαις· αὗται δέ εἰσιν ἀντίον τῆς Λέσβου, priora nihil posse probare Dielsius ipse concedit cum dicat ea secundum schol. Ran. 694 esse ficta. Ergo duo restant Hellanici fragmenta ad Antigenis annum pertinentia. Quae maximi momenti sunt quod ad litterarum historiam attinet, cum iis solis certiores fiamus usque ad hoc tempus scripsisse Hellanicum, quem pentecontaetiae quae dicitur auctorem fuisse affert Thuc. I, 97. Quod cum Boeckhius, Bergkius[3]), alii acceperint, primus Dielsius scholiis offensus est. Nititur enim Pamphilae auctoritate apud Gellium N. A. XV, 23: „nam et Hellanicus initio belli Peloponnesiaci fuisse 65 annos natus videtur (cod. N vitiose LXX)", quam rem voluit haustam esse ex Apollodori chronicis, deinde cum Pseudo-Lucianus, Macrob. 22, eum 85 annos vixisse dicat, anno 411 e vita eum putat discessisse, ut certe non scripsisset res anno 407/6 gestas. Tota igitur haec argumentatio unius Pamphilae nititur auctoritate, contra quam habes duo scholiastae aut potius Didymi (cf. p. 238) testimonia. Quae frustra ita studuit removere Dielsius, ut pro Hellanico scriberet Θεόπομπος ἐν Ἑλλανικοῖς (p. 53). Quod recte repudiatum est a Wilamowitzio, l. a. p. 293,[4]) propterea quod neque Theopompi Hellenicorum mentio fit in scholiis neque huius scriptoris est praetorum nomina exponere. Accedit quod Andocidis rhetoris (cf. frg. 78) non propter originis nobilitatem (ἀνήγαγεν αὐτὸν εἰς τοὺς Ὀδυσσέως ἀπογόνους), id quod putavit Dielsius, p. 53, commemoratum esse sed in causa hermocopidarum bene indicavit Wilamowitzius, probavit Lipsius. Restat igitur quod dixi: Didymus bis contra Pamphilam pugnat; pugnat cum ea quodammodo etiam frg. 78. Iam de Thucydidis aetate eodem loco allata eam errasse probavit Kruegerus[5]); deinde hic quoque nisi eam errasse credere vis, quanto facilius fieri potuit ut numerus corrumperetur quam ut propter numerum scholiis fidem deneges? Quam ob rem equidem puto re vera Hellanicum res anno 407/6 gestas narrasse. Sed alius

---

[3]) Ille, Staatshaushalt I[3] p. 329 i, hic Griech. Litteraturgesch. IV p. 240; cf. Muellerus I p. 403.

[4]) Bona cum fide accepit Dielsii argumenta Busoltius, l. a. I p. 21 adn. 3, dicens: „da Diels zeigt, dass frg. 80 aus d. Hellenica d. Theopomp stammt."

[5]) Cf. Untersuch. üb. d. Leben d. Thuc. p. 9.

scrupulus, quem Dielsius indicavit, Wilamowitzius non satis removit, effecit, ut Lipsius putaret hoc scholio, ut in schol. Ran. 720, praeter Hellanicum Philochorum esse adhibitum, quae res indicaretur illo *διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους*. Quo, si recte se harent scholii verba, putavit probari Hellanicum secundum praetores res digessisse, quod cogitari non posse de eo auctore quem de pentecontaetia *βραχέως τε καὶ οὐκ τοῖς χρόνοις ἀκριβῶς* egisse Thucydides narraret. Sed primum quidem etiam scholium Ran. 720 antea allatum, si Lipsii opinionem stare vis, necesse est turbatum haberi, nam si Philochorus solus praetoris nomen praebuit, non intellego, cur eum non ut priorem attulerit scholii auctor. Deinde autem non sequitur ex his scholiis Hellanicum totam historiam secundum archontes temperavisse, immo cum tam pauca fragmenta nobis praesto sint, non est cur Thucydidi diffidamus in pentecontaetia describenda brevitatis et neglegentiae eum insimulanti. Narraverit sane priora tempora brevius, de posterioribus demum fortasse inde ab ipso bello Peloponnesiaco cum ageret maioris diligentiae studiosus et praetorum nomina addens.

Androtion[6]) adhibitus est:

1) Schol. Ach. 234, quod cum turbatum sit paullo accuratius tractabo. Adscriptum est ad *Παλλήναδε* in cod. R *a*) *δέον γὰρ εἰπεῖν ζητεῖν τὸν ἄνδρα καὶ βλέπειν Παλληνικόν, τουτέστι γενναῖον, εἶπε Παλληνάδε*, *b*) *οἱ Παλληνεῖς δῆμός ἐστι τῆς Ἀττικῆς, ἔνθα Πεισιστράτῳ βουλομένῳ τυραννεῖν καὶ Ἀθηναίοις ἀμυνομένοις αὐτὸν συνέστη πόλεμος*, *c*) *ὃ δὲ βούλεται εἰπεῖν τοῦτό ἐστιν· ὁμοίως διακεῖσθαι καὶ τραχέως ἔχειν πρὸς τὸν σπεισάμενον Λακεδαιμονίοις ὡς πάλαι πρὸς Πεισίστρατον τὸν τύραννον, ἡνίκα συνεστήσαμεν ἐν Παλλήνῃ τὴν μάχην*, cum alii codices eum praebeant ordinem, ut primum legatur b, sequatur *συγκέκοπται δὲ ἡ λέξις· τὸ γὰρ ὁλόκληρόν ἐστι Παληναίαδε· ὑπήλλακται δὲ ἡ κυριότης τῆς διανοίας*, deinde *a*, *c*, sequatur *μέμνηται δὲ τούτου καὶ Ἀνδροτίων καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ· ἄλλως*. Iam sequitur alia et ea quidem recta interpretatio l. 22 sqq. Miserrima

[6]) Cf. Siebelis-Lenzius, Philoch. fragm., Lips. 1811; Muellerus I p. LXXXIII et 371.

est conditio scholii usque ad l. 21 et a cod. R, ut saepe fit, mutilata neque ita ut tradita est intellegenda. Nam primum quidem quid sibi vult illud ὁμοίως, quod distinguendi nota post τοῦτό ἐστιν posita in ὠμῶς esse mutandum et sensus docet et Suidas, s. v. Παλληνικὸν βλέπειν fere idem exhibens[7]); deinde autem quomodo id quod legitur l. 16. 17: ὃ δὲ εἰπεῖν βούλεται . . . ὠμῶς . . componi potest cum l. 15: Παλληνικόν· τουτέστι γενναῖον? Immo codic. V et Suidae ordine servato trium in vetere corpore habemus scholiastarum sententiae, quorum I et II ex eodem hauserunt commentario: I οἱ Παλληνεῖς . . . συγκέκοπται — εἶπεν Παλλήναδε, qui ad narrationem de Pisistrato demonstrans Παλλήναδε βλέπειν idem esse ac Παλληνικόν putat ac credit hoc Παλλ. βλέπ. idem esse ac γενναῖον βλέπ.; II ὃ δὲ — πολιτείᾳ, verba significare ὠμῶς βλέπειν putantis, denique III ἄλλως κτλ. unum verum invenientis. Res ipsa cui fides additur ab Herodoto I, 62: ἐς ταὐτὸ συνιόντες ἀπικνέοντο ἐπὶ Παλληνίδος Ἀθηναίης ἱρόν hausta ex Androt. frg. 42: I, 375, ubi melius utrumque scholium exposuisset Muellerus, et Aristotele (cf. Rosius, Arist. frg. no. 393).

2) Schol. Ach. 703; Vesp. 947 (Muellerus frg. 43) et 3) schol. Nub. 549 l. 12. 13. 14 (Muellerus frg. 46), de quibus postea agam.

4) Schol. Av. 13 (cf. p. 225), ex quo hic in censum veniunt verba: πρὸ δὲ ἐτῶν δ'[8]) κακῶς περὶ Μαντίνειαν ἀπήλλαξαν, ὡς καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἀποβαλεῖν Λάχητα καὶ Νικόστρατον καθὰ καὶ Ἀνδροτίων φησί (cf. Muellerus frg. 47; Curtius, Griech. Gesch. II[5] p. 606), denique

5) Schol. Ran. 1422, quod Didymo deberi iam vidimus. Agitur hoc scholio sive his scholiis — nam plura sunt — de ea quaestione utrum Alcibiadis reditum intellexerit poëta, utrum priorem anni 415 an alterum anni 408.[9]) Atque scholium id, quod codicibus excepto R et V exhibetur, l. 35—45, possumus omittere, cum nihil aliud nisi priorum sententias commiscuerit et ineptissime commiscuerit. Restant alia duo scholia ad eun-

---

[7]) Nisi quod initium scholii in pauca contraxit verba; ceterum omnes praeter C codices ὠμῶς exhibent, quod rectum esse probat insequens καὶ τραχέως.

[8]) Ut ex δύο bene correxit Clintonus, F. H. II p. 72.

[9]) Cf. Curtius, II[5] p. 648. 651. 776.

dem Didymi commentarium recedentia, unde, ut saepe fit, alterum hoc, alterum illud rectius transscripsit, prius l. 22—28, alterum 28—34 *Καλλίστρατος — τέσσαρες*[10]), ut quamquam hoc certo dici nequit, haec fere summa fuerit Didymi commentarii: *Καλλίστρατος μέν φησιν ὅτι οὗτος ἦν ὁ καιρὸς καθ' ὃν ἑκὼν ἔφυγεν ὁ Ἀλκιβιάδης. ὁ δὲ Ἀρίσταρχος καθ' ὃν ἐκπεσὼν ἐν Λακεδαίμονι διατρίβων ἔπεισε Λακεδαιμονίους Ἀθηναίοις Δεκέλειαν ἐπιτειχίσαι. τελέως δὲ πταίει. λέγει οὖν περὶ τῆς δευτέρας ἀποχωρήσεως, ἣν ἑκὼν ἔφυγε κατελθὼν μὲν ἐπὶ Ἀντιγένους πρὸ ἐνιαυτοῦ τῶν Βατράχων, διὰ δὲ τὸ πιστεῦσαι Ἀντιόχῳ τῷ κυβερνήτῃ τὸ ναυτικὸν καὶ ἡττηθῆναι ὑπὸ Λυσάνδρου δυσχερανθεὶς ὑπ' Ἀθηναίων. Ἄνδρων δὲ διαφέρεται πρὸς Ξενοφῶντα περὶ τῆς καθόδου. γεγόνασι δὲ Ἀλκιβιάδαι δ'.* Videmus igitur Didymum, cum Callistrati opinionem approbavisset, contra Aristarchum et ipsum alia afferentem ex historia hausta: *κατελθὼν κτλ.*, deinde sequitur *Ἄνδρων δὲ διαφέρεται πρὸς Ξενοφῶντα περὶ τοῦ καθόδου,* qua loquendi ratione primo aspectu sequitur ea quae antea de *καθόδῳ* exposuerit e Xenophontis libris hausta esse, a quo Andron dissensit. Iam quaerentes quam ad rem haec dissensio spectaverit, in chronologia alterum ab altero dissensisse dicemus, cum alter archonte Antigene (93, 2. 407/6) alter alio tempore, sive priore sive posteriore rem evenisse dixerit. De re, quae intellecta esset a grammatico, miram protulit sententiam Breitenbachius[11]), cum Alcibiadem anno 407 iterum Athenis discessisse probare studeret dicens haec: „damit stimmt die Angabe des Schol. zu Arist. Fröschen 1422, dass nach Callistratus die freiwillige Verbannung des Alcibiades unter das Archontat des Antigenes 407/6 fällt“, cum primum ad Didymum, non ad eum, quem exscripsit, Callistratum haec pars scholii referenda sit, deinde autem tantum absit ut fugisse dicatur sub Antigene Alcibiades ut revertisse (*κατελθεῖν*) putetur, qua re demonstratur ad famosum illum Athenas introitum, de quo cf. Xen. Hell. I, 4, 8 sqq. Iam restat ut unde tota res hausta sit quaeratur. Ad Xenophontem demonstrare verba scholii ipsius iam antea vidimus, e Xenophonte etiam

---

[10]) In alterius scholii l. 33 pro *πταίουσι* scribendum *πταίει*, nempe Aristarchus, cum Callistrati sententia statim fere ad verbum afferatur.

[11]) Cf. Jahrbb. f. Phil. CV p. 73.

hausta sunt quae de Antiocho dixit, quae ibi leguntur in Hell. I, 5, 12: *Ἀλκιβιάδης . . . καταλιπὼν ἐπὶ ταῖς ναυσὶν Ἀντίοχον τὸν αὑτοῦ κυβερνήτην κτλ.* Deinde eundem Xenophontem consuluit de tempore reditus, quod ipse indicat *Ἄνδρων κτλ.*, ut illud *κατελθὼν μὲν ἐπὶ Ἀντιγένους πρὸ ἐνιαυτοῦ τ. Β.* aut ad Xenophontem referatur, quod cum insequentia ad hunc auctorem referantur per se verisimilius est, aut ad Andronem. Unde statim evincitur iam Didymum illas archontum aliarumque rerum ad chronologiam pertinentium apud Xenophontem mentiones, quae hodie interpolatae habentur[7]), in textu invenisse. Legitur enim apud Xenophontem quamquam falso Hell. I, 3, 1 *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους . . . ἄρχοντος δ' Ἀντιγένους ἔαρος ἀρχομένου κτλ.*, deinde proximum archontis nomen invenitur I, 6, 1 *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει . . . ἄρχοντος δὲ Καλλίου Ἀθήνησι,* ut is qui non adeo diligenter auctorem legebat, praesertim cum illud *ἀρχομένου τοῦ ἔαρος* I, 4, 2 neglegeret, omnia quae I, 3, 1 usque ad I, 6, 1 narrantur uni eidemque Antigeni potuerit tribuere. Quod vitium cum in se admitteret Didymus, Alcibiadis reditum, I, 5, 11. 12 narratum, Antigeni tribuit, ut omnia quamquam magna e parte falso intellecta e Xenophontis Hellenicis nata sint[13]), a quo Andron dissensit, sine dubio archonte Diocle 409/8 revertisse Alcibiadem demonstrans, quem *ἡμέρᾳ ᾗ Πλυντήρια ἦγεν ἡ πόλις* (i. e. versus finem anni 409/8)[9]) rediisse Xenophon narrat. Sed quis est hic Andron? Habemus Andronem Halicarnassensem[13]), qui scripsit librum cuius titulus fuit „*συγγένειαι*“: quem in vetustissimis temporibus versatum esse et titulus docet et omnia fragmenta, quorum 14 sive 15 ad nos pervenerunt, probant praeter unum schol. Ran. 1422. Quam ob rem per se suspicio nascitur Andronis nomen esse corruptum.

---

12) Cf. Breitenbachius, Hell. ad I, 31 et introd. § 78. 86.

13) Falso ergo Clintono grammaticus Andronem potius quam Xenophontem videtur secutus esse l. a.

14) Cf. Xen., Hell. I, 5. 12, et Breitenbachius ad h. l.; ceterum in scholio cum quanta Antigenis nomini tribuenda sit auctoritas iam constet, re vera differentia de reditus tempore omnino non exstat. Non maiore iure Gerhardius, l. a. p. 38, sic vituperat grammaticum: sed Aristarchi errorem longe superavit eius neglegentia cuius sunt verba, recta falsa mira confundentia: *περὶ τῆς δευτέρας κτλ.*

10) Cf. Muellerus, I p. LXXXI, II p. 346 sqq.

Cui accedit quod neque a Didymo neque a scholiastarum quoquam Andron umquam consultus est, quibus causis equidem commoveor, ut levi vitio corruptum putem Andronis nomen ex Androtione, ut huius novum habeas fragmentum inter 47 et 48 inserendum.

6) De scholio Pac. 347 denique iam antea dixi.

Philochorus[1]) adhibitus est:

1) Schol. Ach. 220 (cf. Suidas s. v. *Λακρατίδης*): *Λακρατίδης ἀρχαῖος ἄρχων Ἀθήνησιν ὡς καὶ Φιλόχορος. ἦρξε δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Δαρείου, ἐφ' οὗ πλείστη χιὼν ἐγένετο, καὶ ἀπέπηξε πάντα ὡς μὴ δύνασθαι προϊέναι. διόπερ τὰ ψυχρὰ πάντα Λακρατίδου ἐκάλουν.* Oritur quaestio, quousque Philochori fragmentum pertineat. Muellerus enim (frg. 83) Siebelisium secutus cum usque ad *ἐκάλουν* sententiam Philochoro tribueret, Strengius[2]) quominus ipsius Philochori narrationem conspiciamus impedimento esse ratus illud *καὶ Φ.* ad Philochorum spectare putat solum: *Λακρατίδης — Φιλόχορος*. Sed primum quidem causa quam affert omnino cadit. Saepe enim in scholiis eiusmodi *καί* additum est, quo hic nihil aliud indicatur nisi praeter Aristophanem ipsum historicum quoque, quem inspexerit Didymus (cf. p. 231), egisse de hoc homine. Deinde autem unde omnino ea hausisse putas Didymum quae de frigore exposuit nisi ab historico?, quae non ita sunt comparata ut poëtae verborum interpretationem contineant a poëta ipso petitam. Accedit quod vix alia re clarus fuit hic praetor nisi summo illo frigore. Quae cum ita sint, non dubito quin falsa sit Strengii opinio: fragmentum, quamquam non ad verbum allatum est, si non ad *ἐκάλουν* certe ad *προΐεναι* tendit.

2) Schol. Ach. 703, ubi scholia, inter se confusa et cum lemmate turbata ita sunt separanda: ad *τῷ* sine dubio olim in archetypo glossa interlinearis *τῷ τρόπῳ*, deinde scholium ad *τῷ τρόπῳ* adscriptum est hoc: *πῶς δίκαιόν ἐστιν ἄνδρα γεγηρακότα ἀντιπολιτευσάμενον Περικλεῖ ἀπολείπεσθαι ἀγριότητι; τοῦτο γὰρ δηλοῖ ἡ Σκυθῶν ἐρημία. λέγει δὲ* (i. e. intellegit, „er meint") *ἀγριότητι*. Deinde cum voci *συνηγόρῳ* superscriptum esset *ῥήτορι*, in textum scholii irrepserunt verba

[1]) Cf. praeter Siebelisium Muellerus I p. LXXXVIII et 371 sqq.; Stiehleius, Philol. VIII, 637 sqq.

[2]) Cf. Quaestiones Philochoreae, Goetting. 1868, p. 47.

partim ad lemma pertinentia: *Κηφισοδήμῳ τῷ λαλῷ ῥήτορι*; ad totum autem adscriptum scholium *οὗτος ὁ Θουκυδίδης Μελησίου παῖς ἦν· γεγόνασι δὲ δ', ὁ ἱστορικός, ὁ Γαργήττιος, ὁ Θετταλός, ὁ Μελησίου παῖς,* quae iterum leguntur in schol. Vesp. 947, ubi tria exstant scholia: I l. 41 — l. 3: *Θουκυδίδην λέγει τὸν Μελησίου Ἀλωπηκῆθεν. τοῦτον δὲ ἐξωστράκισαν Ἀθηναῖοι τὰ ι' ἔτη κατὰ τὸν νόμον.* Sequitur deinde narratio rationis in exilium mittendi. Deinde *ὅτι δὲ ὁ Ἀθηναίων δῆμος ἀειφυγίαν αὐτοῦ καταγνοὺς ἐδήμευσεν τὴν οὐσίαν καὶ πρὸς Ἀρταξέρξην ἧκε φεύγων σαφὲς ποιεῖ Ἰδομενεὺς διὰ τὸ β' τὸν τρόπον τοῦτον.* Sequitur Idomenei Lampsaceni fragmentum (cf. Muellerus, frg. 6: II p. 491). Schol. II l. 3—9: *Θουκυδίδης Μελησίου υἱὸς Περικλεῖ ἀντιπολιτευσάμενος. δ' δέ εἰσι Θουκυδίδαι κτλ.* (cf. Ach. 703, ubi idem exstat) *καὶ οὗτος ῥήτωρ ἄριστος τυγχάνων ὃς κατηγορηθεὶς ἐν τῷ δικάζειν οὐκ ἠδυνήθη ἀπολογήσασθαι ὑπὲρ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὥσπερ ἐγκατεχομένην ἔσχε τὴν γλῶσσαν καὶ οὕτω κατεδικάσθη, εἶτα ἐξωστρακίσθη.* Schol. III l. 9—20: *πρὸς τὴν ἱστορίαν. μήποτε ὁ Περικλεῖ ἀντιπολιτευσάμενος. τοῦτο μὲν Φιλόχορος δὲ ἱστορεῖ, ὃς οὐδὲ πάντη γνώριμος ἐγένετο. ἀλλ' οὐδὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς διὰ τὸ ἐπ' ὀλίγον στρατείας ἀξιωθέντα μετὰ Κλέωνος ἐπὶ Θράκης φυγῇ καταψηφισθῆναι. ἔνιοι δέ, ὧν καὶ Ἀμμώνιος, τοῦ Στεφάνου*[3]) (sc. filium esse intellegendum). *καὶ τοῦτο δὲ ὑπίδοι (ἄν) τις ὥσπερ προείρηται. ὁ γενόμενος ὀστρακισμὸς ἐμφαίνει τὸν Μελησίου καὶ τὸν ὀστρακισθέντα,* deinde fragmentum Theopompi (98: I, 294) Panaetii filium contra Periclem egisse exponentis et Androtionis[4]) (43: p. 376), qui Melesii filium, ut Philochorus, eius adversarium fuisse dixit. Maximam ad partem praecipue schol. II et III a Didymi commentario dependere antea diximus, cum primi scholii auctor praeterea ea quae de ostracismo affert ab eorum aliquo hauserit qui instituta Atheniensium descripserunt, deinde Thucydide cum Themistocle commutato[5]) Idomenei attulit fragmentum. Restant schol. II et

[3]) Schneiderus verba recte distinxit, l. a. p. 94.

[4]) Quem uberius de Thucydidibus egisse docet frg. 44.

[5]) Quod primus vidit Clintonus, F. H. III p. 488, accepit Kruegerus in vit. Thuc., Muellerus fragm. allato, Ribbeckius in edit. fab. p. 242, quamquam Bergkius, Comment. de com. attic. p. 61 duas Thucydidis fugas posuit, quod putavit etiam Sintenis, Plut. Pericl. p. 120·

III, quorum hoc vehementer conturbatum est. Nam primum quidem *διὰ τὸ ἐπ' ὀλίγον — καταψηφισθῆναι* ad solum historicum pertinere posse primo aspectu constat[6]), ut subiectum ad *οὐδὲ παρὰ τοῖς κωμικοῖς*, immo vero ad antecedentia quoque *ἀλλ' οὐδὲ πάντη γνώριμος ἐγένετο* non sit Philochorus, quod sensu carere per se patet, sed *Θουκυδίδης*, nempe historicus. Dicere igitur vult Didymus Thucydidem neque omnino, certe in republica gerenda, innotuisse neque a comicis sive comico derideri.[7]) Iam restat *τοῦτο Φιλόχορος ἱστορεῖ*. Quid tandem? Quod ad solum *μήποτε ὁ Περικλῆς ἀντιπολιτευσάμενος* referri non potest, sed neglegentia scholiastae factum est, ut suprema pars sententiae, quae in altero scholio exstat, hic omitteretur: immo fragmentum Philochori hoc est: *ὁ Περικλεῖ ἀντιπολ., ὃς ἄριστος μὲν — ἐξωστρακίσθη*, praesertim cum unde prior scholiastes ea hauserit omnino non intellegatur. Deinde post Philochori fragmentum excidit sententia, qua alios historicum a poëta intellectum esse grammaticus dicit credidisse, quos refutat dicens *ὃς οὐδὲ κτλ*. Alia huius scholii fere intellegi possunt, cum post *Στεφάνου* talis fere supplenda sit sententia „qui in exilium omnino non missus est", quod persuadent verba insequentia *ὁ γενόμενος ὀστρακισμὸς ἐμφαίνει τὸν Μελησίου καὶ τὸν ὀστρακισθέντα* (nempe historicum), ut de aliis, qui in exilium non missi sint, omnino non possit cogitari.[8])

3) Schol. Vesp. 210: *Φιλόχορος ἐπὶ Ἰσάρχου φησὶ πρὸ*

---

[6]) Cf. Kruegerus, l. a. p. 44 sqq.

[7]) Idem *γνώριμος* legitur in schol. Ran. 133 l. 21: *τοῦτο δὲ γνωριμώτερον ἔχει τὸν νοῦν*. Ceterum eadem fere de Thucydide exstant in vit. Marcellini I, 30: *καὶ ἐπεὶ μὲν ἔζη Ἀρχέλαος, ἄδοξος ἦν ὡς ἐπὶ πλεῖστον, ὡς αὐτὸς Πραξιφάνης φησίν, ὕστερον δὲ δαιμονίως ἐθαυμάσθη*, quae falso ad poëtam Thucydidem relata esse a Kruegero, l. a. p. 61. 62, et Rittero, Mus. Rhen. N. F. III p. 331, docet praeter Gilbertum, Philol. XXXVIII p. 243 sqq. hoc scholium. Quod cum viderimus Didymo deberi cumque Didymo maximam partem vitae I Thuc. esse tribuendam fere consentiant homines docti, quid verisimilius quam eidem deberi § 28—30 huius vitae! Quamquam hoc ipsum negavit Ritterus, l. a. p. 331, sed meum non est de hac re agere.

[8]) De claris illis viris, quibus nomen Thucydides erat, cf. praeter Sintenisium, Bergkium, Ribbeckium Dunckerus, Gesch. d. Altert. N. F. II, p. 3 sqq.; cf. p. 5 adn. 1.

ἐνιαυτοῦ Βρασίδαν ἀποστῆσαι Σκιωναίους τῶν Ἀθηναίων. Ἀθηναίους δέ φασι (omisit V) λ' τριήρεις πρότερον πέμψαντας, Σκιώνην περιτειχίσαι, ὕστερον δὲ μαθόντας ἀποστῆναι αὐτῶν ἀποστεῖλαι στρατὸν καὶ πολιορκῆσαι καὶ ἀποτειχίσαι αὖθις ὡς τὸ πρότερον; sequitur alterum scholium l. 34. 35, quod nihil novi affert (cf. Muellerus, frg. 107: I, 400). Cum scholii priore parte consentit Thuc., qui Scionen defecisse narrat duobus diebus post indutias ἅμα ἦρι anni 423 i. e. arch. Isarcho factas (cf. IV, 120. 122). Sed non recte puto fecisse Muellerum, quod usque ad Ἀθηναίων tantum fragmentum Philochoro dedit. Cui totum usque ad πρότερον debetur. Nam primum quidem unde reliqua sumpta credis? Deinde autem aliqua ex parte — cf. ὕστερον δὲ μαθόντας ἀποστῆναι αὐτῶν — congruunt cum antecedentibus — cf. ἀποστῆσαι Σκιωναίους τ. Ἀ. —, ut haec omnia ad Philochorum pertineant, qui, cum archonte Isarcho defecisse Scionaeos narraret, et quae antea et quae postea evenerint breviter exposuit. φασί igitur aut cum V delendum est aut errore saepius commisso in φησί mutandum.

4) Schol. Vesp. 240 l. 10—15: τοῦτο δέ φησιν ὡς τοῦ Κλέωνος εἰς δίκην ἐπαγαγόντος τὸν Λάχητα. στρατηγῆσαι δὲ αὐτόν φησι Δημήτριος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους[9]) πρὸ τριῶν ἐτῶν εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνοις βοηθήσοντα. οἱ δὲ περὶ Φιλόχορον διαδέξασθαι αὐτόν φασι Σοφοκλέα καὶ Πυθόδωρον οὓς καὶ φυγῇ ζημιωθῆναι (cf. Muellerus, frg. 104). Congruit cum Thuc. III, 115, 2 et IV, 65, 3: cf. Curtius, II[5] 579 sqq. Iam in priore fragmento, ubi post νεῶν numerus videtur excidisse, qui supplendus est aut secundum Thucydidem III, 86, 1 κ' aut secundum Diodorum XII, 53 ν', quod facilius post νεῶν potuit omitti, in hoc fragmento, dico, oritur quaestio, quis fuerit hic Demetrius, qui archonte Eucle Lachetem dixit in Siciliam auxilio missum esse. Estne Phalereus historicus ille et vir rerum publicarum peritissimus, qui scripsit ἀναγραφαὶ ἀρχόντων (cf. Muellerus, II p. 362) an grammaticus? Quam quaestionem ne iterum me tractare necesse sit, statim cum hoc scholio coniungam schol. Ran. 1196: μετ' Ἐρασινίδου | εἰς

---

[9]) Archonte 427/6, cf. Clintonus, F. H. II p. 64; de nomine cf. p. 295 adn. 30.

τῶν περὶ Ἀργίνουσαν (sic R) *στρατηγούντων δυστυχῶς· ἀπέθανε δὲ δημοσίᾳ οὗτός τε καὶ οἱ ὑπομείναντες ... ὥς φησι Φιλόχορος* (cf. Muellerus, frg. 121: I p. 403). *Δημήτριος δέ* (haec et insequentia absunt a cod. R) *φησι περιττότερόν τι γενέσθαι τῷ Ἐρασινίδῃ τὸ καὶ κλοπῆς κατηγορηθῆναι τῶν περὶ Ἑλλήσποντον χρημάτων.* Legitur autem Demetrii nomen decies in scholiis, quorum locorum unus schol. Nub. 37 'de demarchis agens diserte affert Phalerei librum, qui inscribitur „*περὶ νομοθεσίας*", schol. Pac. 123 laudat Demetrium Zenodoteum Av. 1569 Demetrii Ixionis *Ἀττικὰς λέξεις,* alii ad eundem Ixionem referendi sunt[10]), de duobus dubitatur modo allatis Ran. 1196 et Vesp. 240, quia et in argumento historico versantur et iuxta Demetrium Philochorum exhibent. Sed non plane abhorruisse a Demetrio Ixione res historicas tractare, si quidem ad explicandum poëtam necesse esset, probatur scholio Ran. 191, ubi illos qui nominantur *ἕτεροι* Demetrium esse intellegendum demonstravit e Phot. s. v. *κρέας* Staeschius.[11]) Deinde autem ut primum de Ran. 1196 agam, Phalereum in *ἀναγραφαῖς ἀρχόντων* omnino credere nequeo tam accurate egisse de rerum minutiis, sed ea solum attulisse quae maximi essent momenti, cum id praecipue ageret, ut praetores enumeraret. Denique autem rarissime hic liber videtur in usum vocatus esse, cuius tria solum fragmenta nobis servata sunt, duo a Diogene Laertio de Thaletis et Anaxagorae aetate agente, tertium a Marcellino, vit. Thuc. I § 32: *δῆλον ὅτι κάθοδος ἐδόθη τοῖς φεύγουσι, ὡς καὶ Φιλόχορος καὶ Δημήτριος ἐν τοῖς Ἄρχουσι,* ubi equidem vereor ne erraverit Marcellinus et in mente habuerit eius *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας.* Ut igitur schol. Ran. 1156, ita schol. Vesp. 240 Demetrio Phalereo nego esse tribuendum, praesertim cum hic in ea re usus esset hoc historico, quam a Philochoro paulo post adhibito non minus bene posset cognoscere. Immo vero schol. Vesp. 240 totum debetur Philochoro, quem cum Demetrius Ixion de hac re consuluisset, eius nomen apposuit, quod cum postea falso intellegeretur, quasi duorum sententiae inter se separatae sunt. Quibus expositis ut Philochori fragmentum

---

[10]) Cf. Staeschius, l. a. p. 26 sqq., 52 sqq.

[11]) Cf. l. a. p. 26.

[12]) Ixioni etiam Staeschius tribuit scholia, l. a. p. 27.

104 aliquanto auximus, ita apparet, id quod postea in usum nostrum vertemus, Demetrii Phalerei anagraphas archontum a scholiastis non esse adhibitas.

5) Schol. Vesp. 718, ad quem versum duo habes scholia ab eodem (Didymi, cf. p. 226) commentario hausta; cuius verba cum in priore melius servata sint, hoc afferam: . . . *φησὶν οὖν ὁ Φιλόχορος αὖθίς ποτε* (quae verba sensu cassa ex insequenti scholio medicinam sumunt: *αὐθιγενῶν ποτε διακριθέντων*) *τετρακισχιλίους ἑπτακοσίους ἑξήκοντα ὀφθῆναι παρεγγράφους καθάπερ ἐν τῇ προκειμένῃ λέξει δεδήλωται. τὰ περὶ τὴν Εὔβοιαν δύναται καὶ αὐτὰ συνᾴδειν ταῖς διδασκαλίαις. πέρυσι γὰρ ἐπὶ ἄρχοντος Ἰσάρχου ἐστράτευσαν ἐπ᾽ αὐτὴν ὡς Φιλόχορος. μήποτε δὲ περὶ τῆς ἐξ Αἰγύπτου δωρεᾶς ὁ λόγος ἦν Φιλόχορός φησι Ψαμμήτιχον πέμψαι τῷ δήμῳ ἐπὶ Λυσιμαχίδου μυριάδας τρεῖς, πλὴν τὰ τοῦ ἀριθμοῦ οὐδαμῶς συμφωνεῖ, ἑκάστῳ δὲ Ἀθηναίων πέντε μεδίμνους. τοὺς γὰρ λαβόντας γενέσθαι μυρίους τετρακισχιλίους διακοσίους τεσσαράκοντα.* De re cf. Plut. Pericl. XXXVII, 2; Muellerus-Struebingius, Aristophanes etc. p. 94 adn.; Curtius, II^5 p. 267; Busoltius, II p. 572—576; Dunckerus, Abhandl. aus der griech. Gesch. p. 124, et N. F. II p. 99 adn. 1. Ad me pertinet de iis solum agere quae ad Philochori fragmenta spectant (cf. Muellerus 90: I, 398). Cuius duo affert fragmenta Didymus: prius de donatione et de civibus anni 445 (cf. Curtius II^5 p. 267 sqq.), alterum de expeditione in Euboeam facta anno 424 (cf. Curtius, II^5 p. 497 sqq.), unde statim constat eum hoc anno de donatione quadam facta nihil invenisse expositum, cum aliter non necesse habuisset res inter se tanto intervallo distantes conferre. Mirus hic exstat Danckeri error e particula *μήποτε* prave intellecta natus, cum adnotet haec[13]): „der Scholiast bemerkt ganz richtig, dass hier von der Schenkung zur Zeit des Lysimachidas durchaus nicht die Rede sein könne. Er stützt sich darauf, dass die Zahlen nicht stimmten: damals seien auf 30,000 Scheffel 14,240 Empfänger gekommen, nach Aristophanes habe aber die Zuweisung 5 Scheffel betragen.“ Immo Didymus dicit hanc esse intellegendam Psammetichi donationem, nisi quod numeri non ab omni parte convenirent (*πλὴν τὰ τοῦ ἀριθμοῦ οὐδαμῶς συμφωνεῖ*[14])), cum Philochorus 30000 medimnos

14240 dicat civibus data, Aristophanes unicuique quinque.[15]) Praeterea idem Dunckerus mavult erratum esse in Psammetichi nomine indicari ratus Amyrtaeum Aegyptiorum regem, quod nomen in primo scholio Plut. 178 fortasse in textum putat esse recipiendum; sed praeterquam quod illic recte se habere nomen Amasidis antea vidimus, Busoltius l. a. bene probavit causam non esse cur Philochoro diffidamus Psammetichum Libyae regem nominanti. Ergo bene se habent fragmenta.

6) Schol. Pac. 466: *οἰμώζεσθ'· ὅτι μηδὲν αὐτοῖς μέλει τῆς εἰρήνης· ἐπὶ γὰρ Ἀλκαίου*[16]) *σπονδάς φησι γεγονέναι Φιλόχορος πεντηκονταετεῖς Ἀθηναίοις καὶ Λακεδαιμονίοις καὶ τοῖς συμμάχοις πλὴν Βοιωτῶν καὶ Κορινθίων καὶ Ἠλείων* (cf. Muellerus 108: I, 402); cf. Thucyd. V, 17; Diod. XII, 73. Ubi una quaestio oritur, num omnes quos adnotavit Philochorus, cum ageret de pace Niciae, exscripti sint. Nam cum apud Thuc. V, 17, 2 praeter Boeotos, Corinthios, Eleos allatos videamus Megarenses *τοὺς ἄλλους* (sc. praeter Nisaeos: *τούτοις δὲ οὐκ ἤρεσκε τὰ πρασσόμενα*), in Philochori fragmento de his nihil omnino exstat. Dicat quispiam Philochorum non tam arte pressisse Thucydidis vestigia, ut hic Megarenses sine consilio omiserit. Sed cum alia ab eo deprompserit, equidem puto eum de Megarensibus insequenti sententia egisse partem eorum interfuisse paci ostendentem, partem eius expertem fuisse (*τῶν δὲ Μεγαρέων οἱ μὲν Νισαῖοι . . . οἱ δὲ ἄλλοι κτλ.*, ut haec sententia iniuria grammatici omitteretur. Ergo non tota huius rei exstat Philochori narratio.

---

[13]) Cf. l. a. p. 137.

[12]) *οὐδαμῶς* = nullo modo, pro nulla parte. Quae verba quid sibi vellent miram posuit sententiam Siebelis, l. a. p. 51 adn. 68.

[15]) Ceterum *ἑκάστῳ δὲ Ἀθ. π. μ.* postea demum e poëtae verbis in textum illatum esse ad explicanda verba *πλὴν τὰ τοῦ ἀριθμοῦ κτλ.* docet constructio turbata. Poëtam ad plane aliam donationem spectasse docuerunt homines docti allati.

[16]) Sic pro *Ἀλκμαίωνος* recte iam scripsit Petitus, Miscell. I p. 8.

[17]) E quibus affero Heynium, Antiquar. Aufsätze, Leipzig, I p. 190 sqq.; C. O. Muellerum, De Phidiae vita et scriptis, Gotting. 1827, p. 32 sqq.; Brunnium, Geschichte d. griech. Künstler, 1835, I p. 166; Sauppium, Nachrichten v. d. k. Gesellsch. d. Wissensch., Gotting. 1867, p. 173—184; Curtium, Griech. Gesch. II[5] p. 295 et adn. 16; Michaeli-

7) Schol. Pac. 605, de quo permulti iam egerunt[17]), ut, cum longe absit ut ad finem ducta sit quaestio, quod fortasse omnino desperandum est, equidem satis habeam ea afferre, quae ad scholia cognoscenda utique necessaria sunt. Scholia dixi, nam plura in unum confluxerunt non inter se separata. Quod cum primus Sauppius cognovisset, ne is quidem ab omni parte recte rem perspexit, quod, postquam Muellerus-Struebingius, l. a. p. 329, miram de scholii compositione statuit sententiam, Schoellio demum contigit, quamquam ne cum eo quidem plane consentio. Ad quam rem priusquam accedam necesse est emendationem Palmerii afferre, ab omnibus quod vidi praeter unum Muellerum ll. all. acceptam, nempe scribendum esse pro *Πυθοδώρου* l. 30 et 54 *Θεωδώρου,* pro *Σκυθοδώρου* l. 38 *Πυθοδώρου.*[18]) Iam Sauppius de scholii ordine dicit haec p. 181: „da die Begebenheiten 6 Jahre aus einander liegen (nempe Phidiae causa et belli Peloponnesiaci initium), so bemerkt er (Didymus), dass ihm die Verbindung, in welche Aristophanes beide gebracht hat, ungerechtfertigt erscheint. Diese Bemerkung aber des Didymus haben wir in 2 Fassungen neben einander, die zweite beginnt in breiter Ausführung mit dem Worte *λέγουσιν* (l. 44), von der ersten sind nur die beiden Fragmente des Philochorus erhalten." Ubi duplicem errorem in se admisit. Nam primum quidem *λέγουσι* — *γενομένων* (l. 53) quam artissime cum antecedentibus cohaerere et ad totam grammatici argumentationem maxime necessaria esse probavit Schoellius p. 24, ut alterum scholium incipiat ab *ὁ Φειδίας* l. 54.[19]) Deinde autem *τινές* (l. 44) ad

sium, Archaeol. Zeitung 1876 p. 158; Curtium, ibid. 1877 p. 134; Loeschkium, Histor. Untersuch., A. Schäfer gewidm., Bonn. 1882, p. 25 sqq.; Muellerum-Struebingium, Jhrbb. f. Phil. CXXV p. 295 sqq.; Schoellium, l. a. p. 1 sqq.; Muellerum, Frg. h. gr. I p. 400 et V p. 17. 18; alios quosdam quos deinceps afferam. Novissimus accessit Nissenus, Sybelii hist. Zeitschr., N. F. XXVII p. 406 sqq., quam commentationem sero legi.

[18]) Cf. Palmerius, l. a. p. 746; Theodorus archon erat 438/7, Pythodorus 432/31, cf. Clint., F. H. II p. 56. 60. Ceterum non minus bene Sauppius p. 176 pro *ἀπεργάζεσθαι* l. 43 scripsit *ἐπεργάζεσθαι.* Id quoque probo quod Schoellius l. a. p. 22 in eodem versu scripsit *τοῖν θεοῖν,* cum *τὼ θεώ* proprie vocentur deae Eleusiniae.

[19]) Quod probatur cod. V scriptura post *γενομένων* duo puncta ponentis et praeterea olim cum hoc verbo versus finem facientis, cf. Schoellius, p. 21. 22.

poëtam ipsum referre utique vetamur scholiastarum veterum loquendi usu, cum quamvis corrupta ad nos pervenerint scholia, aut poëtae nomen servatum sit aut dictum: λέγει οὖν. Ergo Schoellius putat intelligi: „kritiklose Leser und leichtgläubige Erzähler wie Ephoros und Genossen, welchen der chronologische Widersinn dieser Combination entgegengehalten wird.“ Cui non plane assentior duabus causis commotus. Nam ubicumque τινές in scholiis legitur, interpres quidam Aristophaneus solet intellegi,[20]) deinde autem verba scholii 606 contemplanti magna cum fine huius scholii occurrit similitudo (cf. συνεγνωκέναι τῇ κλοπῇ, ἐργεπιστατεῖν — ἐπιστατῆσαι τῇ κατασκευῇ τοῦ ἀγάλματος, rarius illud ἀπασχοληθέντων et illic ἀπησχολημένοις, εὐθύνας μὴ παράσχειν), ut verisimile sit alterum scholium ab altero pendere. Iam schol. Pac. 606 a 605 propterea non potest natum esse, quia neque grammaticus aliquis credi potest ea fere iisdem verbis referre quae modo tam diserte refutata sunt, neque si eundem putas auctorem 605 et 606, hic tam celeriter opinionem mutavit. Ergo schol. 605 spectat ad 606, ut iam videamus quid sibi velit illud τινές. Didymus enim sive recentior grammaticus cum ad 606 in grammatici cuiusdam commentario talia adscripta videret, haec e Philochori opibus refutavit, ut ad huius scholii auctorem spectet illud τινές. Quae cum constent, restat ut quaeramus unde tandem is grammaticus haec hauserit. Apud Philochorum et Thucydidem nihil exstat; utitur Ephoro qui quid senserit servatum est apud Diodorum XII, 39, 3; Plut. Pericl. 32, 3; Aristodemum XVI, qui, cum miram habeant similitudinem, ad eandem recedant necesse est.[21]) Iam Sauppius primus cognovit duo fragmenta Philochori contineri in scholio primo — nam alterum quod inde transscriptum est iam omittimus —, quod quamquam omnes concedunt, quousque pertineant, magna est dissensio. Homo enim doctissimus, quem secuti sunt Michaelis et Schoellius, putavit ita res procedere: Φιλόχορος ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησι·, iam legitur fragmen-

[20]) Ut schol. Av. 997 l. 25, ubi Didymus intellegitur; cf. Ludwichius, Aristarch's homer. Textkrit. I p. 126 sqq., qui a Didymo et Aristonico τινές ita usurpatum esse multis probavit exemplis.

[21]) De Plutarchi cap. 31 fontibus cf. Sauppius, l. a. p. 13, quem secutus est Ruehlius, l. a. p. 669 et Schoellius, l. a. p. 12. 13.

tum καὶ τὸ ἄγαλμα usque ad τῶν Ἠλείων —, ἐπὶ Πυθοδώρου . . . περὶ Μεγαρέων εἰπὼν, iam alterum fragmentum ὅτι — ἐπεργάζεσθαι i. e. „Philochorus unter dem Archon Theodorus sagt dieses: . ., während er unter Pythodorus über die Megarer sagt: etc.“, quam constructionem violentissimam, immo a grammaticorum usu quam maxime alienam esse unusquisque Curtio[22]) concedet. Sed haec leviora sunt prae ceteris. Etenim cum de secundo fragmento dubitatio esse nequeat, prius maximas movit difficultates, cum ea quae hic de Phidiae rebus a Philochoro narrantur plane contraria sint iis quae Diodorus et Plutarchus narraverunt, unde factum est, ut cum nonnulli (O. Muellerus, Heynius, Brunnius) nullam omnino scholio tribuerent auctoritatem, Curtius usque ad ποιήσαντος Philochori fragmentum referendum esse putaret, cetera a recentiore quodam addita esse, Muellerus-Struebingius et ipse usque ad ποιήσαντος verba Philochoro tribueret, sed cum φυγών mutaret in ἀποφυγών, quod prave intellectum esset, et post Ἠλείων in textum inferret θαυμαζόμενος vel tale quid, haec omnia nata esse arbitraretur ab alio auctore praeter Philochorum in usum vocato. Eum fere sequitur Dunckerus, l. a. N. F. II p. 336 sqq.; cf. adn. 1. Non meum est post Sauppium, Michaelisium, praecipue Schoellium haec singula refutare, praesertim cum quid de Diodori et Plutarchi (Ephori) narratione sit iudicandum Muellerus-Struebingius bene exposuerit. Immo quamquam ad verbum transscriptum esse Philochorum negandum esse puto[23]), ei sunt tribuendae l. 31—38; sed unum restat quod necesse est tractari. Omnes enim Phidiam in Elide in idem incidisse fatum, ut peculatus accusaretur, quin etiam mortis damnaretur, negandum esse putaverunt; unus Wilamowitzius hoc quoque pro vero accepit.[24]) Ad quam rem nihil afferre scholii alterius l. 5. 6: καὶ καταγνωσθεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν νοσφισάμενος ἀνηρέθη bene probavit Schoellius, cum aliis quoque rebus scholii II auctor aut scholium I aut communem fontem, unde utrumque I et II hausit, prave intellegeret (cf. l. 2 τὸ χρυσίον ἐκ τῶν δρακόντων et

[22]) Cf. Arch. Zeitung 1877 p. 134.

[23]) Cf. Muellerus-Struebingius, l. a. p. 326—28.

[24]) Quam opinionem cum protulisset primum Philol. Untersuch. I p. 68, contra Schoellium sustinuit Ind. scholar. Gotting. 1889/90 p. 15. 16.

l 35 τὸν ἐλέφαντα τὸν εἰς τὰς φολίδας; l. 3 ἐζημιώθη φυγῇ et l. 36 φυγών, cf. Sauppius l. a. p. 189), ut hoc scholio nihil probetur nisi auctorem huius scholii iam legisse verba ἀπέθανεν ὑπὸ Ἠλείων. Sed certae exstare videntur causae cur Phidiam illic caesum esse vetemur credere. Quarum nonnullas iam indicavit Sauppius, l. a. p. 193, quas repetere nolim; accedit quod permirum esset quod ne vestigium quidem superesset huius rei in fabulis et narrationibus, quae Olympiae ferebantur. Quam ob rem frustra puto Wilamowitzium niti contra alios homines doctos. Sed quid faciendum verbis ὑπὸ Ἠλείων? Quae ab aliis aliter mutata sunt. Ut Sauppius, l. a. p. 193, putat ea esse quasi repetitionem earum rerum, quae Athenis gestae essent, Schoellius ea e rhetorum scholis esse interpolata, a quibus non alienum esse tales res tractari docet Seneca Controv. VIII, 2 et Anon. Techn. rhetor.: Spengel., Rhet. graec. I p. 455 l. 13, cum alii mutationibus loco medicinam afferre studerent, ut Petersenus legi vult ὑπ' Ἀθηναίων, Brunnius proposuit verba orta esse ex παρὰ (τῶν) Ἠλείων (cf. schol. II l. 4), Muellerus-Struebingius, l. a. p. 336, addidit θαυμαζόμενος sive τιμώμενος, Weberus denique, quod ioci causa afferam, scripsit ὑπ' εἰλεῶν[25]) (an Darmverschlingung). Nihil omnibus numeris absolutum est, et vereor, ut quod ipse afferam, multo verisimilius sit. Nam cum antea viderimus constructionem scholii, quam Sauppius proposuit, alii probaverunt, esse admodum artificiosam, et hanc difficultatem puto removeri et falsum illud ὑπὸ Ἠλείων, si pro his verbis scribis καὶ πάλιν, e quibus si neglegenter legebantur, praesertim cum antea de Eleis sermo fieret, ὑπ' Ἠλείων potuit oriri. Quod iam satis antiquis temporibus factum esse docet alterum scholium. Sententiarum nexum autem iam habes hunc: Φιλόχορος ἐπὶ Θεοδώρου ἄρχοντος ταῦτά φησι .... τοῦτο δὲ ἐξεργασάμενος ἀποθανεῖν, καὶ πάλιν ἐπὶ Πυθοδώρου, περὶ Μ. εἰπών, (sc. φησι) ὅτι καὶ κτλ.

8) Schol. Pac. 665, ubi tria habes scholia: I l. 20—26 Philochori fragmentum praebens ad verbum exscriptum (cf.

[25]) Cf. Petersenus, Arch. Zeitung 1867 p. 23; Brunnius, Sitzungsb. d. kgl. bayer. Akad. phil. Kl. 1878; Weberus, Mus. Rhen. N. F. XLIV p. 307.

Muellerus, frg. 105: I, 401), quod e sententiarum serie sumptum esse probat particula δέ in cod. R (Martin) post Λακεδαιμόνιοι servatum, II ἄλλως — μετά l. 26—28, ubi illud ἐπὶ Κλέωνος ineptiae debetur scholiastae, III μετά l. 28 usque ad finem ad eundem commentarium recedens; nam quae addidit de epistata ter rogante e poëtae verbis hausta sunt, ut iam vidimus. Res praeterea exstat apud Thuc. IV, 15—24, a qua narratione hanc diversam esse ideo dignum est memoria, ut videas non semper hunc historicum tam arte pressisse Thucydidis vestigia. De re cf. Curtius, l. a. II[5] p. 483.

9) Schol. Pac. 475. 477 l. 27—30 et l. 37—40, quae sic possunt restitui: ὡς τῶν Ἀργείων ἐπαμφοτεριζόντων καὶ ἀποκλινόντων, ὁπότε (non μήποτε[26]) δοκοίη αὐτοῖς, καὶ πρὸς Λακεδαιμονίους. διὸ (schol. 475. 477 cod. R: Martin) καὶ ὁ Φιλόχορός φησι πολεμοποιοῦντας πάλιν τοὺς Κορινθίους (πολεμοῦντας πάλιν πρὸς Κορινθίους schol. 475; Muellerus, frg. 109: p. 402 Siebelisium secutus, l. a. p. 60) προλαμβάνεσθαι καὶ τοὺς Ἀργείους. Iam quid sit scribendum Muellerus, qui hic erravit, et Stiehlius, qui vitium non invenit, potuerunt reperire scholio 475 et a Thucydide adiuti. Qui Argivos, cum V, 14, 4 ol. 82/3 pacem cum Lacedaemoniis in triginta annos fecerint, hoc temporis spatio elapso anno 421 cum Eleis et Corinthiis foedus icisse auctor est V, 27—32, cui Mantineenses quoque a Lacedaemoniis pressi accesserunt cap. 33. Iam denuo incipientibus Atheniensium et Lacedaemoniorum discordiis (cap. 42) Athenienses priusquam bellum renovarent (πολεμοποιοῦντες πάλιν) Alcibiade auctore centennale foedus fecerunt cum Argivis, cui accesserunt horum socii Elei et Mantineenses cap. 43—47, non Corinthii, qui artius cum Lacedaemoniis sese coniunxerunt. Haec res a scholiasta e Philochori Atthide affertur, ut videatur hic historicus Thucydidem parum diligenter inspexisse; nam cum antea videret Corinthios cum Argivis foedus icisse, eos vel huic Atheniensium cum Argivis paci accessisse exposuit neglegens alios socios Eleos et Mantineenses, nisi forte hoc postremum vitium a scholiasta historici narrationem non totam exscribente commissum esse mavis. Sed constat non καὶ τοὺς sed καὶ

---

[26]) Quod iam vidit Schneeius, l. a.

πρὸς et πολεμοποιοῦντας esse scribendum. De re cf. Curtius l. a. II⁵ p. 601 sqq.

10) Schol. Pac. 1031, ubi cum priore scholio ad eundem commentarium recedente, quo alterum, Eupolidis verba tantum circumscribantur, altero Philochori fragmentum affertur hoc: . . . τὸν μάντιν Στιλβίδην ὅν φησι Φιλόχορος ἀκολουθῆσαι ἐν Σικιλίᾳ, ἡνίκα ἐπολέμουν Ἀθηναῖοι καὶ εἰς Σικελίαν ἐστράτευσαν (cf. Muellerus 113: I, 402), de qua re eundem Philochorum consuluit Plutarchus Nic. 23: τῷ μέντοι Νικίᾳ συνηνέχθη τότε μηδένα μάντιν ἔχειν ἔμπειρον. ὁ γὰρ συνήθης αὐτοῦ καὶ τὸ πολὺ τῆς δεισιδαιμονίας ἀφαιρῶν Στιλβίδης ἐτεθνήκει μικρὸν ἔμπροσθεν. ἐπεὶ τὸ σημεῖον, ὥς φησι Φιλόχορος φεύγουσιν οὐκ ἦν πονηρόν, ἀλλὰ καὶ πάνυ χρηστόν.

11) Schol. Av. 556 (cf. Suid. s. v. ὁ ἱερὸς πόλεμος, qui scholia in brevius contraxit). Adscripta sunt ad hunc versum scholia duo: I l. 49—2, II l. 2—16, quorum hoc est uberius. Iam si constat ex eodem commentario fluxisse scholia, quod patet ex totius narrationis tenore, cum in utroque et proferatur Φιλόχορος ἐν τῇ δ' et legantur eadem verba: δύο γεγόνασι πόλεμοι ἱεροί, dubium esse non potest quin Βοιωτούς l. 50 quod Lenzius (l. a. p. 50 adn. 67) mutari voluit in Λακεδαιμονίους aut revera mutandum sit aut neglegentia scholiastae natum; nam quam affert Siebelis, l. a. p. 50, et Muellerus, frg. 88: I, 398, ad defendendum Βοιωτούς sententiam scholiastae Thuc. ad I, 111, ea omnino ad haec verba non spectat, sed pertinet ad I, 112, 1 (Schoene).[27]) Deinde bonum habes schol. II e Didymi commentario (cf. p. 232) natum, qui ut interpretum aliquorum (ἐν ἐνίοις τῶν ὑπομνημάτων) sententias refutet ipse Philochori de hoc bello affert narrationem, simul Thucydide et Eratosthene ἐν τῷ θ' et Theopompo ἐν τῷ κα' inspectis. Iam primum quidem recte puto Clausenum intellexisse l. a. p. 50,

[27]) Cadit igitur Clauseni argumentatio, l. a. p. 50, qui inde quod prior scholiastes Boeotos, alter Lacedaemonios nominet, uterque Atheniensium adversarios, putat sequi Philochorum de hostibus tacuisse, sed horum nomina a scholiastis ficta esse. Quod cum factum esse possit, e scholio non sequitur. Confusa esse scholia adnotaverunt Buergelius, Pylaeisch-delphische Amphiktyonie, p. 178 adn. 1, et Busoltius, l. a. II p. 545 adn. 2, confusionem non explicantes.

quod bellum a τῶν ὑπομνημάτων τινῶν auctoribus — de quibus quod attulit M. Schmidtius, l. a. p. 288. 289 nostra sententia Didymo hoc scholium tribuente confirmatur — indicatum esset, nempe primum quod dicitur bellum sacrum ab Atheniensibus contra Cirrhaeos et Crisaeos (i. e. Phocienses) gestum (cf. Dunckerus, l. a. VI p. 80. 150). Contra quam sententiam sese convertit Didymus. Qui ipse usus historicis allatis unum in se admisit vitium ut tribus annis intermissis duo bella gesta esse putaret, cum et Thuc. I, 112, 3 (quo usus est etiam Aristodem. XIV) et Plut. Pericl. 21, ad alium auctorem recedens, dicant statim post Lacedaemonios domum profectos Athenienses irrupisse, quod comprobatum est a nostrae aetatis historicis; cf. Dunckerus, l. a. N. F. II p. 56 sqq. Quem puto in ea re erravisse quod p. 57 adn. 1 dicit: „Philochoros, welcher den Zug des Pericles in das dritte Jahr nach dem Zuge der Lacedaemonier legt (schol. Av. 556)", quod equidem non minus quam quod contra Lacedaemonios Pericles dicitur profectus esse, non tam Philochoro quam Didymi neglegentiae tribuam, quae unde orta esset bene explicavit Clintonus, F. H. II p. 258 m, quem secutus est Muellerus V p. 14 adnot. Memoriae enim lapsu deceptus, id quod apud Thucydidem legitur I, 112, 1: ὕστερον δὲ διαλιπόντων γ' ἐτῶν, falso huc transtulit. Deinde quod legitur de promantia, recurrit apud Plut. l. a. Denique ut recte dicit Muellerus Theopompum locutum esse de hoc bello sacro, cum bellum sacrum tertium eius memoriam revocandi occasionem praeberet, ita pro Ἐρατοσθένης scribere mavult Καλλισθένης, quem constat scripsisse librum περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου nempe tertio, quam opinionem probavit Busoltius, l. a. II p. 545 adn. 2. Et esset certe probanda, si sciremus, quid tandem Eratosthenes de hoc bello attulisse diceretur, sed cum neque num hic fortasse de solo eius tempore locutus sit, quod factum esse verisimile est in chronographia, cognitum habeamus, neque de Callisthenis libro „περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου", cuius hic nonus affertur liber, quicquam comperiamus, equidem non audeo homines doctos sequi.

---

[28]) E quibus afferam Forchhammerum, Topogr. v. Athen: Kieler philol. Stud. I p. 343; Sauppium, Progr. Isenac. 1846 p. 18. 19; Lollingium, Nachrichten d. Götting. Gesellsch. der Wissensch. 1873, p. 469; Wachsmuthium, Stadt Athen I p. 179. 349; Wilamowitzium, Philol.

12) Schol. Av. 766, de quo dictum est in cap. II.

13) Schol. Av. 997 l. 16—40, sive cum alterum scholium ab eodem commentario dependeat l. 16—35. Permulti[28]) de hoc scholio egerunt; nihilominus non omnibus numerus absolutum est. Habemus autem amplissimam Didymi — ad hunc enim spectare illud *τίνας* l. 26 docet *μήποτε* illud l. 25 (cf. p. 226) — sententiam ab alio, Symmacho ut mihi videtur, allatam et refutatam. Habuit Didymus in commentario haec: Callistratus Coloni eius esse anathema aliquod dixit, Euphronius ipsum esse Coloneum; sed ut hoc propter Philochorum, qui eum Leuconoensem dicit (cf. Muellerus, frg. 99: I p. 400), falsum est, ita Callistrati dilucidum: erat enim fortasse etiam Coloni anathema. Quamquam Philochorus narrat eum non Coloni posuisse anathema, sed in ecclesia. Ergo (*μήποτε*) videtur totus ille locus alter Colonus esse qui Misthius vocatur. Iam incipit alter grammaticus: Id falsum est, Nam totus ille locus Melite est, ut *ἐν τοῖς ὁρισμοῖς τῆς πόλεως*[29]) scriptum est. Iam ipse (Symmachus) aliam affert sententiam Phrynichi Monotropo adiutus (Kockius I p. 376, 26). Sed quid de verbis l. 28: *οὕτως μέρος — στοᾶς* (l. 29) iudicandum? Quae ab altero grammatico orta esse et parentheseos instar habenda solus cognovit et claris verbis enuntiavit Lollingius p. 469; inserviunt autem explicando ubi nam sit *ὁ ἕτερος Κολωνὸς ὁ Μίσθιος*, et veram esse hanc Lollingii sententiam probatur etiam addita particula *νῦν*. Sed quomodo intellegenda sunt verba l. 25 sqq.: *μήποτε οὖν τὸ χωρίον ἐκεῖνο πᾶν ᾧ περιλαμβάνεται*[30]) *καὶ ἡ Πνὺξ Κολωνός ἐστιν ὁ ἕτερος ὁ μίσθιος* (e Meursii coniectura pro *μίσθος*) *λεγόμενος·*[31]) *οὕτως* — a quo verbo incipit parenthesis — *μέρος τι νῦν σύνηθες γέγονεν τὸ Κολωνὸν καλεῖν τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς στοᾶς*? Quae quamquam accepta sunt a Forchhammero et Lollingio, aperte corrupta sunt. Nam cum clare eluceat scholii tenorem esse sobrium, scholium

Untersuch. I p. 167; Clausenum, l. a. p. 32; Milchhoeferum: Baumeisteri Denkmäler p. 151.

[29]) Prellerus, l. a. p. 175, has fuisse columellas terminales putat, quales adhuc inveniuntur, cf. C. I. A. I, 497. 500. 501; sed equidem M. Schmidtio, Did. frg. 354, Meiero, Ind. lect. Hal. 1843/44 p. 63, Wachsmuthio, Wilamowitzio assentior librum hunc intellegi putantibus (*ὁρισμοὶ τῆς πόλεως*), e columellis descriptum et commentario illustratum

ipsum non esse in brevius contractum, sed fere, ut in Symmachi commentario exstitit, servatum, plane absurdum est dicere *οὕτως μέρος τι σύνηθες γέγονεν τὸ Κολωνὸν καλεῖν*. Quod cum intellexisset Sauppius proposuit *οὗ μέρος τ. ν. σ. γέγονε Κολωνὸν καλεῖν τὸ ὀ. τ. μ. στ.*, quod utique probaverunt Wachsmuthius, l. a. p. 179, adn. 3, et Wilamowitzius, vertentes: „von dem jetzt nur ein Teil Kolonos genannt zu werden pflegt, nämlich der hinter der langen Halle.“ Sed ne hoc quidem verum est, cum illud *οὗ* secundum scholii verba nisi ad *Κολωνὸς ὁ μίσθιος λεγόμενος* referri non possit, quod homines docti in universum ad Colonum voluerunt referri. Immo ita verba sunt emendanda. Dicit Didymus: ergo totus hic locus est alter Colonus qui Misthius dicitur (oppositus) Col. Hippio). Iam sequitur alterius (Symmachi) explicatio et restrictio: *οὕτως μέρος τι νῦν σύνηθες γέγονε τοῦ Κολωνοῦ καλεῖν τὸ ὄπισθεν τῆς μακρᾶς* i. e. ita (nempe Colonum Misthium) nunc in usum venit partem tantum Coloni vocare, eam quae post longam porticum est, quae mutatio et facilior est quam Sauppii et difficultates removet. Ut enim Dittenbergerus duos, Koehlerus[31]) tres iam initio saec. IV fuisse Colonos enucleaverunt, ita Milchhoeferus non inepte conclusit eos contiguos fuisse ut una regio communi nomine Coloni affecta, usque in urbem tendens, in tres divideretur pagos. Cui sententiae hoc scholium favet.

14) Schol. Lys. 173: *καὶ γὰρ ἀληθῶς (παρὰ τῇ θεῷ ἐν τῇ ἀκροπόλει) ἀπέκειτο χίλια τάλαντα. ἤρξαντο οὖν κινεῖν αὐτὰ ἐπὶ Καλλίου ἄρχοντος . . . ὥς φησι Φιλόχορος ἐν Ἀτθίδι*, a quo consultum esse Thuc. VIII, 15, 1 *τὰ χίλια τάλαντα . . . ἐψηφίσαντο κινεῖν* probat vox *κινεῖν*. Cf. praeterea Suid. s. v. *ἄβυσσος* et de talentis Thuc. II, 24 et Boeckhius, Staatshaushalt I² p. 590 sqq.

---

[30]) Quae coniectura Dobreei, l. a. II p. 222, pro corrupto *ἐκεῖνο ἐπάνω παραλ.* praeferenda est propter oppositionem („non solum pars illa, quae fere hoc nomen habet") ei quam Forchhammerus proposuit, l. a. p. 344. 117, *ἐπάνω ᾧ παραλαμβάνεται.*

[31]) Pro *ὁ* Dobreeus falso *οὗ* proposuit. De Colono Misthio cf. Argum. II Oed. Colon.; Pollux VII, 132; Harpocr. s. v. *κολωνίτας*.

[32]) Cf. Koehlerus, Mittheilung. d. athen. archäol. Instit. IV p. 97; Dittenbergerus, Herm. IX p. 403.

15) Schol. Lys. 1094, cf. p. 305.

16) Schol. Lys. 1138: *ταῦτα καὶ οἱ συντεταχότας τὰς Ἀτθίδας ἱστοροῦσι περὶ τῶν Λακεδαιμονίων* (nempe Periclidem supplicem venisse Athenas). *ὁ δὲ Φιλόχορός φησι καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοὺς Ἀθηναίους λαβεῖν διὰ τὰς κατασχούσας τὴν Λακεδαίμονα συμφοράς*, quod fragmentum, ut iam Stiehlius l. a. p. 638 adnotat, a Siebelisio et Muellero plane omissum est. Res ipsa non ad hunc terrae motum anno 464, ut postea videbimus, factum potest pertinere, cum tunc Athenienses principatum iam tenerent, de qua re cf. Thuc. I, 95. 118. Apud illum etiam non proelio victi Lacedaemonii amiserunt principatum sed *ὄντες μὲν καὶ πρὸ τοῦ μὴ ταχεῖς ἰέναι ἐς τοὺς πολέμους, εἰ μὴ ἀναγκάζοντο, τὸ δέ τι καὶ πολέμοις οἰκείοις ἐξειργόμενοι.* Eiusdem sententiae erat Philochorus, cuius fragmentum haustum est e libro III et inserendum ante 86 (M.). Ceterum hoc Philochori testimonium potuit praeter alia afferre Dunckerus, l. a. N. F. I p. 72 sqq.

17) Schol. Ran. 720, cf. p. 330.

18) Schol. Eccl. 193 cod. V: *περὶ δὲ τοῦ συμμαχικοῦ Φιλόχορος ἱστορεῖ ὅτι πρὸ δύο ἐτῶν ἐγένετο συμμαχία Λακεδαιμονίων καὶ Βοιωτῶν* (cf. Muellerus, frg. 125: I, 404). Permulta[33]) de hoc scholio dicta sunt, cum unum contineat strictam quandam mentionem, qua quo anno Ecclesiazuson fabula docta sit appareat. Sed utinam certius appareret! Profecto non exstarent tot hominum doctorum sententiae, ut unicuique annorum 392 usque ad 389 fabula adscripta sit. Quae cum singula tractare a proposito abhorreat, ea tantum afferam quae utique necessaria sunt ad scholium cognoscendum. Et primum quidem omnes consentiunt Petitum esse sequendum[34]) qui sensu cassum illud *Λακεδαιμονίων* mutavit in *Ἀθηναίων*; deinde autem recte sensit magis quam probavit Palmerius Philochorum ipsum in Atticis non notasse quibus annis fabulas docuisset Aristophanes, quod contra Bodium[35]) probaverunt Goetzius, l. a. II, 336 et Kaeh-

[33]) Cf. Tschorzewskius, opusc. postuma, ed. Struvius 1836 p. 116; Goetzius, Act. soc. phil. Lips. II p. 336 sqq.; VI, 340 sqq.; Velsenus: Leutschii Indic. Phil. VI, 393; Kaehlerus, De eccles. temp. et choro. Kiel 1889.

[34]) Cf. Miscellanea I cap. 15.

lerus, l. a. p. 9 adnot. 32. Immo vetus grammaticus cum e didascalia cognovisset, quo praetore fabula docta esset, cumque a Philochoro certior factus esset quo praetore foedus ictum esset, iam hic quot annis ab illo distaret apud eundem quaesivit. Quam ob rem ubi primum quo praetore foedus illud factum esset inveneris, tempus fabulae videtur esse constitutum. Sed iam incipiunt difficultates. Alii enim omnes homines docti quod vidi non solum qui de hoc scholio egerunt, sed etiam historici[36]), cum et foedus illud et proelium ad Haliartum factum archonti Diophanto tribuerent (96/2; 395/4), Kaehlerus, l. a. p. 8, utramque rem ad archontem Phormionem transtulit, quem secutus est Diophantus una cum ol. 96/2, quam initium fecisse a. d. V Kal. Sextil. docuit Ungerus (Muelleri Handbuch I p. 589). Qua in re, cum ante pugnam societatem esse factam bene probet usus Xenoph. Hell. III, 5, 7; cf. III, 5, 16, et Lys. XVI, 13 sqq., secutus est solum Diodorum. Qui cum XIV, 81 sub praetore Phormione agat de legatis Athenas missis et Haliarto capta, cap. 82 sub archonte Diophanto affert foedus Boeotorum et Atheniensium, quibus accessissent Corinthii et Argivi. Iam hoc recte vidit Kaehlerus Diodorum confudisse res gestas, quae revera ita evenissent, ut inter Boeotos et Athenienses iam ante pugnam foedus fieret, Corinthii autem et Argivi post Lysandri cladem atque mortem adsciscerentur. Sed quamquam hanc confusionem intellexit, quamquam constat Diodorum saepe idem bis narrasse et non raro in temporis ratione errasse, tantum tribuit huic historico, ut secundum eum archonti Phormioni duas illas res daret contra Plutarchi auctoritatem qui habet haec, Lys. 29: *λέγεται . . . γενέσθαι χρησμὸν ἅμα τήν τε πρὸς Δηλίῳ μάχην καὶ τὴν πρὸς Ἁλιάρτῳ ταύτην ἐκείνης ὕστερον ἔτει τριακοστῇ γενομένην προμηνύοντα,* quo loco cum proelium ad Delium factum sit 424 = ol. 89/1 (cf. Curtius l. a. II⁵ p. 497), deducimur ad ol. 96/2. Cui rei accedit, quod is qui accurate perlegerit Xenophontem, a quo Philochorum in his rebus dissensisse ipse negat Kaehlerus, p. 5. 7, ad eundem Diophantum perveniet (cf. Hellen. III, 5, 3, ubi quae narrantur, antecedentia iis

---

[35]) Histor. poës. dramat. Graec. III, 1 p. 364, 4.

[36]) Cf. Koehlerus, Herm. V p. 1; Curtius, l. a. III⁵ p. 172.

de quibus nos agimus, fiunt iam autumno 395, cf. Breitenbachius). In hac igitur re aperte erravit Kaehlerus, quamquam hic error ad ecclesiacuson tempus constituendum non est magni momenti. Ad quod cum revertimur, clara res iam nunc videtur; nempe cum Diophanto praetore foedus factum sit 96/2 = 395/4, quid probabilius est quam lenaeis (cf. Kaehlerus, l. a. p. 5) 392 = 96/4 fabulam doctam esse, qua in sententia plerique homines docti acquieverunt, quos enumerant Goetzius, p. 335 adn. 2, et Kaehlerus, p. 4 adn. 14? Sed cum primus Palmerius in dubitationem vocaverit scholium, Tschorzewskius δύο ex δ′ corruptum esse ratus ad 390/89 pervenit, ad eundem annum alia ratione usus Goetzius, qui hoc mihi primus videtur certo probasse falsum esse ad ol. 96/4 referri fabulam, id quod probavit etiam Velsenus. Quem recte puto fecisse, quod certum annum, quem enucleavit Goetzius, refutavit, ut cum ante Plutum (ol. 97/4) in scenam commissa sit fabula restet sola ol. 97/1 aut 2 (lenaeis 391 aut 90). E quibus temporibus Kaehlerus summa cum probabilitate (cf. p. 20—24) ol. 97/2 mihi videtur accepisse, quam sententiam ante eum indicavit Velsenus l. a. p. 395. Quae si recte se habent, altero quoque vitio — et iam cur haec omnia egerim vides — scholii verba corrupta sunt. Scribendum enim δ′ pro δύο (cf. schol. Av. 13), cum Diophantus esset ante Nicotelem (391/90) quartus. At dicat quispiam: negavit Kaehlerus foedus factum esse hoc archonte. Num stare potest calculus? Certe stat. Nam hic illic vidimus in scholiis rerum gestarum tempus ita esse fixum, ut solum ii praetores numerati sint, quorum anni toti expleti erant, omisso et primo et extremo (cf. schol. Vesp. 240; Pac. 990), quem calculum huc transtulit Kaehlerus. Sed hoc unusquisque concedet, si altero calculo uti possumus, eo utique esse utendum, ut cum iam viderimus archonte Diophanto foedus esse factum iam paullo melius puto rem procedere.

19) Schol. Plut. 1146, ubi tria habes scholia: I l. 44 — l. 5, II l. 6 — 15, III l. 16 — 36, quorum postremum recentissimum esse et inde patet quod abest a V et usu vocabuli ὄπισθεν ad locum antecedentem schol. Plut. 550 l. 3—10 ostendentis, quem usum a Byzantinis demum adhibitum esse probavit Lehrsius.[37]) Iam restant alia duo scholia ad eundem fontem recedentia, cuius

verba in I melius servata sunt: ὅτι μετὰ τὸ κατελθεῖν τοὺς μετὰ Θρασυβούλου Φυλὴν καταλαβόντας καὶ νικήσαντας ἐν Πειραιεῖ τοὺς λ' ψηφίσασθαι ἔδοξε μὴ μνησικακῆσαι καθάπαξ ἀλλήλοις μηδὲν τοὺς πολίτας. ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο οὐδὲ τὰ ἐπὶ τῶν λ' ἤδη ἦν, ἀλλὰ καὶ ὡς (ὡς deest in V) Φιλόχορός φησιν πέμπτῳ ἔτει ὕστερον τῆς Θρασυβούλου γενομένης (Θ Ald.: μάχεται μετὰ Θρασυβούλου γενομένου ἦ; Θ: γενομένους) Κριτίας ἐν Πειραεῖ τελευτᾷ. τοῦτο οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἔνθαδε ὀλιγορῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης ἢ καὶ αὐτὸς ὁ ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι . . . (cf. Muellerus frg. 122: I p. 403. 404). Iam cum usque ad l. 50 ἤδη ἦν luce omnia clariora sint — nam, id quod iam Hemsterhusius indicavit ed. Plut. p. 438, cum Plutus doceretur archonte Antipatro 389/88, Thrasybulus autem surgeret 404/3, bene se habent πέμπτῳ ἔτει ὕστερον —, quaeritur, quomodo sananda sint verba: ἀλλὰ — τελευτᾷ, quae verba sanaturis hoc tenendum scholiastam praesumpsisse unumquemque scire in ipso illo proelio Piraeensi mortuum esse Critiam (cf. Xen. Hell. II, 4, 2 sqq.; Nep. Thrasyb. 2; Diod. XIV, 32), deinde τῆς Θρασυβούλου γενομένης quamquam corrupta sint verba esse genetivum absolutum facile ita explendum, ut addatur quod Θ et Ald. docent: μάχης, ut haec sit sententia: quinto anno post Plutum cum proelium illud Thrasybuli fieret Critias mortuus est. Cadit igitur quod Hemsterhusius proposuit ἀλλὰ καὶ ὡς Φ. φ. πέμπτῳ ἔ. ὕ. μάχη τῶν μετὰ Θρασυβούλου γενομένη ἦν, ᾗ Κριτίας ἐ. Π. τ., cadit etiam quod Muellerus voluit μάχη τοῖς μετὰ Θ. ἦν et quod Dukerus proposuit μάχεται μετὰ Θρ. ἐν Πειραιεῖ γενομένου ὁ Κριτίας καὶ τ.; immo ita verba sunt restituenda: ἀλλὰ καί, ὡς Φιλόχορός φησι — nisi mavis ἀλλὰ ὡς καὶ Φ. φ. — πέμπτῳ ἔτει ὕστερον, μάχης τῆς Θρασυβούλου γενομένης, Κριτίας ἐν Πειραιεῖ τε-

[37]) Qui in libro „Die Pindarscholien" p. 81. 101. 102 Triclinio et rarius Moschopulo talem vocis usum tribuit, cum Zacherus, l. a. p. 615, Thomae Magistro propriam esse hanc vocem dicat: est ergo usus Byzantinus.

[38]) Quod fere invenit iam Dindorfius, scribens ὕστερον μάχης γενομένης deleto Θρασυβούλου, et Ludwigius, l. a. p. 66, qui proposuit νίκης.

λευτᾷ.[38]) Quibus expositis ne illud quidem dubitari potest quin non solum haec verba, quibus Philochori nomen appositum est, huic historico debeantur, sed totum scholium ad eum recedat.

Haec sunt ea fragmenta, quae nomine auctorum ornata sunt. Quae vel leviter perstringenti fere omnia unum habere commune videntur quod prae se ferunt archontis nomen aut quo anno res evenerit indicatur. Nam haec erat omnium Atthidum condicio ut annalium instar quo quaeque res praetore evenisset adnotarent. Quam ob rem ea quoque scholia quae restant non pauca, quibus tale quid videmus contingere, uni ex Atthidum scriptoribus tribuemus. Quamquam non omnia huiusmodi scholia huc spectant, cum hic illic accidat, ut ab ipsis scholiastis tempus inventum sit, quod factum vidimus in schol. Equ. 237, Nub. 210, schol. II Av. 186, Thesm. 804, schol. II Plut. 173. Sed alia restant scholia, quae re vera ex atthidographi alicuius libro hausta esse docent et res narratae et certa temporis notio. Quorum fontem inquisituri, possumus rem paullo strictius distinguere quam Ungerus qui de scholio Lys. 1144 agens[39]) cum Clitodemum excipiat, numquam in scholiis consultum, rem Philochoro aut Androtioni aut Phanodemo tribui posse dicit, quibus nos quintum addere possumus Hellanicum, cum vel hunc archontum nomina hic illic narrationi anteposuisse verisimile fecerimus. Sed rem accuratius tractantes Demonem statim eadem causa commoti excludemus qua Ungerus Clitodemum, quia numquam a scholiastis, vel potius, ut nos confidentius dicere possumus de scholiis bonam historiae cognitionem praebentibus, a Didymo grammatico in usum vocatus est. Qui ut in schol. Av. 301 et Pac. 439 Demonis librum περὶ παροιμιῶν[40]), non Atthidem consuluit, ita etiam in schol. Plut. 1002 proverbia Demonis a Didymo consulta sunt quod scholium cum adhuc nondum bene cognitum sit paullo accuratius tractabo.[41]) Ad interpretanda enim poëtae verba πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι hic ha-

---

[39]) Cf. Philol. XLI p. 100 sqq.

[40]) Cf. Muellerus, Frg. h. gr. I p. LXXXIII et p. 379, et Crusius, l. a. append. I p. 132 sqq., quamquam hic saepe rem paullo audacius egit.

[41]) Egerunt de hoc scholio Muellerus, l. a. I p. 380: frg. 10; Wolffius, Porphyrii etc. reliquiae, Berl. 1856, p. 74; Pomptowius, Quaestionum de oracul. cap. sel., Berl. 1881, p. 11 sqq.

bemus quattuor scholia, quintum ad Plut. 1075. Et primum quidem quod illic legitur: τινὲς τοῖς Κυπρίοις φασὶ τοῦτο ῥηθῆναι βουλομένοις ἔχειν Μιλησίους (sic cod. R: Martin) συμμάχους, cum vix putem veterem interpretem, qui fere septuaginta versibus ante uberrime hoc proverbium explicaverat, iterum in ea re versatum esse et ita quidem versatum, ut sententiam mutaret, sed scholiastae alicui hanc iterationem deberi ex eodem fonte quo schol. 1002 haustam, hoc scholio nihil aliud arbitror contineri, nisi scholii II ad Plut. 1002 brevem adumbrationem, ut falso hic sive scholiastae errore sive librarii vitio pro Καρσί Κυπρίοις in textum putem irrepsisse, quod simulatque terminatio οις compendio scripta fuit facile fieri posse nemo negabit.[41]) Restant ergo Plut. 1002 scholia quattuor, quorum tertium l. 40 usque ad finem recte putavit Hemsterhusius (edit. Plut.) Byzantinum sapere, ut hoc sine dubio a vetere corpore afuerit; ficta esse quae in scholio dicerentur Pomptowius quoque cognovit l. a. p. 15 adn. 21. Iam supersunt haec: I l. 5—11 πάλαι — ἦσαν ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι et l. 37—39 ἀντί — ἀτυχούντων, quod solum codice R servatum est, quem, qui interpretamentis ornavit, hic ut saepe uno scholio contentus erat; II ἄλλως — φασί l. 13—32 Demonis fragmentum, III ἄλλως — ἀτυχούντων l. 34. 39. Paroemiographis quae cum scholiis sit necessitudo, id quod frustra studuit explicare Pomptowius, l. a. p. 16 adn. 22, iam antea vidimus; probant, schol. II et III a Didymi commentario dependere, unde alter scholiastes fragmentum solum exscripsit, alter omnia in breve contraxit. Quin re vera Didymus hunc versum in carmine quodam Anacreontis sive Anacreonti attributo invenerit causa non est cur dubitemus, quamquam recte dicit Bergkius[43]) exstitisse sine dubio apud Anacreontem ποκ' pro ποτ'; sed hac de re postea videbimus; iam ad Demonis fragmentum accedamus. Eadem res narratur apud Herod. V, 118 sqq. Cares cum a Persis Dareo regnante defecissent ad flumen Marsyam victi ἐς Λάβρανδα fugerunt

[42]) Eiusdem fere sententiae est Pomptowius, p. 16 adn. 22, qui quod praeterea proposuit, auctorem certe unum idemque factum voluisse indicare, quia Cyprii una cum Caribus (Herod. V, 103) a Persis deficientes Ionibus et Milesiis sociis uterentur, puto esse reiciendum.

[43]) Cf. Poët. lyr. graec. III p. 278 et Wolffius, l. a. p. 74.

ἐς Διός στρατίου ἱερόν (119). . . . *κατειληθέντες δὲ ὦν οὗτοι ἐνταῦθα ἐβουλεύοντο περὶ σωτηρίης, ὁκότερα ἢ παραδόντες σφέας αὐτοὺς Πέρσῃσι ἢ ἐκλιπόντες τὸ παράπαν τὴν Ἀσίην ἄμεινον πρήξουσι. βουλευομένοισι δέ σφι ταῦτα παραγίνονται βοηθέοντες Μιλήσιοί τε καὶ οἱ τούτων σύμμαχοι.* A quibus adiuti bellum iterum susceperunt, sed et ipsi devicti sunt et *μάλιστα Μιλήσιοι ἐπλήγησαν* [44]); eadem denique invenitur apud Diod. excerpt. Vatic. X, 25: *ὅτι Κᾶρες ὑπὸ Περσῶν καταπονούμενοι ἐπηρώτησαν περὶ συμμαχίας εἰ προσλάβοιντο Μιλησίους συμμάχους. ὁ δὲ ἀνεῖλεν· πάλαι κτλ.*, ut videre liceat et Demonem et Diodorum non ab Herodoto ipso dependere sed ab historico qui sua ex parte Herodotum sequitur. Sed Demonis fragmentum ipsum duobus gravissimis vitiis corruptum esse iam Hemsterhusius p. 341 sqq. intellexit, non idem ea emendavit. Quorum alterum latet in *πρὸς τοὺς Ἀμπρακιώτας* (V: *Ἀμβρακιώτας*) qui quid commune habuerint cum Caribus longo intervallo remotis suo iure interrogavit Hemsterhusius. Accedit quod quocumque refers *πρὸς τ. Ἀ.*, sive ad *περὶ τοῦ πολέμου* sive ad *βουλευσαμένων*, sensu cassa sunt verba. Quae cum ita se habeant, Hemsterhusius, cum antea proposuisset *πρὸς τοὺς Ἀμβλαδέας*, qua re non omnes difficultates removentur, deinde Herodoti narratione et Strabonis XIV, 659 commotus latere in *πρὸς τοὺς Ἀμβρακιώτας* putavit *πρὸς τῷ τοῦ Λαβρανδέως* (sc. *Διὸς*) *ἄλσει*, cum Muellerus malit *πρὸς τῷ Διὸς στρατιώτου* (sc. *ἄλσει*). Quod ad sensum attinet verum videtur invenisse Hemsterhusius, quamquam utra mutatio praeferenda sit, an utrum fortasse scribendum sit *πρὸς Λαβράνδοις* certo dici nequit. Alterum vitium latet in *ἀλκιμωτάτους* — *συμμάχους*, quae verba Hemsterhusius aut ita vult transponi, ut scribat: *βουλευσαμένων τίνας τῶν γειτόνων ἀλκιμωτάτους ὄντας ἐν πολέμῳ χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους* aut minore mutatione *β. ἀλκ. ὄντας ἐν πολ. τῶν γειτόνων τίνας χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους*, quae eundem in modum ac priora putat posse intellegi. Quod nisi *τίνας* transposito fieri non posse recte exposuit Dindorfius, qui retinuit *πρὸς τοὺς Ἀμπρακιώτας*

---

[44]) De tota hac narratione cf. Pomptowius, l. a. p. 13; equidem omitto acta agere.

βουλευσαμένων, ἀλκιμωτ. ὄντας τῶν ἐν πολ. γειτ., τίνας χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους, quod Muellerus praeter *Ἀμπρ.* illud, Duebnerus totum in textum recepit. Nihil igitur restat, nisi ut ad bonum sensum enucleandum cum Hemsterhusio transponas verba. Sed multo gravius corruptum est fragmentum. Quod non effugit Pomptowium p. 14 sqq., sed quam ipse proposuit mutationem (adn. 20), ea et nimis audax est — nam fere nihil restat verborum traditorum — et ne ea quidem omnes removet difficultates. Nam fragmenti l. 17 sqq. *οἱ μὲν Μιλησίους ἡγοῦντο, καὶ γὰρ εὐημήρουν τότε καὶ διὰ τὸ γειτνιᾶν* et l. 20 *οἱ δὲ τοὺς Πέρσας, καὶ γὰρ μεγίστην — ἀλκιμωτάτους* indicatur discessisse sententias qui *ἀλκιμώτατοι* essent et simul vicini, ut iam inde appareat verba *τοὺς ἐν πολέμῳ ἀλκιμωτάτους κτλ.* fuisse oraculum ab aliis alium in modum exceptum. Quod praeclare elucet verbis l. 24 cod. V solo exhibitis *πότεροι τὸν χρησμὸν ὀρθῶς ἐκλαμβάνουσι* Hemsterhusio et Muellero ignotis, a Pomptowio plane neglectis, i. e. utri (ii qui Milesios voluerunt an qui Persas) oraculum recte intellexerint. Quod tandem oraculum? Id, cuius mentio librarii culpa antea obscurata est: *τοὺς ἀλκιμωτάτους ὄντας τῶν ἐν πολέμῳ γειτόνων χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους.* Hoc idem indicatur Zenobii loco — et iam ad priora recedimus —: ubi cum legatur *κατά τινα παλαιὰν μαντείαν εἰρημένην αὐτοῖς τοὺς ἀλκιμωτάτους προσθέσθαι συμμάχους,* vel inde probatur revera illud *ἀλκιμωτάτους κτλ.* ad oraculum esse referendum. Quae cum ita sint, ita fere puto Demonis fragmentum esse restituendum: *τῶν Καρῶν περὶ τοῦ πολέμου πρὸς Λαβράνδοις* (sive id mavis quod Hemsterhusius voluit) *βουλευσαμένων καὶ χρησμὸν λαβόντων ὅτι τοὺς ἀλκιμωτάτους ὄντας τῶν ἐν πολέμῳ γειτόνων* (dele *τίνας* quod cum primum omissa sunt illa verba ad constructionem restituendam illatum est) *χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους, οἱ μὲν κτλ.* Iam videamus qua ratione scholium II et III inter se coniuncta sint, utrum revera alterum ex altero commentario haustum sit. Didymo, ad cuius commentarium referri schol. III Zenobius probat, tribui etiam schol. II et idem Zenobius docet et ea res quod nisi schol. III anteposito omnino non intellegitur quid sit hoc bellum (*περὶ τοῦ πολέμου*), de quo schol. III demum certiores fimus. Ita igitur res se habet: ad Didymi commentarium refertur et schol. III

ἐς Διός στρατίου ἱερόν (119). . . . κατειληθέντες δὲ ὦν οὗτοι ἐνταῦθα ἐβουλεύοντο περὶ σωτηρίης, ὁκότερα ἢ παραδόντες σφέας αὐτοὺς Πέρσῃσι ἢ ἐκλιπόντες τὸ παράπαν τὴν Ἀσίην ἄμεινον πρήξουσι. βουλευομένοισι δέ σφι ταῦτα παραγίνονται βοηθέοντες Μιλήσιοί τε καὶ οἱ τούτων σύμμαχοι. A quibus adiuti bellum iterum susceperunt, sed et ipsi devicti sunt et μάλιστα Μιλήσιοι ἐπλήγησαν[44]); eadem denique invenitur apud Diod. excerpt. Vatic. X, 25: ὅτι Κᾶρες ὑπὸ Περσῶν καταπονούμενοι ἐπηρώτησαν περὶ συμμαχίας εἰ προσλάβοιντο Μιλησίους συμμάχους. ὁ δὲ ἀνεῖλεν· πάλαι κτλ., ut videre liceat et Demonem et Diodorum non ab Herodoto ipso dependere sed ab historico qui sua ex parte Herodotum sequitur. Sed Demonis fragmentum ipsum duobus gravissimis vitiis corruptum esse iam Hemsterhusius p. 341 sqq. intellexit, non idem ea emendavit. Quorum alterum latet in πρὸς τοὺς Ἀμπρακιώτας (V: Ἀμβρακιώτας) qui quid commune habuerint cum Caribus longo intervallo remotis suo iure interrogavit Hemsterhusius. Accedit quod quocumque refers πρὸς τ. Ἀ., sive ad περὶ τοῦ πολέμου sive ad βουλευσαμένων, sensu cassa sunt verba. Quae cum ita se habeant, Hemsterhusius, cum antea proposuisset πρὸς τοὺς Ἀμβλαδέας, qua re non omnes difficultates removentur, deinde Herodoti narratione et Strabonis XIV, 659 commotus latere in πρὸς τοὺς Ἀμβρακιώτας putavit πρὸς τῷ τοῦ Λαβρανδέως (sc. Διὸς) ἄλσει, cum Muellerus malit πρὸς τῷ Διὸς στρατιώτου (sc. ἄλσει). Quod ad sensum attinet verum videtur invenisse Hemsterhusius, quamquam utra mutatio praeferenda sit, an utrum fortasse scribendum sit πρὸς Λαβράνδοις certo dici nequit. Alterum vitium latet in ἀλκιμωτάτους — συμμάχους, quae verba Hemsterhusius aut ita vult transponi, ut scribat: βουλευσαμένων τίνας τῶν γειτόνων ἀλκιμωτάτους ὄντας ἐν πολέμῳ χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους aut minore mutatione β. ἀλκ. ὄντας ἐν πολ. τῶν γειτόνων τίνας χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους, quae eundem in modum ac priora putat posse intellegi. Quod nisi τίνας transposito fieri non posse recte exposuit Dindorfius, qui retinuit πρὸς τοὺς Ἀμπρακιώτας

[44]) De tota hac narratione cf. Pomptowius, l. a. p. 13; equidem omitto acta agere.

βουλευσαμένων, ἀλκιμωτ. ὄντας τῶν ἐν πολ. γειτ., τίνας χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους, quod Muellerus praeter *Ἀμπρ.* illud, Duebnerus totum in textum recepit. Nihil igitur restat, nisi ut ad bonum sensum enucleandum cum Hemsterhusio transponas verba. Sed multo gravius corruptum est fragmentum. Quod non effugit Pomptowium p. 14 sqq., sed quam ipse proposuit mutationem (adn. 20), ea et nimis audax est — nam fere nihil restat verborum traditorum — et ne ea quidem omnes removet difficultates. Nam fragmenti l. 17 sqq. *οἱ μὲν Μιλησίους ἡγοῦντο, καὶ γὰρ εὐημήρουν τότε καὶ διὰ τὸ γειτνιᾶν* et l. 20 *οἱ δὲ τοὺς Πέρσας, καὶ γὰρ μεγίστην — ἀλκιμωτάτους* indicatur discessisse sententias qui *ἀλκιμώτατοι* essent et simul vicini, ut iam inde appareat verba *τοὺς ἐν πολέμῳ ἀλκιμωτάτους κτλ.* fuisse oraculum ab aliis alium in modum exceptum. Quod praeclare elucet verbis l. 24 cod. V solo exhibitis *πότεροι τὸν χρησμὸν ὀρθῶς ἐκλαμβάνουσι* Hemsterhusio et Muellero ignotis, a Pomptowio plane neglectis, i. e. utri (ii qui Milesios voluerunt an qui Persas) oraculum recte intellexerint. Quod tandem oraculum? Id, cuius mentio librarii culpa antea obscurata est: *τοὺς ἀλκιμωτάτους ὄντας τῶν ἐν πολέμῳ γειτόνων χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους*. Hoc idem indicatur Zenobii loco — et iam ad priora recedimus —: ubi cum legatur *κατά τινα παλαιὰν μαντείαν εἰρημένην αὐτοῖς τοὺς ἀλκιμωτάτους προσθέσθαι συμμάχους*, vel inde probatur revera illud *ἀλκιμωτάτους κτλ.* ad oraculum esse referendum. Quae cum ita sint, ita fere puto Demonis fragmentum esse restituendum: *τῶν Καρῶν περὶ τοῦ πολέμου πρὸς Λαβράνδοις* (sive id mavis quod Hemsterhusius voluit) *βουλευσαμένων καὶ χρησμὸν λαβόντων ὅτι τοὺς ἀλκιμωτάτους ὄντας τῶν ἐν πολέμῳ γειτόνων* (dele *τίνας* quod cum primum omissa sunt illa verba ad constructionem restituendam illatum est) *χρὴ ποιεῖσθαι συμμάχους, οἱ μὲν κτλ.* Iam videamus qua ratione scholium II et III inter se coniuncta sint, utrum revera alterum ex altero commentario haustum sit. Didymo, ad cuius commentarium referri schol. III Zenobius probat, tribui etiam schol. II et idem Zenobius docet et ea res quod nisi schol. III anteposito omnino non intellegitur quid sit hoc bellum (*περὶ τοῦ πολέμου*), de quo schol. III demum certiores fimus. Ita igitur res se habet: ad Didymi commentarium refertur et schol. III

l. 33—39 et schol. II i. e. Demonis fragmentum l. 12—23, quod ad probandam opinionem suam ad verbum exscripsit; deinde prior pars ab altero scholiasta transscripta est, ab altero posterior et ea quidem aliquo modo in brevius contracta. Iam restat primum scholium l. 5—12, quo non rem quandam gestam narrari concluseris e nimis incerto illo: *συγκροτῶν πρός τινας πόλεμον* et *μαντεῖον,* quod quale sit non dicitur.[45] Stare potest Hemsterhusii sententia qui putat grammaticum quendam, ut difficultatem, quae ex Anacreontis cum Dareo aequalitate oriretur, removeret, tradidisse sortem fuisse redditam Polycrati Samiorum tyranno quo familiarissime uteretur poëta, qui quo tempore usus esset hoc proverbio studuit enucleare Pomptowius p. 15, cum ceteroquin non abhorreat a sententia Hemsterhusii p. 13 adn. 17.

Sed, ut redeamus unde digressi sumus, vidimus Demonis Atthidem in usum non esse vocatam; fere idem valet de Phanodemo, quem cum semel schol. Vesp. 1239 (cf. Muellerus I p. 367) de Admeto ab Artemidoro[46] videamus consultum esse hoc in censum vix potest venire, cum Artemidoro non multa debeamus scholia. Restat unus locus schol. Av. 873 (Muellerus I p. 366) ubi Didymus eundem adhibuit; sed cum nusquam alio loco eius nomen iterum legatur et illic legatur in re mythica, quibus rebus potissimum operam navasse Phanodemum e fragmentis potes concludere, ne hunc quidem iusto iure aliorum scholiorum putare debemus esse fontem. Restant igitur, cum Demetrii archontum anagraphas ante excluserimus, Erathostenis autem chronographia non in ea re videatur versata esse, ut secundum praetores res gestas digereret, Hellanicus, Androtion, Philochorus; sed ad Hellanicum partes minimae aut fere nullae pertinent, quem ut bello Peloponnesiaco finito historiam quoque finivisse, si quidem usque eo duxerit, verisimile est, ita tempora pentecontaetiae obiter et errantem in chronologia exposuisse famosus docet ille Thucydidis locus I, 97, 2 (cf. Muellerus I p. 53). Immo unum tantum scholium exstat, quod quadam cum probabilitate Hellanico aliquis possit tribuere.

---

[45]) De recensione ἦσαν ποτ' ἦσαν cf. Wolffius, l. a.

[46]) De quo cf. Schneiderus, l. a. p. 93, qui eum commentarium in Aristophanem composuisse negat.

Immo unum tantum scholium exstat, quod quadam cum probabilitate Hellanico aliquis possit tribuere:

20) Schol. Ran. 720. Duo ad hunc versum adscripta sunt scholia: I *τοῖς χαλκοῖς νομίσμασι* (e coniect. Blaydesii; cf. edit.), *τοῖς ἀδοκίμοις καὶ μεμιγμένοις χαλκῷ.* II *ὡς ἐπὶ νομισμάτων· χαλκία ὡς χρυσία ἔλεγον τῷ σχήματι* (fort. *ἐπὶ τ. σχ.*) *χαλκᾶ σκεύη. νῦν δὲ ὡς κακὸν νόμισμα τὸ χρυσοῦν οὕτως εἶπεν. δύναιτο δ' ἂν καὶ τὸ χαλκοῦν λέγειν. ἐπὶ Καλλίου γὰρ χαλκοῦν νόμισμα ἐκόπη*; cf. Hultschius l. a. 228. Iam cum paullo ante ad versum 720 de simili re nummaria anni antecedentis Hellanicum et Philochorum videamus ab eodem Didymo consultos esse, hoc quoque scholium haustum est aut ex Hellanici aut e Philochori Atthide aut utriusque liber adhibitus est; quod quamvis certo diiudicari nequeat, equidem praeferam Philochorum, ut fragmentum inseram inter eius fragmenta 120 et 121. Usque eo igitur iam progressi sumus — et spero me persuasisse legentium animis — ut ea quae restant scholia, iis virtutibus praedita quae antea exposui, aut Androtioni aut Philochoro tribuamus. Iam porro procedam. Nam primum quidem saepe inter se consentiunt Androtion et Philochorus contra atthidographorum consuetudinem qui, ubicumque fieri potuit, dissentire alter ab altero solebant. Deinde autem schol. Vesp. 947, quod ad hanc rem maximi momenti est, Didymus — nam ad hunc omnes eiusmodi res referendas esse iam nunc unusquisque concedet — eam viam videtur ingressus esse, ut primum Philochorum, tamquam eum qui plura praebuit et notissimus erat, consuluerit, deinde Androtionem, alios. Quam rationem cum ad alia quoque transferamus scholia — et statim unum tractabimus eundem in modum comparatum — sive Androtionis nomen adiunxit grammaticus sive omisit, quia cum Philochoro consensit aut quia eum non inspexit, novum habes argumentum cur talia scholia bona fide Philochoro tribuas. Cui rei probandae tertiam muniemus viam eam, ut semel bisve aliis causis corroboremus verum esse hoc iudicium; tunc nemo erit, puto, qui dubitet quin profecto omnia scholia de quibus modo sum acturus e Philochori Atthide hausta sint.

21) Ad Nub. 549 duo habes scholia I l. 1—18, II alterius recensionis (cf. Zacherus, l. a. p. 650 sqq., 692) l. 19—27. Hic

in censum venit schol. I *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου. πρὸ τούτου δέ ἐστιν Ἴσαρχος, ἐφ' οὗ αἱ πρῶται Νεφέλαι εἰςήχθησαν. ὁ μέντοι Ἀνδροτίων ἐπὶ Ἀλκαίου φησὶ τοῦ μετὰ Ἀμεινίαν τὸν Κλέωνα τελευτῆσαι δυσὶν ἔτεσιν ὕστερον τῆς τῶν Νεφελῶν διδασκαλίας· εἰκότως κτλ.* E Thuc. VI, 2, 6, 10 patet evenisse Cleonis mortem aut sub fine praetoris Aminiae aut in initio Alcaei, quem illi successisse a. d. IX Kal. Sextiles 422 Ungerus, l. a. p. 587, exposuit. In schol. Pac. 48 Eratosthenis affertur sententia: *Ἐρατοσθένης γὰρ ἐπὶ Θρᾴκης τὸν θάνατον Βρασίδου καὶ Κλέωνος ὀκτὼ μησὶ προγεγονέναι φησί* sc. ante Pacem doctam, quae cum mense Martio anni 421 docta sit, fere Sextili anni 422 i. e. archonte Alcaeo Cleonem mortuum esse credidit. Sed praeter Eratosthenis *περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας* — nam inde sine dubio res hausta est, cf. hyp. Pac. III — et Androtionem alium esse consultum atthidographum vel inde patet quod alius archontis nomen exstat. Eiusdem Androtionis sententia exstare videtur in schol. Aeschin. II, 31 (p. 289 Schultz.), ubi de calamitatibus in Thracia acceptis sic legitur: *τέταρτον οἱ μετὰ Κλέωνος ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου*, contra quem in scholio nostro cuius auctoritas adhibita sit, quaerentes secundum argumentationem meam statim in Philochorum incidemus, quem priorem inspexit grammaticus: *ὁ Κλέων ἀποθνήσκει ἐπὶ Ἀμεινίου*, qua cum re convenit schol. Vesp. 210, de quo iam dixi. Sed accuratius probatur — et hoc ad totam narrationem maximi est momenti — me verum statuisse schol. ad Luc. I p. 15 (ed. Iacobitzii IV p. 48): *ἐξέπλευσε δὲ καὶ στρατηγὸς ἐπ' Ἀμφίπολιν, ἔνθα καὶ ἐτελεύτα νικηθεὶς ὑπὸ Βρασίδου ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμεινίου.* Iam videmus in hoc scholio Lucianeo in usum vocatum esse Thucydidem, Aristotelem, Androtionem, Philochorum; ergo cum priores duo in usum vocari non possint, Androtion autem alius esset sententiae, novum habemus Philochori fragmentum inter 107 et 108 inserendum.

22) Schol. Vesp. 1223, quicum coniungendum est schol. Lys. 58 (cf. Suid. *Παράλων*): quae quamquam archontis nomine careant nihilominus huc pertinere statim videbimus. Haec exhibent scholia: . . . *κατὰ γὰρ τοὺς Σόλωνος νόμους τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις, μία μὲν τῶν Παραλίων* (ex em. Porti), *ὧν προειστήκει Μεγακλῆς, ἑτέρα δὲ τῶν Πεδιέων, ὧν προειστή-*

κει Λυκοῦργος, τρίτη δὲ τῶν Διακρίων, ὧν προειστήκει Πεισίστρατος: cetera exhibebo secundum schol. Lys. 58 paullo uberius: διῄρητο γὰρ εἰς δ' μερίδας τὸ παλαιὸν ἡ Ἀττική. Πανδίων γὰρ διαδεξάμενος τὴν Κέκροπος βασιλείαν προσκτησάμενος δὲ καὶ τὴν Μεγαρίδα ἔνειμε τὴν χώραν τοῖς παισὶν εἰς δ' μοίρας. Αἰγεῖ μὲν τὴν παρὰ τὸ ἄστυ (Vesp. περί) μεχρὶ Πυθίου, Πάλλαντι δὲ τὴν Παραλίαν, Λύκῳ δὲ τὴν Διακρίαν, Νίσῳ δὲ τὴν Μεγαρίδα. Iam hanc posteriorem partem schol. Vesp. 1223, i. e. totum schol. Lys. 58, e Philochori Atthide haustam esse cognosces — id quod iam Dindorfius vidit — e Strab. 601: οἵ τε τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες πολλὰ διαφωνοῦντες τοῦτό γε ὁμολογοῦσι totam Atticam divisam esse in partes quattuor, quarum Nisum accepisse Megaridem. Φιλόχορος μὲν οὖν ἀπὸ ἰσθμοῦ μέχρι τοῦ Πυθίου διήκειν αὐτοῦ (Nisi) τὴν αρχήν, Ἄνδρων δὲ μέχρι Ἐλευσῖνος καὶ τοῦ Θριασίου πεδίου (cf. Muell. I, 389). Quae si cum scholii verbis comparaveris, videbis hoc quoque e Philochori libro haustum esse, Aegeo regiones urbis ad occidentem vergentes usque ad Pythium tribuentis, Niso regiones inde a Pythio usque ad isthmum. Nam cave ne credas Pythium hic intellegi vetus illud Apollinis templum ad Ilissum in orientali fere australi parte urbis prope Olympieum situm[47]), quod si intellectum esset Nisi regno Aegei imperium comprehensurum iri; immo est templum quoddam in occidente urbis situm ad viam sacram eo fere loco quo planities Attica cum Eleusinia congruit[48]), ut Andron paullo magis restringeret fines Nisi. Quae si in mente tenes, optime procedunt et Strabonis et scholii verba, ut quicquam mutare, id quod fecit Lenzius, l. a. p. 28, utique vetemur. Restat prior pars scholii Vesp. 1223, quam ad bonum fontem recedere probat Herod. I, 59 et Plut. Sol. 29, sed foedo vitio est deformata. Nam quid sibi vult illud κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους?, quod puto esse corruptum e κατὰ τοὺς Σόλωνος χρόνους, quod, cum de Solone ageretur, facile in νόμους potuit mutari. Ex quo fonte hausta sit haec res non tam certo dicam; certe ex eodem

---

[47]) De quo cf. Curtius, Herm. XII p. 492.

[48]) De quo cf. Paus. I, 37, 6 et Bursianus, Geogr. Griech. I p. 326, 329. Falso Muellerus putavit templum situm esse in confinio Megarae, Boeotiae, Atticae.

quo Plut. Sol. 29 *οἱ δὲ ἐν ἄστει πάντες ἐστασίαζον ἀποδημοῦντος τοῦ Σόλωνος. καὶ προειστήκει τῶν μὲν Πεδιέων Λυκοῦργος, τῶν δὲ Παράλων Μεγακλῆς ὁ Ἀλκμαίωνος, Πεισίστρατος δὲ τῶν Διακρίων*; sed est certe verisimillimum, cum paullo post Philochorum videamus inspectum, haec ad eundem referri. Philochori fragmentum inserendum post 35.

23) Schol. Lys. 1144: *Κίμων μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ιβ' ἔτει ὕστερον. ταῦτα ἦν ἐπὶ Θεαγενίδου. καὶ γὰρ τοῦ Ταϋγέτου τι παρερράγη καὶ τὸ ᾠδεῖον καὶ ἕτερα καὶ οἰκίαι πλεῖσται, καὶ Μεσσήνιοι ἀποστάντες ἐπολέμουν καὶ εἵλωτες ἐπέστησαν, ἕως Κίμων ἐλθὼν διὰ τὴν ἱκετηρίαν ἔσωσεν αὐτούς.* De re cf. Thuc. I, 101. 102; Plut. Cim. 16, 17; Diod. XI, 63; Polyaen. I, 41, 2; Aelian. V. H. 6, 7; Dunckerus, N. F. I p. 240 sqq.; Busoltius II p. 439, alii. Rem ipsam sobrietate quadam inter omnes huius rei narrationes praestare optimo iure adnotavit Dunckerus, l. a. p. 241. Quam a Philochoro haustam esse probatur ea argumentatione quam antea instituimus. Etenim cum paullo ante ad v. 1138 *οἱ συντεταχότες τὰς Ἀτθίδας*, i. e. ut vidimus Androtion et Philochorus, nominentur, quorum priorem Philochorum inspicere moris fuisse grammatici antea vidimus, haec quoque res ad Philochorum referenda est, praesertim cum a Stephano Byzantio s. v. *Αἴθαια* quae sine dubio in eadem Messeniorum defectionis narratione exposita erat (cf. Thuc. I, 101, 2) eum accuratius de tota hac re egisse liceat concludere. Revera autem atthidographos esse consultos, non aliorum quendam historicorum, docet et praetoris nomen praescriptum et diversitas quae intercedit inter scholii sobrietatem et Plutarchi Diodorique ornatum rhetoricum.[48]) Sed in Philochori, ut iam vidimus, fragmento ipso ante 86 (Muell.) inserendo paucae restant difficultates. Hodie enim constat fere inter historiae Graecae scriptores (cf. praeter allatos Grotius III p. 245, Curtius II[5] p. 137 et III[5] app. p. 82) anno 464/63 archonte Archedemo Spartae terram movisse, anno 461 Cimonem auxilio venisse Lacedaemoniis. Quibus cum rebus quomodo ea possunt coniungi quae in Philochori fragmento exstant? Et primum quidem quod auxilium missum et terrae motus eidem tempori tribuitur, non

---

48) Cf. Busoltius, l. a. II p. 439 adn. 1.

Philochori sed scholiastae vitio factum est, qui poëtae verbis commotus addidit ἕως Κίμων ἐλθὼν διὰ τὴν ἱκετηρίαν ἔσωσεν αὐτούς. Sed quid sibi vult illud ἐπὶ Θεαγενίδου? qui archon erat 78/1 = 468/7, cf. M. Par. 58 (Muellerus I p. 551). Cuius nomen hic non esse corruptum, ut saepius fit, docet illud ιβ' ἔτει ὕστερον μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην, quae cum evenisset archonte Xanthippo, duodecimus erat ab hoc Theagenides, ut bene e Philochori libro cognovit grammaticus. Iam plerique, qui de hoc scholio egerunt, ut Holzapfelius, l. a. p. 168 adn. 1, scholiastae errorem putant exstare, qui unde natus sit omittunt explicare, cum Ungerus (Phil. XLI, p. 100) et ipse errorem adnotans hunc inde ortum esse putet, quod scholiastes hanc helotarum seditionem commutaverit cum altera post Pausaniae mortem revera archonte Theagenide facta (cf. Curtius, II[5] p. 167), qua cognita secutum est τὸ ἐπὶ Ταινάρου ἄγος; immo eo progressus est homo doctus, ut propter hoc scholium tunc helotarum nonnullos arma cepisse arbitretur. Et profecto aliqua e parte verum invenit, cum recte viderit falso coniunctum esse in hoc quoque scholio, ut apud Paus. IV, 24, Ael. l. a., terrae motum cum scelere illo Taenario quod archonte Theagenide evenisse alias ob causas in rebus ipsis positas probavit Curtius II[5] p. 137, cum Dunckerus, l. a. N. F. I p. 169 adn. 1, in annum 466 incideret. Idem tempus, quod Curtius proposuit, hoc scholio bene perspecto Philochori auctoritate sequitur. Sed quamquam haec helotarum caesio sine dubio cum Pausaniae insidiis cohaerebat, seditionem ab iis factam esse atque adeo arma capta neque a Thucydide neque ab aliis narratum audimus, ut haec causa esse non possit, cur cum altera commutata sit; nihil aliud audimus nisi helotas, sine dubio ut Pausaniae proditionis participes suspectos, cum in Neptuni templum confugissent, a Lacedaemoniis caesos esse (cf. praecipue Thucyd.). Deinde vero fac evenisse etiam Theagenide praetore seditionem, ne tunc quidem, nisi iam a Philochoro vitium esset commissum, quod credi non potest, ne tunc quidem dico potest intellegi quomodo a scholiasta Philochori annales secundum archontum ordinem distributos consulente duae res quattuor annis distantes misceri potuerint; nam hoc dicturum quemquam esse nego, illo quoque anno motum terrae evenisse, odeum concidisse etc. Quae cum ita sint, equidem puto partem

vitii ad Philochorum, partem ad scholiastam pertinere. Etenim cum Thucydides I, 128, 1 dicat, cum ἄγος Ταινάριον exposuerit, δι' ὃ δὴ καὶ σφίσιν αὐτοῖς νομίζουσιν τὸν μέγαν σεισμὸν γενέσθαι ἐν Σπάρτῃ, quid impedit quin cogitemus Philochorum, ut saepe ita hic Thucydidem secutum, cum archonte Theagenide narrasset ἄγος Ταινάριον, quod re vera tunc evenit, a Thucydide commotum addidisse motum terrae et defectionem helotarum, sive ipse haec omnia eidem praetori tribuit, sive, id quod mihi probabilius videtur, addidit: „διὸ ὕστερον illa acciderunt“ [49]), scholiastes autem archontem describens ea quae revera tunc evenerant omisit, posteriora exposuit? Haec igitur fere forma fragmenti Philochorei: ἐπὶ Θεαγενίδου· evenit ἄγος Ταινάριον κτλ. διὸ καὶ οὐ πολλῷ ὕστερον ὁ σεισμὸς ἐγένετο καί κτλ.

Iam his expositis alia quoque scholia confidenter Philochoro possumus tribuere.

24) Schol. Nub. 584 l. 34. 35 cod. V ἐπειδὴ ἔκλειψις ἐγένετο σελήνης τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Στρατοκλέους βοηδρομιῶνι, cum schol. 585 nihil contineri ex historia haustum iam antea viderimus. De re cf. Diod. XII, 60. Quam revera tunc accidisse — unde Philochori fides non mediocriter augetur — docent astronomi, qui mense Boedromione anni 423 (i. e. a. d. VII Id. Octobr.) lunam defecisse narrant, qui defectus Athenis cum fere inciperet hora VI finem habuit hora IX.[50]) Altera quaestio est num recte ad hunc lunae defectum Aristophanem alludere putet grammaticus, quod utique negandum; sed hanc rem discernere ad me non pertinet[51]); satis habeo fragmentum Philochori statuisse.

25) Schol. Thesmoph. 841 ἤδη γὰρ ἐτεθνήκει (sc. Lamachus) ἐν Σικελίᾳ τετάρτῳ ἔτει πρότερον (sc. ante doctam Thesmophoriazuson fabulam). Scholium eundem in modum comparatum est ac schol. Eccl. 193: vetus grammaticus, cum e didascalia etiam tum servata didicisset, quo archonte fabula docta

---

[49]) Talia non plane abhorruisse a Philochori more docetur schol. Pac. 605, Vesp. 210.

[50]) Cf. praeter Hoffmannum, Progr. Triest. 1884 p. 18, Oppolzeri liber praestantissimus „Canon der Finsternisse“: Denkschriften der Wien. Akadem. mathem.-naturw. Klasse LII p. 337 et p. XXIII sqq., p. 76.

esset, apud Philochorum invenit eum archontem, sub quo Lamachus mortuus esset, ab illo esse quartum. Inserendum fragmentum inter Philochorea post 113. Ceterum ad tempus fabulae enucleandum hoc Philochori fragmentum vix magni momenti potest esse, cum nesciamus utrum fini ol. 91/2 an initio 91/3 tribuerit Lamachi mortem, de qua re, cum e Thuc. VI, 94. 96 nihil constet nisi aestate 414 rem esse gestam, non minus quam de Cleonis morte diversae potuerunt exstare sententiae, ut Diodorus XIII, 8, 1 ol. 91/3 tribueret factum (cf. Plut. Nic. 18; Iustin. IV, 4, 9).

26) Schol. Vesp. 283, quod deest in R. Duo hic habemus scholia: I l. 21—38, II l. 39—48, ad eundem veterem commentarium recedentia, unde altera pars scholii a priore, altera a secundo scholiasta melius transscripta est. Et primum quidem quod Dindorfius proposuit *αὐτῶν* l. 29 aut esse delendum aut in *αὐτοῖς* mutandum, vitium ita potius sanatur, ut in *εἰςηγησαμένου* prima syllaba per dittographiam e *Περικλέους* nata deleatur. Deinde autem tantum abest, ut ad verbum historicus transscriptus sit, ut aperta scholiastae sive grammatici inveniantur vestigia, cum illud *τριήρεις πολεμικάς*, repetitum *Περικλέους ἡγησαμένου* l. 25. 29, *κακῶς διατίθεσθαι* l. 26. 32, *τριήρεις — μηχάνην κατασκευάζειν* l. 29. 30, *μαθεῖν* l. 28. 31 nequaquam historicum sapiant. Praeterea ad recentiorem aetatem spectat *σκαιώρημα* l. 35 ante Pollucis et scholiastarum tempus non inventum. Narratur eadem res apud Thuc. I, 115—117, Diodor. XII, 27. 28 (i. e. Ephorum, cf. Volquardsenius), Plut. Pericl. 25—28, quem, cum Ephori nomen exhibeat, eo solo usum esse putavit Schmidtius, cum Ruehlius[52]) Duridi rem tribuere malit. Iam Thucydides a scholiasta non in usum vocatus est, cum neque quo archonte res gesta sit narret (cf. schol. l. 39) neque Periclem duxisse expeditionem, neque ad regem ipsum victos confugisse sed ad Pissuthnen sa-

---

[51]) Cf. praecipue Buecheleras, Jahrbb. für Phil. LXXXIII p. 689, et Kirchnerus, Mus. Rhen. XLIV p. 154—56.

[52]) Cf. Schmidtius, l. a. II p. 37, 255, et Sauppius, l. a. p. 10; Ruehlius, l. a. p. 667. 968; Busoltius rectius Ephorum adhibitum esse fontem principalem putavit, praeter hunc Duridem; cf. l. a. II p. 593 adnot. 4.

trapem neque denique de homine illo Carysto orto quicquam exposuerit. Sed ne ad Ephorum quidem recurrit scholium. Etenim ne hic quidem praeposuit praetores; si fecit, uni Timocli rem dedit, ut a Diodoro certiores fimus; deinde quamvis diligenter Plutarchus et Diodorus de hac re egerint, Carystionis illius neuter mentionem facit. Attamen haec narratio non e pulvere nata esse potest. Restant igitur atthidographi, ad quos vel praetorum nomina exposita ostendunt. Quorum cum viderimus Philochorum praecipue esse inspectum, ad eum haec quoque scholia — nam utroque opus est ad cognoscendum quid scripserit auctor — referemus, ea quoque re adiuti quod quandam cum Thucydide similitudinem non possumus negare, quem ab atthidographo in usum vocatum esse constat.

27) De proelio apud Arginusas facto et iis quae sequerentur Hellanicum (schol. Ran. 694, cf. p. 156) et Philochorum (cf. schol. Ran. 1196) in usum vocatos esse antea vidimus. Eadem res tangitur in schol. Ran. 191, ubi tria exstant scholia: I l. 35—49, II l. 49—53, III l. 54—9, quae omnia ad eundem recurrunt Didymi commentarium. Cuius verba partim in scholio III servata sunt, ubi iuxta positas videmus Aristarchi et Demetrii sententias (cf. p. 238), partim in scholio I, ubi utri Didymus ipse faveret expositum est. Iam hic habes ab historico repetita haec: l. 41 sqq. *εἴη δ' ἂν λέγων περὶ τῆς ἐν Ἀργινούσαις ναυμαχίας, ἐν ᾗ ἐνίκων μὲν οἱ Ἀθηναῖοι, τοὺς νεκροὺς δὲ ἐκωλύθησαν ἀνελέσθαι ὑπὸ χειμῶνος. ἐξ οὗ καὶ τῶν ι' στρατηγῶν ἀπώλοντο καταδικασθέντες οἱ ὑπομείναντες ἕξ.* Idem denique recurrit in scholiis Ran. 698, ubi verba quoque eadem leguntur, *οἱ ὑπομείναντες* et *καταδικασθῆναι,* quae omnia cum per se verisimile est ad Didymi commentarium recedere, qui Philochoro de eadem re usus sit (cf. Ran. 1196), tum ea quoque re probatur, quod etiam illud *ὑπομείναντες* (de iis ducibus qui non effugerunt) scholii 1196 invenitur in schol. Ran. 191, ut haec fragmenta inseram inter Philochorea 121 et 122. Inepta agunt schol. Nub. 6.

---

[53]) Quod a Suida, s. v. *ξενικόν* II solum transscriptum, iisdem verbis legitur in cod. BP Demosthenis Philipp. I. 46, quo scholium Aristophaneum translatum est.

28) Dubitanter denique huc referam schol. Plut. 173, ubi habes scholia sex, quorum secundum l. 25—28 nihil aliud cognoscimus esse nisi interpretis explicationem a poëta ipso sumptum[53]); deinde scholium V l. 43 sqq. continet verba Demosth. Philipp. I, 46, quae praeter verba ὑμᾶς αὐτούς l. 47, quae apud Demosthenem ordine inverso exhibentur, ad verbum transscripta sunt. Ne scholium quidem VI l. 53 sqq. a RV omissum hic in censum potest venire, cum eadem referat quae scholio IV et I[54]) afferuntur, ut restent scholia tria I l. 20—24, III l. 28—37, IV l. 37—43; quorum tertii initium usque ad l. 35 e grammatici ipsius ingenio ortum esse iam antea vidimus[55]), historicum produnt verba *καὶ τὸ συμμαχικὸν ἐπανήθροιστο ἐν Κορίνθῳ· τὸ δὲ Λακεδαιμόνιον ἐν Σικυῶνι,* quae, cum propter annum ut non certo fixum ita falsum, atthidographo deberi non possint, hausta sunt e Xenoph. Hellen. IV, 4, 1: *ἐκ δὲ τούτου* (autumno 401) *ἐπολέμουν Ἀθηναῖοι μὲν καὶ Βοιωτοὶ καὶ Ἀργεῖοι καὶ οἱ σύμμαχοι ἐκ Κορίνθου, Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ οἱ σύμμαχοι ἐκ Σικυῶνος.* Restant igitur duo scholia I et IV, quorum prius haec habet: *φασὶ τοὺς Κορινθίους διὰ τὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπικρατὲς συμμαχίᾳ κεχρῆσθαι τῇ ξενικῇ δυνάμει. ἣν δὲ καταστήσας ἐν Κορίνθῳ τοὺς ξένους Κόνων ὁ Ἀθηναίων στρατηγός, καθελὼν Λακεδαιμονίους, ὅπως φυλάττοι τὴν ἔφοδον αὐτῶν.* Quod scholium propterea mire comparatum est, quia in priore parte exponitur Corinthios propter Atheniensium potestatem exercitum constituisse, in altera Cononem Atheniensem eum instruxisse victis Lacedaemoniis ut caveret impetum eorum (Lacedaemoniorum); ut duas res videamus coniunctas, quae nullo modo conferri possunt. Quod solum ita potest explicari, ut hic duas sententias habeas falso in unum contractas,

---

[54]) Est igitur schol. VI, quod deest in RV, ex his duobus conscriptum, quod non perspexisse videtur Rehdantzius, l. a. p. 16, cum scholio sexto solo utatur; uti debuit IV et et I.

[55]) Vitium latet in verbis l. 30 *δῆλον δὲ — ἔχει* l. 33, cum Plutus prior docta sit 409/8, alter 389/8 (cf. Ludwigius, l. a. 64). Quod Ludwigius ita voluit corrigi, ut pro *δευτέρῳ* l. 30 scriberet *προτέρῳ* et *ὃς ἔσχατος — ὕστερον* transferret post *μετενήνεκται.* Nescio an magis placeat statuere illud *ὃς — ὕστερον* eo demum tempore additum esse, cum iam corruptum esset illud *προτέρῳ* l. 30 in *δευτέρῳ.*

priorem (-*δυνάμει*) e poëtae verbis fictam[56]), alteram ex eodem commentario quo schol. IV sumptam, qui haec fere exposuit: bello Peloponnesiaco peracto, cum socii contra Lacedaemonios arma cepissent, Athenienses cum Corinthum haberent *ὁρμητήριον* contra Lacedaemonios auctore Conone exercitum mercennarium instituerunt, cui postea Iphicrates praefectus est. Iam quaerentes unde hanc cognitionem sumpserit scholiastes, fortasse aliquantulum adiuvamur ab Harpocratione quem cum s. v. *Πολύστρατος* ad Demosthen. Phil. I, 146 spectante Didymi ad Demosthenem commentario se usum esse ipse dicat, paene certum est eodem Chalcenteri libro in usum vocasse s. v. *ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ* (cf. Suid. s. v. *ξενικόν* artic. I) ad eundem Demosthenis locum spectante, cum habeat haec: *Δημοσθένης Φιλιππικοῖς καὶ Ἀριστοφάνης. συνεστήσατο δὲ αὐτὸ* (sc. *τὸ ξενικόν*) *πρῶτος* (pro *πρῶτον*) *Κόνων, παρέλαβε δ' αὐτὸ Ἰφικράτης ὕστερον καὶ Χαβρίας. ᾧ χρησάμενοι τὴν Λακεδαιμονίαν μόραν κατέκοψαν στρατηγοῦντος αὐτοῖς Ἰφικράτους καὶ Καλλικλέους, καθά φησιν Ἀνδροτίων καὶ Φιλόχορος ἐν ἑνδεκάτῃ* (cf. Muellerus I, 409: frg. 150). Unde constat Didymum non solum operam navavisse huic rei, sed eadem fere illic protulisse, quae in scholio Aristophaneo leguntur, ut quamquam non certum est, cum tot scholia ad Didymum referri videas, non nimis audax putem esse hoc quoque eidem tribuere. Unde simul sequitur historicum, qui consultus sit, Philochorum esse aut Androtionem, quorum cum illum tam saepe videamus adhibitum, ei hoc scholium tribuemus. De re cf. Curtius, l. a. III⁵ p. 188.[57])

Cap. VII.

Ad Crateri *ψηφισμάτων συναγωγήν*[1]) pertinent fragmenta haec, de quibus singulis disputare, cum iam ab aliis factum sit, omittam:

---

[56]) Non recte igitur fecit Rehdantzius, l. a. p. 16, quod huic scholio sive potius alteri parti scholii VI (cf. mea adn. 54) fidem historicam tribuit.

[57]) Idem dubitanter proposuit Ludwigius, l. a. p. 81.

1) Schol. Av. 1073, ubi duo exstant scholia ad eundem (Didymi) commentarium recedentia, quorum prius l. 9—13 Melanthium solum affert, alterum praeterea Craterum. Ad eundem Craterum de eodem Diagora pertinet schol. Ran. 320. Denique ad idem scelus spectat schol. Nub. 302: *οὗ σέβας: ὅπου σέβασμά ἐστι καὶ ἀπόρρητα μυστήρια. λίαν γὰρ αὐτοῖς τὸ μὴ ἐξαγγέλλεσθαι ταῦτα ἐσπούδαζον* (hucusque RV). In altera recensione additum: *ὅτι δὲ λίαν ἐσπούδαζον περὶ τὰ μυστήρια δῆλον ἐκ τοῦ ψηφίσματος Μεγαρέων,* quod ex aliis illis scholiis modo allatis ortum vitio corruptum est, cum quid in tali re decretum Megarensium sibi velit non intellegatur. Facile sanatur si pro *Μεγαρέων* scribis *Διαγόρου*; cf. Diodor. XIII, 6. 17; Meinekius, l. a. p. 718; Krechius frg. 14.

2) Schol. Lys. 313; cf. Mein. p. 719, qui bene mutavit *δέκατον* l. 3 in *ἐπιδέκατον* (cf. Dittenbergerus, Sylloge 10, 35. 12, 24. 63, 57 saepius et p. 482 adn. 2); Muellerus frg. 11; Krechius frg. 15. De Phrynicho cf. Thuc. 54, 3; 90, 92 et multis aliis locis. Lys. Leocrat. 115. Quo tempore hoc decretum datum esset, bene exposuit Gilbertus, Beiträge p. 333. Iam cum quae cum Phrynichi Sami proditione (cf. Thuc. VIII, 50) et poena, de qua, cum post quadringentos eversos evenerit, nihil habet Thucydides, mulieribus sit necessitudo non intellegatur, cumque quomodo *τῶν ἐν Σάμῳ στρατηγῶν* dicere potuerit poëta, si ad hanc rem voluerit ostendere, non cernatur, recte puto fecisse Harwardtium[2]), quod falsam esse hanc Didymi interpretationem statuit. Unum non recte fecit, quod praeter Didymum Cratero hunc errorem tribuit, quem huius rei innocentem esse iis quae in cap. I de verbis *Δίδυμος καὶ Κράτερος* dixi probatur; immo haec verba recte a me explicata esse re inversa vel inde sequitur, quod hic omnino ad Phrynichum non ostendit poëta, qui quid intellexerit exposuit Harwardtius.

3) Schol. Eccl. 1089, ubi bene pro *Κρατῖνος* restituit *Κρά-*

---

[1]) Cf. Meinekius, Steph. Byzant. epim. I p. 714 sqq.; Muellerus, Frg. h. gr. II p. 617; Krechius, De Crateri psephism. *συναγωγῇ*, Berl. 1888, qui in fine opusculi novam proposuit fragmentorum collectionem, quamquam nisus iis quae Cobetus attulit Mnem. N. S. I p. 99 sqq. paullo audacius mihi videtur esse progressus.

[2]) Cf. De Aristophan. irrisionibus Königsb. 1883 p. 11. 12.

τερος Meinekius, l. a. p. 719; cf. Muellerus 5[a]; Krechius 16. Praeterea de poena eius qui cum contra salutem publicam peccasset κατ' εἰσαγγελίαν damnabatur consuluit Didymus (cf. p. 237) Xenoph. Hell. I, 7, 20 καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ ἀδικεῖν, ἀποθανεῖν εἰς τὸ βάραθρον ἐμβληθέντα, τὰ δὲ χρήματα δημευθῆναι καὶ τῆς θεοῦ τὸ ἐπιδέκατον εἶναι.

Haec sunt ea scholia, quae Crateri nomine ornata sunt.

Ad eundem propter schol. Lys. 313 similitudinem rettulit Wilamowitzius[3]) 4) schol. Lys. 273.

Quibus ad Craterum reductis, unde Didymus transscripsit, videamus utrum alia exstent decreta in scholiis quae ad eundem aut certo aut cum probabilitate possunt referri. Quo e numero schol. Eccl. 825 statim removebimus, quo nihil nisi poëtae verborum interpretationem contineri e poëtae ipsius verbis haustam cap. II pag. 249 probavimus.

5) Causam, qua bellum Peloponnesiacum exortum sit; fuisse decretum contra Megarenses datum multis scholiis exhibetur: I. *a*) Ach. 527 τῇ μιᾷ τούτων (sc. meretricum) ἐπέχρητο ὁ Περικλῆς· δι' ἣν ὀργισθεὶς ἔγραψε τὸ κατὰ Μεγαρέων ψήφισμα ἀπαγορεῦον δέχεσθαι αὐτοὺς εἰς τὰς Ἀθήνας· ὅθεν ἐκεῖνοι εἰργόμενοι τῶν Ἀθηνῶν προσέφυγον τοῖς Λακεδαιμονίοις, *b*) Ach. 532, ubi post Timonis Rhodii scholium habes haec (Didymea, cf. p. 236) l. 28 ἐπεὶ ὁ Περικλῆς γράφων τὸ ψήφισμα εἶπε Μεγαρέας μήτε ἀγορᾶς μήτε θαλάσσης μήτ' ἠπείρου μετέχειν et l. 32 ἐνεκάλεσε δὲ ὁ Περικλῆς τοῖς Μεγαρεῦσιν ὅτι τὴν ἱερὰν γῆν τὴν ὀργάδα ἐγεώργησαν, *c*) Pac. 605 Philochori fragmentum; II. d) Pac. 246 l. 50 sqq. Χαρίνου τὸ πινάκιον[4]) συνθέντος τὸ κατ' αὐτῶν (Megarensium) εἰς τὴν Περικλέους χάριν ὥστε μήτε γῆς μήτε λιμένων Ἀττικῶν

[3]) Cf. Philol. Untersuch. I p. 71. Decretum revera e Crateri sylloge haustum esse certo puto evinci, id quod iam Wilamowitzius indicavit, e fine scholii: καὶ ἀναγράψαντες εἰς στήλην χαλκῆν ἔστησαν ἐν πόλει παρὰ τὸν ἀρχαῖον νεών, quales definitiones solebant addi decretis publicis ut C. I. A. I, 20, ol. 80 antiquiori, v. 11 [ἀναγράψαι δὲ τὸ ψή]φισμα τόδε καὶ [ὅρκ]ο[ν ἐ]ν [στήλῃ λ]ιθίνῃ καὶ στῆσαι ἐμπ]όλει τὸν γραμματέα τῆς βου[λ]ῆ[ς] et sescenties. Ceterum cum initium scholii usque ad l. 40 maximam habeat similitudinem cum Herodoti V, 72. 74, hic aut a Didymo praeter Craterum consultus est aut ab ipso Cratero adhibitus, quem commentario ornavisse decreta Krechius probavit.

ἐπιβαίνειν τοὺς Μεγαρέας, e) Pac. 609 ἐπεὶ ψήφισμα περὶ τῶν Μεγαρέων ὁ Περικλῆς ἔγραψε μήτε γῆς μήτε λιμένων αὐτοὺς ἐπιβαίνειν Ἀττικῶν, εἰ δὲ μή, τὸν ληφθέντα ἀγώγιμον εἶναι. ἐφ' ᾧ κινηθεῖσα πᾶσα ἡ Ἑλλὰς τὸν πόλεμον ἐποίησε (hucusque R: Martin). Quae autem ad Pac. 502 aut 619 l. 7 sqq. leguntur, nihil novi afferunt. Vides igitur verba decreti inter se paullo distare. Quod caveas ne fortunae aut scholii auctoribus tribuas. Etenim eadem differentia apud alios legitur cum praeter Philochorum (schol. Pac. 605) qui habet ἀδίκως λέγονται εἴργεσθαι ἀγορᾶς καὶ λιμένων τῶν παρ' Ἀθηναίοις Thuc. I, 67, 4 exhibeat: δηλοῦντες λιμένων τε εἴργεσθαι τῶν ἐν τῇ Ἀθηναίων ἀρχῇ καὶ τῆς Ἀττικῆς ἀγορᾶς (cf. fere idem I, 139[5])), Diodor. XII, 39, 4 ὄντος δὲ ψηφίσματος Μεγαρέας εἴργεσθαι τῆς τε ἀγορᾶς καὶ τῶν λιμένων, Plut. vit. Pericl. XXIX, 2 αἰτιώμενοι πάσης μὲν ἀγορᾶς, πάντων δὲ λιμένων ὧν Ἀθηναῖοι κρατοῦσι εἴργεσθαι; ex quo consensu liceat concludere hanc fere genuinam fuisse decreti formam: ἔδοξε τῇ βουλῇ εἴργεσθαι τοὺς Μεγ. ἀγορᾶς καὶ λιμένων κτλ. Sed nonne mirum est, quod bis in scholiis altera forma inscribitur? quae non minus decreti tenorem genuine servatum sapit. Iam Plutarchus vit. Pericl. 30, 2 praeter illud decretum modo allatum affert novum Charini hoc: γράφει ψήφισμα κατ' αὐτῶν Χαρῖνος ἄσπονδον μὲν εἶναι καὶ ἀκήρυκτον ἔχθραν (sc. Megarensibus), ὃς δ' ἂν ἐπιβῇ τῆς Ἀττικῆς Μεγαρέων θανάτῳ ζημιοῦσθαι, τοὺς δὲ στρατηγούς, ὅταν ὀμνύωσι τὸν πάτριον ὅρκον, ἐπομνύειν ὅτι καὶ δὶς ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσι· ταφῆναι δ' Ἀνθεμόκριτον — de quo statim videbimus — παρὰ τὰς Θριασίας πύλας αἳ νῦν Δίπυλον ὀνομάζονται, unde patet in scholiis quoque revera esse alterum decretum servatum, a Charino latum, diversum a priore, quod cum a Didymo cum priore conturbatum sit etiam a Plutarcho, De reipubl. ger. praecept. cap. 15. 17 p. 812 significatur, quamquam is quoque hoc loco non videtur distinxisse duo decreta, sed generaliter cogitasse de iis quae contra Megarenses decerne-

[4]) Χαρίνου pro χάριν τοῦ e coniectura Holzapfelii, l. a. p. 183; de πινάκιον cf. Schoellius, l. a. p. 25 adn. 1.

[5]) Didymum haec prioris decreti verba hausisse e Philochori narratione, ad Pac. 605 adscripta, non e Thucydide, concludere licet.

rentur, quae omnia parum recte Charino tribuit. Sed Holzapfelius, l. a. p. 69. 70 et 177 sqq., omnino negavit duas latas esse leges, sed Charini psephisma idem esse ac Periclis, inventum autem alterum esse, propterea quod revera binas invasiones quotannis factas esse in fines Megaricas ab historicis cognosceretur (cf. Thuc. II, 31. IV, 66), ea denique quae contra eos, qui fines Atticas intrassent, edicta essent, rei augendae causa esse ficta et originem fortasse debere Aristophanis Acharn. 530 sqq. Quam sententiam vel novissime breviter iteravit, Berliner Stud. VII, 3 p. 89 adn. 1. Quod si verum esset, caderet nostra quoque opinio, qua etiam in scholiis vestigia inesse duorum decretorum verbis inter se diversorum putavimus, quamquam ea confusa sint a grammatico unum ea esse rato, cum schol. Pac. 609 Charini decretum tribuat Pericli. Sed causam esse omnino nego, cur Plut. narrationi diffidamus, quam cum propter structuram sententiarum cadere putaret Holzapfelius p. 184. 185, affatim refutatus est a Krechio, l. a. 80. 81. Immo Thuc. I, 67, et Ephori apud Diodorum XII, 39 et Plut. Per. 29. 30[6]) auctoritate nisi talem fere statuere possumus rerum gestarum ordinem. Tria habemus Plutarchum secuti decreta, Megaricum prius, illud quo Anthemocritus mitteretur, alterum Megaricum a Charino latum. Priora duo apud Thucydidem quoque leguntur I, 67 et I, 139, nisi quod et celatur Anthemocriti nomen et alterum non aperte decreti nomine ornatum est. Nempe cum post pugnam apud Sybota factam, ante proelium apud Potidaeam commissum, ergo sine dubio aestate 432 a Pericle prius decretum Megaricum datum esset, primo concilio non multo post pugnam Potidaeensem habito (iam octobri 432) Megarenses quod iniuste contra se decretum dedissent accusaverunt Athenienses (I, 67). Sed cum contra id opprobrium quod postea iis iniecerunt Athenienses, ut agrum sacrum coluissent, ne verbo quidem se defenderent neque Atheniensium legati qui forte fortuna Lacedaemone ad-

---

[6]) Plutarchum ab Ephoro dependere consenserunt Sauppius, l. a. p. 13, et Ruehlius, l. a. p. 669. Ceterum in insequenti narratione magnopere adiuvor libris Ullrichii, D. megar. Psephisma, Hamb. 1838, et Holzapfelii, Ueber die chronol. Anordn. d. Begebenh. von d. Schlacht bei Leukimne bis z. I. Einfall d. Pelop. in Attic.: Berlin. Stud. VII, 3 p. 47 sqq. Novissimus accessit Nissenius, l. a.

erant (Thuc. I, 72) id iis obicerent, sed *ἔδοξεν αὐτοῖς παρι-τητέα ἐς τοὺς Λακεδαιμονίους εἶναι, τῶν μὲν ἐγκλημάτων πέρι μηδὲν ἀπολογησαμένους ὧν αἱ πόλεις ἐνεκάλεσαν,* concludere oportet usque ad id tempus omnino nondum factam esse hanc reprehensionem, sed causam non indicantes Athenienses tulisse plebiscitum. Lacedaemonii, cum Atheniensium legati domum revertissent, altero synedrio coacto mense novembri 432 (cf. Thuc. I, 88; 113, 3; Holzapfelius p. 91, qui primam invasionem factam esse a. d. VIII Kal. Iun. luculenter probavit) bellum censent esse gerendum. Tunc legati mitti coepti sunt. Tres sequuntur legationes, prima (cap. 126) postulans, ut Athenienses *τὸ Κυλώνειον ἄγος* sarcirent, cum Athenienses ipsi Lacedaemonios iuberent *τὸ ἐπὶ Ταινάρου ἄγος* removere (cap. 128), quarum legationum neque Diodorus neque Plutarchus mentionem fecit, deinde altera (Thuc. I, 139; Diod. XII, 39, 4; Plut. Per. 29, 3) quae ante omnia postulat, ut decretum Megaricum tollatur. Iam pergit Thuc. *οἱ δ' Ἀθηναῖοι οὔτε τἆλλα ὑπήκουον οὔτε τὸ ψήφισμα καθῄρουν ἐπικαλοῦντες ἐπεργασίαν Μεγαρεῦσι τῆς γῆς τῆς ἱερᾶς καὶ τῆς ἀορίστου καὶ ἀνδραπόδων ὑποδοχὴν τῶν ἀφισταμένων.* Tunc igitur demum hoc opprobrium quasi causa oppositum est Megarensibus, ut cum Thucydide utique congruat Plutarchus Pericl. 30 *κοινὴν δὲ καὶ φανερὰν ποιησάμενος αἰτίαν κατ' αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὴν ἱερὰν ὀργάδα γράφει ψήφισμα κήρυκα πεμφθῆναι πρὸς αὐτοὺς καὶ πρὸς Λακεδαιμονίους τὸν αὐτὸν κατηγοροῦντα τῶν Μεγαρέων. τοῦτο μὲν οὖν τὸ ψήφισμα Περικλέους ἐστίν,* nisi quod a Plutarcho discimus non solum Lacedaemoniis talia respondisse Athenienses, sed legatum misisse et Megarensibus et Lacedaemoniis ea dicturum, quem una cum Lacedaemoniorum legatis Athenis esse profectum credere possumus. Quem in via Megara cum venisset, aut Lacedaemona proficiscentem aut inde revertentem, interfectum esse Plutarchus et Harpocration s. v. *Ἀνθεμόκριτος* Isaeo nisus narrant (cf. Paus. I, 36, 3). Quod cum cognovissent Athenienses, simul tertia missa legatione quae bellum declararet (Thuc. I, 139, 3), a Lacedaemoniis verbis nihil effici intellegentes, fere eodem tempore quo bellum declaratum est aut quin declararetur dubitare non iam potuerunt, alterum tulerunt edictum Megaricum auctum quodam-

modo, Charino quodam ferente, cuius verba apud Plut. et in schol. Pac. 246. 609 servata sunt.

Iam cum hunc fere fuisse rerum ordinem a scriptoribus certiores fiamus, Holzapfelius refutatur. Et primum quidem quod Thucydides nihil affert de hoc altero decreto, quem in his partibus satis brevem esse recte animadvertit Wilamowitzius[7]), inde excusationem habet quod ad ipsum bellum Peloponnesiacum magni momenti non est; quod autem propter locos illos Thucydideos II, 31, 3 et IV, 66, 1 legem inventam esse dicit Holzapfelius, sententia est valde artificiosa, cum e contrario invasiones illas annuas lege sanctas esse quam maxime arrideat. Iam ad hominis docti causas accedamus. Quarum primam a re ipsa sumit p. 177, cum neget Anthemocritus si interfectus esset Plutarchum ullo modo Pericli crimen belli facti tribuere posse, sed solis Megarensibus (cap. 29 sub fine). Sed cur, non antequam Anthemocritus missus et interfectus est, prius decretum Lacedaemoniis petentibus sustulit? Non minus cadunt eae causae quae e temporis rationibus hausit homo doctus. Quas rationes quamquam certo definiri nequeunt nihilominus ita se potuisse habere ut antea exposuimus, immo re vera ita se habuisse probabile esse nemo negabit. Iam putat Holzapfelius p. 179 quod Anthemocritum ante tertiam legationem missum esse legeretur hoc cum rei veritate pugnare, cum decretum, quod non nimio tempore post eius mortem datum esse e ταφῆναι κτλ. pateret nisi post bellum exortum latum esse non posset. Quae iis quae antea de tempore exposui facile removentur, quibus praeconis mors et tertium decretum satis sibi appropinquantur. Idem valet de tertia causa quam affert p. 181. Etenim, ait, ne post secundam quidem Lacedaemoniorum legationem poni potest Charini lex; Plutarchus enim cum diserte indicet cap. 30, 1: „Pericles οὐδέν τι μᾶλλον ἐνέδωκεν“ secum ipse pugnaret, si deinde ostenderet Periclem iterum legatum mittentem. At quis dixerit Periclem morem gessisse iis quae Lacedaemonii postularent, cum legatum mitteret accusantem Megarenses quod agrum sacrum coluissent? Cadit etiam quarta causa, omnino non verisimile esse de hoc opprobrio legatum una cum Spartanis missum

---

[7]) Cf. Curae Thucyd. p. 17.

esse, cum simplicius esset, ut legati, qui tunc forte Athenis adessent, rem nuntiassent, ut propterea Anthemocriti legatio ante prius decretum ponenda esset. Nam diversa fieri possunt de hac re iudicia, praesertim cum legatum Megara quoque proficisci iussum esse a Plutarcho certiores fiamus. Id quoque nihil valet quod dicit mirum esse quod non una cum primo decreto causa (nempe ager sacer cultus) prolata esset, sed haec postea demum addita: quod revera ita evenisse a Thucydide discimus. Plutarchi denique locus Moral. 812, quem ante attulimus, nihil potest probare (cf. Holzapfelius, p. 183) cum hoc loco Plutarchus omnino non anxie distinguat inter duo decreta sed in suum usum convertat Charini nomen. Quae cum ita se habeant, additis iis quae Krechius iam exposuit, satis puto refutatum esse hominem doctum, ut iam tria habeamus decreta ad Megarenses pertinentia, quorum duobus, ut iis Attica intercluderetur dictum est, quae, cum in scholiis Aristophaneis non dilucide separata sint, esse inter se diversa cognosci potest. Iam unde haec hausta sint quaeritur. De priore iam dixi; restat alterum Charini (schol. Pac. 246. 609). Cuius forma aliqua e parte e scholiis et Plutarcho potest restitui sic fere: *Χαρῖνος ἔγραψεν ἄσπονδον εἶναι καὶ ἀκήρυκτον ἔχθραν* (*πόλεμον* Cobetus l. a. 112. 118) *καὶ μήτε γῆς μήτε λιμένων Μεγαρέας ἐπιβαίνειν ἀττικῶν* (quam genuinam esse formam sequitur e scholiis, Plut., Gellii N. A. VII, 103[8]), ubi *ἐπιβαίνειν* redditum est „pedem inferre") *ἐὰν δέ τις ληφθῇ* (sive *ἁλῷ*[9]) *ἐπιβάς, ἀγώγιμος*[10]) *ἔστω* sive *ἀγώγιμον εἶναι,* deinde ea quae addit Plutarchus. Iam unde hausit Didymus decretum? Thucydides

---

[8]) Ubi legitur „decreto suo Athenienses caverant ut qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prensus esset, ut ea res ei homini capitalis esset."

[9]) Hanc esse formam decreti probatur Gellii illo „prensus esset", cf. C. I. A. I, 9: *ἐὰν δέ τις ἁλῷ προδιδοὺς τοῖς τυράννοις . . . τεθνάτω,* alia.

[10]) Est haec vox propria sermonis iudicialis, de eo dicta, quem ius fasque est, ubicumque deprehendatur, ab unoquoque aut a certis quibusdam, qui decreto indicantur, aut occidi aut occidendum ad magistratum adduci; cf. Dittenbergerus, Sylloge II, 462, in titulo quodam delphico anno 169/8 a. Chr. n. recentiore v. 12 *κατενεγκάτω δὲ τὸν ἔρανον Σᾶσος κτλ. εἰ δὲ μὴ κατενέγκαι, ἀγώγιμος ἔστω Σῶσος Καλλι-*

nihil exposuit; Ephorus, si omnino de altero decreto locutus est, verba eius certo non attulit. Iam Plutarchum hoc psephisma ut alia huius capitis e Crateris συναγωγῇ hausisse Cobetus et Krechius p. 76 probaverunt, Schoellius, l. a. p. 32 adn. 1, alii[11]) acceperunt; decretum autem in scholiis allatum non solum cum Plutarcheo illo fere consentit, sed etiam sermonem exhibet documentis proprium (cf. adn. 10. 11), ut cum aliis quoque locis Craterum viderimus a grammatico esse usurpatum equidem non dubitem quin haec scholia e Crateri συναγωγῇ a Didymo hausta sint et melius servaverint verba quam Plutarchus.

Iam praeterea exstant decreta nonnulla ad historiam litterarum pertinentia, quae cum publicarum tabularum omnia genera Craterum libro suo complexum esse Krechius probaverit, solas privatas exclusas fuisse, per se ab eius collectione non abhorrent.

1) Schol. Ach. 67 et Ach. 1150; sed ut scholio priori utique fides est habenda, ita Antimachi illud decretum, de quo schol. II Ach. 1150 agitur, fictum esse poëtae versus explicandae causa Cobetus et Luebkius[12]) affatim probaverunt et contra alios defenderunt, ut equidem ne acta agam, haec nolim accuratius tractare. Immo nihil aliud cognovit Didymus (cf. p. 227) nisi archonte Morychide latum esse decretum τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, quod cum duobus annis viguisset solutum est archonte Euthymene.

2) Non aliter iudicandum est de schol. Vesp. 1291 l. 20—23 ἐψηφίσατο γὰρ ὁ Κλέων μηκέτι δεῖν κωμῳδίας ἐπὶ τῷ θεάτρῳ εἰςάγεσθαι, ὅτι δὴ ξένων παρόντων πολίτας ἔσκωπτον, quod non minus grammatici inventioni deberi iidem cognoverunt Cobetus et Luebkius.

3) Schol. Nub. 31 Ἀμυνίας τῶν περὶ ἵππους ἐπταικότων· μέμνηται δὲ αὐτοῦ καὶ ἐν τοῖς Σφηξί (1267). νῦν δὲ οὐκ ἐκεῖνον καθάψασθαι βουλόμενος μνημονεύει αὐτοῦ, ἀλλὰ τὸν τότε ἄρχοντα διασύρειν προαιρούμενος τῇ ἐκείνου προση-

---

ξένωι αὐτὸς καὶ τὰ αὐτοῦ πάντα. Cf. Platnerus, Der Process u. d. Klagen bei den Attikern. Erster Theil: Process. Darmst. 1824, p. 266. 67.

[11]) Cf. Cobetus, Observ. critic. in Platonis com. reliquias, Amstelod. 1840 p. 9 sqq.; Luebkius, Observ. critic. in hist. veter. graec. comoed., Berol. 1883 p. 9 sqq.

[12]) Cf. ille, l. a. p. 29, hic, l. a. p. 15.

γορίᾳ ἐχρήσατο. τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμεινίας τοῦ Προνάπους υἱός (Dindorfius: V τῆς Προν., quod falsum est. Pronapes viri nomen esse probat Isocrat. VIII, 18). ἐπεὶ οὖν τοὺς Ἀθηναίους πρότερον κωμῳδεῖν τὸν ἄρχοντα ὁ νόμος ἐκώλυσεν ἀφαιρέσαι μὲν τοῦ ι, προστεθέντος δὲ τοῦ υ παρατρέψας ὀλίγον Ἀμυνίαν αὐτὸν εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀμεινίαν. Hic primum quidem error notandus est; etenim quod dicit scholiastes alterum esse Amyniam Pronapis filium, alterum eum de quo agatur Vesp. 1267, ibi quoque in scholiis Amynias vocatur Pronapis filius: orta est tota scholiastae scientia ex Aristophanis Vesp. 74, ubi Pronapis filium eum vocat poëta. Stare igitur non potest scholiastae opinio diversos inter se esse Amynias, immo causa non est, cur non putemus, ubicumque Amynias quidam deridetur, quod saepius fit, eundem intellegi Pronapis filium. Iam legem quoque propter quam factum esse putat scholiastes ut pro Aminia — hoc enim nomen archontis 423/22 est (cf. Diod. XII, 72) — Amyniam dixerit poëta fictam esse facile probatur quamquam Leo[13]) revera talem legem datam esse eamque Antimacho illi de quo antea egimus tribuendam putavit. Patet inde quod revera huic loco nihil subest irrisionis, sed Amynias ei numero adscribitur, qui equis vehi et cum aliis pugnare solebant; patet denique inde quod quamquam in Vesparum illo loco allato nomen ipsum archontis non exstat, tamen, id quod Hermannus indicavit ceteroquin non aversus huic Nub. scholio credere (ed. Nub. p. 218), addito patris nomine unusquisque statim cognovit archontem intellegi; nam sub Aminia Vesparum fabula docta est. Accedit quod in altera demum recensione, qua fabulam Nubium Dionysiis 422 sub archonte Aminia docere in animo haberet poëta, eius nomen mutatum esse necesse esset credere, cum in priore, anni 423, sine damno potuerit exstare, id quod iam vidit Luebkius, l. a. p. 13. Quibus causis commotus id quod Boeckhius[14]) dubitanter attulit „wenn der Scholiast zu Nub. 31 nicht fabelt" certo ausim contendere; erat Amynias ille, ut explicat cod. R glossa interlinearis (cf. Martin), τὶς τῶν περὶ τοὺς ἵππους ἐπταικότων.

4) Id decretum quod in schol. Av. 1297: Συρακοσίῳ δὲ

---

[13]) Cf. Quaestiones Aristoph. Bonn. 1873 p. 39.
[14]) Cf. Staatshaushalt II² 149.

κίττα: οὗτος γὰρ τῶν περὶ τὸ βῆμα. καὶ Εὔπολις ὡς λάλον ἐν Πόλεσι διασύρει . . . δοκεῖ δὲ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνόμαστί τινα ὡς Φρύνιχος Μονοτρόπῳ . . . ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν . . . a Syracosio latum esse dicitur, re vera latum esse homines docti consentiunt[15]); sed grammaticus, suo ex more e comoediis quantum potest hauriens, cognitionem debet soli Phrynichi loco quem affert, quod indicavit Luebkius l. a. p. 20. Perverse igitur dicit Bergkius (opuscul. II p. 459 adn. 24): „Ja ich vermute, dass dieselbe Bestimmung (nempe ad eos tantum spectare legem qui interfuissent causae hermocopidarum) auch in den Worten des Scholiasten selbst liegt, wo *τινά* wohl zu verbessern ist: *δοκεῖ δ. κ. ψ. τ. μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινας.*"

5) Denique huc pertinet schol. Eccl. 22: *ἃς Σφυρόμαχος· γράφεται ἃς Κλεόμαχος. καὶ φασὶ Κλεόμαχον τραγικὸν ὑποκριτήν. οὗτος φαίνεται ὑποκρινόμενός ποτε εἰρηκέναι ἕδρας ἐν δράματι καὶ ἐσκῶφθαι διὰ τὸ κακέμφατον. ὁ δὲ Σφυρόμαχος ψήφισμα εἰσηγήσατο, ὥστε τὰς γυναῖκας καὶ τοὺς ἄνδρας χωρὶς καθέζεσθαι καὶ τὰς ἑταίρας χωρὶς τῶν ἐλευθέρων.*[16]) Duae igitur exstabant lectiones *Κλεόμαχος* et *Σφυρόμαχος*, quarum utramque explicare studuerunt scholiastae.

---

[15]) Cf. Fritzschius, Quaest. Aristoph. p. 307; Bergkius in append. h. l. p. 317 et opusc. II, 459; Droysenus, Mus. Rhen. IV p. 60 sqq.; Cobetus l. a. p. 37; Luebkius l. a. p. 20.

[16]) Iam Dobreeus, l. a. II p. 232, dubitanter proposuit schol. Eccl. l' inde a *διὰ* — l. 22 ad versum 22 esse referendum, quod receperunt Goetzius, l. a. p. 362, et Velsenus, l. a. p. 396. Sed quomodo illud *διὰ τὰς ἑταίρας* sit explicandum, neque Goetzius vidit cum putavit *διὰ τ. ἑ. ἑ.* esse additum ab aliquo scholiasta, ut verborum nexum restitueret, neque Velsenus, qui putare videtur post *ἢ τοῦ Δικαιογένους* excidisse *ἢ τοῦ Καλλιμάχου*. Immo in *διὰ* latet *δεῖ*, ut habeas ad lemma v. 23 *δεῖ τὰς ἑταίρας — ἐγκαθιζομένας* adscriptum: *ὃ πρὸς οὐδὲν* e coni. Dobreei secundum schol. Av. 168 (*Σύμμαχος δὲ πρὸς οὐδὲν ἢ ὅτι . . .*) *εἶπεν ἀλλὰ μόνον ὅτι τὰς ἑταίρας δεῖ πως* (i. e. quod dicit nullo certo consilio, sed solum necesse esse eas aliquo modo sedere). Deinde quod verbis insequentibus *βούλεται δὲ εἰπεῖν ὅτι τοὺς ἄνδρας προλάβωμεν εἰς τὴν ἐκκλησίαν* putat Goetzius patere scholiastam legisse in textu magis genuino *προτέρας ἐγκαθεζομένας*, equidem *προλάβωμεν* corruptum esse puto e *προλάθωμεν* (cf. *λαθεῖν* in v. 23), ut aliam lectionem, sicut fere numquam, ne hic quidem habuerit scholiastes.

Nam ita res se habet, non ut Passowius dicit[17]): „wer schol. I schrieb, muss eine unbestimmte Notiz über d. trag. Schauspieler Kleomachus vor sich gehabt haben, die Verbindung desselben mit Phyromachus ist nur zu verstehen, wenn Cleomachus, wie ich vermute, den ersten Anlass zum Psephisma gegeben hat." Iam quod ad explicationem quam profert interpres I attinet, equidem eam merum autoschediasma puto esse poëtae verborum gratia excogitatum. Aliter censuit Goetzius a Velseno[18]) iam refutatus. Putat enim Cleomachum fortasse in continuitate verborum ἕδρας vocem tam male pronuntiasse aut ita cum alia voce coniunxisse ut ridiculus sensus evaderet; fortasse id ipsum esse respiciendum quod ἕδρας nates quoque significaret. Quod solum a scholiasta significari probatur verbis καὶ ἐσκῶφθαι διὰ τὸ κακέμφατον (i. e. propter vocis obscoenitatem, cf. schol. Ran. 423 l. 9). Qua re cognita unusquisque intelleget hanc explicationem fictam esse et fictam quidem a scholiasta admodum pingui Minerva praedito: nam quam saepe apud Aeschylum, Sophoclem, Homerum hanc vocem legimus? Inservit autem huic inventioni id, quod schol. Ran. 303 (Didymeo cf. l. 25) de Hegelocho legitur. . Transeamus igitur ad alteram explicationem. Exhibet cod. R in textu Aristophaneo *Φυρ.*, *ΑΒΓ Σφυρ.*, quod Goetzius utique probat. Non recte, ut equidem puto. Nam praeterquam quod cod. R in hac quoque fabula contra alios alteram recensionem exhibentes palmam tribui probavit Kuehnius[19]), nomen ipsum Phyromachi, cum Sphyromachus non iterum legatur, testantur Athen. 161 d, 245 e, 343 b, 414 d et C. I. A. I, 539 in titulo Euclidis anno priore ἐπὶ Φυρομάχου βασιλέως. Iam decretum ipsum, quod ei tribuitur, cum Wachsmuthius, Boettigerus[20]), Dindorfius (in edit.) fictum putassent, Goetzius a poëta certe id intellegi propterea negavit, quod etiamsi concederet cum theatro ad quod pertineret comparari contionem, verbis εἰ μέμνησθ' ἔτι eius rei mentio fieret, cui ipsae mulieres interfuissent, sed hae nullo modo contioni interesse potuissent, qua illa lex lata

[17]) Cf. Zeitschr. f. d. Altertumswissensch. 1837 p. 246.

[18]) Ille l. a. II p. 360, hic Leutschii Indic. Phil. VI, 395. 396.

[19]) Cf. De codic. qui Ar. Eccl. et Lys. exhibent. Halis 1886 p. 8 sqq.

[20]) Ille Hellen. Altertumsk. II p. 391, hic Kl. Schriften I, 295 sqq. et saepius.

esset. Sed nimis anxie et artificiose puto eum interpretatum esse poëtam, cui talem lapsum facile ignoscemus, praesertim cum iis potissimum loquatur qui in theatro adsunt, non hominibus doctis tantopere verba sua prementibus. Ergo hoc non obstat. Iam fictum esse non potest decretum. Nam cum in hac re fere consentiant hodie homines docti, si non comoediam et tragoediam certe tragoediam solam mulieribus licuisse spectare[21]), cum rerum veritate non pugnat scholium; de tota autem re quomodo tam certa et fixa scholiastes potuerit fingere equidem non video, praesertim cum a poëta res adiuvetur, qui verbis *τὰς ἑτέρας* l. 23 (ed. Iunt.) ad hoc decretum videtur spectare.

Habemus igitur duo decreta ad fabularum historiam pertinentia, Ach. 67, Eccl. II, 22, quorum cum prius scholium de decreto ipso nihil certi contineat, equidem ne alterum quidem e Crateri *συναγωγῇ* haustum esse puto. Immo nata sunt inde unde aliae quoque eiusmodi res ortae sunt, ut schol. Ran. 404 (ex Aristotelis *διδασκαλίας*) aut schol. Ran. 367; ut, cum in didascaliis tale quid vix exstiterit, equidem ea tribuam *Ἐρατοσθένους περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας*, qui liber saepius usurpatus est.

Denique unum restat decretum schol. Equ. 574, ubi ad explicandos versus:

καὶ στρατηγήσας οὐδ᾽ ἂν εἷς
τῶν πρὸ τοῦ σίτησιν ἤτησ᾽ ἐρόμενος Κλεαίνετον

trium reperiuntur grammaticorum sententiae, quarum I l. 53, 54 et III 4, 5 a grammaticis fictas esse verba ipsa (*φαίνεται — στοχάζονται*) probant, II haec habet: *οἱ δέ, ὅτι οὗτος ἔγραψε ψήφισμα μὴ δεῖν δοθῆναι τοῖς στρατηγοῖς σίτησιν. σπανίως δὲ μέμνηται τοῦ Κλεαινέτου καὶ σχεδὸν ἐνταῦθα μόνον.* Cui Droysenus (Vers. germ. p. 125 adn.) fidem haberi vult, quamquam addit: „So nach der Ansicht des Scholiasten, der vielleicht aus der Stelle selbst nur seine Erklärung entnommen hat.“ Certe finxit poëtae verborum gratia hoc decretum grammaticus. Nam praeterquam quod de hoc Cleaeneto nihil unquam audimus, quid ineptius quam credere, id quod poëtae verbis postulatur, huic homini eam potestatem fuisse, ut ab eodem decreto quod tulerat posset excipere quoscumque vellet? De loci interpreta-

[21]) De hac re non accuratius ago: cf. Muellerus, Griech. Bühnenaltert. p. 289, 90 et adn.

tione quem falso Muellerum-Struebingium puto corruptum habere (cf. l. a., Aristophanes etc. p. 685) cf. Kockius ad h. v.

Cap. VIII.

Aristoteles, qui saepius consultus est de institutis Atheniensium[1]), in iis scholiis, quae ad nos pertinent, rarius adhibitus est. Quo iam Callistratum usum esse docet schol. Vesp. 157, ubi de Dracontide legitur sic: *πονηρὸς οὗτος καὶ πλείσταις καταδίκαις ἐνεχόμενος ὡς Πλάτων Σοφισταῖς. Καλλίστρατος δὲ ἕνα τῶν λ' φησίν, εἰ μὴ ὁμώνυμος. ἔστι γὰρ οὗτος ὁ τὸ περὶ τῶν λ' ψήφισμα περὶ ὀλιγαρχίας γράψας ὡς Ἀριστοτέλης ἐν Πολιτείαις,* quae postrema verba, cum et eandem sententiam proferant atque antecedentia neque cum iis bene coniuncta sint (cf. v. *γάρ*), equidem puto ipsius Callistrati verba esse a Didymo transscripta, e Didymi commentario bis hic allata. De eodem cf. Xen. Hell. II, 3, 2; cum Aristotele consentit Lys. XII, 73. Ceterum quod Breitenbachius Xen. Hell.² ad II, 3, 2 dicit eum secundum schol. Vesp. 157 saepe punitum esse, hoc e sola Platonis comici fabula bona cum fide a Didymo haustum quanti sit momenti, ipse viderit.

Ad eundem referendum est schol. Lys. 665 et 666 (cf. Suid. s. v. *Λυκόποδες*), Didymea ut vidimus p. 232. Iam scholium alterum exhibet haec: *Λειψύδριον· χωρίον τῆς Ἀττικῆς περὶ τὴν Πάρνηθον* (Suid. *ὑπὲρ Πάρνηθος*) *εἰς ὃ συνῆλθόν τινες* (additum e Suid. et cod. L) *ἐκ τοῦ ἄστεος, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ* (cf. Rosius, frg. 394). De Lipsydrio cf. Herod. V, 62, 4, quem in hac re secutus videtur esse philosophus. Sed quid sibi vult illud *ἐκ τοῦ ἄστεος* sive *οἱ ἐκ τοῦ ἄστεος*? Intelleguntur, ut e scholio antecedenti patet, Alcmaeonidae, ut equidem putem, duo haec scholia sub uno

---

[1]) Cf. schol. Equ. 1150, Nub. 37, Vesp. 578 (Vesp. 300, Ran. 140, Plut. 330), Vesp. 691, 1292, 1436, Av. 1354, Plut. 278 (ex Atheniensium republica), Ach. 320, Av. 1283, Lys. 991 (ex republica Lacedaemoniorum). Ceterum etiam in rebus historicis „*πολιτικά*“ in usum non sunt vocata; cf. Roseius, Aristot. qui ferebantur librorum fragm. Lips. 1886.

lemmate coniungenda sic olim esse exhibita: *Λυκόποδες* l. 11 *ἐτείχισαν τὸ Λειψύδριον, χωρίον τῆς Ἀττικῆς . . . εἰς ὃ συνῆλθον ἐκ τοῦ ἄστεος κτλ.* Iam in priore parte scholii contra Aristotelem, hic quoque cum Herodoti narratione V, 63, 90 arte congruentem, pugnat grammaticus ipse, cum poëtam (cf. l. 18 *ὁ δὲ Ἀριστοφάνης* et Suid. *ο δὲ Ἀ. ἐν Λυσιστράτῃ κτλ.*) non *δορυφόρους* Pisistrati sed Almaeonidas falso putet significare. De re cf. Dunckerus, l. a. VI p. 500, 501.

Denique ad Aristotelem pertinet schol. Ran. 1532 *παρόσον, ὡς Ἀριστοτέλης φησί, μετὰ τὴν ἐν Ἀργινούσαις ναυμαχίαν Λακεδαιμονίων βουλομένων ἐκ Δεκελείας ἀπιέναι ἐφ' οἷς ἔχουσιν ἑκάτεροι καὶ εἰρήνην ἄγειν ἐπὶ τοῦ Καλλίου* (quae verba huc falso translata inserenda esse post *ναυμαχίαν* recte vidit Cobetus[2]) *Κλεοφῶν ἔπεισε τὸν δῆμον μὴ προσδέξασθαι, ἐλθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν μεθύων καὶ θώρακα ἐνδεδυκώς, οὐ φάσκων ἐπιτρέψειν ἐὰν μὴ πάσας ἀφῶσι τὰς πόλεις οἱ Λακεδαιμόνιοι* (cf. Rosius, frg. 408, qui Cobeti emendationem neglexit). Quae res et ab Aristophanis editoribus (cf. Fritzschius, Aristoph. Thesm. p. 304, Kockius, Ran. ad h. v.) et a rerum gestarum scriptoribus (cf. Gilbertus, l. a. p. 383, Curtius, l. a. II⁵ p. 781, praeterea Cobetus, l. a. p. 157 sqq., Harwardtius, l. a. p. 48) bona cum fide pro vera accepta est; unus Grotius, Gesch. Griech. IV p. 471: vers. germ. eam ut fictam repudiavit, quem vel nuper secutus est Breitenbachius, Xen. Hell. ad I, 6, 38 adnotans haec: „da hier auch Diodor (praeter Xenophontem) nichts von solchen Friedensunterhandlungen erwähnt, so liegt es nahe, dass der Scholiast, was Aristoteles als Folge der Schlacht bei Kyzikos besprochen haben mag, irrthümlich auf die Niederlage bei den Arginusen folgen lässt! Quamquam ipse concedit per se credi posse etiam tunc accidisse talem rem. Sed erravit homo doctus. Etenim ut, quod ea quae apud Diodorum leguntur XIII, 52, 3 (post Cyzicum: (*βουλόμεθα πρὸς ὑμᾶς ἄγειν εἰρήνην, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τὰς μὲν πόλεις ἃς ἑκάτεροι κρατοῦμεν κτλ.* iis quae in scholio leguntur similia sunt, hoc in re positum est, cum pacis condiciones eaedem essent, ita quod omnino tacet de hac altera pace auctor non adeo

[2]) Cf. l. a. p. 158.

offendit, quippe qui ne de iis quidem loquatur quae statim post proelium ad Aegospotamos factum cum Lacedaemoniis pacisci studuerunt Athenienses (de quibus cf. Xenoph. Hell. II, 2, 14 sqq.; Lys. VIII; Gilbertus, l. a. p. 397 sqq.). Deinde autem ipsum Aristophanem huius rei habes testem, qui dicit in fine Ranarum fabulae anno 405 doctae: „nos quidem pacem agemus. Κλεοφῶν δὲ μαχέσθω

κἄλλος ὁ βουλόμενος τούτων πατρίοις ἐν ἀρούραις",

quae non rem significare quattuor annis ante gestam unusquisque intelleget.[3]) Ergo causa non est, cur scholiastae et Aristotelis testimonio diffidamus. Altera quaestio est, nonne philosophus in narratione ipsa comicis pauca debeat, quorum iocis quam maxime perstrictum esse Cleophontem vel ea re docetur, quod eodem anno et iisdem ludis, quo Ranae doctae sunt, Plato docuit Cleophontem fabulam (cf. Cobetus l. a. p. 146). Comicum enim sapit quod dicitur Cleophon μεθύων et θώρακα ἐνδεδυκώς in concionem venisse, comicum Aeschinis quoque narratio prodit.

De olympionicis agitur scholiis his:

1) Schol. Ach. 214 (cf. schol. Vesp. 1206). Tres hic discernit grammaticus (Didymus p. 237) Phayllos: cursorem, virum illum praeclarum, alium olympionicam, tertium furem, quorum hunc nisi e comoedia cognitum non habuisse facile e toto grammatici more intellegitur. Iam de Phayllo cursore et pentathlo praeterea exposuerunt Herodotus VIII, 47, qui eum ἄνδρα τρὶς πυθιονίκην in pugna apud Salamina facta praefuisse navi Crotoniatarum dicit, Paus. X, 9, 2 Φαΰλῳ δὲ Κροτωνιάτῃ (Ὀλυμπίασι μέν οὐκ ἔστιν αὐτῷ νίκη, τὰς δὲ Πυθοῖ πεντάθλου δύο ἀνείλετο καὶ σταδίου τὴν τρίτην) κτλ., deinde Zenob. VI, 23 ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα: Φαῦλος ἐγένετο πένταθλος Πόντιος ὃς ἐδόκει μέγιστα δισκεύειν καὶ ἅλλεσθαι. ἐπειδὴ οὖν ὑπὲρ τοὺς ἐσκαμμένους πεντήκοντα πόδας εἰς τὸ στερεὸν

---

[3]) Ceterum Aeschinem, De fals. leg. 75, et Ctesiphont. 150 non hanc pacem significare, sed pactiones post pugnam ad Aegospotamos factum contra Fritzschium, Thesmoph. p. 304, et Cobetum, l. a. p. 151 158, novissimus exposuit Gilbertus, l. a. p. 383 adn. 19, quamquam Aeschines ipse condiciones quas affert cum aliis post Cyzicum et Arginusas oblatis aliqua ex parte videtur confudisse, sed est orator, non historicus.

ἥλατο, τὸ συμβὰν εἰς παροιμίαν περιέστη, cf. Suid. s. v. ὑπὲρ τὰ ἐσκ. artic. II.[4]) Expositum est epigramma a Iacobsio in anthol. graec. IV, 205; cf. XIII (= II, 1) p. 411. Iam cum constet Herodoti et Pausaniae auctoritate eum Olympiis numquam victoriam reportasse, protinus intellegitur ne Didymum quidem, cum vocet eum olympionicam, catalogum aliquem victorum consuluisse; immo, ut de eodem in proverbiis videtur dixisse, ita unde haec hauserit dici nequit. Aliter res comparata est verbis insequentibus: ἐγένετο δὲ καὶ ἕτερος ἀθλητὴς ὀγδόην ὀλυμπιάδα νικήσας, quae propter certum tempus expositum ad bonum fontem historicum recedere elucet, quamquam de hoc Phayllo nihil aliunde notum est.

2) Schol. Vesp. 1191: I τὸ χ ὅτι περὶ τοῦ Ἐφουδίωνος ὡς ἀληθῶς ἱστορεῖ, II τὸ χ (cf. p. 304 adn. 42) ὅτι κατεψευσμένοι (e coniect. Bernhardyi, Eratosthenic. p. 220) φαίνονται οὗτοι παγκρατιασταὶ ἐπὶ παιδιᾷ. ὁ δὲ Ἀσκώνδας καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος. εἰ μὴ ἄρα ὁ Ἐφουδίων ἐστὶν ὁ ἐν ταῖς Ὀλυμπίασι φερόμενος, Ἐφουδίων Μαινάλιος οθ'. Putavit igitur grammaticus (Didymus, cf. p. 231) nomina hominum esse ficta. Quod ait, quantum ad Ascondam attinet iam e nomine patet, ut neque omnino cognoscerit tale nomen[5]), et sine dubio ad ἀσκός putaverit alludere poëtam. Pergit „nisi forte Ephudion est ille qui in catalogo Olympionicarum legitur: Ephudion Maenalius vicit ol. 79." Iam in his verbis vitium latet. Apud Hesychium enim, qui ad Didymum recedit (cf. p. 231), bis non ου sed ω nomen scribitur, cum Erathostenes vel littera τ scripsisse hominem dicatur; deinde in scholio ipso cur non certo dixerit Didymus hunc pancratiastam eundem esse atque illum qui in catalogo exstet non intellegitur, nisi si paullo aliter nomen illic scriptum sit. Denique eodem ea res spectat, quod l. 49 repetitur ὁ . . . φερόμενος Ἐφουδίων, ut equidem putem hoc Ἐφουδίων esse corruptum. Idem iam indicavit Bernhardyus, l. a. p. 220, qui proposuit Ἐφουτίων; utrum recte

---

[4]) Qui in artic. I idem praebet ac Photius s. v. ὑπὲρ τὰ ἐσκ.; Apostol. VII, 62; Eustath. ad Od. I p. 291; singulare aliquid habet in artic. III.

[5]) Nomen videtur esse Boeoticum, cf. Papeius, Wörterb. d. griech. Eigennamen[3] s. v. Ἀσκώνδας.

postea videbimus. Aristophanem autem finxisse nomen docet Richterus, Arist. Vesp. Habemus igitur rei optimum fontem, catalogum quendam olympionicarum.

3) Schol. Av. 283, ubi cum prius scholium e sola comoedia haustum sit, alterum, quod initio cum priore coniunctum fuisse verisimile est, habet haec: *λέγεται καταψεύδεσθαι τῶν ὑπομνημάτων* (suppleto ut recte vidit Schneiderus[6]) *τινά* sive *τι*) *ὅτι οἱ Ἱππόνικοι καὶ οἱ Καλλίαι ἄνωθεν ἐκ διαδοχῆς ἀπὸ διαδοχῆς ἀπὸ πατέρων ἐπὶ παῖδας καθήκουσιν. ὅπερ ἐστὶ ψεῦδος. ὁ πρῶτος γοῦν Καλλίας Φαινίππου πατρός ἐστιν, ὁ νενικηκὼς ἵππῳ τὴν νδ' ὀλυμπιάδα.* De interpretatione cf. Kockius. Scholium ipsum non ita facile est intellectu, id quod probatur falsa Palmerii[4]) sententia, qui scholiastam poëtam ipsum putat accusare. Quod certe via, ut ita dicam, directa non facit. Neque enim contra poëtam, sed contra *τὰ ὑπομνήματα* se convertit Didymus, ut fere genuina scholii forma fuerit: *ἐν ὑπομνήμασί τισιν*[8]) *ὅτι οἱ Ἱππόνικοι κτλ. ὅπερ ἐστὶ ψεῦδος. ὁ πρῶτος γοῦν κτλ.* Deinde verbis *ὅπερ ἐ. ψ.* servatis praepositum est: *λέγεται* (nempe a Didymo) *καταψεύδεσθαι τῶν ὑπομνημάτων τινά· ὅτι κτλ.* Iam quod ad rem attinet Herod. VI, 121, ubi vide in Steinii editione maiore stirpem huius gentis, constat Calliam revera fuisse Phaenippi filium neque quicquam obstare quin eum ol. 54 (564 a. Chr. n.) Olympiae palmam tulisse credamus, cum illic legatur: *μοῦνος Ἀθηναίων ἁπάντων ἐτόλμα ὅκως Πεισίστρατος ἐκπέσοι ἐκ τῶν Ἀθηνῶν* (cf. Plut. De malign. Herod. XXVII, 9 p. 863). Ergo, cum in schol. Vesp. 1191 Olympionicarum quidam catalogus consultus sit, ad eundem debemus referre schol. Ach. 214 et schol. Av. 282. Quem investigantes adiuvamur Hesychii illo loco, quem antea exposuimus, a Didymi lexico comico dependente: *Ἐφώδιων· Ἐρατοσθένης διὰ τοῦ τ Ἐφωτίωνα ἀναγράφει, Μαινάλιον, περιοδονίκην*[9]), *παγκρατιάστην. ὁ δὲ Πόλεμων διὰ τοῦ δ.* Iam quaeritur ubinam de hoc homine egerint auctores allati. Factum

[6]) Cf. l. a. p. 23 adn. 2.

[7]) Cf. l. a. p. 751.

[8]) De quorum cum Didymo necessitudine cf. Schmidtius, l. a. p. 288.

[9]) E coniect. Sopingii: cf. Prellerus, Polem. frgm. n. LII.

esse in Polemonis *περὶ τῆς Ἐρατοσθένους Ἀθήνησιν ἀποδημίας*[10]) negavit Bernhardyus, l. a. p. 5, tales res ab hoc libro plane abhorrere ratus: sed cum Polemonis olympionicarum enumerationem quandam non cognoscamus[11]), cumque non solum ad geographica Eratosthenis opera spectasse constet Polemonem eum reprehendentem[12]), recte puto Prellerum fecisse quod inter fragmenta ex hoc Polemonis libro hausta id enumeravit: unde Didymus hausit. Sed hoc iam videbis, hunc Polemonis librum in scholiis non esse usurpatum, cum et plures videamus olympionicas allatos et in schol. Vesp. diserte expositum sit catalogum victorum esse consultum. Altera quaestio est, num in Hesychii mentione praeter Polemonem Eratosthenes usurpatus sit an omnia *Ἐρατοσθένης* usque ad *δ̄* ex unius Polemonis libro hausta sint, qui adversarii sententiam attulit, suam adiecit. Quae discerni non potest, cum altera ex parte vocabulo *ἀναγράφει*[13]) eluceat eum qui attulerit verba *Ἐρατοσθένης διὰ τοῦ τ̄ Ἐφωτίωνα ἀναγράφει* spectasse ad Eratosthenis *ὀλυμπιονίκας*.[14]) Sed cum e tribus illis scholiis Aristophaneis appareat a Didymo in commentario usurpatum esse alicuius olympionicarum catalogum, cumque ex Hesychii loco illo pateat ab eodem Didymo in lexico comico a commentariis ad partem dependente posse usurpatum esse Eratosthenis catalogum, inde concludemus re-

---

[10]) Hesych. s. v. *βίηφι* et schol. Av. 11 cod. V — in R hic locus deest — *ἀποδημία*, alii cod. scholii *ἐπιδημία*, quod a Bernhardyo comprobatum, a Nauckio, Philol. V p. 698, repudiatum est. Sensus enim verborum idem est, ut quamquam Ion quoque scripsit „*ἐπιδημίας*“, equidem cum Nauckio Hesychii et codicis V auctoritate nisus consentiam.

[11]) Errat Krauseius, Hellenic. II, 1: Olympia p. XII, cum propter Hesychii locum putet eius librum *περὶ ἀγώνων* in tali quoque re versatum esse.

[12]) Cf. Prellerus, l. a. p. XLVII et p. 85; Muellerus, frg. h. gr. III p. 129.

[13]) De vi huius vocabuli („in tabulas res referre“) cf. Bentleius, Opusc. phil. p. 509 et praeter alios M. Schmidtius, l. a. p. 352.

[14]) Quas cum praemissas esse *χρονικοῖς* suspicatus sit Muellerus in ed. Herod. Didot. Paris 1840 p. 202, haec sententia refutata est iis quae Niesius de argumento et condicione chronographiae Eratosthenis disseruit, Herm. XXIII p. 94 sqq.: immo erant *ὀλυμπιονῖκαι* proprium opusculum e compluribus libris (cf. Athen. IV, 154 a) consistens.

vera et hic praeter Polemonem Eratosthenem in usum esse vocatum, et tres eas victorum mentiones in scholiis exstantes ad eum recedere. Quibus expositis iam elucet quomodo nomen quod corruptum esse vidimus sit corrigendum in scholio; scribendum enim Ἐφόπτιον Μαινάλιος. Habemus igitur tria nova Eratosthenis fragmenta schol. Ach. 214 l. 19. 20; Vesp. 1191 l. 49; Av, 283 l. 43. 44.

In schol. Ach. 527 leguntur haec l. 4. 5: ἡ δὲ Ἀσπασία Περικλέους ἦν σοφίστρια καὶ διδάσκαλος λόγων ῥητορικῶν· ὕστερον δὲ καὶ γαμετὴ γέγονε, quae, cum antecedentia ut schol. Pac. 502 e poëtae ipsius verbis et scholiastarum ingeniis nata sint, sobrium exhibent iudicium; sed cum permulta de Pericle et Aspasia antiquis temporibus narrarentur, unde haec sumpta sint, certo dici nequit, quamquam naturam fontis licet indicare. Etenim cum ad Equit. 132 legatur προβατοπώλης: τὸν Καλλίαν λέγει καὶ τὴν πολιτείαν αὐτοῦ (hucusque R: Martin). τινὲς δὲ ὅτι Λυσικλέα λέγει, ὃς προβατοπώλης ἐλέγετο. ᾧ ἐγαμήθη Ἀσπασία, cui rei fidem fieri Arist. Equ. versu 764 non inepte exposuit Muellerus-Struebingius, apud Plut. 24, 2 invenimus Αἰσχίνης δέ φησι καὶ Λυσικλέα τὸν προβατοπώλην . . . Ἀσπασίᾳ συνόντα μετὰ τὴν Περικλέους τελευτήν κτλ. et apud Harpocrat. s. v. Ἀσπασία praeter alia haec: Λυσικλεῖ δὲ τῷ δημαγωγῷ συνοικήσασα ποριστὴν ἔσχεν ὡς ὁ Σωκρατικὸς Αἰσχίνης φησίν. Unde patet et schol. Equ. 132 summa cum probabilitate Aeschinis Socratici dialogo deberi et alias eiusmodi res in scholiis servatas, quibus de Periclis et Aspasiae rebus domesticis agatur ad huius generis fontes recurrere, nempe ad dialogos Socraticos. Nam ad fontem non ita recentem ea recedere vel inde sequitur, quod e sescenties illis fabulis de Aspasia lena et meretrice fictis ne unam quidem afferunt, quas, si comoedias omittis, ante primum p. Chr. n. saeculum ortas non esse probavit A. Schmidtius.[15])

Iam exstant nonnulla scholia historica, quae ad certum fontem non possunt referri. Huc primum referuntur ea, quae de Coesyra leguntur, quorum partem a Didymo ortam esse antea probavimus (cf. p. 231). Habes

---

[15]) l. a. I p. 296 sqq.

1) Schol. Ach. 614 ὁ *Κοισύρας*: ὁ *Μεγακλῆς*· *Κοισύρα δὲ ἐγένετο Ἀθήνησιν εὐγενὴς γυνὴ καὶ πλουσία, μήτηρ Μεγακλέους, ὃς καταβεβρωκὼς τὴν οὐσίαν καὶ ὕστερον πεπλουτηκὼς ἐκ τοῦ τὰ κοινὰ πράσσειν λέγεται* (cf. Suid. s. v. *Κοισύρα*), quae verba quamquam illis temporibus Megaclem, certe Coesyrae filium, Athenis fuisse puto probari cum Aristophanis Babyloniorum tum Strattidis et Leuconis fragmentis [16]), et nomen Megaclis hic una cum Lamacho exponi ut nobilitatem plebi oppositam repraesentent — ut non ab omni parte consentiam cum editoribus Blaydesio, A. Muellero, Ribbeckio — quae verba dico aliunde sumpta non esse nisi e comoedia quadam probatur et scholii natura et scholiastarum more utcumque fieri potest solas comoedias consulentium.

2) Schol. Nub. 46 Didymeum (cf. p. 231) l. 2—5: *οὗτος* (sc. Megacles) *δὲ διεβάλλετο ὡς δοῦλος. ὁ πρῶτος οὖν Μεγακλῆς Κοισύρας ἦν υἱὸς ἥτις ἦν ὑπερβαίνουσα γένει καὶ πλούτῳ. ἦν δὲ ἐξ Ἐρετρίας. διὸ καὶ κοισυρεῖσθαι τὸ μέγα φρονεῖν παρ' Ἐρετριεῦσιν.*

3) Schol. Nub. 48 l. 26—31 ubi non tam *μέγα φρονεῖν* (superbire) quam *τρυφᾶν περισσῶς κοσμεῖσθαι* vertitur *τὸ κοισυρᾶσθαι* a Coesyra derivatum. *αὕτη δὲ ἐγαμήθη Πεισιστράτῳ ἐπιχειρήσαντι τυραννεῖν.* Idem fere apud Suidam s. v. *ἐγκεκοισυρωμένη* et etymol. magn.

4) Schol. Nub. 800, ubi in compluribus scholiis eadem repetuntur, quae ut Didymea leguntur in schol. Nub. 46.

5) Denique ineptum additamentum ad schol. Pac. 451 l. 6 *διὰ τὴν Κοισύραν, ἥτις δούλη ἦν ὥς φησιν ἐν Νεφέλαις* quae hausta sunt e Nub. 46 *οὗτος Μεγακλῆς ὡς δοῦλος κτλ.*

Haec omnia sunt quae de Coesyra exstant apud scriptores, nempe duae mentiones ex historia sumptae, altera qua ea Megaclis mater, Alcmaeonis filia, Eretriensis, dicitur, Didymea, altera qua Pisistrati uxor vocatur. An haec revera ex historia sumpta? Quod crediderunt interpretes, crediderunt etiam historici (cf. Curtius, l. a. I⁵ p. 345). Et profecto, cum aliis locis hic illic res videamus a grammaticis expositas aliunde non notas, causa

---

16) Cf. Meinekius, l. a. II p. 991, 774, 749; Petersenus, l. a. p. 92 adn. 2; Gilbertus, l. a. p. 166 et adn. 14.

omnino non est, cur his scholiis diffidamus; sed potius duas ponemus Coesyras aviam et neptem. Qua in re quam maxime adiuvamur Herod. VI, 125, unde comperimus et Alcmaeonis filium Megaclem fuisse quamquam non primum sed secundum, et Megaclem, cum Pisistratus iterum tyranidem appeteret, (*ἐπιχειρήσαντι τυραννεῖν* in scholio) *ἐπικηρυκευέσθαι Πεισιστράτῳ εἰ βούλοιτο οἱ τὴν θυγατέρα ἔχειν γυναῖκα ἐπὶ τῇ τυραννίδι*, quod consilium secutus est Pisistratus. Cui, cum apud Herodotum ea non nominetur, nomen Coesyrae fuisse cur non credamus causa non est, praesertim cum moris esset apud Graecos non solum nepoti avi, sed etiam nepti aviae nomen imponere. Iam fontem unde grammatici hauserint confiteor me non posse indicare: ut dicam quid sentiam maxime mihi placet ad Aristotelis rempublicam Atheniensium scholia referri putare, quippe qui liber saepius de rebus Pisistrati consultus sit.

Deinde huc pertinet schol. I Equ. 445 l. 12—18: *ἐκ τῶν ἀλιτηρίων: τῶν μετεχόντων τοῦ Κολωνείου ἄγους, ὅπερ εἰς τὴν Ἀθηνᾶν δοκεῖ γενέσθαι ἀσέβημα, ἐπειδήπερ οἱ συγκατακλεισθέντες τῷ Κύλωνι ἐν τῇ ἀκροπόλει εἰς τὴν κρίσιν κατέβησαν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἐκ τοῦ ἕδους τῆς θεοῦ ἐξάψαντες τὴν ἱκετηρίαν. ἧς διαρρυείσης λίθοις αὐτοὺς ἔβαλον οἱ Ἀθηναῖοι. ἀλιτηρίων δὲ, ἀντὶ τοῦ ἐναγῶν.* De duobus aliis scholiis, quae ad hunc versum adscripta sunt, a Thucydide dependentibus vidimus p. 281. Praeter Thucydidem de Cyloneo scelere verba facit Herod. V, 71 et qui Thucydidem videtur secutus esse Pausan. I, 25, 2. Herodotus non minus quam Thucydides a scholiasta dissentit, ut unus restet Plut. Sol. 12 *ἐξάψαντες δὲ τοῦ ἕδους κρόκην κλωστὴν καὶ ταύτης ἐχομένους, ὡς ἐγένοντο περὶ τὰς σεμνὰς θεὰς καταβαίνοντες αὐτομάτως τῆς κρόκης ῥαγείσης, ὥρμησε συλλαμβάνειν ὁ Μεγακλῆς καὶ οἱ συνάρχοντες ὡς τῆς θεοῦ τὴν ἱκεσίαν ἀπολεγομένης. καὶ τοὺς μὲν ἔξω κατέλευσαν, οἱ δὲ τοῖς βωμοῖς προσφυγόντες ἀπεσφάγησαν . . . ἐκ τούτου δὲ κληθέντες ἐναγεῖς ἐμισοῦντο.* Quae ipse vides artissime cum scholio cohaerere, ut equidem non dubitem ad eundem fontem has duas narrationes referre, quin etiam scholium Plutarchi loco corrigere. Nam quid ineptum illud *διαρρυείσης*? Pro quo *διαρραγείσης* scribendum esse iam vides. Iam Prinzius[17]) probavit duos potissimum fontes usurpatos esse

in Plut. vit. Solonis praeter Solonis carmina, Didymi librum *περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀναγραφὴ πρὸς Ἀσκληπιάδην*, quem Plutarchus ipse laudat in cap. I et Hermippi peripatetici *βίους (νομοθετῶν)*, qui liber commemoratur in cap. XI. Quam sententiam Begemannus[18]) adeo probavit, ut singula capita Hermippo et Didymo tribueret, cap. 17, 18 — *μετεῖχον τῆς πολιτείας*, 19—26 tota a Didymo dependere ratus qui assumptus esset in cap. 1, 11, 14, 15, 31, 32. Sed apparet non tam accurate quid cuiusque sit posse discerni, ut ipse concedit c. 11 Didymum assumptum esse, quo capite Hermippus quoque nominatur. Iam cum viderimus artissimam inter Plutarchi et scholii narrationes necessitudinem, cumque sciamus Didymum et Aristophanis fabulis interpretandis maximam operam navavisse et in Solonis vita luculenter esse adhibitum, fere cogimur, ut inde concludamus et Plutarchi Sol. XII et schol. I Equ. 445 e Didymo stilo natum esse, qui unde sua ex parte hauserit, dici nequit.

Denique satis habeo commemorari hic tria Plut. 180 scholia ad Timotheum pertinentia (cf. Suid. s. v. *Τιμόθεος*), quae narratio et in scholiis et ab historicis saepe exposita[19]) certo fonti attribui omnino non potest.

---

[17]) Cf. De Sol. Plut. fontibus, Bonn. 1867; cf. p. 41.

[18]) Cf. Quaestiones Soloneae: I diss. Gotting. 1875.

[19]) Cf. Rehdantzius, l. a. p. 48, 190.

I. Index scholiorum.

II. Index historicus.

Corrigenda.

p. 237 v. 5 pro 1098 l. 1089.
p. 239 v. 15. 16 pro 15 l. 231.
p. 239 v. 16. 18 pro 18 l. 234.
p. 239 v. 17 pro 9 l. 225.
p. 239 v. 17 pro 11 l. 227.
p. 243 v. 33 pro 300 l. Ach. 300.
p. 254 v. 11 pro Equ. 673. 674. 676 l. Nub. 673. 674. 676.
p. 295 v. 27 pro 565 l. 563.
p. 320 adn. 24 l. m. sang. taur. effecta.
p. 327 v. 19 pro Nub. 547 l. Nub. 557.
p. 356 v. 13 pro Nub. 210 l. Vesp. 210.
p. 356 v. 28 pro Pac. 439 l. Ran. 439.

Halis Saxonum, formis descripsit E. Karras.

DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES.

VOL. XII.

HALIS SAXONUM.

MAX NIEMEYER.

MDCCCLXXXIV.

INDEX DISSERTATIONUM.

RICARDUS WALTHER:

DE APOLLONII RHODII ARGONAUTICORUM REBUS GEOGRAPHICIS.

Quod C. O. Muellerus de Apollonio Rhodio dixit[1]): „Dieser verwirrt alte Vorstellungen mit der erweiterten Erdkunde seines Zeitalters in ein widerliches und abgeschmacktes Bild, ohne mythischen und poetischen Sinn, aber mit aller Gelehrsamkeitsprahlerei eines Alexandriners", recte, si ad universam rem spectamus, dixisse videatur. At tamen facere non possum, quin contendam ex ipsa illius sententia, si non probe intellegatur, facile pravissima iudicia de Apollonio oriri posse. Contra accuratius haec verba consideranti mihi sagacissimus ille homo videtur tetigisse ipsas tres res, in quibus laudes, ut ita dicam, Apollonii positas esse existimo. Primum enim Apollonii carmen quam maxime valet ad Alexandrinorum, quos vocamus, poetarum et grammaticorum rationes dilucide perspiciendas; deinde cum varios Argonauticae fabulae varie per tempora commutatos modos omnesque eius partes complectatur, gradus et quasi progressus illarum fabularum ex eo investigare et distinguere possumus; denique non pauca in eo sunt ex auctoribus, quorum libri deperditi sunt, eisque locupletissimis deprompta et ita comparata, ut ad indagandam eam quae Apollonii aetati erat terrarum notitiam alicuius momenti sint. Atque cum illae priores duae res[2]) iam

---

[1]) Orchomenos und die Minyer [2], p. 290.

[2]) Aug. Weichert, Ueber das Leben und Gedicht des Apollonius von Rhodus. Meissen 1824. — R. Merkel, Prolegomena edit. Lips. 1854. — Aug. Couat, La poësie Alexandrine sous les trois premiers Ptolémées. Paris 1882. — J. Stender, De Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica. Kiel 1874. — D. Kennerknecht, Zur Argonautensage. Gymn. Progr. Bamberg 1888. — M. Groeger, De Argonauticarum fabularum historia quaestiones selectae. Breslau 1889. — Volkmann, Einige Bemerkungen über die Argonautica des Apollonius. Gymn. Progr. Jauer 1875. — Quae Schoenemannus, Commentatio de geographia Argonautarum Gottingae 1788, protulit,

optime pertractatae sint, ego nunc hanc, de qua tertio loco dixi, uberius explicare aggrediar; propositum igitur mihi est, quidquid in Apollonii carmine ad geographiam spectat, colligere et in iudicium vocare. Qua in re id agam, ut scholiorum testimoniis usus, quo fonte — quantum fieri poterit — ea quae de geographicis rebus prodit Apollonius hauserit, exquiram. Et primum quidem disseram de iis carminis partibus, quibus Apollonius Homeri geographiam imitatus est, deinde, ipsum expeditionis cursum sequens, ea exponam, quae ex variorum auctorum libris sumpta sunt, denique de iis locis, ubi obiter breviterque pro occasione data de geographicis rebus agitur, pauca addam.

I. De Homericae geographiae imitationibus.

Homeri geographiae imitationes duas praecipue in Apollonii carmine invenimus, quarum una ad Iliadis, altera ad Odysseae partem quandam pertinet. Primum enim in indice Argonautarum (I, 20—233) conficiendo poeta ad Homeri catalogum navium (Il. *B*, 484—760) spectasse videtur; altera autem imitatio est narratio navigationis inde a Circae domicilio usque ad Phaeacas factae, quae ad Odysseae libri XII. fabulosas descriptiones accomodata est. Monea tamen nos nonulla iam his rebus inserta repnrturos esse, quae ex aliis fontibus mutuatus illis immiscuit Apollonius. Atque primum quidem de Argonautarum catalogo dicamus.[1])

Enumerationis heroum ab Apollonio exhibitae ratio si cum Homeri navium indice comparatur, similitudines complures intercedere videntur, differentiae perpaucae inveniuntur et quae in argumentorum discrepantia positae sunt. Homerus enim omnes fere Graecorum nationes et multas urbes atque copias navesque recenset, Apollonius singulos viros eorumque patrias indicat; ille ingentis exercitus opes instructas perlegit, hic unius navis armaturam praesidiumque describit. Sed si quis considerat, quae ratio in conscribendo illo indice Apollonii animo obversata sit,

plane obsoleta sunt. — Mira sunt Fr. Vateri scripta (Argonautenzug. 1845. et Triton u. Euphemus. 1849. Kasan.).

[1]) Cfr. E. F. Krause, Apollonii Rhodii catalogus Argonautarum. Halae 1798. — O. Jessen, Prolegomena in catalogum Argonautarum. Berolini 1889.

facillime videbit eo consilio eum confectum esse, ut sit illius Homericae tabulae imitatio docte, ut a poeta doctissimo, excogitata. Iam quo ordine uterque usus sit conspiciamus. Homerus quidem, postquam a Boeotis mediam Graeciam incolentibus incepit, primum ad occidentem conversus Orchomenios Phocensesque, tum ad septemtrionem Locros commemorat; deinde per Euboeam insulam Athenas Salaminaque transgressus cum proprium ordinem geographicum servat, Peloponnesi regiones perlustrat et insularum vicinarum mentione facta ad Aetolos traiicit circulumque claudit. Inde ad insulas maris Aegaei abit, quas postquam perlegit in Thessaliam redit et finem, cum eius nationes prodit non paucas, enumerationis facit. Exstat igitur hoc Homeri catalogo navium *περιήγησις Ἑλλάδος*, ut ita dicam, antiquissima. Apollonium vero in ordine descriptionis non uno loco ab Homero recessisse iam videbimus. Exorsus enim ab Orpheo Pieriam Graeciae finibus vicinam incolente ad meridiem progressus primum Thessaliam intrat, quam omnibus ex partibus probe perlustrat. Inde ad Locros Opuntios egressus iam in Euboeam insulam transit Homeri rationem hoc loco sequens. Ex Euboea postquam Aeginam insulam, Aeacidarum patriam, visitavit, in Atticam reversus per Boeotorum fines Peloponnesum adit et eodem atque Homerus modo peragrat. In Achaia cum subsistat, hoc loco, quippe ubi occasio oblata sit, ordinem relinquit vel potius paulum intermittit. Primum enim Taenari mentionem addit et Mileti Samique heroes ex Asia advectos inserit, tum ordinem institutum iam redintegrans in Aetoliam transgreditur et inde in Phocidem procedit. Denique duobus externis heroibus, Calai Zeteque Thracibus, commemoratis agmen claudentem consilio facit poeta Acastum, Iolcum ipsam, unde expeditio emittitur navisque deducitur, incolentem. Reperimus igitur Apollonium non sine iudicio Homeri exemplo se applicuisse ordinemque enumerationis pro sua voluntate immutasse. Cum singula iam consideramus, videmus Apollonium non solum ex ea quam Homerus exhibet urbium multitudine, sicut res rationesque carminis sui flagitabant, unam fere cuique regioni elegisse, sed etiam nonnulla aliunde deprompsisse. Orphei enim, qui primo loco nominatur (I, 23), ab Homero nusquam mentio fit; Apollonius vero eum secundum famam suo ipsius tempore vulgatam,

ex qua Iasonis comitem navigationisque participem eum fuisse tradebant, inseruisse consentaneum est. Fontibus Homero recentioribus praeterea debet speculae Pimpleidis[1]) (I, 25) notitiam, ubi natus esse dicitur fabulosus ille Pieriae Bistonidis[2]) rex (v. 34), fabulamque quam de Zone, Thraciae orae regione quadam, tradit (v. 28 sqq.) a Pomponio Mela[3]) firmatam. Erant enim, ut videtur, in illa acta fagi mirum in modum quasi iustis ordinibus instructae: unde fabula exorta est fagos illas Orphei cantu divino abductas ibi substitisse. — Thessaliae quam primo loco Apollonius nominat urbem (v. 37 sqq) Piresias ad montem Phylleum atque Apidani et Enipei confluentem sitas apud Homerum nusquam invenimus; neque Larisa in Pelasgiotide sita, omnium quae hoc nomine inditae erant, urbium celeberrima, Homero nota est, cum Polyphemi Lapithae, quem illinc venisse Apollonius tradit, summa cum laude ob virtutem bellicam mentio a Nestore fiat.[4]) Reliquae Thessaliae urbes quattuor, quas poeta noster affert, respondent Iliadis locis. In urbe Phylace Apollonius (v. 45) Argonautarum temporibus Iphiclum, Homerus eius filios Podarcem et Protesilaum regnantes facit (*B*, 695 sqq.); Pherae, quam urbem Apollonius sub monte Chalcodonio[5]) sitam esse prodit (v. 49 sq.), illa aetate Admeti, Troici belli temporibus eius filii imperio subiectae sunt (*B*, 711 sqq.); Alopen Homerus[6]) inter urbes in Achillis dicione Phthiotide a Myrmidonibus occupata sitas recenset; eodem spectat Apollonius: dicitur enim (v. 54 sqq.) Eupolemia Phthias, Myrmidonis filia, in Amphryssi fluvii, qui perfluit illam regionem[7]), ripis Mercurio Aethalidem Alopae habitantem peperisse. Quam urbem Homerus *Γυρτώνην* (*B*, 738) vocat, Apollonius[8]) — ut alii scriptores[9]) variant inter haec duo nomina — *Γυρτᾶνα* nominat et a Corono habitatam eam esse prodit, cum apud Homerum rursus Coroni filium Leon-

---

[1]) Cfr. Strab. p. 330 fr. 17, 18, 410, 471.

[2]) De hac re mire confusa cfr. Bode, Gesch. d. hell. Dichtk. I, 109 sqq. — Preller, Griech. Myth. II, 486.

[3]) II, § 28 (Frick). cfr. Plin., N. H. IV, § 43.

[4]) Hom. Il. *A*, 264.

[5]) Is ab alio auctore non nominatur.

[6]) *B*, 682. [7]) Strab. p. 432 sq. [8]) v. 57.

[9]) Cfr. Strab. p. 329, fr. 44, 16; 439, 441—43. Steph. Byz. v. *Γυρτών*.

teum illius urbis copiis praeesse legamus. Denique quod commemorat poeta noster Thessaliae urbem Ctimenen Dolopeidem prope lacum Xyniadem sitam (v. 67 sq.), Homerus neque urbem neque lacum nominat, nominat vero Dolopes Phoenici oboedientes (Il. *I*, 484). Stephanus Byzantius [1]) autem Ctimenen Dolopum a Peleo Phoenici donatam esse dicit nostrumque laudat locum (I, 68). Idem [2]), cui plane assentitur schol. Ap. Rh. I, 67 et 68, docet Xyniadem lacum eundem esse atque eum qui vulgo dicebatur Boebeis.[3]) — Ex Locrorum oppido Opunte cum alii heroes Iasoni auxilio veniunt tum Oileus (v. 69 sqq.), cuius filius Aiax apud Homerum Locros regit (*B*, 527 sqq.). — In Euboea sitam Cerinthum uterque poeta affert (*B*, 536 sqq. Ap. I, 79): solus Apollonius [4]) huic adiungit Oechaliam, quam Homerus (*B*, 730) inter urbes Thessaliae recenset, ut schol. Ap. Rh. I, 87 et Stephanus Byzantius [5]) recte monent. Erant enim complures urbes eo nomine inditae, ut Strabo [6]) docet: quarum una antiquissimis temporibus in Euboea erat in parvi qui illius aetate exstabat vici loco quondam sita. — De Aegina insula, Aeacidarum patria, unde expulsi Telamo *ἐν Ἀτθίδι νήσῳ* (v. 93) i. e. Salamine, Peleus Phthiae (v. 94) habitabat, nihil est quod moneam. Neque de Cecropia novi quidquam profert Apollonius (v. 95 sqq.). Contra miretur fortasse quispiam, quod *Σῖφαι, ἐπίνειον τῆς Θεσπιακῆς* ut Stephanus Byzantius [7]) prodit, quem vicum ne Strabo et Pausanias quidem nominant, a poeta commemorantur (v. 105). — In Peloponnesum procedens Apollonius artius Homeri rationem sequitur; enumerat Araethyream, (v. 115), Phliantis herois patriam, a quo Phliuntis nomen postea recepisse ferebatur [8]), Homero quoque notam (*B*, 571) atque nobilissimas omnium urbes Argos, quod oppidum (v. 125) *Λυρκήιον* a monte Lyrceo [9]) appellat, Mycenas Herculis fabulis celebratas (v. 128 sqq.), Spartam, Castoris Pollu-

---

[1]) v. *Κτιμένη*. [2]) v. *Ξυνία*.

[3]) Cfr. Strab. p. 430, 436, 438 sqq. [4]) v. 87.

[5]) v. *Οἰχαλία*. [6]) p. 448. cfr. Paus. IV, 2.

[7]) v. *Σῖφαι*. cfr. Thucyd. IV, 76.

[8]) Steph. Byz. v. v. *Ἀραιθυρέα*, *Φλιοῦς*. cfr. Strab. p. 382. — Paus. II, 12. — schol. Ap. Rh. I, 115.

[9]) Steph. Byz. v. *Λύρκειον*. — schol. Ap. Rh. I, 125; de scriptura v. Merkel. ed. p. 7. — cfr. Paus. II, 25, 4.

cisque fratrum patriam (v. 146 sqq.), quibus aeque atque Homerus (*B*, 591) Arenen Pylumque adiungit (v. 151 sqq., 156 sqq.). — Ex Arcadiae permultis quas Homerus recenset (*B*, 603 sqq.), urbibus, unam Tegeam[1]) elegit atque in Eleorum finibus omnino nullam nominat (v. 161 sqq. v. 172 sqq.) — Achaiae Pellenen, quam Homerus Agamemnonis dicioni subiunctam facit (*B*, 574), *ἐπ' ὀφρύσιν Αἰγιαλοῖο*[2]) sitam tribuit (v. 178). — Sequitur mentio Taenari promunturii ab Homero non commemorati (v. 179); cum Miletus urbs ei nota sit (*B*, 868. Ap. Rh. I, 186). — Samum insulam *Παρθενίην* vocat Apollonius (v. 188): quod nomen poetae saepius usurpant e fabula ortum, qua dicunt Iunonem prope fluvium huius insulae Imbrasum, unde cognomen Imbrasiae acciperet, educatam et cum virgo esset ibi commoratam esse: quare insulam „Virgineam“ appelatam esse.[3]) Aetolorum Calydon Oenei Meleagrique sedes, et Olenus urbes rursus respondent Homeri catalogo (v. 190, 202. *B*, 638 sqq.). — Etiam Phocensium Delphici oraculi sedis clarissimae ab Homero quamvis alio enumerationis loco mentio fit (*B*, 519), ubi dicit eam *Πυθῶνα*, cum aliis locis (*λ*, 581)[4]) *Πυθώ*, ut Apollonius (v. 209), nominet. — Thraces Calais et Zetes, Boreae filii, Homero ignoti sunt: ab aliis autem ea quae de Orithyiae matris raptu traduntur (v. 211 sqq.) saepius narrata invenimus.[5]) Unde vero Apollonius hanc fabulam cognoverit, nescio: de Sarpedonia rupe illa (v. 216) Pherecydes, *ὅτι πρὸς τῷ Αἵμῳ ὄρει ἐστί, περὶ τῆς ἁρπαγῆς ἱστορῶν* contenderat.[6]) At nos quidem nihil nisi Sarpedonem promunturium Thraciae orae meridianae, quod prope ab Hebri

[1]) Ex Aphidante (v. 162), Arcadis filio, heroe unam Tegeatarum tribum nomen recepisse Paus. VIII, 45, 1 indicat.

[2]) *Αἰγιαλοῖο* enim, non *αἰγιαλοῖο* scribendum est, ut recte Merkelius adnotat: nam Pellene a litore maris sexaginta stadia aberat (Strab. p. 386, cfr. Paus. VII, 26, 14). Aegialus vero antiquissimis temporibus totius Achaiae nomen fuisse credebatur (Paus. V, 1, 1; VII, 1, 1. Steph. Byz. v. *Αἰγιαλός*).

[3]) Cfr. Michaelis, De Apollonii Rhod. fragmentis. Diss. Halle 1875, p. 14. — Strab. p. 457, 637. — Steph. Byz. v. *Σάμος*. Similis est fabula quae de Parthenio fluvio II, 938 sqq. proditur a nostro poeta. cfr. schol. ad. h. l.

[4]) Dativ. *Πυθοῖ*: *θ*, 80 et *I*, 405.

[5]) Cfr. schol. Ap. Rh. I, 211. — Herod. VII, 189. — Strab. p. 295. — Apollod.. III, 15, 2. [6]) schol. Ap. Rh. l. l.

capite aberat[1]) novimus; Erginum autem fluvium[2]) Mela[3]) qui II, § 24 eius mentionem facit, inter urbes in Propontidis oris sitas fluentem recenset. — Denique Acasti, Peliae regis filii, qui Iolci habitat, commemoratione (v. 224) apte ab Apollonio lectores deducuntur ad portum ipsum, unde iam enavigaturi sunt heroes, postquam Argus faber opus perfecit (v. 226).[4]) Quibus rebus singulis perlustratis si de universo hoc Argonautarum catalogo iudicium facere mihi licet, statuere velim non insulse Apollonium, ne aridam heroum nomenclaturam exhiberet, Homeri exemplum illud nobilissimum enumerationis sibi imitandum proposuisse; sed apud poetas eiusmodi enumerationes, etiamsi maxima ut illustrentur lectoribusque gratiores reddantur opera datur, tamen frigidissimae videntur: id quod etiam in Homeri indicem navium cadere contendam. In hoc vero quod aliis de causis summi momenti est hoc vitium facile poetae ignoscitur, aliter res se habet in illo. Tamen hunc Apollonii catalogum Argonautarum nobis servatum esse est cur gaudeamus.

Transeo iam ad alteram Homericae geographiae imitationem, quae est narratio itineris quod Argonautae inde a domo Circae deae usque ad Phaeacum terram navi legisse dicuntur l. IV, v. 657—979; respondet autem fere Odysseae l. XII. Quae si quaerimus quibus de causis exorta sit, procul dubio sentimus ansam dedisse versus illos Odysseae, ubi Circe, postquam Ulixi Planctarum naturam descripsit, unam Argo navem eas praetervectam esse sospitem dicere pergit (*μ*, 69 sqq.):

Οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς
Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα, παρ' Αἰήταο πλέουσα·
καὶ νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων.

De his versibus varie ab interpretibus aliisque viris doctis tentatis, in quibus vestigia antiquissimarum Argonauticarum, quae ante Homeri aetatem ferebantur, fabularum inesse vi-

[1]) Strab. p. 331 fr. 52. [2]) v. 217.

[3]) Similia tradit Plinius IV, § 47 Ian. . . . „in ora amnis Erginus . . .“ Num vero idem sit atque is quem Herodotus IV, 90 Agrianem vocat, ut Mannertus, Geogr. d. Griech. u. Römer B. VII, p. 16. vult, dubito. De Erigone Strabonis p. 331, fr. 49 nihil constat.

[4]) Argi patriam prodere plane omisit Apollonius.

dentur[1]), equidem hoc loco id unum dico, ex illis temporibus, quibus in Odysseae carmina recepti legebantur, omnes, quicumque de Argonauticis tractabant, id sibi agendum ex his ipsis Homeri verbis putasse, ut de hac re breviter ab eo commemorata uberius verba facerent.[2]) Itaque narrationes illas, quas de Planctis et Circa dea Medeae et natura et indole cognata is qui carmen duodecimum Odysseae condidit, ex Argonauticis fabulis repetitas tradit, ab Argonauticorum auctoribus pristinis suis locis restitutas esse credere debemus, ita fere ut apud Apollonium legimus. Simul cum coloniis deducendis apud Graecos terrarum notitia augeretur, quibus locis ea quae fabulis illis enarrabantur facta essent, explorare studebant: nam Odysseae carminis auctor tam obscure de his rebus dicit, ut utrum ei certa loca animo obversata sint necne omnino non diiudicari possit.[3]) Atque Hesiodus[4]), cum sententiae illius a multis probatae et illustratae[5]), ab Eratosthene vehementer repudiatae[6]) auctor exstiterit, Ulixis errores in mari Tyrrheno factos esse[7]), etiam huic Argonautarum expeditionis parti loca eadem tribuisse videatur. Eum autem secutus est Apollonius, ut schol. Ap. Rh. III, 311 his verbis exponit: Ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος τοῖς κατὰ τὸ Τυρσηνικὸν πέλαγος ὑποτιθεμένοις τὴν Ὀδυσσέως πλάνην, ὧν ἀρχηγὸς Ἡσίοδος, κατῳκηκέναι λέγων Κίρκην ἐν τῷ προειρημένῳ πελάγει. — Φησὶ δὲ Ἀπολλώνιος Ἡσιόδῳ ἑπόμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος τοῦ Ἡλίου εἰς τὴν κατὰ Τυρρηνίαν κειμένην νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν.[8]) Unde apparet iam ante Apollonium nonnullos de his rebus eodem atque Hesiodum modo egisse, inter quos fuisse Timagetum ex schol. Ap. Rh. IV, 259[9]), atque Timaeum et Pisistratum

---

[1]) Cfr. Kirchhoff, Die Homerische Odyssee [2], p. 288.

[2]) Groeger p. 52 sqq. cfr. Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis [3], p. 244 sqq.

[3]) Cfr. Muellenhoff, Deutsche Altertumskunde I, p. 51 sqq.

[4]) Kirchhoff, l. l. p. 319.

[5]) Diodor. IV, 56. — Strab. p. 21 sqq. („σημεῖα").

[6]) Strab. p. 22 sq. [7]) Cfr. Strab. p. 23.

[8]) = fr. 80, 81 Markscheffel = fr. 195 Goettling = fr. 86, 87 Kinkel = fr. 90, 91 Rzach.

[9]) Τιμάγητος δὲ ἐν ᾱ περὶ λιμένων τὸν μὲν Φᾶσιν καταφέρεσθαι ἐκ τῶν Κελτικῶν ὀρῶν, ἅ ἐστι τῆς Κελτικῆς, εἶτα ἐκδιδόναι εἰς Κελτῶν λίμνην, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς δύο σχίζεσθαι τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ μὲν

Liparaeum ex schol. Ap. Rh. IV, 756 et 965 [1]) suspicor. Atque Timagetum permulta Apollonio suppeditasse infra demonstrabimus; Timaei autem libros num inspexerit poeta noster dubium est, et de Pisistrato uno illo loco commemorato omnino nihil scimus.[2]) — Iam res ipsas consideremus. Atque primum cum heroes insula Aethalia degressos praeter litora Tyrrhena Ausoniae navigantes facit (IV, 657 sqq.) Apollonius, satis diserte situm locorum indicat. Tum (v. 659) Aeaeam, Circae sedem, perveniunt, ubi ancoras iaciunt. Homerus autem hanc terram insulam[3]), vasto mari circumdatam[4]), esse narrat; idem, ut e schol. Ap. Rh. III, 311 verbis quae sunt: *εἰς τὴν κατὰ Τυρρηνίαν νῆσον τὴν Κίρκην ἐλθεῖν,* cognovimus, senserat Hesiodus[5]): Apollonius vero eam oram continentis appellat, (IV, 848) cum dicit *ἀκτὴν Αἰαίην Τυρσηνίδος ἠπείροιο* et (v. 854) Thetidem cum Peleo loquentem et hortantem inducit, ne diutius in oris Tyrrhenis commorentur; atque Aeetes Circam sororem (III, 311) pronuntiat habitare in ora continentis Tyrrhenae longe a Colchide remotam et in terram occidentalis plagae translatam. Valde igitur recessit Apollonius ab Homeri verbis illis varie a viris doctis vexatis[6]) (Odyss. *μ*, 3 sq.):

Νῆσον τ' Αἰαίην, ὅθι τ' Ἠοῦς ἠριγενείης
οἰκία καὶ χοροί εἰσι καὶ ἀντολαὶ Ἠελίοιο

et applicuit se, ut et scholio illo discimus, Hesiodi rationibus; praecipue autem quod Apollonius saepius Tyrrhenae orae

---

εἰς τὸν Εὔξεινον πόντον εἰσβάλλειν, τὸ δὲ εἰς τὴν Κελτικὴν θάλασσαν, διὰ δὲ τούτου τοῦ στόματος πλεῦσαι τοὺς Ἀργοναύτας καὶ ἐλθεῖν εἰς Τυρρηνίαν· κατακολουθεῖ δὲ αὐτῷ καὶ Ἀπολλώνιος. cfr. schol. IV, 284.

[1]) *Πλαγκταὶ πέτραι ἐν τῷ πορθμῷ εἰσιν, ὡς Τίμαιος καὶ Πεισίστρατος ὁ Λιπαραῖος. — Τίμαιος Θρινακίαν φησὶ καλεῖσθαι τὴν Σικελίαν, ὅτι τρεῖς ἄκρας ἔχει.* cfr. Muellenhoff, I, 55. A. 3.

[2]) Cfr. Mueller, Fragm. histor. Graecor. IV, p. 478.

[3]) *κ*, 135; *μ*, 3, 143; *λ*, 70. [4]) *κ*, 194 sq.

[5]) Muellenhoff, Deutsche Altertumsk. I, p. 54. — Apollonius de insula non dicit.

[6]) Cfr. Voelcker, Ueber Homerische Geographie und Weltkunde. Hannover 1830. — E. v. Baer, Ueber d. Homer. Localitäten in d. Odyssee. Braunschw. 1878. — H. Hahn, Die geogr. Kenntnisse der älteren griech. Epiker: Gymn. Progr. Beuthen 1878, 1881, 1885. — M. Hergt, Quam vere de Ulixis erroribus Eratosthenes iudicaverit. Erlangen 1887.

mentionem repetit, Hesiodum sapit.[1]) Obiter tantummodo ubi deam illam habitasse sibi finxerit Apollonium exponere invenimus: itaque num certus ille locus saepius commemoratus, ubi sedem deae fuisse constans apud antiquos fuit opinio[2]), eius quoque animo obversatus sit, quamquam veri simile est, tamen certe definiri nequit. — Postquam e Circae fabulosa domo decesserunt heroes, secundo zephyro vento vecti insulam Sirenum praeternavigant (v. 883—918): quam Apollonius Anthemoessam (v. 890 ed. Merk. min., v. 892 ed. mai.) appellat, ut schol. ad IV, 892 monet, ex Hesiodi exemplo.[3]) Neque est cur hoc falsum esse putemus[4]): De situ huius insulae Apollonius nihil dicit nisi eam a Circae sede ad orientem versus abesse: nam zephyro vento illuc pervenisse heroes narrantur (v. 884 et 889 sq.); Lilybaei promunturii autem mentio rursus spectat ad Tyrrhenum mare (v. 917); eo enim Venus Butem, qui solus Sirenum cantu allectus e navi desiluerat, periculo ereptum transtulisse dicitur (v. 910—917). Sed quod de una insula dicit, probe ad Homeri exemplum[5]) spectat, cum alii[6]) tres insulas parvas in sinu Posidonio prope Surrentum sitas Sirenibus sedes tribuant.[7]) — Sirenum insulam praetervecti Planctis ipsis appropinquant Argonautae (v. 920 sqq.), atque Iunone Iasoni opitulante, sicut Homerus prodiderat, a Nereidibus sospites traducuntur, cum alteram viam, ubi e Scylla Charybdique aut nonnullis aut omnibus heroibus periculum imminet[8]),

---

[1]) Cfr. theog. v. 1016. — Strab. p. 23 (= fr. 79 M.). — cfr. Dionys. Hal. I, 29.

[2]) Promunturium Circaeum inter Antium et Tarracinam situm: Scylac. per. § 8. — Aristot. Mir. 110. — Scymn. per. v. 225. — Strab. p. 232. — Verg. Aen. VII, 10 sqq. — Mel. II, § 71 — Plin. III, 56. — Ptol. III, 1, 5.

[3]) *Ἠκολούθησεν Ἡσιόδῳ οὕτως ὀνομάζοντι τὴν νῆσον τῶν Σειρήνων*
νῆσον ἐς Ἀνθεμόεσσαν, ἵνα σφίσι δῶκε Κρονίων.

[4]) Cfr. Hom. *μ*, 159. — Weichert p. 208.

[5]) *μ*, 167, 201.

[6]) Scymn. per. v. 225. — Strab. p. 22, 258. — Verg. Aen. V, 864 sqq. — Mel. II, § 69. — Plin. III, § 62. — Dionys. per. v. 360.

[7]) E re ipsa nominatae sunt Sirenussae insulae. Alii in promunturio Peloro illas habitasse credebant (Strab. p. 22).

[8]) Cfr. Hom. *μ*, 110. — Ap. Rh. IV, 823 sqq.

diligenter evitant. Sunt enim navigantibus hae duae viae, ut apud Homerum Circe Ulixi exponit (*μ*, 56 sqq.): id quod Apollonius his verbis repetit (v. 920 sqq.):

Τῇ μὲν γὰρ Σκύλλης λισσὴ προυφαίνετο πέτρη
τῇ δ' ἄμοτον βοάασκεν ἀναβλύζουσα Χάρυβδις
ἄλλοθι δὲ Πλαγκταὶ μεγάλῳ ὑπὸ κύματι πέτραι
ῥόχθεον . . . . .

Sequitur igitur in hac re Homeri rationes. Illud vero plane ab eo abhorret, quod Aeoli ventorum rectoris regia et Vulcani fabri officina[1]) apud Apollonium cum Planctis coniunctae sunt: adde quod Scylla appellatur Ausonia[2]): iam intellegas ab Apollonio quoque probatam esse sententiam eorum, qui Homeri Planctas esse rupes insularum Lipararum maris aestibus, ventorum flatibus, eruptionibus ignium periculosas putabant[3]) atque Scyllam Charybdimque in Siculo freto collocabant.[4]) — E Planctarum periculis elapsi Thrinaciae litora legunt heroes atque Solis armenta ibi pascentes Phaethusam et Lampetiam deas conspiciunt[5]): quae pertinent ad Homeri exemplum omnia, atque eo tantummodo videntur esse addita, ne quid in hac imitatione Homerica desideraretur: nam si ad argumentum rerumque conexum spectamus, prorsus videntur otiosa.

Usque ad hunc locum Homeri narrationem secutus iam deflectit Apollonius: directo cursu enim Argo navis zephyro vecta ad Phaeacum terram proficiscitur[6]), cum apud Homerum Ulixem tempestate exorta ad Scyllam Charybdimque repulsum et inde ad insulam Ogygiam delatum esse legamus.[7]) Sed in describendis iis rebus quae apud Phaeacas factae sunt rursus Apollonius Homeri vestigia repetit, cum personas Alcinoi regis Aretaeque uxoris eius ex illo mutuatur. Attamen nomina tantum illa Phaeacum, Alcinoi, Aretae Homeri memoriam referunt: ea ipsa, quae ad geographiam pertinent teraeque descriptionem, ab

[1]) v. 759 sqq., 816 sqq., 926 sq., 954 sqq. [2]) v. 826.

[3]) Strab. p. 275 sq. — Scymn. per. v. 254 sqq. — Diod. V, 7 sqq. — Mel. II, 120. — Plin. III, 92 sq. — Dionys. per. v. 461 sqq. — schol. Ap. Rh. IV, 761.

[4]) Strab. p. 43 sq. — Mel. II, 115. — Plin. III, 87. — Dionys. per. 472 sqq. — schol. Ap. Rh. IV, 825.

[5]) v. 963 sqq. — Hom. *μ*, 127 sqq. — cfr. Voelcker l. l. p. 119.

[6]) v. 991 sq.. [7]) *μ*, 403 sqq.

illo prorsus aliena sunt; atque ea non sunt pauca: uberius enim res apud Phaeacas ab Argonautis gestas, quippe quae summi momenti sint, enarrat Apollonius.[1]) Attamen, cum ipsa Phaeacum gens ad Homeri geographiam fabularem pertineat, in ea autem summa narrationis posita sit, illis quas tractavimus Homericarum descriptionum imitationibus hanc quoque carminis partem, de qua iam dicturi sumus, adiungendam esse putavi. Atque quaestio exoritur quibus e fontibus reliqua, quae de Phaeacibus tradit, hauserit Apollonius: quae res est satis difficilis diiudicatu. Nam apud scholiastam omnino nullum proprie auctorem poetae nostri dictum esse in hac parte invenimus: sed laudantur Aristoteles, Timaeus, Apollonides, eademque atque Apollonium prodidisse dicuntur.[2]) Aristoteles enim librum de re publica Corcyraeorum confecit[3]), qui sine dubio ad *Πολιτείας* pertinuit partemque illius operis amplissimi effecit. Quo in libro Aristoteli etiam de locis insulae agendi occasionem fuisse nemo est qui neget. Timaeus autem de originibus Corcyrae satis fuse scripsisse videatur[4]), ita ut ex eo mutuandi Apollonio potestas saltem fuerit. Sed Apollonidis aetatem prorsus ignoramus, quem *ἐν τῷ Περίπλῳ τῆς Εὐρώπης* insulam illam descripsisse comperimus.[5]) Et Muellerus[6]) quidem eum post Apollonium vixisse putat, cuius sententiam cur repudiem non habeo. Praeterea Acusilaum et Alcaeum de Phaeacum origine verba fecisse[7]), Philetam[8]) autem nuptiarum Medeae apud illos celebratarum mentionem intulisse discimus. Atque ubi terrarum Phaeacum sedes fuisse sibi cogitaverit, diserte Apollonius exponit (IV, 980): esse insulam in mari, quo Ceraunii montes alluuntur, sitam et Ionio freto obtentam, amplam fecundamque; ibi habitasse Phaeacas: quae in nullam aliam nisi in Corcyram insulam valent

---

[1]) IV, 980—1221.

[2]) schol. IV, 984; IV, 983, 1174; 1153, 1216, 1217.

[3]) schol. IV, 984: *Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κερκυραίων πολιτείᾳ.*

[4]) schol. IV, 984 *Τίμαιος δέ φησιν, ᾧ ἐξέτεμεν τοῦ Οὐρανοῦ ἢ τοῦ Κρόνου τὰ αἰδοῖα ὁ Ζεύς, τοῦτο κεκρύφθαι* (sub Corcyra). — schol. IV, 1216: *Τίμαιος δέ φησι μετὰ ἔτη ἑξακόσια τῶν Τρωϊκῶν Χερσικράτη, ἀπόγονον τῶν Βακχιαδῶν, κατῳκηκέναι τὴν νῆσον.*

[5]) schol. IV, 983, 1174.

[6]) Fragm. hist. Gr. IV, 309 sq.

[7]) schol. IV, 992.

[8]) schol. IV, 1141.

omnia.[1]) Neque mira est haec Apollonii sententia : ab omnibus enim Corcyra credebatur esse Homeri Scheria.[2]) At qui fit, ut ab eo haec Phaeacum terra *Δρεπάνη* appelletur[3]), non Scheria? Qua de re bene nos docet Aristoteles, qui, ut scholiasta Ap. Rh. IV, 983 et Stephanus Byzantius[4]) iisdem fere verbis tradunt, haec in libro quem de re publica Corcyraeorum confecit exposuit: antiquissimis ex temporibus insulam illam nominatam esse Drepanam; quod nomen ea de causa ei inditum esse Apollonius explicat (IV, 982 sqq.), quia falcem quam Graeci *δρέπανον* sive *δρεπάνην* vocant, aut Saturni aut Cereris — de hac re enim esse dissensionem — sub insula abditam iacere fama esset. Tum vero, illi pergunt, cum fluvii, qui ex adversa Epiri ora in mare effluunt, luto adiecto insulam oblimaturi et cum continenti coniuncturi viderentur, Cererem, cui insula sacra esset, a Neptuno petivisse, ut fluvios illos retineret: *ἐπισχεθέντων οὖν τούτων* (sc. *ποταμῶν*) ob illud *σχεῖν* nomen insulae e Drepana mutatum esse in Scheriam. Atqui — ita enim Apollonius ratiocinatus esse videtur — ab Homero iam Scheria vocatur insula illa: ergo Argonautarum, qui ante bellum Troianum vixisse feruntur, aetate Drepanam etiamtum nominatam eam esse fingit, ita ut nominis commutationem medio in temporum spatio factam esse cogitandum sit. — Iam insulam ipsam perscrutemur.[5]) Est fluvius Aegaeus, ut videtur, insulae maximus neque ab eo qui hodie simpliciter „Potamos“ appellatur[6]) diversus. Pertinet autem et ad Argonauticas fabulas, cum filiae eius Naiades Medeae lectum iugalem ornasse tradantur (v. 1147), et ad Herculis memoriam, cum is ex una illarum Melita Hyllum progenuisse dicatur (IV, 538—543). Videntur igitur Corinthii coloni, qui Corcyram occupabant, cum

---

[1]) Atque ex eo quod illuc zephyro vento Argonautae pervenisse dicuntur (v. 766 sq., 819 sq.), concludas quid de Thrinaciae situ censuerit Apollonius: praeter illud enim nihil de hac re dicit.

[2]) Thucyd. I, 25. — Apollodor. I, 9, 25. — Dionys. per. v. 494. cfr. Welcker, Die Homer. Phaeaken usw.: Rhein. Mus. 1832. I., p. 219 sqq. = Kl. Schr. II, p. 1 sqq.

[3]) v. 988, 1221. Cf. Reitzenstein Ined. poet. Gr. fragm. p. 12 sq.

[4]) v. *Σχερία*.

[5]) Cfr. G. C. A. Mueller, De Corcyraeorum re publica. Gott. 1835. p. 1 sqq.

[6]) Bursian, Geogr. v. Griech. II, p. 357.

fabulas quae vulgo ferebantur immutarent et ad suae insulae loca accomodarent, ex illo omnium Doriensium communi heroe Hyllo, qui est Deianirae ex Hercule filius[1]), novum atque Corcyrae proprium Hyllum finxisse.[2]) Cum Aegaei filiabus coniunctae sunt Oreades Melitei montis (v. 1148), cui nomen ex illa nympha datum esse veri simile est; ex Hyllo vero Corcyraeorum portuum alter vocabatur Hyllicus[3]) (v. 1123), ubi iam Argonautae ancoram iecisse dicuntur, cum Colchi hostes, qui Medeam repetebant, in Macridia paeninsula castra posuisse produntur (v. 1173). Sed de situ huius paeninsulae prorsus nihil scimus: nam scholiasta quamquam (ad IV, 1174) Apollonide auctore urbem Corcyram sitam fuisse in paeninsula quadam tradit, tamen num haec sit illa Macridia non dicit; tum vero (ad IV, 1175) hanc paeninsulam quam Apollonius Macridiam nominat ex adversa continenti prominere opinatur: quod falsum esse puto: Colchos enim, qui cum Alcinoo ut Medea sibi redderetur agebant, ad insulam ipsam appulsos esse e re ipsa et e rerum conexu apparet. Est igitur Macridia Corcyrae insulae paeninsula. Nomen vero accepit e Macride, Euboeae insulae heroide eponyma, Aristaei filia[4]), quae aeque atque pater agriculturae bene favere credebatur. Atque fabula, qua traditur illa ex Euboea, ubi Dionysum nutrivisset, Corcyram demigrasse (Ap. Rh. IV, 1129 sqq.), spectat ad antiquissimos Eretriensium colonos ex Euboea Corcyram et in Epirum deductos.[5]) Neque mirandum est apud Corcyraeos pro insulae fertilitate heroidis illius cultum valde floruisse, praesertim cum ipsi Corinthii, ut videtur, Aristaeum valde venerarentur.[6]) Fortasse igitur etiam hae fabulae, quae de Aristaeo

---

[1]) Cfr. Preller, Griech. Myth. [2] II, p. 280.

[2]) Cfr. Ap. Rh. IV, 547 sqq. — Steph. Byz. v. Ὑλλεῖς. — Mueller l. l. p. 56.

[3]) schol. Ap. Rh. IV, 1149. — Thucyd. III, 72, 81 appellat eum portum Hyllaicum; cfr. Steph. thes. v. Ὑλλικός.

[4]) Cfr. Pauly, Real-Encyklopädie v. v. Macris, Aristaeus. — O. Mueller, Orchomenos u. die Minyer p. 348, Dorier I, p. 281 sq. — Preller, Griechische Mythologie I [2], p. 208. — G. C. A. Mueller, De Corcyraeorum republica p. 55 sq.

[5]) Busolt, Griechische Geschichte I, p. 305. cfr. Ap. Rh. IV, 1212 („Κεραύνια Ἀβάντων οὔρεα").

[6]) Cfr. G. C. A. Mueller, l. l.

et Macride narrabantur, ita ut res propriae Corcyrae flagitare videbantur, varie commutatae, auctae, ornatae, illustratae sunt. Omnium autem quas de Corcyra prodit Apollonius rerum duae potissimum quae diligentius respiciantur dignae sunt; duobus enim locis commemorat mores quosdam Corcyraeorum, quos ex antiquissimis temporibus usque ad suam aetatem ipsam remansisse dicit: etenim antrum, in quo Macridem habitasse et Iasonis Medeaeque nuptias celebratas esse fabula sit, Medeae sacrum vocari (IV, 1151 sq.) et Parcis Nymphisque in templo Apollinis Nomii atque in iis aris, quas Medea ipsa exstruxisse dicatur, turibus incensis sacrificia solemnia quotannis fieri (IV, 1215 sqq.). Neque iniucundum est exquirere, cui auctori debuerit Apollonius hanc notitiam. Nam ipsum Corcyram, ubi illa cognoscendi potestas fuisset, adisse illum nusquam legimus. Id certe statuere possumus auctorem illum aut eadem qua Apollonium aetate aut non multo ante eum vixisse, ita ut etiam in suam aetatem illa cadere sine ulla dubitatione credere et contendere posset. Atque cogitet quispiam de Timaeo: is enim et nuptias Medeae Corcyrae — de loco enim erat dissensio — esse factas narraverat et de sacris illis sollemnibus verba fecerat[1]): attamen haud scio an non ex illo has res cognoverit; dissentit enim Apollonius ab illo in re quamvis levi, — dissentit tamen. Timaeus enim narraverat Nymphis et Nereidibus sacra illa fieri, Apollonius de Nymphis et Parcis dicit: ex alio igitur mutuatus est hanc rem; de illa vero re iudicium facere nolim. Id unum moneo nos, cum Apollonius saepius de eiusmodi moribus institutisque verba faciat, etiam aliis locis similia reperturos esse.

Haec habui quae de iis Apollonii carminis partibus dicerem quae ad Homeri geographiam spectant. Priusquam autem ad

[1]) schol. Ap. Rh. IV, 1153: *Τιμαίου λέγοντος ἐν Κερκύρᾳ τοὺς γάμους ἀχθῆναι Διονύσιος ὁ Μιλήσιος ἐν δευτέρῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν ἐν Βυζαντίῳ φησίν, Ἀντίμαχος ἐν Λύδῃ ἐν Κόλχοις πλησίον τοῦ ποταμοῦ μιγῆναι.* — Id. IV, 1217 *Τίμαιος περὶ τῆς θυσίας ἱστορεῖ ἔτι καὶ νῦν λέγων ἄγεσθαι κατ' ἐνιαυτὸν Μηδείας πρῶτον θυσάσης ἐν τῷ Ἀπόλλωνος ἱερῷ ... μνημεῖα τῶν γάμων ἱδρύσασθαι σύνεγγυς μὲν τῆς θαλάσσης, οὐ μακρὰν δὲ τῆς πόλεως. Ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Νυμφῶν, τὸν δὲ Νηρεΐδων. Ὅ γε μὴν Ἀπολλώνιος τὸν μέν φησι Νυμφῶν, τὸν δὲ τῶν Μοιρῶν.*

reliquas narrationis partes considerandas transeam, breviter amplectar eas quoque res obiter tantummodo ab Apollonio commemoratas, quae aliquo modo cum Homerica geographia cohaerent: qua in re nimirum eas tantum res perstringam, quae clare et dilucide ad Homerum pertinent eique soli propriae sunt, cum ceteras ultima parte operis, ubi reliquas per totum carmen dispersas res geographicas colligam, tractaturus sim. Atque primum proponam quid significent apud Apollonium vocabula *Παναχαιίς, Ἀχαιίς, Ἑλλάς, Δαναοί:* quaestio enim est, utrum eodem sensu apud hunc praedita usurpantur quo apud Homerum. Et *Παναχαιίδα* terram Homerus ignorat, sed *Παναχαιοὺς* tantum homines novit: contra apud Apollonium terram tantummodo *Παναχαιίδα* commemoratam invenimus; est autem Homerica significatione, ut universa Graecia intellegenda sit, id quod e III, 347 sq. clare apparet, ubi sunt verba Argi ad Aeetam dicta:

Τῇ (sc. in Argo navi) *δ' ἐναγειράμενος Παναχαιίδος εἴ τι φέριστον*
ἡρώων, τεὸν ἄστυ μετήλυθε (sc. Iason).

Sunt enim heroes ex universa Graecia conflati. Alter locus est I, 242 sq., quo poeta homines expeditionis apparatum mirantes inducit loquentes:

Ζεῦ ἄνα, τίς Πελίαο νόος; πόθι τόσσον ὅμιλον
ἡρώων γαίης Παναχαιίδος ἔκτοθι βάλλει;

Atque scholiastam[1]) qui hic *Παναχαιίδα* de Thessalia sola dictum esse contendit, plane repudiandum esse existimo, potissimum propter sententiarum argumentique similitudinem, quae intercedat inter utrumque locum. Difficilius est dictu, quomodo Apollonius *Ἀχαιίδα* intellegi velit: quo vocabulo Homerus et ad universam Graeciam et ad partem eius significandam utitur.[2]) Scholiasta vero se nescire profitetur utram respiciat Apollonius, *ἢ τὴν Θεσσαλίαν ἢ τὴν Ἑλλάδα,* pergit tamen *βέλτιον δὲ*

---

[1]) ad I, 242: *Παναχαιίδα δὲ τὴν Θεσσαλίαν φησίν.*

[2]) Cfr. Gladstone, Homerische Studien übersetzt von Schuster p. 80 sqq.: notus est versus:

Ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ Ἀχαιίδα καλλιγύναικα.

(*Γ*, 75, 258).

τὴν Θεσσαλίαν, cum laudat versum illum catalogi navium ubi nationes quae Achillis imperio subiectae sunt recensentur[1]):

Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί.

Meum quidem iudicium de his Apollonii locis est in suspenso; agitur de reditu in Graeciam utroque loco: licet autem pro argumento *Ἀχαιΐδα* intellegi et Thessaliam — Iolcum enim, unde evecti sunt, redeuntes petunt heroes (IV, 1779) —, et universam Graeciam — ex omnibus enim Graeciae partibus ad expeditionem faciendam convenerunt illi. Praeterea commemorantur *Ἀχαιιάδες*[2]) ab Apollonio, quas scholiasta eiusdem versus[3]) auctoritate nisus Thessalicas tantum esse mulieres contendit. Sed pro loci sententia aliter censeo: Iasonis mater enim inducitur glorians se praeter ceteras Graecas feminas floruisse; accedit quod Homerus *Ἀχαιιάδες* nusquam nisi de universis Graecis feminis dicit, quo ab usu Apollonium recessisse non est cur credam, praesertim cum sit Homericum vocabulum. Venimus ad considerandum usum vocabuli *Ἑλλάδος* Apollonianum. Homerus quidem *Ἑλλάδα* nominat et dicionem regnumque Achillis aut partem eius et regiones totius septemtrionalis Graeciae, nusquam dicit de universa Graecia, sicut recentioris aetatis usus erat.[4]) Apud Apollonium autem quindecim locis, si recte numero, id vocabulum nobis occurrit: duobus, quippe ubi *Ἑλλάς* Colchidi opponatur, de universa Graecia dici apparet; uno loco enim respondet Aeetes Iasoni vellus aureum poscenti[5]):

Δώσω τοι χρύσειον ἄγειν δέρος, ἤν κ' ἐθέλῃσθα,
πειραθείς· ἐσθλοῖς γὰρ ἐπ' ἀνδράσιν οὔτι μεγαίρω,
ὡς αὐτοὶ μυθεῖσθε τὸν Ἑλλάδι κοιρανέοντα.

altero[6]) Medea Iasoni, qui Ariadnae exemplo commemorato eam ut secum fugiat commovere studet, dicit:

Ἑλλάδι που τάδε καλά, συνημοσύνας ἀλεγύνειν.
Αἰήτης δ' οὐ τοῖος ἐν ἀνδράσιν, οἷον ἔειπας
Μίνω Πασιφάης πόσιν ἔμμεναι· οὐδ' Ἀριάδνῃ
ἰσοῦμαι· . . .

---

[1]) *B*, 684. [2]) I, 284. [3]) Hom. *B*, 684.
[4]) Cfr. Gladstone-Schuster l. l. p. 42 sqq. (ubi omnes loci sunt collecti).
[5]) III, 404 sqq. [6]) III, 1104.

Praeterea saepissime dicitur de reditu aut de adventu aut de itinere *ἐς Ἑλλάδα*, ut sunt verba: *ἐς Ἑλλάδα νόστος* (I, 336) et *ἐς Ἑλλάδα νοστήσαντες* (III, 992) et *παλίνορσον ἐς Ἑλλάδα* (I, 416) et *ἐς Ἑλλάδα γαῖαν ἱκέσθαι* (I, 904) et *Ἑλλάδα γαῖαν ἵκηαι* (III, 1121) et *πρὶν ἐς Ἑλλάδα κῶας ἱκέσθαι* (III, 339) et *μεθ' Ἑλλάδα γαῖαν ἕπεσθαι* (IV, 349, 369) et *ἐς Ἑλλάδα μαιομένοισιν κῶας ἄγειν* (II, 1195 sq.), quibus omnibus locis *Ἑλλάδα* Graeciam significare eodem quo recentior aetas utebatur sensu equidem intellego. Neque aliter res se habet reliquis quatuor locis: I, 1292 Telamon Iasonem insimulat Herculem invidia gloriae perductum sponte dereliquisse,

ὄφρα τὸ κείνου κῦδος ἀν' Ἑλλάδα μή σε καλύψῃ,

II, 461 leguntur verba *στόλον Ἑλλάδος ἐξανιόντα* de Argonautarum turba dicta, III, 375 Aeetes heroes incusat venisse, non ut vellus reportarent, sed ut se regno depellerent,

αὐτίχ' ὁμαρτήσαντες ἀφ' Ἑλλάδος,

II, 1133 de Medea sunt verba:

Οὐ μὲν δηρὸν ἀπαρνήσεσθαι ἔμελλεν Ἑλλάδα ναιετάειν,

quae fortasse consilio respiciunt ad illa quae antecedunt:

(v. 1104) *Ἑλλάδι που τάδε καλά, συνημοσύνας ἀλεγύνειν.*

De *Πανελλήνων* (II, 209) nominis significatione dubitatio esse non potest: cadit enim prorsus in Homeri usum (Il. *B*, 530). *Δαναῶν* uno loco mentionem facit Apollonius (IV, 262), ubi de Aegyptiorum gente omnium antiquissima agit: eos enim iam iis temporibus vixisse, quibus Danai omnino non essent, sed Arcades tantum exsisterent:

Οὐ δέ τί πω Δαναῶν ἱερὸν γένος ἦεν ἀκοῦσαι
πευθομένοις· οἶοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες.

Videntur igitur hic Arcades opponi Danais, quorum nomine Homerus omnes Graecos solet appellare.[1]) Potest tamen sententia loci ita explicari, ut Arcades non plane diversi a Danais, sed antiquissima eorum natio habeantur. Sed de hac quidem re Homerus nihil novit: ergo infra eam paucis verbis exponam.

---

[1]) Gladstonii sententia, qui putat *Δαναοὺς* respicere ad exercitum tantummodo Graecorum, refutata est a H. Duentzero: Homer. Abhandl. p. 566 sqq.

Homericarum nationum, quarum sedes in Graecia fuisse dicuntur, commemorat Apollonius Pelasgos, Curetes, Taphios. Atque *αἶα Πελασγῶν* est, ut I, 580 apparet, Thessalia, sicut I, 906 Iolcus appelatur Pelasgis, quibus locis adiungam IV, 265 sq., ubi Deucalionis progeniem in Pelasgide terra regnasse tradit, id quod scholiasta explicat: *οἱ ἀπὸ Δευκαλίωνος τὸ γένος ἔχοντες ἐβασίλευον Θεσσαλίας, ὥς φησιν Ἑκαταῖος καὶ Ἡσίοδος.* Notum autem est Homeri *τὸ Πελασγικὸν Ἄργος* illud, quod est aut pars Thessaliae aut Thessalia ipsa.[1] *Κουρῆτιν χθόνα* vocat Apollonius (IV, 1227) Acarnaniam, cuius litora occidentalia heroes, postquam Ambracium sinum praetervecti sunt, secundo vento celeriter legunt. Eadem erat Ephori de huius populi sedibus sententia[2]), quam fortasse Apollonius secutus est: nam ex Homero, qui pugnas tantummodo inter Curetes et Aetolos commissas narrat[3]), de his rebus nihil cognoscere potuit. Ephorus autem tradiderat primum Curetes omnem Aetoliam imperio tenuisse, tum vero ab Aetolio Endymionis filio devictos in eam regionem quae postea Acarnania vocabatur se recepisse.[4]) — His finibus vicinae sunt Echinades insulae (IV, 1228), quas Homerus Echinas nominat[5]): ubi habitasse ferebantur Taphii sive Teleboae ob proelium cum Amphitryone factum celebrati.[6]) Apollonius eorum mentionem infert I, 747 in describendo Iasonis pallio, cui imago pugnae ob boves inter illos et Electryonis filios exortae intexta erat. Qua in narratione solum vocabulum *ληισταί*, quod Taphiis inditum est (I, 750), ad Homerum spectat, qui praedones eos fuisse exhibuerat[7]); cetera ab illo aliena sunt, potissimum Teleboarum nomen, quod plane ille ignorat. Tum quod apud Homerum Sinties Lemni insulae incolae fuisse leguntur[8]), Apollonius hanc insulam *Σιντηίδα* appellat (I, 608, IV, 1757). — Cretensium

---

1) Cfr. Strab. p. 221, 369, 431. — Hom. *B*, 681.

2) Cfr. Strab. p. 463 sq. 3) *I*, 549 sqq.

4) Cfr. de Curetibus: Lobeck, Aglaoph. p. 1111 sqq. — Welcker, Aeschyl. Trilog. p. 174 sqq.

5) *B*, 525. Strab. p. 340.

6) Cfr. Hesiod. Scut. 19. adnott. intt. — Heinr. Heinii adnot. ad. Apoll. II, 4, p. 312. — Strab. p. 459.

7) *ο*, 427: *ληίστορες ἄνδρες; π*, 426: *ληιστῆρσι.*

8) *A*, 594; *θ*, 294.

regem Minoem Homerus Cnossi habitantem ibique fortiter regnantem facit: qui locus (*τ*, 178 sq.) fortasse Apollonii animo obversatus est, cum Ariadnam eius filiam *Κνωσσόθεν* (IV, 434) cum Theseo aufugisse scriberet, ubi ille eam Daedali artibus laetantem inducit (*Σ*, 591 sq.). Ex urbibus quas Homerus commemorat, nonnullas Apollonius quoque enumerat, quippe quae ob id ipsum, quod ille eorum mentionem fecerat, summae antiquitatis specie praeditae esse visae sint, ita ut eas etiam antiquioribus illis temporibus fuisse atque ab Argonautis conspectas esse fingere potuerit Apollonius. Attamen alias quoque ab illo non nominatas recenset, de quibus infra videbimus. Illae vero sunt — praeter eas, quae in Argonautarum catalogo enumerantur — Iolcus portus (I, 906)[1]) Meliboea Magnetum (I, 592; *B*, 717), Aulis (IV, 1777; *B*, 303, 496), Orchomenos Minyarum (II, 1095, III, 1093 sq.; *B*, 511, *λ*, 284), Dardania et Abydus et Percote et Pityea ad Hellespontum sitae (I, 931 sqq.; *Y*, 216, *B*, 829, 835 sq.), Adrestea Propontidi vicina (I, 1116; *B*, 828), de quibus non est quod moneam; sed in quinque eis Paphlagoniae oppidis, quae Apollonius commemorat (II, 943 sqq.), aliquamdiu versandum mihi est. Sunt Sesamus, Erythini, Crobialus, Cromna, Cytorus, cum ab Homero recenseantur (*B*, 853 sqq.) Cytorus, Sesamus, Cromna, Aegialus, Erythini. Quatuor igitur urbes eaedem ab utroque exhibentur, Sesamus, Erythini, Cromna, Cytorus, quintam adiecit ille Aegialum, Apollonius Crobialum[2]): eum autem Homeri locum illum novisse sine ulla dubitatione contenderim: neque vero haec differentia mihi admodum mira videretur, nisi Strabo[3]) traderet pro illa usitata lectione Homerici loci, qua legitur:

Κρῶμνάν τ' Αἰγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους,

fuisse alteram, qua essent verba:

Κρῶμναν Κωβίαλόν τε.

---

[1]) Cfr. III, 1090; Hom. *B*, 712; *λ*, 256: *Ἰαωλκός*.

[2]) De scriptura dubitatio non est: cfr. Merkelii edit. p. 117.

[3]) p. 545: *ὁ δὲ Αἰγιαλὸς ἔστι μὲν ᾐὼν μακρὰ πλειόνων ἢ ἑκατὸν σταδίων, ἔχει δὲ καὶ κώμην ὁμώνυμον, ἧς μέμνηται ὁ ποιητὴς ὅταν φῇ „Κρῶμναν τ' Αἰγιαλόν τε καὶ ὑψηλοὺς Ἐρυθίνους". Γράφουσι δέ τινες „Κρῶμναν Κωβίαλόν τε."* — cfr. Bidder, De Strabonis studiis Homericis. Regimont. 1889. p. 45 et 50.

Apollonii autem locus est:

Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε καὶ ὑλήεντα Κύτωρον.

Mira est similitudo vocabulorum illorum Cobiali et Crobiali, quae ad nostram quaestionem ipsam quam maxime spectat. Atque etiam augetur difficultas eo quod scholiasta Apollonii, qui Strabonis locum exscripsit, lectionem *Κρώμναν Κρωβίαλόν τε* praebet: adnotat enim ad II, 942 haec: *Κρωβίαλος· πόλις περὶ Παφλαγονίαν, ἧς μέμνηται Στράβων ἐν Γεωγραφουμένοις· παρ᾽ Ὁμήρῳ δὲ μεταγράφεται ἀντὶ τοῦ „Κρώμναν τ᾽ Αἰγιαλόν τε" „Κρώμναν Κρωβίαλόν τε"*; contra Stephanus[1]) et Eustathius[2]) qui item illius locum ipsum laudant, exhibent lectionem alteram *Κρῶμναν Κωβιαλόν τε* aut *Κρῶμναν Κωβίαλόν τε*, cum iidem[3]) Apollonii lectionem fuisse *Κρωβίαλον Κρώμναν τε* vel *Κρωμνάν τε* confirment; Valerius Flaccus quoque, Apollonii, ut ita dicam, imitator, Crobiali oppidi mentionem facit.[4]) Denique Stephanus Byzantius[5]) Apollonii lectionem fuisse *Κρωβίαλον* confirmat ipsius locum laudans: *Κρωβίαλος· πολίχνιον πρὸς τῇ Ποντικῇ. Ἀπολλώνιος δευτέρῳ „Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε καὶ ὑλήεντα Κύτωρον". Οἱ οἰκοῦντες Κρωβιαλεῖς.* Quae postrema leguntur verba *οἱ οἰκοῦντες Κρωβιαλεῖς* ex Apollonio fluxisse non possunt, cum is incolas huius oppidi non commemoret: nomen igitur illud *Κρωβιαλεῖς* ex alio auctore mutuatus esse videtur Stephanus et quamquam quis hic fuerit dici nequit, tamen etiam hoc testimonio lectio *Κρωβίαλος* confirmatur. Atque Muellerus apud Strabonem quoque *Κρωβίαλον* esse restituendum censet: id quod equidem non plane repudiem, etsi hoc quoque fingi licet, Cobialum et Crobialum fuisse varia nomina unius eiusdemque vici atque differentiam illam, quae est levissima, exortam esse e barbarie vel inconstantia vocum Graecis auribus insolitarum atque utramque nominis formam in

---

1) v. *Αἰγιαλός*.

2) ad. Il. *B*, p. 362 ed. Lips. (complectitur Homerum, Strabonem Apollonium).

3) Steph. Byz. v. *Κρωβίαλος;* Eust. l. l.

4) Argonaut. V, 102.

5) v. *Κρωβίαλος*. Cfr. Mueller. ad Arrian. per. 20, cuius sententiam repudio. — Geffcken, De Stephano Byzantio capita duo. Diss. Gotting. 1886, p. 23.

usu fuisse. Erat igitur pro usitata lectione Homeri *Κρῶμνάν τ' Αἰγιαλόν τε* altera *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε* vel *Κωβίαλόν τε.* Iam quaeritur num iam Apollonio hae duae lectiones notae fuerint. Atque e Crobiali commemoratione affirmaverit quispiam hanc quaestionem atque putaverit ab illo alteram qua scribebatur *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε* praelatam esse: quae opinio saltem probabilis est.[1]) Sed praeter Homerum hoc loco alium auctorem, atque eum, ut videtur, geographum, ab Apollonio inspectum esse suspicor eo quod quattuor eas urbes, de quibus ex aliis paulo certiores sumus quam de Crobialo, ordine geographico ab occasu ad orientem versus, sicut Argonautae iter legunt, recenset, cum Homerus eas promiscue enumeret. Occurrunt enim ab occasu ad orientem euntibus hoc ordine, ut periplorum auctores[2]) diserte indicant: Sesamus, quae urbs inde a tertio ante Christum natum saeculo etiam Amastris nominabatur, Erythini, Cromna, Cytorus; Apollonius vero, nisi quod inter Erythinos et Cromnam Crobialum illud oppidum illis ignotum inserit, ordinem servat, id quod, ut equidem censeo, auctori geographico debet. Eadem ratione commoveor, ne credam Crobialum vel, si hunc quoque nominis eloquendi et scribendi modum vere fuisse statuas, Cobialum et Aegialum unum idemque esse oppidum, sicut fortasse quis senserit.[3]) Est enim Aegialus vicus a Cytoro ad orientem versus[4]) situs, cum Crobialus, si Apollonium etiam in hac urbe enumeranda ordinem retinuisse putamus, inter Erythinos et Cromnam posita ad occasum spectasse videatur. Ergo quamquam negari non potest, Apollonium lectionem illam, quam Strabo asservavit, Homericam non ignorasse eamque alteri praetulisse causis commotum nescio quibus — nam e metricis rationibus eum ductum esse non est credendum, cum *Αἰγιαλόν* non minus quam *Κρωβίαλον* in numerum cadat, — tamen consideranti mihi enumerandi ordinem ab Homerico modo plane diversum verisimile videtur eum non e solo Homero,

---

[1]) Cfr. Merkel. Prolog. p. CXXXIV: sed tenedum est apud Apollonium legi *Κρωβίαλον Κρῶμνάν τε,* non *Κρῶμναν Κρωβίαλόν τε.*

[2]) Arrian. 20 (Müller); Anon. per. 17; Marcian. epit. per. Mennipp. 9 (omissis Erythinis).

[3]) Cfr. Pauly's Real-Encyklop. v. Aegialus.

[4]) Cfr. Arr., Anon., Marc. per. ll. ll.

sed etiam ex alio auctore hanc notitiam esse mutuatum. Illud vero accurate Homeri memoriam refert, quod Sesami nomen retinuit Apollonius, cum sua aetate illa urbs vocaretur Amastris ex uxore Dionysii Heracleotarum tyrranni.[1]) Praeterea ad Homericos Enetos[2]), Paphlagonum nobilissimam tribum, ut censet Strabo[3]), spectat, quod Pelops rex Paphlagonum appellatur *Ἐνετήιος* (II, 358); etiam Parthenius fluvius Homero notus est eodemque illo loco commemoratur[4]), cum Apollonius uberius de eo agit (II, 938 sqq.). Sed de ea Paphlagoniae orae parte, cui erat nomen *Αἰγιαλός* (II, 947), infra dicemus, quod ad Homerum non spectat, sed ad Strabonem qui in hac re graviter dissentit ab Apollonio. Quae Apollonius de Theba Aegyptia, quam vocat *Θήβην Τριτωνίδα,* tradit, ab Homero sunt aliena: hic divitias magnitudinemque laudibus effert[5]), ille sacerdotum peritiam reconditam praedicat (IV, 259 sq.). Aethiopibus vero rursus eas, quas Homerus voluit, assignat sedes, quas is bipartitas esse exposuerat[6]), ita ut una illius populi pars in orientis regionibus extremis, altera in occidentis finibus ultimis habitare dicatur; Apollonius quidem occidentalium tantum Aethiopum mentionem infert (III, 1190 sq.): neque credo eum has Homericas fabulas ad suae aetatis rationes — sicut Strabo[7]) absurde facit — accomodare studuisse. — Quoniam hominum regiones circumspeximus, nunc deorum sedes delubraque adeamus. Saepius enim Apollonius, cum heroem vel heroidem cum deo vel dea comparat, eius templa fanaque nobilissima enumerat[8]), quorum quamqam nonnulla ab Homero quoque commemorantur, tamen cum ei non sint propria, infra in ceterorum conexu tractanda mihi reservo: sed de deorum domiciliis Homericis, etiamsi vix ad geographiam pertinent, tamen pauca adiungam. Superis deis

[1]) Strab. p. 544. — cfr. Schneiderwirth, Das pontische Heraclea. Progr. Heiligenstadt. 1881/82, p. 34. — Stiene, De Heracleot. Pont. republica. Monast. 1870, p. 37.

[2]) *B*, 852.

[3]) p. 543 (*το δὲ μάλιστ' ὁμολογούμενον ἐστιν, ότι ἀξιολογώτατον ἦν τῶν Παφλαγόνων φῦλον οἱ Ἐνετοί.*)

[4]) *B*, 854. [5]) *I*, 381 sqq.; *δ*, 126 sq.

[6]) *α*, 22 sqq. [7]) Cfr. p. 3, et 30 sqq.

[8]) Cfr. I, 307 sqq. (de Iasone); III, 875 sq. (de Medea); III, 1239 sqq. (de Aeeta cum Neptuno comparato); I, 536 sq.

sedem esse Olympum montem, sicut Homerus indicaverat, ita apud Apollonium legimus[1]); neque vero aut ab hoc aut ab illo discernuntur terreni montis et caelestis domus rationes, sed plane confunduntur: quae res, ut ex Homeri illo loco, ubi Iupiter minitans inducitur se cunctum terrarum orbem sublaturum et ad Olympi cacumen alligaturum esse, ita ut *πάντα μετήορα* pendeant, ita ex Apollonii verbis apparet: dicit enim de Venere quae Cupidinem filium quaerit (III, 113 sqq.):

Βῆ ῥ' ἴμεν Οὐλύμποιο κατὰ πτύχας, εἴ μιν ἐφεύροι.
εὗρε δὲ τόνγ' ἀπάνευθε Διὸς θαλερῇ ἐν ἀλωῇ,
οὐκ οἶον, μετὰ καὶ Γανυμήδεα, τόν ῥά ποτε Ζεὺς
οὐρανῷ ἐγκατένασσεν ἐφέστιον ἀθανάτοισιν . . .;

atque similia sunt verba III, 159 sqq.:

Αὐτὰρ ἔπειτα πύλας ἐξήλυθεν Οὐλύμποιο
αἰθερίας· ἔνθεν δὲ καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος
οὐρανίη· . . . .

Pro geographica vero ratione montis Olympi mentionem facit uno loco I, 598, ubi tradit eum ab Argonautis e navi esse conspectum. Vulcani officinam supra paucis verbis attigi: quam quod aeque atque Aeoli regiam in Planctarum vicinitate[2]) atque etiam ipsam in insula „plancta" esse fingit[3]) Apollonius, ab Homero prorsus abhorret: qui nonnisi Aeolum ventorum regem *πλωτῇ ἐνὶ νήσῳ*[4]) habitantem facit, cum de huius domicilio Apollonius quidem omnino nihil exponat. In his igitur rebus ab illo recedit Apollonius aliorumque auctorum vestigia persequitur: atque e scholiasta[5]) cognoscimus Pytheam, quem sine dubio Massiliensem illum geographum intellegit, *ἐν Περιόδῳ γῆς* et Agathoclem[6]), cuius de aetate paene nihil constat, *ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι* de hac Vulcani officina in Liprarum insularum una vel altera esse credita multa et illum quidem, pro more

---

[1]) II, 695; IV, 779; III, 113.
[2]) Cfr. IV, 954 sqq.; v. supra p. 13.
[3]) III, 41 dicitur de Vulcano:

Ἀλλ' ὃ μὲν ἐς χαλκεῶνα καὶ ἄκμονας ἦρι βεβήκει
νήσοιο πλαγκτῆς εὐρὺν μυχόν, ᾧ ἔνι πάντα
δαίδαλα χάλκευεν ῥιπῇ πυρός . .

[4]) *κ*, 3. [5]) ad IV, 761. cfr. Strab. p. 275 sq.
[6]) de Agathocle cfr. Mueller, Fragm. hist. Gr. IV, 288 fr. 9.

suo, satis mira prodidisse. Denique quod Nerei, senis marini, domum in Aegaeo mari[1]) esse Apollonius dicit, ex Homeri loco illo[2]) fluxisse videtur, ubi, aeque atque apud hunc ipsum legimus (IV, 768 sqq.), Iris, ut Thetidi mandata quaedam deferret, inter Imbrum et Samum[3]) insulas mari se immersisse narratur.

II. De ceteris rebus geographicis.

Reliquae carminis partes praecipue sunt de Cyzico insula, de Heracleae Ponticae regione, de populis quibusdam Ponti litora meridiana habitantibus, de Colchis, de Istro, Eridano, Rhodano fluviis, de Libyco lacu Tritone. Atque videbimus Apollonium mirum in modum fabulis miscere res fide historica confirmatas, modo vera tradere modo falsa, et poetarum licentia usum esse et auctorum locupletissimorum libros adhibuisse. Priusquam autem ad res ipsas tractandas transeo, nonnulla de fontibus[4]) praemittenda esse existimo. Constat satis multos libros Apollonio praesto fuisse, e quibus geographicas descriptiones, si quae aptae sibi viderentur, adhiberet eligeretque. Supra enim demonstravimus eum, ut Homeri narrationes uberius illustraret, aliorum auctorum libros de illis rebus inspexisse. Et commemorat scholiasta satis multos, sed in singulis rebus quo auctore usus sit Apollonius difficile est dictu, quod claris verbis, quis fuerit fons, perraro indicant scholia: quae si de hac re tacent, nos quidem omnino nihil explorare possumus, cum paene omnes libri, e quibus Apollonius res illas mutuatus esse videtur, deperditi sunt. Ergo ex scholiastae adnotationibus prorsus nostrum iudicium pendet.[5]) Neque vero id mihi agendum esse duco, ut omnes auctores, e quibus hauriendi Apollonio potestatem

---

1) IV, 770. 2) Ω, 77 sqq.

3) Est Samothrace intellegenda, cfr. Strab. p. 457.

4) Cfr. Weichert p. 133 sqq. — G. E. Groddeck, Biblioth. der alten Litteratur und Kunst, II, p. 61 sqq. Göttingen 1787.

5) Nimirum ea quae scholiis de fontibus Apollonii traduntur omnia recte se habere minime extra dubitationem est, eo quod veteres illi commentatores, cum permulti libri de singulis rebus essent, quem quoque loco evolvisset poeta, statuere vix potuerunt: sed nos quidem, cum illi libri paene omnes deperditi sint, nihil nisi ad scholiorum testimonia confugere possumus.

fuisse statui licet indagem; sed eos tantummodo colligam et recensebo, quos fontes illius fuisse aut dilucide tradit scholiasta aut ex eius verbis suspicari possumus vel saltem probabile est.[1]) Atque primum quidem ii qui ipsa Argonautica versibus aut oratione soluta confecerunt, cum alias tum geographicas cognitiones poetae nostro exhibuisse videntur, et ii potissimum qui recentioribus temporibus vixerunt — nam antiquiores, ut Pindarus docet, geographiam uberius non tractasse censeo —, ut Herodorus, Socratis aequalis, ut Muellerus coniecit[2]), qui Heracleae Ponticae natus de rebus ibi ab Argonautis gestis verba fecisse videtur, quamquam ut Apollonii auctor nusquam apud scholiastam commemoratur, et Cleo Curiensis[3]), cuius aetas etsi certe definiri non potest, tamen e scholiastae Ap. Rh. I 623 verbis, quibus dicit Asclepiadem Myrleanum demonstrasse, *ὅτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν Ἀπολλώνιος*, concludi licet: apparet igitur Apollonio antiquiorem esse. Agit autem illo loco de Sicino insula antea Oenoea nominata.[4]) Deinde Antimachus poeta commemorandus est, ex quo Apollonium fabulam de Strophadibus insulis cognovisse scholiasta Ap. Rh. II, 296 his verbis tradit: *Στροφάδας φησὶ κεκλῆσθαι διὰ τὸ τοὺς Βορεάδας αὐτόθεν ὑποστρέψαι τραφέντας εἰς τοὐπίσω, λαβὼν παρὰ Ἀντιμάχου.* Constat illum de Argonautis egisse in eo carmine, quod inscriptum erat Lyde, atque probabile est eum pro doctrina sua multa Apollonio suppeditavisse. Potissimum autem historicorum et geographorum libros inspexit Apollonius: logographi enim illi, qui fabulas tractabant, saepius etiam de regionibus, quae ad eas pertinebant, verba facere solebant. Et saepissime quidem a scholiasta laudatur Pherecydes[5]) atque uno loco diserte auctor Apollonii fuisse confirmatur II, 990, ubi adnotat ille: *Ἁρμονία*

---

[1]) Cfr. I. Peters, De C. Valerii Flacci vita et carmine. Diss. Königsberg. 1890, p. 60 sqq.

[2]) Cfr. Fragm. hist. Gr. II, 27, fr. 1, 14, 15, 23, 25, 35, 36, 38—46, 48—59.

[3]) Cfr. Weichert p. 150 sqq.

[4]) Cfr. Strab. p. 484; Stephan. Byz. v. *Σίκινος*.

[5]) Mueller, Fragm. hist. Gr. I, 70 sqq. fr. 2, 5, 7, 9, 10, 13, 14, 21, 23, 25, 26, 29, 32, 33, 38, 40, 41, 43, 44, 54, 58, 59, 61—73, 80, 81, 88, 93, 102a, 103, 104, 115.

νύμφη Ναΐς, ἧς καὶ Ἄρεως Ἀμαζόνας εἶναί φησι Φερεκύδης, ᾧ ἕπεται Ἀπολλώνιος. Deinde Acusilai[1]), Charonis[2]), Hecataei[3]), Hellanici[4]) mentio fit; neque tamen num quid ex iis Apollonius sumpserit, clare explicatur. Ceterorum historicorum qui quidem notiores sint afferuntur Ephorus[5]) Herodotus[6]) Theopompus[7]), Timaeus[8]), quorum libros evolvisse Apollonium etiamsi probabile est tamen e scholiastae adnotationibus demonstrari nequit. Atque etiam num Xenophontis[9]) Anabasin inspexerit ille, ubi de gentibus quae Ponti oras incolebant, egerit, admodum dubium est: nam scholia ipsis illis locis, ut infra videbimus, alios fontes indicant. His adiungam nomina historicorum et geographorum a scholiasta laudatorum, quos aut ante Apollonium aut fere iisdem atque ipsum temporibus vixisse constat, ita ut ex eorum libris haurire potuerit. Sunt Andro, Aristoteles, Callisthenes Olynthius, Ctesias, Deilochos, Hermippus, Leo, Neanthes, Nymphis, Nymphodorus, Philostephanus, Timosthenes, Timagetus. Quorum quatuor accurate confirmantur auctores Apollonii fuisse, Deilochus[10]) schol. Ap. Rh. I, 1037 ubi sunt verba: *ἠκολούθηκε δὲ Ἀπολλώνιος Δηιλόχῳ*, Nymphis[11]) schol. Ap. Rh. II, 729 verbis: *Νύμφις ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας ᾱ φησί, παρ' οἷ Ἀπολλώνιος ἔοικε ταῦτα μεταφέρειν*[12]) (sc. descriptionem Acherusiadis promunturii prope Heracleam Ponticam siti), Nymphodorus[13]) schol. Ap. Rh. III, 202, de quo dicitur:

[1]) Cfr. Mueller, l. l. I, 100 sqq.: fr. 5, 8, 9, 10, 29.
[2]) id. I, 32: fr. 7, 12.
[3]) id. I, 1 sqq.: fr. 187, 334, 337, 338, 339, 352.
[4]) id. I, 45 sqq.: fr. 2, 15, 29, 32, 39, 59, 60, 61, 86, 87, 88, 92, 94, 113, 129.
[5]) id. I, 234 sqq.: fr. 9, 76, 79, 81, 83, 84, 103, 104, 108.
[6]) schol. Ap. Rh. I, 1024; II. 675, 946; III, 1085; IV, 272, 277.
[7]) Mueller l. l. I, 278 sqq., fr. 52, 113, 177, 341 (et schol. Ap. Rh. IV, 308).
[8]) id. I, 193 sqq.: fr. 1, 5, 7—9, 53, 54.
[9]) a scholiasta Ap. Rh. omnino nusquam Xenophon laudatur.
[10]) cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. II, 17 sqq. fr. 1—10.
[11]) id. III, 12 sqq. fr. 2, 3, 5—9, 14, 18, 19.
[12]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 786: *ὅτι δὲ Φρύγας ἐχειρώσατο* (sc. *Ἡρακλῆς*) *τοῖς Μαριανδυνοῖς καὶ Νύμφις ἱστορεῖ. Διὸ καὶ οὕτω γράφει* (sc. Apollonius).
[13]) Cfr. Mueller, l. l. II, 375 sqq. fr. 15—18.

ὥς φησι Νυμφόδωρος, ᾧ ἠκολούθησε (sc. Apollonius), Timagetus[1]) schol. Ap. Rh. IV, 284 verbis: ἔξω Τιμαγήτου, ᾧ ἠκολούθησεν Ἀπολλώνιος. Satis gravis offensio nobis occurrit in Theolyto: ex eo enim narrationem de Thoante rege Sicinum insulam antea Oenoeam nominatam a piscatoribus transportato Apollonium hausisse prodit scholiasta Ap. Rh. I, 623 (p. 337, 25 Keil.) cum dicit: εἴληφε τὴν ἱστορίαν παρὰ Θεολύτου: atqui infra (v. 31 eiud. pag. Keil.) narrat, Asclepiadem Myrleanum demostrasse, e Cleone omnia mutua sumpsisse Apollonium: pugnant haec inter se atque Muellerus[2]) difficultatem sic removere studet, ut iudicet Apollonium e Cleone, Cleonem e Theolyto hausisse: quae sententia a specie probabilitatis non abhorret. Quod vero Promathidam[3]) Apollonii auctorem fuisse contendit scholiasta II, 911 verbis: τὴν δὲ περὶ Σθενέλου ἱστορίαν ἔλαβε παρὰ Προμαθίδα, sine dubio erravit: nam multo post Apollonium ille vixit[4]); recte igitur Lehrsius[5]) hunc locum emendavit lacunam exstare indicans: τὴν δὲ περὶ Σθενέλου ἱστορίαν ἔλαβε παρὰ .... (ἔστι καὶ παρὰ) Προμαθίδᾳ. Praeterea in scholiis nonnulli rerum scriptores commemorantur, quorum aetates plane nobis ignotae sunt, ita ut exquirere omnino non possimus, utrum eorum libris usus sit Apollonius necne. Denique laudantur quos post Apollonium floruisse satis constat. Haec habui quae universe de fontibus Apollonii dicerem: uberius de iis, quorum libri ad geographiam pertinebant, suis locis infra disseram. Iam ad res ipsas accedamus.

Atque primum quidem de navigatione inde ab Iolco usque ad Cyzicum facta[6]) quaerenti mihi in descriptione orae Magnesiae duae res occurrunt, quae aliquam offensionem praebent: sunt autem positae in urbe Piresiis et in loco qui Aphetae Argus vocabatur. Iam vero exquiramus, quomodo Apollonius cursum navis describat atque videamus, num ea quae prodit geographorum rationibus respondeant.[7]) E portu Pagasarum de-

[1]) Cfr. Mueller, l. l. IV, 519 sq. fr. 1—5: scripsit περὶ λιμένων.
[2]) l. l. IV, 515. [3]) Mueller III, 201, fr. 1—4.
[4]) Cfr. Mueller, l. l. [5]) Herodiani scripta tria p. 432.
[6]) I, 519—935.
[7]) v. H. Kiepert, Topographisch-Historischer Atlas von Hellas. Berl. 1846. t. XIV et XVI., Atlas ant. t. VI. — Bursian, Geographie

gressi esse narrantur heroes I, 524—559, ubi sunt verba extrema:

Οἳ δ' ὅτε δὴ λιμένος περιηγέα κάλλιπον ἀκτὴν . . .;

primum Tisaeum promunturium in meridiana Magnesiae ora situm praetervehuntur (I, 568), tum cum Thessalia terra e conspectu tollitur, praeter abscissa cacumina Pelii montis iter faciunt (v. 580 sq.). Haec omnia recte se habent; iam obscuriora sunt verba poetae: satis mire enim dicit (v. 582 sq.) Sepiadem actam e conspectu sublatam esse, cum Sciathus insula — quae illi est obtenta[1]) — in conspectum prodiret. Consentaneum vero est, Argonautas, cum per fretum ipsum quod est inter duo illa loca navigandum iis esset, e sinistra manu illud promunturium, e dextra manu hanc insulam cernere potuisse. Sed haec sunt leviora: illa vero graviora quae de Piresiis et Aphetis sunt (ib. v. 583 sqq.); quaeritur ubi sitae fuerint Piresiae quam urbem Magnesiae esse scholiasta[2]) adnotat: Apollonius vero ipse nihil dicit nisi *ἄπωθεν*, e longinquo, eam ab heroibus esse conspectum, cum Sepiadem actam praeterveherentur. Ab illa igitur urbe Piresiis, quam fere media in Thessalia prope eum locum ubi Enipeus et Apidanus confluunt sitam esse tradit Apollonius[3]), hanc quam e navi conspicere potuerant Argonautae diversam esse manifestum est; videntur igitur duae urbes fuisse quibus nomen Piresiae erat: id quod Stephanum Byzantium[4]) affirmare puto: is enim et tradit Pirasiam sive Piresiam[5]) esse urbem Magnesiae et Asterium Thessaliae urbem, quam Homerus commemorat, sua aetate vocari Piresiam: atque quaeritur iam, utrum haec eadem atque illa fuerit an eae urbes duae plane inter se diversae fuerint; quae in re diiudicanda tenendum est Stephanum, cum Piresiam urbem Magnesiae, Asterium oppidum Thessaliae vocat, has urbes inter se discernere, quamquam non ignoro scriptores Thessaliae nomine non solum ipsam proprie dictam regionem Thessalicam, sed etiam terras vicinas ut Mag-

v. Griechenland I, p. 96—104. — Lolling, Geogr. u. Geschichte d. griech. Altert. (Iw. Muellers Handbuch III) p. 153 sqq.

[1]) Strab. p. 446; cfr. Lolling l. l. p. 194.

[2]) ad I, 583. [3]) I, 37 sqq.

[4]) v. *Πειρασία* ot v. *Ἀστέριον*.

[5]) e coniect. Meinekii: cfr. adnot. crit. edit. p. 514.

nesiam, amplecti[1]), ita ut quispiam putet Stephanum illo loco ampliore significatione vocabuli Thessaliae uti: id quod equidem reprobo, cum hic usus a geographorum diligentia abhorreat. Ergo etiamsi ab alio auctore neque Piresia neque Pirasia neque Piresiae urbs omnino commemoratur, tamen non est cur testimonia scholiastae et Stephani pro nihilo aestimemus. Atque etiam si Asterium et Pirasiam inter se diversas fuisse statuimus, probe Apollonius et Stephanus consentiunt, cum differentiam illam non ita gravem mittere liceat quae in eo est quod ille plurali, hic singulari numero — ubi tamen lectio non constat[2]) — utitur: Asterium enim fuisse Thessalicas Piresias ad Enipeum Apidanumque confluentes sitas[3]), Piresiam sive Pirasiam respondere Piresiis quam urbem Argonautae e navi conspexisse dicuntur[4]), cum hoc Magnetum oppidum fuisse Stephanus prodat, apte statuere possumus. Attamen cum de situ huius alterius Magnesiae urbis omnino nihil sciamus, non omnis suspicio removetur remanetque dubitatio num omnia haec recte se habeant. In Aphetis Argus vero errasse videtur Apollonius: hunc locum, cui nomen e discessu Argus navis inde, ut fama erat, facto inditum erat, secundum Apollonii descriptionem in ora orientali Magnesiae fuisse dilucide inde apparet quod post Sepiadem promunturium commemoratur: accuratius autem eius situs definiri nequit: nam ubi tumulus Dolopis herois[5]), ad quem appulsi Argonautae, cum biduum ibi commorati essent, e Graecia degressi esse dicuntur, unde nomen loci exortum esset (I, 585—591), situs fuerit, diligentius non produnt ii qui eius mentionem faciunt: id unum dicunt eum in ora orientali Magnesiae fuisse. Secundum Apollonium autem hunc ipsum locum esse Aphetas Argus existimare debemus. Atque in hac re ceteri, Herodotus[6]), Strabo[7]), Stephanus[8]) graviter ab illo dissentiunt, cum Aphetas intra sinum

[1]) Cfr. Bursian l. l. I, p. 96.

[2]) Cfr. Meinekii edit. Steph. p. 514 adnot. crit.

[3]) Cfr. Leake, Travels in Northern Greece IV, 323, 493. — supra p. 6.

[4]) Cfr. Leake, p. 383.

[5]) I, 585: *τύμβος Δολοπήιος*, cfr. schol. Ap. Rh. I, 587. — Orph. Argon. 463: *Δόλοπος σῆμα*. — Valer. Flacc. II, 10: Dolopeia busta.

[6]) VII, 193.

[7]) p. 436.

[8]) v. *Ἀφεταί*. De accentu cfr. Steph. thesaur. s. v.

Pagasaeum sitas fuisse omnes tradunt, quamquam de loco accuratius definiendo est differentia non ita levis inter Herodotum et Strabonem.[1]) Apud Apollonium autem legimus iam I, 568 heroes Tisaeum promunturium praetervectos esse, quod est extra sinum illum: tum demum commemorantur Sepias et Aphetae (v. 582, 591): hic igitur sine dubio Apollonius erravit atque diversa inter se confudisse videtur: nam tumulum Dolopis ibi, ubi Apollonius eum fuisse narrat, re vera fuisse probabile est: sed Aphetae certe non erant hoc eodem loco, sicut ille contendit; et si hanc rem animo plane complector, nescio an suspicer eum etiam de Piresiis illis Magnesiis hallucinatum esse atque probo verba Bursiani[2]) de hoc Apollonii loco dicentis: „Die Schilderung bei Apollonius Rhodius I, 585 ss. ist zu unklar, um daraus einen irgend sichern Schluss über die Lage der ἀκτὴ Ἀφέται zu ziehen.“ Neque tamen ob hanc rem vituperem poetam, qui non debet fidem historicorum vel geographorum praestare. — In reliqua Magnesiae descriptione novas difficultates invenimus. Aphetis enim degressi Argonautae praetervehuntur Meliboeam, urbem iam Homero[3]) notam, et omne litus ob tempestates nautis periculosissimum[4]): tum Homolen montem in mare prominentem, ubi Amyrus fluvius effluere dicitur, et Eurymenas oppidum et saltus Ossae Olympique montium conspiciunt, unde iam ad Pallenen paeninsulam cursum deflectunt[5]): quibus in rebus offensionem movent Homole mons et Amyrus fluvius, quorum de situ Apollonius male se instructum esse demonstrat. Nam Homole sive Homolium mons ab Ossa ad septemtrionem vergebat[6]): erat igitur ei, si modo e ratione et ordine descriptionem exhibere voluit, post Eurymenas et Ossam nominandus: de Amyro autem timeo ne rursus Apollonius valde erraverit. Scimus enim Amyrum rivum prope Lacercam urbem, Aesculapii patriam[7]), in Boebeidem lacum influxisse, quibus de rebus

---

[1]) Cfr. Bursian l. l. I, p. 101.
[2]) l. l. Anm. 4.
[3]) Qua de re supra dictum est (p. 22).
[4]) I, 593: αἰγιαλόν τε δυσήνεμον. cfr. Bursian I, 100 sq.
[5]) I, 592—599.
[6]) Bursian 1, 98.; Lolling p. 154.
[7]) Cfr. Pind. Pyth. III, 34. Strab. p. 442, 647.

Apollonius IV, 614 sq. dicit: sed Amyrum fluvium in ora orientali Magnesiae in mare effluxisse praeter Apollonium et Valerium Flaccum eius imitatorem nemo tradit. Atque recte Bursianum[1]) de hoc altero Amyro iudicare censeo, cum dicit: „Dass Apollonius Rhodius I, 596 und Valerius Flaccus II, 11 den auf der Ostküste nördlich von Meliboea ins Meer fliessenden Bach Amyros nennen, kann, wenn man nicht zwei Flüsse dieses Namens in derselben Gegend annehmen will, nur als ein geographischer Irrthum betrachtet werden.“ Vidimus igitur non omnia quae Apollonius tradit quadrare ad ea quae ex aliis scriptoribus, praecipue e geographis, de his regionibus comperimus: quae cum ita sint, censeo eum his locis auctores non ita locupletes adhibuisse: atque e scholio I, 587 fortasse de Cleone cogitari licet: is enim de Dolope heroe, cuius ad sepulchrum Argonautae appulsi sunt, verba fecisse dicitur.[2]) Sed quoniam de eius ingenio atque indole paene nihil constat, vereor ea de quibus Apollonius erravit illi tribuere. — Canastraeum promunturium Pallenae paeninsulae (v. 599) et Atho montem (v. 601) praetervecti heroes Lemnum perveniunt atque liberali hospitio in urbem Myrinam recipiuntur: quibus in rebus nihil nisi pauca de v. 602 sqq., ubi Apollonius narrat Atho montem umbram suam usque ad Myrinam misisse, habeo quod addam. Primus enim, quem quidem nos sciamus, Sophocles hanc rem, a Plinio quoque prolatam[3]), commemoravit, cum diceret:

Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός . . . .,

quem versum in Etymologico Magno[4]) laudatum invenimus. Atque fortasse — nam plus dicere non audeo — animo Apollonii obversata sunt illa verba. Deinde quae de spatio quo Lemnus ab Atho monte distat Apollonius prodit recte se habere, si Stephani verba quae sunt de umbra illius montis[5]) cum Herodoti

---

[1]) ibid. I, 104, Anm. 2.

[2]) *Ὁ δὲ Δόλοψ Ἑρμοῦ υἱός, ὃς ἐν Μαγνήσσῃ τῇ πόλει* (credit enim scholiasta esse eam urbem in regione cui idem nomen erat, cfr. schol. I, 583) *ἀπώλετο καὶ αὐτόθι τάφον παρὰ τῷ αἰγιαλῷ ἔσχεν, ὡς Κλέων ἐν πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν.* cfr. Leake l. l. IV, p. 381 sq.

[3]) IV, 73 Ian.

[4]) p. 26, 16.

[5]) v. *Ἄθως : Βάλλει δὲ ἡ σκιὰ τοῦ ὄρους ἐπὶ σταδίους τριακοσίους.*

ratiocinatione de cursibus navium[1]) comparamus, non est cur negemus. Ille enim prodit umbram montis Athonis in trecenta stadia eici, hic navem septingenta stadia per diem totum[2]) cursu conficere dicit; cum autem umbram montis forum urbis Myrinae tetigisse constet, Lemnum ab Atho trecenta stadia, si modo Stephanus longitudinem umbrae recte indicat, distare censendum est[3]): ergo quod Apollonius navem onerariam antemeridiano cursu ab Atho usque ad Lemnum pervenire posse contendit, recte videtur dicere. De Lemno insula quae ad geographiam pertinent non multa profert poeta: quod eam Sinteidem appellat, Homerum, ut supra exposuimus, imitatur. Urbs Myrina[4]) speciem summae vetustatis praebuisse videtur: fama enim erat eam e Myrina Thoantis regis uxore nomen accepisse[5]), ita ut Apollonius eam Argonautarum temporibus iam fuisse iure fingere posset. Praeterea fertilitas insulae laudatur[6]), qua praeter ceteras quae in mari Aegaeo sitae sint insulas florere dicitur[7]), atque obiter cultus Vulcani celeberrimus et Homero iam notus[8]) commemoratur.[9]) Atque si has quas de Lemno narrat res perpaucas cum descriptione Corcyrae, de qua supra disserui, comparamus, statuere possumus morem illum, quem illic invenimus et infra de Cyzico et Heraclea vel luculentius perspiciemus, fabulas Argonauticas ad vernacula loca, ut montes, fluvios, rivos, fontes, referendi aut in Lemno omnino non in usu fuisse aut hic quidem ab Apollonio neglectum esse. Neque tamen talium auctorum quales de Heracleae Cyzicique fabulis et primordiis scripserunt — de quibus infra tractabimus — libros de Lemno fuisse, ita ut Apol-

---

1) IV, 86.

2) Hoc enim modo res explicanda est, ut diserte docuit C. Reichardt, Landeskunde von Skythien. Hal. 1889, p. 121 sqq.

3) Plinius quidem, Nat. Hist. IV, 73 Ian, tradit Lemnum ab Atho LXXXVII m. p. abesse.

4) I, 604, 634. cfr. Ptolem. III, 13, 47; Steph. Byz. v. *Λῆμνος*.

5) schol. Ap. Rh. I, 601: . . . . *ἐκλήθη δὲ* (sc. *Μύρινα*) *ἀπὸ Μυρίνης, τῆς Θόαντος γυναικός, Κρηθέως δὲ θυγατρός.*

6) I, 830 sq., 868; quod I, 608 eam *κραναὴν* appellat, ad litus actamque videtur spectare.

7) Cfr. Pauly Real-Encyklop. v. Lemnos.

8) *θ*, 283 sq.

9) I, 851, 859.

lonio ex iis mutuandi potestas esset, scholiasta usquam commemorat. — Samothracae, quam Electrae, filiae Atlantis, insulam Apollonius appellat[1]) ex eo quod eam ibi habitasse fama erat[2]), Orpheo suadente Cabirorum sacris Argonautae initiati sunt: quae cum vetustissima haberentur, ille non dubitavit, quin etiam illa antiquissima aetate fuisse fingeret. — Inde heroes cum Thraciam ex hac, Imbrum insulam ex illa parte praeterveherentur, profecti sunt *Μέλανος διὰ βένθεα πόντου*[3]): quod mare Scylax[4]) et Strabo[5]) geographi pro natura *Μέλανα κόλπον* vocant; est enim re vera sinus, Cardianus quoque ex urbe illa nominatus. Quaeritur iam, qua de causa Apollonius hunc sinum *πόντον* appellet; atque cum scholiasta[6]) Apollonii contendat ipsum hunc sinum etiam ab Homero intellegi, ubi de Iride narrat[7]):

Μεσσηγὺς δὲ Σάμου τε καὶ Ἴμβρου παιπαλοέσσης
ἔνθορε Μείλανι πόντῳ· ..,

quocum bene consentiunt haec scholia Homeri ad illum locum exstantia: *τῷ καὶ ἔτι νῦν καλουμένῳ μέλανι κόλπῳ* et *νῦν δὲ Καρδιανὸς ὁ κόλπος ὀνομάζεται,* — quamquam in cod. Towl. additur[8]): *τάχα δὲ τοῦτο ὕδατός ἐστιν ἐπίθετον ὡς „μέλαν δέ ἑ κῦμα“,* quam explicationem interpretum recentiorum plures[9]), quibus equidem assentior, probant — non abest suspicio Apollonium, cum illum locum aeque atque illi scholiastae interpretatus esset, vocem *πόντον* ex Homero sumpsisse[10]): quod tamen confirmari non potest; nam quamquam vocabulum *πόντον* hoc loco ab illorum geographorum usu recedere atque ad Homeri versum spectare concedo, tamen illud ex ipsius Homeri loco fluxisse prorsus contendere nolim, propterea quod ab aliis quoque hoc mare interdum *Μέλας πόντος,* non *Μέλας κόλπος*

[1]) I, 916: *νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος.*
[2]) schol. Ap. Rh. I, 916. Cfr. Strab. p. 331 fr. 50. — Steph. Byz. v. *Σαμοθράκη.* — Diod. V, 48 sq.
[3]) I, 922 sqq. [4]) c. 67.
[5]) p. 331 fr. 52 sqq. cfr. Plin. N. H. IV, § 48.
[6]) ad I, 922. [7]) *Ω*, 78 sq.
[8]) Cfr. Ebeling, Lexicon Homericum v. *μέλας.*
[9]) Duentzer (Hom. Abhandl. 339), Franke, Goebel, Peppmueller, La Roche. Aliter censent Heyne, Faesi, Spitzner.
[10]) Id statuit Merkel, Proleg. ed. p. CXXVII.

videtur vocatum esse: de Eudoxo enim scholiasta Apollonii diserte tradit (I, 922): *Μέλας πόντος οὕτω λεγόμενος, ὡς ἱστορεῖ Εὔδοξος ἐν δ' Γῆς περιόδου*: intellegendus autem est Rhodius ille historiarum scriptor, qui tertio a. C. n. saeculo fere medio eum librum de orbi terrarum confecit.[1]) — Chersonesum Thraciam prominentem circumvecti Argonautae Hellespontum[2]) intrant, cuius litora flatu secundi noti venti adiuti celeriter legunt: et moneo in enumeratione urbium ibi sitarum Apollonium id egisse, ut eas tantum commemoraret, quas Homerus cum recenseret antiquissimas esse demonstraverat: itaque mentio fit Dardaniae, Abydi, Percotae, Pityeae[3]), cum in Rhoetei loco non ipsa urbs, sed litus tantum[4]), neque Lampsacus ipsa, sed eius ora Abarnis[5]) nominetur, quia ille quoque haec oppida non commemorat: praeterea haec descriptio accurate et diligenter confecta est atque omnia iusto ordine enumerantur[6]): Rhoeteas acta, Dardania, Abydus, Percote, Abarnis ora Lampsacenae regionis, Pityea. Dardania enim ubi quondam fuerit, quamquam accuratius definiri nequit, tamen e Strabonis descriptione[7]) ab Abydo ad Ilium versus videtur sita fuisse; Pityea autem, si quidem ab ea urbe quam Strabo vocat Pityam non erat diversa, sita erat inter Parium et Priapum.[8])

Uberius versatur poeta in describenda Cyzico insula: quam ad rem adhibuit libros praeclarissimorum et locupletissimorum auctorum, de quibus, priusquam singula exponam, dicendum mihi est. Saepissime[9]) de hac carminis parte Deilochum Proconnesium in scholiis laudatum legimus: cuius de nomine dissensio

---

[1]) Cfr. H. Brandes, Ueber das Zeitalter des Astronomen Geminos und des Geographen Eudoxos: Jahrb. f. Phil. XIII. Suppl. 1847, p. 199 sqq.

[2]) I, 925 sqq: *κούρης Ἀθαμαντίδος ῥέεθρα.*

[3]) v. supra p. 22. [4]) v. 929. [5]) v. 932.

[6]) v. Kiepert, Atlas v. Hellas t. t. V, XIV. — Lolling, Iw. Muellers Handb. III, p, 251. — Strab. p. 584 sqq.

[7]) p. 592.

[8]) p. 588. Steph. Byz. v. *Πιτύεια.*: quod schol. Ap. Rh. I, 933 et Steph. Byz. v. *Λάμψακος* Pityeam esse Lampsacum tradunt, errasse et similia confudisse videntur ex eo quod Lampsacum olim Pityusam nominatam esse fama erat. (cfr. Strab. 589, Steph. Byz. l. l.)

[9]) ad I, 139, 961, 966, 974, 987, 989, 1037, 1039, 1061, 1063, 1065.

est, cum sit dubium, utrum sit *Δήιοχος* an *Δηίλοχος*. Atque Muellerus[1]) rem, quam plane diiudicari atque absolvi omnino non posse dicit, in medio relinquit, quamquam se *Δήιοχος* scribi malle indicat: contra Keilius praetulit lectionem *Δηίλοχος*, quia duobus tantummodo locis[2]) codex Laurentianus alteram lectionem *Δήιοχος* praebet, reliquis omnibus *Δηίλοχος* exhibet. Equidem cum Keilii rationes sequar eum semper, ut mihi constem, Deilochum vocabo, etsi concedo alteram nominis formam minime esse falsam. De aetate huius auctoris quam e Dionysio Halicarnassensi[3]) Muellerus protulit sententiam probo, cum plane perverse Schneidewinus[4]) duos quibus illud nomen esset scriptores fuisse contendat et inter se distinguat. Vixit autem, ut e Dionysio discimus, Deilochus ante bellum Peloponnesiacum et librum de Cyzico conscripsit, quo memoriam eius urbis inde ab antiquissimis temporibus repetivit: fusius, ut e scholiis Apollonii apparet[5]), fabulas quae de rebus ab Argonautis Cyzici gestis ferebantur videtur tractasse. Atque cum uno loco[6]) Apollonium eo usum esse diserte scholia testentur, statuere possumus alia quoque ex eo fluxisse: contra uno tantum loco[7]) aperte ab eo dissensisse Apollonium monent. Deinde Neanthem, auctorem Cyzicenum, tribus locis scholiasta commemorat atque duobus locis[8]) cum Apollonio consentire, uno[9]) ab eo abhorrere tradit. Confecerat autem is librum, qui inscribebatur *Μυθικά*[10]), atque, ut Muellerus ratiocinatus est, a. 280. a. C. n. fere adolescens erat, unde aetatem eius constituas licet. Potuit igitur fieri, ut Apollonius librum eius inspiceret. Tum uno loco[11]) Polygnostus

[1]) Frag. hist. Gr. II, 17 in singulis fragmentis modo hac modo illa forma pro tradita codicum lectione utitur.

[2]) I, 139, 989 (p. 311, 20; 361, 31 Keil).

[3]) De Thucyd. iud. 5. cfr. Mueller l. l.

[4]) Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1843, p. 915.

[5]) Cfr. ad I, 1037, 1039.

[6]) ad I, 1037: *ἠκολούθηκε δὲ Ἀπολλώνιος Δηιλόχῳ*

[7]) ad I, 966.

[8]) ad I, 1063 (p. 366, 11 Keil), 1065.

[9]) ad I, 1063 (p. 366, 14 K.).

[10]) ad I, 1063: *Νεάνθης ἐν τοῖς Μυθικοῖς.* — cfr. Mueller, l. l. III, 2 sqq.

[11]) ad I, 996: *Πολύγνωστος ἐν τοῖς περὶ Κυζίκου.* cfr. Mueller l. l. II, 18 (in Deilochi fr.).

laudatur auctor libri, qui erat de Cyzico: de quo nihil constat, neque unde oriundus fuerit neque quibus temporibus vixerit. Denique Callisthenis cuiusdam mentio fit[1]), qui *ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ Περίπλου,* ut scholia adnotant, a Cyzicenis ultro Argonautis bellum illatum esse, aliter atque Apollonius, narraverat; quis fuerit hic Callisthenes dubium est: Geyerus[2]) et Muellerus[3]) eum, cum peripli, quod librorum genus posterioribus temporibus scribi coeptum est, auctor fuisse dicatur, ab Olynthio et Sybarita illis, quibus idem nomen erat, distinguunt atque Ptolemaeorum posteriorum temporibus floruisse censent: cui sententiae non habeo quod aliam opponam. Iam singula perscrutemur.[4]) Quae de situ insulae dicuntur, satis accurata sunt et cum aliorum descriptionibus bene congruunt. Est e Phrygiae ora in mare porrecta tantum, quantum isthmus ad continentem versus prominens mari adluitur. Hoc modo recte situs depingitur ab Apollonio (I, 936 sqq.). Atque recte Shawius[5]) ad hunc locum adnotat isthmum illum Argonautarum temporibus fuisse non iustum isthmum, sed *ἰσθμώδη,* quod ita intellegendum esse arbitror, quasi dicat illorum temporibus fretum maris, quo isthmus a continenti seiungebatur, nondum aggeribus pontibusque iunctum[6]) atque reclusum fuisse: quos ab Alexandro Magno exstructos esse Plinius[7]) tradit. Quae cum ita sint, recte Cyzicum Apollonius insulam appellat: nam e natura erat insula. Sequuntur verba (I, 939 sq.):

. . . . ἐν δέ οἱ ἀκταὶ
ἀμφίδυμοι, κεῖνται δ' ὕπερ ὕδατος Αἰσήποιο . . . .;

in quibus vocabulum *οἱ* referendum est sine dubio ad totam insulam, non ad isthmum, *ἀκταὶ ἀμφίδυμοι,* litora quae ex utraque parte adiri possunt, videntur, ut scholiasta[8]) recte iudicat,

---

[1]) ad I, 1037. [2]) Script. Alex. Magn. p. 191 sqq.

[3]) Script. Alex. Magn. p. 1, 7, 28 sq. (qui tamen, qua in re a Geyero dissentit, schol. ad II, 672, „Callistratum" scribi vult; de hoc Callistrato v. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 353 sqq.).

[4]) Cfr. I. Marquardt, Cyzicus und sein Gebiet. Berlin 1836.

[5]) edit. Apoll. Oxon. 1777.

[6]) Strab. p. 575; Scyl. 94.

[7]) Nat. Hist. V, § 142. Cfr. Marquardt, l. l. p. 9 sqq.

[8]) ad I, 936.

spectare ad duos illos portus, quibus Cyzicum urbem e loci natura praeditam fuisse a Strabone[1]) discimus; Aesepus vero non, ut scholiasta[2]) credit, Cyzici fluvius est, sed, ut est consentaneum, is qui ex adversa ora Phrygiae in mare influit[3]): nam ab eius ore non multum abest Cyzicus insula. Tum quod nomen fuisse quondam insulae *Ἄρκτων ὄρος* I, 941 narrat, a ceteris autoribus valde abhorret poeta, cum illi *Ἄρκτων νῆσον* vel *Ἀρκτόννησον*[4]) eam nominatam esse prodant. Qua re commotus est Brunckius[5]), ut ante hunc versum nonnulla excidisse statueret: quam sententiam equidem probo. E Strabone[6]) enim cognoscimus montem quendam insulae re vera *Ἄρκτων ὄρος* vocatum esse; iam putet quispiam poetam pro poetarum more eius nomine, ut totam insulam significaret, usum esse: sed ne hoc statuam commoveor eo quod et talis usus in tali re omnino satis mirus ac rarus est[7]) et quod ipse hic mons non tam amplus est, ut apte eius nomen poni potuerit pro totius insulae: ab altero enim monte altitudine superatur.[8]) Accedit quod v. 942 verba *τὸ μὲν* montem ipsum significare e v. 947 verbis *ἰσθμὸν δ' αὖ πεδίον τε* luculentissime apparet: *τὸ μὲν* autem spectat ad *ὄρος* praecedentis versus: ergo hoc *ὄρος* usitata significatione praeditum, non metaphorice dictum esse sentio; aut statuere debebis v. 941 *Ἄρκτων ὄρος* metaphorice positum esse, ut insulae nomen esset, quo in usu sensum montis fere omissum esse intellego, v. 942 autem *τὸ μὲν* referri ad sollemnem significationem vocabuli *ὄρος*, quasi in illo versu id hoc sensu positum sit: id quod non esse statueramus. Censeo igitur versus aliquot ante v. 941 excidisse, quibus de monte et de campo universe dictum fuisse sentio. Sed num Gerhardius[9]),

---

[1]) l. l.

[2]) ad I, 940.

[3]) Strab. 565, 575. Hom. *B*, 825.

[4]) Plin. l. l. — Steph. Byz. v. *Ἄρκτων νῆσος*.

[5]) in edit. adnot. ad h. l.

[6]) l. l. — cfr. Apoll. Rh. I, 1150 (*οὔρεσιν Ἄρκτων*). Orph. Argon. v. 517.

[7]) Cfr. id, quod nos dicimus: „Spitzbergen".

[8]) Strab. l. l.

[9]) Lectiones Apollonianae. Lips. 1816, p. 30 sqq.

cui similia atque mihi obversata esse videntur, recte emendaverit dubito: is enim v. 941

Ἄρκτων μιν καλέουσιν ὄρος περιναιετάοντες

plane eiecit atque inseruit novum

οὖρος μὲν τ' ἐν τῇ, πεδίον δ' ἐν τῇ παρακεῖται;

haec in priore carminis recensione scripta fuisse, in posteriore vero

Ἄρκτων μὲν καλέουσιν ὄρος περιναιετάοντες
Γηγενέες, μέγα θαῦμα περικτιόνεσσιν ἰδέσθαι

opinatur, ita ut eum versum qui nunc est 942:

καὶ τὸ μὲν ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι αἰὲν ἔχουσιν

soli priori editioni tribuat. Sed eam omnino quam ille de duplicis recensionis vestigiis protulit sententiam, quoniam Lindius[1]) iustum ad modum de hac re disseruit, falsam esse manifestum est. Atque hoc ipso loco illa, quamquam diligenter excogitatata sunt, non probo atque id tandummodo concedo talia fere, quae novo illo versu coniecit, pro rerum conexu inter v. 940 et v. 941 inserenda esse. Haec fere sunt quae ad situm nomenque insulae pertinent. Loca quorum Apollonius mentionem facit omnia ad fabulas quae de originibus primordiisque Cyzici ferebantur spectant. Et primum quidem commemorantur fontes tres, quibus sunt nomina *Ἀρτακίη* (I, 957), *Κλείτη* (v. 1069), *Ἰησονίη* (v. 1148). In Artacia, qui fons ex Artace, urbe insulae, sine dubio nomen tulit[2]), Argonautae lapidem, quo usi erant pro ancora, quod non satis gravis erat, reliquisse dicuntur: unde eum Iones, qui coloni Cyzicum condiderunt, removisse atque in templo Minervae Iasoniae consecrasse. Re vera igitur, ut ex hac narratione (I, 955 sqq.) suspicari possumus, in illo templo Cyzici talis lapis ancorarius videtur asservatus et monstratus esse.[3]) Alter fons e Clita, Cyzici regis uxore, quae de nece mariti gravissimo dolore affecta

---

[1]) De diversis recensionibus Apollonii Rhodii Argonauticorum. Gotting. 1885, p. 8, 31 sqq.

[2]) Marquardt, p. 43. De versu Odyss. *κ*, 108 cf. Bergk. Gr. Literaturgesch. I, p. 684.

[3]) Sicut Plinius rem confirmat: N. H. XXXVI, 23: „Eodem in oppido (Cyzici) est lapis fugitivus appellatus; Argonautae eo pro ancora usi reliquerant ibi etc. — cfr. de his „Iasoniis ancoris“ Mueller, Geogr. min. II, 70.

mortem sibi conscivit, nominatus est: e lacrimis enim, quas nymphae illam deflentes profuderant, ut fabula erat, exortus erat. Iasonius fons e cacumine Dindymi montis sterilissimo profluebat atque a Rhea dea, cuius fanum in illo monte erat, ut Argonautis prodigium signumque numinis sui potentissimi ostenderet, creatus esse credebatur. Ea quoque fabula quae de simulacro ligneo Rheae in illo delubro consecrato erat ad Argonautas spectat: ab iis enim illud *ξόανον* vetustissimum e rudi vitis trunco dolatum deaeque dedicatum esse ferebatur (v. 1117 sqq.)[1]. Alter mons, quem Gegenes, Gigantum genus, habitasse poeta narrat, vocabatur *Ἄρκτων ὄρος*, Ursorum mons; cuius sub radicibus sita erat urbs Cyzicus. Portus nominantur tres; unus est, qui appellatur *καλός* (v. 954): prope quem cum fons ille Artacius fuisse dicatur, nescio an sit portus Artacae oppidi. Alter est *λιμὴν Θρηΐκιος* (v. 1110), unde ad Dindymum montem Argonautae escendunt: nomen fortasse accepit eo quod contra oram Thraciam erat[2]), atque, ut Marquardtius[3]) iudicat, videtur esse is qui nunc vocatur Rodia sive Ravo. Urbis Dolionum portus, in quem Argonautae Cyzico rege rogante navem subduxerunt, idem est atque *Χυτὸς λιμήν*[4]) (v. 987), quem, cum illi rursus profecturi essent, Gegenes obturare conati sunt; duos autem portus habuit Cyzicus urbs: et Chytum quidem eum fuisse qui ad occidentem spectabat Marquardtius censet. Sed cum locus ille qui est de Chyto portu (v. 985 sqq.) nonnullas difficultates praebeat, paululum in eo explicando versabor. Dicit enim poeta, postquam Argonautis de itinere quaerentibus Cyzicum regem accuratius referre non potuisse narravit:

> *Ἠοῖ δ' εἰσανέβαν μέγα Δίνδυμον, ὄφρα καὶ αὐτοὶ*
> *θηήσαιντο πόρους κείνης ἁλός· ἐκ δ' ἄρα τοίγε*
> *νῆα Χυτοῦ λιμένος προτέρου ἐξήλασαν ὅρμου·*
> *ἥδε δ' Ἰησονίη πέφαται ὁδός, ἥνπερ ἔβησαν.*

Quos versus hoc modo explicem: pars heroum, ad quam spectat illud *ὧλλοι* (v. 998), ut vias circumspiceret, Dindymum montem ascendit, pars, quae significatur vocabulo *τοίγε* (v. 986), navi e

---

[1]) Cfr. Strab. p. 575.
[2]) Aliam explicationem scholiasta Ap. Rh. I, 1110 praebet.
[3]) p. 17. — cfr. Caylus, Recueil d' antiquités vol. II.
[4]) Cfr. Marquardt p. 13, 44 sq.

portu Chyto evectura erat: tum, cum Gegenes impetu facto ostium portus obstruere conarentur, illi, priusquam cacumen montis ascenderent, redierunt — cogitari licet eos pugnantium stridore revocatos esse — atque amicis auxilium tulerunt (v. 989 sqq.); Gigantibus superatis ancoras solverunt (v. 1013) et ab insula profecti sunt. Iam primum quaero, quibus de causis, cum illi in montem escendant, hi e Chyto portu evehi voluerint: nempe aut huc revertendum aut ad alium insulae portum appellendum iis fuerit, ut illos in navem receperint. Atque multo magis offendo in vocabulis *προτέρου ὅρμου*, quae ad verba *Χυτοῦ λιμένος* in vicem appositionis adiuncta sunt; nam quomodo hic portus *πρότερος ὅρμος* appellari potuerit, non intellego neque e Shawii explicatione *προτέρου* ad illud *προτέρωσε* (v. 964) referentis disco; neque probo Merkelii rationem, qui in editione maiore[1]) scripsit:

. . . *ἐκ δ' ἄρα τοίγε*
νῆα Χυτὸν λιμένα προτέρου ἐξήλασαν ὅρμου:

pugnat enim haec coniectura cum sententia sequentium versuum, ubi (v. 990 sq.) Gegenes dicuntur lapidibus ostium Chyti portus obcludere studuisse, quasi bestiae intus versanti insidias struerent: qua e comparatione colligo etiam navem, quae cum bestia comparatur, intra portum fuisse. Equidem existimo *πρότερον ὅρμον*, si *πρότερον* ad temporis rationem significandam valere statuimus, nihil esse nisi illum portum, ad quem primum appulsi sunt heroes et qui *καλός* appellatur (v. 954): ad hanc significationem spectant ea quae scholiasta adnotat (ad I, 987): *προτέρου· καθ' ὃν τὸ πρότερον ἦσαν ὁρμισθέντες*; ex illo autem portu tum rogatu Cyzici propius ad urbis portum (v. 965) accedunt, i. e., ut ergo credo, Chytum portum intrant. Etiam si e loci rationibus *πρότερον* intellegimus, *καλὸν* portum hoc vocabulo significari putamus: nam hic latius Chyto abest ab urbe, ut e v. 964 sq. apparet; ex urbis situ autem ratiocinandum est, neque Shawio assentior *προτέρου* ad eos qui urbi appropinquant referenti. Quae cum ita sint, quaero quo iure verba *προτέρου ὅρμου* ad Chytum portum referri possint: nisi forte

[1]) Cfr. adnot. crit. ad h. l.; in minore editione traditam lectionem retinuit.

Shawii interpretationem probas: aut igitur corruptela in v. 987 latet aut poeta ipse accuratam notitiam locorum situsque non habuit ita ut regiones confunderet: omnino enim, ut supra demonstravi, haec tota narratio, quae est de Gigantibus, satis mira est: atque id quoque monendum esse censeo, heroes secundum Apollonium consilium montis Dindymi ascendendi, tum cum hostes devicissent, iam plane abiecisse: neque enim conatum redintegrant, sed illis superatis statim ex insula degrediuntur: tum demum cum iterum vento adverso ad insulam repulsi essent ad montem eccenderunt, minus tamen ut vias exquirerent, sed ut e Mopsi vaticinio Rheam placarent. Iam quae sit Iasonia illa via (v. 988), investigemus; de qua cum alii scriptores omnino nihil prodant, e solo Apollonio quaerendum nobis est. Atque e conexu versuum quidem referat quispiam haec verba ad portum Chytum, atque cogitet fortasse hanc fuisse viam quandam lapidibus distinctam notatamque atque ideo exstructam, ut nautae intrantes vada vitarent: attamen si verbum ἔβησαν et sensum totius versus respicio, nescio an potius ad montem haec via pertineat; fuit enim, ut videtur, via illo nomine appellata, qua e portu et urbe ad montem perveniri poterat; alteram quoque fuisse e v. 1110 cognoscimus, ubi e portu Thracio Argonautae ad verticem montis illius profecti esse narrantur. Prope portum Chytum sacrum Apollinis fuisse e schol. ad I, 966 suspicor; Apollonius enim tradit heroes Apollini Ecbasio aram posuisse sacraque fecisse: ad quae adnotat scholiasta: ἔνθ' οἵγ' Ἐκβασίῳ· ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως τῆς νεὼς ἐπὶ τὴν Δολιονίαν. Δηίλοχος δὲ τὸ ἱερὸν οὐκ Ἐκβασίου Ἀπόλλωνός φησιν εἶναι, ἀλλ' Ἰασονίου Ἀπόλλωνος, Σωκράτης δὲ ἐν Ἐπικλήσεσι Κυζικηνοῦ Ἀπόλλωνος; dissentit igitur in hac re Apollonius a Deilocho. De Hiera petra, quae vocabatur, similis erat fabula atque de lapide illo in Artacia relicto. Erat hoc saxum, quod fortasse magnitudine vel mira forma insigne erat, in litore positum; ad quod Argonautae, cum noctu ad insulam repulsi essent, funes ancorarios alligasse ferebantur (v. 1019 sq.[1]). Etiam tumulus Cyzici regis in campo Limonio[2]) exstructus (v. 1060 sqq.) poetae

---

[1]) Cfr. v. 1109: λυσάμενοι Ἱερῆς ἐκ πείσματα πέτρης.

[2]) E scholio apparet Λειμώνιον πεδίον nomen proprium esse.

aetate, ut ipse dicit, exstabat atque monstrabatur. Similia supra in Corcyrae descriptione de antro Medeae nos legisse moneo. Unde vero haec desumpserit Apollonius, accurate dici nequit: scholiasta enim nihil adnotat nisi Deilochum quoque Limonii campi et Cyzici sepulcri mentionem fecisse.[1]) Cyzicum autem, heroem illum eponymum, nobili cultu Cyziceni venerabantur[2]), qua de re poeta morem satis memorabilem enarrat (v. 1071—77): cum enim anniversariis libaminibus illi manes eius expiabant, non panes coctos, sed e farina pultes edebant, quo more se memoriam eius mortis conservare dicebant: nam tum quoque proavos illos tanto maerore affectos esse, ut diutius frumentum molere obliviscerentur atque cibis igne non tostis viverent. Praeter illum alii duodecim heroes, quos in pugna contra Argonautas commissa occisos esse fabula erat, a Cyzicenis colebantur (v. 1047 sq.). Sunt Telecles Megabrontes, Sphodris, Zelys, Gephyrus, Basileus, Promeus, Hyacinthus, Megalossaces, Phlogius, Itymoneus, Artaceus. Quae nomina[3]) utrum ex auctore quodam locupleti, ut Deilocho vel Neanthe, hauserit Apollonius an ipse finxerit, quaestio est; scholiasta quidem ad v. 1039 adnotat: *μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὥς φησι Σοφοκλῆς*; tum ad v. 1040: *Τηλεκλῆα ἠδὲ Μεγαβρόντην· πέπλακε τὰ ὀνόματα ταῦτα Ἀπολλώνιος, οὐκ ἀπὸ ἱστορίας ἔλαβεν· οὕτω Ταρραῖος*. Quae scholia quamquam inter se non pugnant, tamen satis mira et obscura sunt. Illud enim quid sibi per se ipsum velit, non intellego: nam utrum Deilochus occisos illos enumeraverit necne, ad hanc rem vix spectat minimique momenti est. Multo magis interest scire, num ille eadem atque Apollonius nomina commemoraverit. At de hac re videtur alterum scholium tradere Apollonium finxisse nomina. Sed dubium est, utrum illud *τὰ ὀνόματα ταῦτα* ad illa tantum nomina duo *Τηλεκλῆα ἠδὲ Μεγαβρόντην* spectet an ad omnia nomina. Praeterea respicienda sunt verba *οὕτω Ταρραῖος*, quae nescio an respondeant illis antecedentis scholii *ὥς φησι Σοφοκλῆς*.

---

[1]) *Τοῦ δὲ Λειμονίου πεδίου μέμνηται Δηίλοχος, περί τε τοῦ τάφου Κυζίκου ὁ αὐτός.*

[2]) Marquardt p. 135. cfr. Schneider, Callimach. II, p. 70 sqq.

[3]) Cfr. Valer. Fl. III, 111 sqq., qui praeter Zelyn (v. 152) alia exhibet.

Alioqui enim non ita saepe laudantur illi, quorum e commentariis nostra scholia fluxerunt: atque aliqua dissensio de his rebus inter eos fuisse videtur: plura enim non dicam, cum res sit satis ambigua. Nomina ipsa ad insulae res locaque non spectant, praeter unum Artaceum ex Artace urbe fictum[1]); Zelyn fortasse quis ob vocum similitudinem referat ad Zeleam[2]), urbem Cyzico vicinam, Itymoneus autem iam apud Homerum[3]) nobis occurrit. Incolas insulae Argonautarum temporibus fuisse Doliones et Gegenes poeta tradit: illos isthmum et campum possedisse, hos Ursorum montem habitasse.[4]) Atque quod Cyzicus rex Aenei, qui e Thessalia emigravit[5]), filius esse dicitur (v. 948), ad Pelasgorum coloniam vetustissimam olim e Thessalia Cyzicum deductam[6]) spectat. Posterioribus temporibus Milesiorum[7]) colonia Cyzicus erat: id quod Apollonius v. 959 et 1076 occasione data commemorat. — Quoniam de Cyzico ipsa dixi, iam pauca de vicinis regionibus adiungam, quas Argonautae e Dindymo monte conspexisse narrantur: apparebant *Μακριάδες σκοπιαὶ* una cum tota Thracia (v. 1112) ex ulteriore parte. Ubi sitae erant hae Macriades speculae? Hoc enucleare frustra studui; nusquam enim commemorantur: ex argumento vero huius loci, qui est:

Τοῖσι δὲ Μακριάδες σκοπιαὶ καὶ πᾶσα περαίη
Θρηικίης ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς προυφαίνετ' ἰδέσθαι,

eas in Thracia ora fuisse coniicio. Atque fortasse huc pertinent etiam Macries (v. 1024) illi, quos esse Argonautas noctu reversos Cyziceni falso opinati sunt. Nam quod scholiasta, ut videtur nominum similitudine deceptus, eos cum Euboeae, quae olim Macris appellabatur, incolis aut Macronibus, Pontica gente, confundit, sine dubio errat; Macrones enim et Euboea aliquantum a Cyzico absunt: ex ipsa narratione Apollonii autem intellegendum est sedes illorum Macrium non ita multum ab insula abfuisse, propterea quod, ubi primum Argonautae reverterunt, Cyziceni opinati esse dicuntur illos ipsos impetum facere: for-

---

[1]) Cfr. schol. Ap. Rh. I, 1047.
[2]) Strab. p. 583: *καὶ δὴ καὶ ἔστι νῦν ἡ Ζέλεια τῶν Κυζικηνῶν.*
[3]) *Δ*, 672.
[4]) I, 941—948.
[5]) schol. ad h. l.
[6]) Marquardt, p. 40 sq.
[7]) id. p. 50.

tasse, ut quidem cogitari licet, tale quid saepius acciderat; sed eiusmodi subitae et nocturnae incursiones non nisi inter vicinos fiunt. Et vero praeter ceteras illas explicationes monet scholiasta: *ἦσαν δὲ ἀστυγείτονες τῶν Δολιόνων οἱ Μάκρωνες*, et infra: *Μακριέων· ὅμοροι Δολιόσιν οὗτοι καὶ πολέμιοι*, quae confirmare videtur Zonaras qui dicitur, cum in lexico (p. 1311 Tittmann) refert: *Μάκρις, πόλις ἐγγὺς Κυζίκου*; attamen accuratius, qui fuerint illi, exquirere non possumus. Praeter Macriades speculas conspiciuntur e monte Dindymo (v. 1114) nebulosum Bospori ostium et Mysii colles, atque ex altera parte Aesepus fluvius et Adrasteae urbs campusque[1]) Nepeus e Nepea, uxore Olympi Mysorum regis, ut scholia (ad v. 1116) docent, vocatus; est autem in Phrygia ora ad Propontidem situs, in quam fluvius ille influit; urbem *Ἀδρήστειαν* iam Homerus[2]) nominat, sed de campo nihil dicit: Aesepus rursus illi[3]) notus est.

Ex insula Cyzico cum Mysiam[4]) peterent (I, 1164) heroes, os Rhyndaci fluminis et sepulcrum Aegaeonis praetervecti sunt[5]) (I, 1165). Atque de fluvio, ut scholiasta adnotat, uberius Callimachus *ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν ποταμῶν* verba fecerat; de Aegaeone vero duas explicationes apud eum invenimus, unde, cum ex Apollonii verbis res diiudicari non possit, utram praeferas eligas licet: est enim intellegendus aut Aegaeon, cui Briareus cognomen est, Centimanorum unus, quem ibi a Neptuno devictum atque in mare proiectum esse Conon *ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ*, auctor satis ignotus[6]), tradiderat, aut Aegaeon, Mysorum heros, prope Rhyndacum sepultus. Fuisse igitur videtur

---

[1]) Marquardt, p. 20, 103 sqq. — Strab. p. 588.
[2]) *B*, 828. cfr. supra p. 22.
[3]) *B*, 825; *Δ*, 91; *M*, 21.
[4]) Strab. p. 564.
[5]) Cfr. Marquardt, p. 6.
[6]) Cfr. C. Mueller, Fragm. hist. Gr. IV, 368 sq. — Keilius (v. adnot. crit. edit. p. 373) scribi mavult *Κιναίθων* e schol. Ap. Rh. I, 1357, de quo infra dicturus sum. — Praeterea commemoratur schol. I, 1165 Demetrius Cnidius, auctor plane ignotus, cfr. Mueller l. l., qui *Σκηψίου* pro tradita lectione *Κνιδίου* proponit; G. Vossius, De hist. Gr. p. 426 ed. Westermann; Gaede, Demetrii Scepsii quae supersunt. Greifswald 1880. p. 57 adn. 93.

hoc ἠρίον Αἰγαίωνος aut insula vel potius rupes quaedam ostio fluminis illius obtenta aut tumulus ad ripam exstructus.[1])

Ad regionem Cianidem, ad quam Argonautae iam appulsi esse narrantur (I, 1177), pertinent fabulae quae de Hylae raptu ferebantur. Cius urbs, Milesiorum colonia[2]), sita erat ad fluvium eodem atque ipsa nomine appellatum, sub monte Arganthonio[3]): atque in hoc tractu (v. 1178) rem illam factam esse Apollonius prodit; fabulam ipsam unde exscripserit non liquet, sed ex iis rebus, quae ad hanc quam tractamus quaestionem spectant, nonnulla de auctore coniicere possumus. Sunt autem tres res, quas commemorandas nobis esse censeo: una est, quod fons ille, in quem Hylas demersus esse putabatur, ab accolis vocabatur Pegae (I, 1221 sq.); id quod Propertius confirmat, cum dicit[4]):

„Hic erat Arganthi Pegae sub vertice montis
Grata domus Nymphis umida Thyniasin.“

Deinde I, 1354, ubi sunt verba:

Τοὔνεκεν εἰσέτι νῦν περ Ὕλαν ἐρέουσι Κιανοί,
κοῦρον Θειοδάμαντος,

poeta sine dubio morem memorabilem Cianorum respicit, quem Strabo[5]) accuratius nobis exponit: die festo enim illi per silvas vagari atque Hylam, quasi eum quaererent, vocare solebant. Denique v. 1355 sq. Apollonius narrat inter Cianos et Trachinios fuisse amicitiam necessitatemque, quod fabula esset obsides illorum Herculi datos Trachina missos ibique collocatos esse. Atque has duas res etiam a Cinaethone ἐν Ἡρακλείᾳ traditas esse scholiasta[6]) monet; intellegendus autem est sine dubio poeta ille epicus[7]) neque video cur hoc carmen, quamquam hoc uno loco commemoratur, Cinaethoni abiudicandum atque, ut Bernhardyus[8]) fecit, Cononi, auctori satis incerto, tribuendum sit. Fortasse igitur illi has notitias Apollonius debuit. Unde vero fabulam, quam de

---

[1]) Cfr. Marquardt, p. 6: Eustath. ad Il. p. 123, 35.

[2]) Plin. V, § 144.

[3]) Strab. p. 563 sq.: Ἀργανθώνιον, Apollonius I, 1178: Ἀργανθώνειον. cfr. Steph. Byz. v. Ἀργανθών; Propert. I, 20, 33: Arganthus.

[4]) I, 20, 33 sq. [5]) p. 564. [6]) ad I, 1357.

[7]) Cfr. Kinkel, Epicor. Graec. fr. p. 196, 212.

[8]) Griech. Lit.-Gesch. I, p. 308. — cfr. schol. I, 1165: *Κόνων ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ.*

Polyphemo Argonauta, Cii urbis conditore, narrat (I, 1345 sqq., IV, 1470), exhauserit, variae sunt mihi suspiciones. Etenim e schol. Ap. Rh. I, 1177 cognoscimus, Aristotelem *ἐν Κιανῶν πολιτείᾳ* etiam de originibus atque primordiis huius urbis tractasse, et e schol. Ap. Rh. IV, 1470[1]) discimus de Polyphemo cum Apollonio consensisse Nymphodorum, de quo infra uberius dicam, et — si codicis lectionem respicimus — Charin: quod nomen cum corruptum esse videretur correxit Heringa in *Χάραξ*, Spitzner in *Χάρων*.[2]) Atque vero scimus Characem Pergamenum librum, qui inscriptus erat *Χρονικά,* sicut scholio de „Charite" illo traditur, conscripsisse:[3]) sed multo post Apollonium vixit; contra a Charone librum confectum esse, qui inscriberetur *Χρονικά*[4]), nusquam legimus.

Posidium promunturium, quod I, 1279 Argo navis praetervecta esse narratur, praeter Apollonium a Ptolemaeo[5]) solo commemoratur, qui id *Ποσείδιον ἄκρον* nominat: est illud, quod Scylax obiter vocat *ἀκρωτήριον τοῦ Κιανοῦ κόλπου.*[6])

Iam venimus ad Amyci, Bebrycum regis, sedem, quam Apollonius satis obscure describit: Argonautas, postquam diem noctemque de Cio fluvio degressi navigassent, actam late prominentem e sinu conspexisse atque ad eam sole oriente appulsos esse: ibi fuisse Amyci domicilium (I, 1360 sqq., et II, 1). Quae verba sunt satis ambigua atque dubitet quispiam, num Apollonius omnino de certo loco cogitaverit. Iam contemplemus ea quae ex aliis auctoribus de his rebus cognoscimus. Bebryces credebantur olim Bithyniam incoluisse[7]), sed postea plane inter-

---

1) *Πολύφημος ἐν Μυσίᾳ καταλειφθεὶς ἔκτισε πόλιν Κίον τὴν οὕτως ὀνομασθεῖσαν ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ* (aliter Aristoteles ap. schol. Ap. Rh. I, 1177). *Μαχόμενος πρὸς Χάλυβας οἶτος ἐτελεύτησεν, ὥς φησι Νυμφόδωρος. Ὅτι δὲ τὴν Κίον ἔκτισεν, εἴρηκεν αὐτό Χάραξ ἐν πρώτῳ Χρονικῶν.*

2) Cfr. Keilii adnot. crit edit. p. 525; Keilius recepit *Χάραξ*; *Χάρις* nomen virile non est.

3) Cfr. Mueller, Fragm. hist. III, 636 sqq.

4) Cfr. Suid. v. *Χάρων*; verba „*ἔστι δὲ χρονικά*" ad argumentum, non ad titulum spectant.

5) V, 1, 4. cfr. Kiepert, Atl. ant. t. V.

6) § 93. cfr. Muelleri adnot. ad h. l.

7) Strab. p. 541, 586. — schol. Ap. Rh. II, 2: ad hanc rem spectat etiam *Βιθυνὶς Μελίη,* Amyci mater.

isse, ita ut temporibus historiae fide confirmatis ne vestigium quidem eorum superesset.[1]) Ubi autem Amyci villam regiam fuisse fingebant antiqui? Ad hanc rem spectat scholiastae (ad II, 159) narratiuncula: fuisse re vera in eo loco, ubi Argonautae Amyco castigato lauro se devinxisse dicuntur (II, 159 sqq.), laurum ingentem, ut Androetas Tenedius proderet: eundem autem addidisse locum ipsum ex illo rege nominatum esse Amycum atque a Chalcedonio nymphaeo quinque stadia distare[2]); similia autem prodidisse videtur Apollodorus *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ποντικῶν*, ut apud eundem legimus. Atque etiam Plinius[3]) illam narrationem confirmat, cum portum Amyci ad Bosporum situm commemorat et de lauro illa ex Amyci tumulo orta satis mira enarrat; Arrianus[4]) et Stephanus Byzantius[5]) rursus in eadem fere regione recensent portum, cui nomen erat *Δάφνη μαινομένη*, sine dubio ad eam quam tractamus rem pertinentem. Apollonius vero nihil de his rebus dicit atque, cum paeter I, 1361[6]) et II, 168, quibus e locis tamen ad rem illustrandam non multum proficimus, de regione ac situ omnino nihil exponat, eius animo illa ipsa loca, de quibus scholiasta et Plinius verba faciunt, obversata esse, quamquam verisimile est tamen contendi non potest.

Etiam Phinei domicilium ubi fuisse sibi finxerit Apollonius

---

[1]) Strab. p. 678. — Eratosth. ap. Plin. N. H. V, § 127. — schol. Ap. Rh. II, 2. — Charon Lampsacenam quoque regionem quondam a Bebrycibus habitatam esse tradiderat (cfr. schol. Ap. Rh. II, 2).

[2]) *Οὐ ποιητικῶς δὲ ἀνέπλασε τὴν δάφνην ὁ Ἀπολλώνιος, ἀλλ' εστιν ὄντως ἐν τῷ τόπῳ δένδρον δάφνης εὐμέγεθες, ὥς φησιν Ἀνδροίτας ὁ Τενέδιος ἐν τῷ Περίπλῳ τῆς Προποντίδος, παριστορῶν ὅτι Ἄμυκος μὲν καλεῖται τὸ χωρίον, ἔχει δὲ ἐποίκια καὶ νῦν, διέστηκε δὲ τοῦ Χαλκηδονίου νυμφαίου σταδίους πέντε. Ἀπολλόδωρος δὲ ἐν πρώτῳ τῶν Ποντικῶν ἡρῷον αὐτόθι φησὶν εἶναι Ἀμύκου, καὶ εἴ τις ἐκ τῆς δάφνης κλάδον λάβοι, εἰς λοιδορίαν ἀνίστησι.* — De his auctoribus plane ignotis cfr. Mueller, IV, p. 304; minime probo quae Heynius, Apollodori fragm. p. 459 protulit, pro Apollodoro esse scribendum Apollonium. — cfr. Sboronos, *Ἐφημ. ἀρχαιολ.* III, p. 89 sqq.

[3]) N. H. V, § 150: XVI, c. 44. (Ptolemaei Chenni nugas non curo.)

[4]) Peripl. 37 (ex eo desumpsit anonym. peripl. auctor).

[5]) v. *Δάφνη*.

[6]) Cfr. „*ἐκ κόλποιο*“ et „*ἀνὰ Βόσπορον*“: Kiepert, Atl. v. Hellas t. XVII (Nebenkarte). — Mueller ad Dionys. Byz. anap. Bosp.: Geogr. min. II, 82.

obiter tantum indicat: prodit enim heroes ad oram adversam Bithyniae appulsos (II, 177) Phineum ab Harpyis acriter vexatum invenisse; regionem ipsam nominat Thynidem (II, 462) et a Thynis (II, 561) habitatam esse prodit: e Thynis, Thracia gente, eam Thraciae orae partem, ubi sitae erant urbes Apollonia et Salmydessus, *Θυνιάδα ἀκτὴν* appellatam esse Strabo[1]) narrat. Atque in hoc tractu Phineus habitasse dicebatur eratque urbs ad Bosporum sita Phinopolis ex eo nominata.[2]) Et spectat sine dubio Apollonius ad hanc regionem: nam non multo postquam Argonautae a Phineo degressi sunt, iam ostio Bospori, ubi sunt Cyaneae insulae, appropinquant, ut ipse narrat (II, 317 sq., 551).[3]) Restat ut quaeramus, quam ad rem spectent ea quae de ara duodecim deis ab Argonautis consecrata[4]) Apollonius prodit (II, 533 sq.):

Ἐκ δὲ τόθεν μακάρεσσι δυώδεκα δωμήσαντες
βωμὸν ἁλὸς ῥηγμῖνι πέρην καὶ ἐφ' ἱερὰ θέντες,
νῆα θοὴν εἴσβαινον ἐρεσσέμεν,

ad quae scholiasta haec adnotat: *Ἐν δὲ τῷ πέραν, φησίν, αἰγιαλῷ τῆς Ἀσίας διαπλεύσαντες ἐπ' αὐτὸν βωμὸν τοῖς δώδεκα θεοῖς ἐδομήσαντο. Φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ. Καὶ γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἱερόν ἐστιν οὕτω καλούμενον ἐν τῷ πέραν τῆς Εὐρώπης τῆς Ἀσιάδος.*[5]) Haec sunt valde obscura, cum primum dicat ille aram fuisse in ora Asiatica, tum pergit *φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ,* quae verba nescio quo pertineant: sed tamen e scholio apparet, illum interpretem veterem Apollonii versus ad veram aram ibi sitam referre. Erat autem prope Bospori ostium quod in Pontum effluit in ara Asiatica fanum Iovis Urii nobilissimum, ubi nimirum nautae, priusquam Pontum, quod est mare prae ceteris maribus Graecis satis periculosum, intrarent, a Iove, cui ob ipsam hanc rem nomen *Οὔριος*

---

1) p. 541.

2) Cfr. Dionys. Byz. anapl. Bosp.: Muell. Geograph. min. II, 61 sqq. — Strab. p. 319. — Mel. II, § 23. — schol. Ap. Rh. II, 177.

3) Cfr. Michaelis, De Apollonii Rhodii fragmentis. Diss. Halle 1875, p. 10 sqq.

4) Cfr. Mueller ad Dionys. Byz.: Geogr. II, 75 adnot.

5) Cfr. schol. ad Demosth. p. 468, 10. — Polyb. IV, 39, 6. — Diod. IV, 49. (Polybius et Diodorus Argonautas redeuntes sacra fecisse narrant). — Pind. Pyth. IV, 364.

erat, ut secundum ventum mitteret beneque adesset navigantibus, petere solebant. Iam si Apollonii versus II, 500—529 respicimus, ubi uberius de etesiis atque de cultu Iovis Icmaei in insula Ceo celebrato agit — diutius enim Argonautae illorum flatibus ab itinere retenti sunt — hanc narrationem bene quadrare ad fanum Iovis Urii videmus.[1]) Neque vero solum Iovi, sed omnibus duodecim deis heroes sacra faciunt. Contra verba *ἁλὸς ῥηγμῖνι πέρην*, quae de ulteriore litore i. e. Asiatico dicta esse intellego[2]), probe spectant ad illud *Ἱερόν*, quod in Asiatica ora fuisse scimus. Tum vero cogitare debemus poetam transitum ex Europa in Asiam ab Argonautis factum silentio praeterisse, quippe qui pro brevitate itineris commemoratione dignus non videretur.[3]) Qua ratione fortasse etiam illa scholiastae verba explicanda sunt *φανερὸν οὖν ὅτι ἐν τῇ Εὐρώπῃ*, subaudienda enim censeo esse verba *ἦσαν οἱ Ἀργοναῦται*, ita ut sensus totius loci hic sit: Argonautas ad ulteriorem i. e. Asiaticam oram transisse (*διαπλεύσαντες ἱδομήσαντο*) inde apparet, quod antea in Europa erant, scilicet apud Phineum. Attamen offensionem non ita levem moveri sentio eo quod de transitu heroum omnino nihil Apollonius dicit, quamquam hoc ipso loco omnino narrationem exilem et pressam esse video. Ac ne illud quidem praetermittendum esse existimem admodum dubium esse, num poeta e fontibus suis[4]) tam subtilem regionum illarum notitiam perceperit, ut omnia loca accurate distinxerit, vel, si res illas perceperit recteque intellexerit, omnia dilucide exponere sibi proposuerit.

A Phineo degressi postquam deis duodecim sacra fecerunt, ad angustias freti Argonautae perveniunt (II, 551), saxisque periculosissimis illis appropinquant[5]): quibus in describendis cum poeta plane a veritate geographiae abhorreat, uberius versari

---

[1]) De hoc Fano cfr. Mueller l. l. (ubi omnes locos collectos invenies.

[2]) Aliter censet Brunckius (adnot. ad. h. l.).

[3]) Cfr. Mueller, Geogr. min. II, 61 adnot.

[4]) Schol. Ap. Rh. II, 532: *Τιμοσθένης δέ φησι τοὺς μὲν Φρίξου παῖδας βωμοὺς δώδεκα ἱδρύσασθαι τῶν θεῶν, τοὺς δὲ Ἀργοναύτας τοῦ Ποσειδῶνος. Ἡρόδωρος δέ, ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τεθυκέναι, ἐφ οὗ Ἄργος ὁ Φρίξου ἐπανιὼν ἐτεθύκει*: ab his igitur dissentit Apollonius atque videtur alios exscripsisse.

[5]) Cfr. de Symplegadibus Ukert, Geogr. d. Griech. u. Römer III, 2, p. 148 sqq.

non opus est. Nominantur ab Apollonio πέτραι Πληγάδες (II, 598, 647) vel πέτραι Κυανέαι (I, 2 sq., II, 317), atque collocantur in ostio Bospori, quod in Pontum Euxinum effluit: nam superato eorum periculo Argo navis iam praeter Bithyniam oram vecta esse narratur (II, 621). Atque in hac re consentit Apollonius cum auctoribus antiquioribus, Pindaro[1]), Sophocle[2]), Euripide[3]), qui in eadem regione rupes duas inter se concurrentes fuisse fingunt: Sophocles et Euripides Cyaneas eas — ex insulis vel potius cautibus vere ibi sitis — vocant.[4]) Primus vero, quem quidem nos sciamus, Apollonius accurate Cyaneas et Planctas inter se distinguit[5]): has prope fretum Siculum, illas in ostio Bospori sitas invenimus: hae ad Homeri[6]) exemplum spectant, illae ex propriis Argonauticarum fabularum rationibus fictae sunt. Neque vero solum naturae, sed etiam nomina diversa sunt: hae nominantur Πλαγκταί[7]), illae modo Πληγάδες[8]), non, ut apud apud alios mos est, Συμπληγάδες, modo Κυανέαι[9]), quorum nominum illud Πληγάδες spectat ad fabulam, hoc Κυανέαι ad veram geographiam. Uno tantummodo loco poeta Cyaneas sive Plegades sive Symplegades vocat πλαγκτὰς πέτρας (IV, 784): ubi tamen, cum plane ad Homeri versus, quibus Iuno Iasonis, cum per Planctas iter faceret, adiutrix fuisse dicitur:[10])

> Οἴη δὴ κείνη γε παρέπλω ποντοπόρος νηῦς
> Ἀργὼ πᾶσι μέλουσα, παρ' Αἰήταο πλέουσα·
> καί νύ κε τὴν ἔνθ' ὦκα βάλεν μεγάλας ποτὶ πέτρας,
> ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν, ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων . . . .,

respiciat, sui carminis plane oblitus — nam ipse Minervam in Symplegadibus, de quibus illo loco (IV, 784) dicitur, heroibus opitulantem fecerat — utramque rem confundit. Praeterea illud πλαγκταί hic, ut videtur, nomen proprium non est, sicut aliis

---

1) Pyth. IV, 370: συνδρόμων κινηθμὸν ἀμαιμάκετον πετρᾶν.
2) Antig. 966 sq.
3) Androm. 792. — Med. 1 sq. — Iph. Taur. 124 sq., 260, 355, 421.
4) Cfr. Strab. 21. — Mel. II, § 99.
5) Apollod. I, 9, 22—25. — Strab. 21, 149.
6) μ, 59 sqq. cfr. Groeger, De Argonautic. fabular. hist. quaest. p. 52 sqq.
7) IV, 858, 922, 937.
8) II, 598, 646 sq.
9) I, 2 sq., 317 sq.
10) μ, 69 sqq. — v. supra p. 9.

locis, et naturam tantum Cyanearum significat: nam pro sensu vocabulorum *Πλαγκταί* et *Πληγάδες* non diversae sunt, sed usu distinguebantur: ut Herodotus[1]) narrat Darium regem navigasse *ἐπὶ τὰς Κυανέας καλεομένας, τὰς πρότερον πλαγκτὰς Ἕλληνές φασι εἶναι,* atque Plinius etiam nomina propria confundit: recensentur enim[2]) „insulae in Ponto Planctae sive Cyaneae sive Symplegades", cum supra[3]) commemorentur „in Ponto duae Cyaneae, ab aliis Symplegades appellatae, traditaeque fabulis inter se concucurrisse . . ." Neque vero solum situ atque nominibus, sed etiam natura Planctae et Symplegades inter se distinguuntur ab Apollonio: nam cum has esse duas rupes inter se concurrentes et omnia, quae inter eas sunt, concutientes describat, illas cautes sub mari paene reconditas esse credit; Homericam Planctarum descriptionem plane omisit, quippe quae sit tam obscura et ambigua, ut, quomodo ille harum rupium naturam sibi finxerit, intellegi nequeat; alios igitur auctores in hac re adire Apollonius coactus erat: nam sine dubio fundamenta eius quam ipse exhibet descriptionis iam dudum iacta erant, ita ut et nomina iam distinguerentur et loca utrisque saxis iuste tributa essent et utrisque propria natura accurate addicta esset: aut Apollonium totam descriptionem ipsum excogitasse statuendum est: id quod vix quisquam credit.[4])

E Symplegadum fabulis iam Apollonius ad veritatis vestigia redit. Nam ea quam iam tractaturi sumus narratio[5]) a iusto Ponti Euxini periplo, qui vocatur, non ita diversa est: saepissime nomina tantum recensentur atque ad loca, regiones, gentes potissimum spectat descriptio.[6]) Argonautae postquam per fauces Cyanearum cautium Pontum intraverunt, Bithyniae litora legunt, atque praetervehuntur os Rhebae fluvii (II, 349, 652), scopulum Colonae (II, 652, 791), promunturium Melaenan (II, 349, 653), ostia Phyllidis et Calpae fluviorum (II, 654, 661), dum ad Thyniadem insulam (II, 675) appelluntur. Quibus in rebus non

---

[1]) IV, 85. [2]) N. H. VI, § 32.
[3]) IV, § 92. [4]) Cfr. Groeger l. l.
[5]) II, 650—1288.
[6]) Cfr. v. 651 sqq.; v. 724 sqq.; v. 943 sqq.; v. 965 sqq.; v. 974 sqq.; v. 1002 sqq.; v. 1245 sqq.

omnia ad aliorum narrationes quadrant. Rhebas sive Rhebaeus[1]) fluvius, ad quem Mariandynos Bithynis vicinis subactis quondam fines imperii protulisse Apollonius narrat (II, 790 sq.), satis notus est; sed *σκόπελον Κολώνης* videtur nemo novisse praeter Apollonium nisi scholiasta, qui ad v. 649 adnotat: *Ταχέως δὲ κατέλαβον τόν τε Ῥῆβαν καὶ τὸν πρὸ τοῦ Ῥῆβα σκόπελον κολωνοειδῆ ὄντα. Κολώνη δὲ ἄκρα οὕτω καλουμένη περὶ τὸν Λύκον ποταμόν· μέμνηται αὐτῆς Νύμφις ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας.* Distinguuntur igitur ab illo duo loca, quibus nomen *Κολώνη* erat, scopulus ad instar collis ante ostium Rhebae situs et promunturium quod a Lyco fluvio, qui prope Heracleam effluit, non multum abest. Atque est re vera, ut e Gillii[2]) descriptione disco, scopulus talis ante os Rhebae situs; sed accuratius res exquiri non potest, cum ceteri auctores antiqui has Colonas duas omnino non commemorent. Deinde cum *Μέλαινα ἄκρα* — Nigrum promunturium ut interpretamur — notissima sit[3]), Phyllis fluvius dubitationem offensionemque movet. Nam Psillis sive Psilis a compluribus auctoribus[4]) fluvius quidam Bithyniae nominatur; a Stephano Byzantio[5]) commemorantur et inter se distinguuntur *Φύλλις, Ψίλιον, Ψίλις* fluvii Bithyniae: vereor tamen ne eius verba quae sunt: *ἔστι καὶ ποταμὸς Βιθυνίας Φύλλις, οὗ Φυλληίς τὸ θηλυκόν,* ex hoc Apollonii loco demum fluxerint[6]); scholiasta poetae lectionem confirmat, cum dicit (ad v. 652): *Φύλλις ποταμὸς Βιθυνίας,* atque a geographis serioris aetatis[7]) in illa regione fluvius recensetur, cui nomen est „Filium" vel „Philium": est igitur res valde ambigua. Sed cum narrationem eam, quam Apollonius[8]) de Dipsaco heroe, Phyllidis fluvii filio, qui ibi habitasse Phrixumque,

---

[1]) Rhebaeus: Ap. Rh. II, 791, Orph. Argon. 716; reliquis locis Rhebas legitur.

[2]) Mueller, Geogr. Gr. min. II, 68 sq. et adnot. Muelleri.

[3]) Arriani peripl. 17. — Anonym. peripl. 3. — Marcian. per 8. — schol. Ap. Rh. II, 349.

[4]) Strab. p. 543. — Arr. per 12. — Anon. per 8.

[5]) v. *Φυλλίς, Ψίλιον.*

[6]) Cfr. de universa re Mueller. ad Arr. per. 17.

[7]) Geogr. Rav., Tabula Peuting.. — Ammian. XXII, 8, 14 recenset „Phyllis".

[8]) II, 655 sqq.

cum fugeret, hospitio recepisse dicitur, de fano eius, quamvis nobis quidem ignoto, de campo ad apertas fluvii ripas sito diserte et accurate prodit, respicio, facile credam poetam has res ex auctore et fabulae et regionis illius perito hausisse, ita ut non habeam cur de nomine fluvii ab Apollonio tradito dubitem; utrum autem Phyllis et Psillis unus idemque fluvius fuerint necne, disceptare non ausim. Contra Calpam fluvium satis accurate novimus:[1]) est enim is ad quem Calpes portus ille a Xenophonte[2]) diligentissime descriptus situs erat. Hoc loco occasione data moneam epitheta illa, quibus Apollonius fluvios eos quos commemorat ornare solet, cum Calpam *βαθυρρείοντα* (II, 661) vel Rhebam *ὠκυρόην* appellat (II, 652), non nisi poetice dicta vixque ad ipsam veram fluviorum illorum naturam referenda esse: id quod vel inde apparet, quod Calpam illum, fluvium admodum parvum, *βαθυρρείοντα* vocat, quasi mirum quantum aquarum undarumque agitet: eiusmodi rerum enim poetae rationem habere nec solent nec debent. Atque simili modo res se habet de Rheba, qui num re vera *ὠκυρόης* fuerit, omnino nescimus. Denique Thynias insula quoque persaepe commemoratur a scriptoribus[3]), ut sit satis nota: appellabatur Apollonia, quod Apollini sacra erat; itaque Apollonius prodit Argonautas aram Apollini *Ἑωίῳ* (II, 687 sqq., 696 sq., 702) dedicasse eoque totam insulam nominasse; praeterea eos fanum Concordiae, *Ὁμονοίης* (v. 719 sqq.), ibi condidisse, quod sua aetate exstitisse ipse poeta confirmat: harum simillimas fabulas supra de Cyzico cognovimus. Quodsi quaerimus, quo e fonte Apollonius sua hauserit, de ara Apollinis fere eadem atque Apollonium narrasse Herodorum scholiasta (ad II, 684) tradit: quem aut ipsum poeta inspexit aut per Nymphidem, quem ex eo complura mutuatum esse veri simile est, recepit. Nam Nymphis quoque insulae mentionem fecerat (schol. ad II, 672). Atque cum Heracleae Ponticae regionibus ab Apollonio fusius descriptis

---

[1]) Strab. p. 543. — Anon. per. 5. — Marcian. per. 8. — Ptolem. V, 1, 5.

[2]) Anab. VI, 4.

[3]) Scyl. 92. — Strab. 543. — Arr. per. 18. — Anon. per. 6. — Marcian. per. 8. — Pomp. Mel. II, 98. — Plin. VI, § 32. — Steph. Byz. v. *Θυνιάς*.

iam appropinquemus, de auctoribus, quorum libri in his rebus usurpati sunt, pauca praemittenda esse duco. Nymphidem scholiasta ipse (ad II, 729) fontem Apollonii fuisse suspicatur, cum dicit: . . . . *Νύμφις ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείας ᾱ φησί, παρ' οὗ Ἀπολλώνιος ἔοικε ταῦτα μεταφέρειν.*[1]) Is[2]) enim, Heracleae Ponticae natus, non multo ante Apollonium floruit et librum de urbe patria sua confecit, ubi, aeque atque a Deilocho de Cyzico factum esse comperimus, cum alias fabulas de primordiis Heracleae traditas tum res, quae ab Argonautis ibi gestae esse narrabantur, exposuit atque, ut erat regionum patriae peritissimus, loca memorabilia accurate descripsit: imprimis ea quae de Acheruside promunturio prope Heracleam sito exhibet Apollonius illi debuit, ut illo scholio statuitur. Nymphidis popularis, sed aetate multo maior erat Herodorus[3]), qui Socratis temporibus vixit atque pedestri oratione Herculis fabulas conscripsit et Argonautica confecit, ubi fabulas Argonauticas ad Heracleam patriam pertinentes fusius videtur tractasse; sed quamquam a scholiasta saepius laudatur, tamen numquid Apollonius ex eo hauserit, statui nequit. Nymphis vero nonnulla ex eo deprompsisse videtur, ut etiam e scholiastae testimoniis[4]), quibus eos consensisse cognoscimus, facile intellegimus. Promathidam omittam, cum quamquam *περὶ Ἡρακλείας* scripsit, ad Apollonium non spectat, quia, ut supra demonstratum est, post Apollonium vixit.[5]) Etiam Callistratus, item Heracleensium rerum scriptor, si modo Muellerus[6]) recte ratiocinatus est, Apollonio minor est aetate. Denique Callisthenem commemoro: „sed, ut ait G. J. Vossius[7]), cum non unus fuerit Callisthenes, difficile omnino dictu est de singulis quae huius sint Callisthenis, quae alterius."

---

[1]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 786: *Νύμφις ἱστορεῖ· διὸ καὶ οὕτω γράφει* (sc. *Ἀπολλώνιος*).

[2]) Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. III, 12: fr. 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9, 14, 18, 19.

[3]) Cfr. Mueller, Hist. fr. II, 27: fr. 1, 14, 15, 23, 25, 35—36, 38—46, 48—59.

[4]) ad Ap. Rh. II, 752, II, 815; ad II, 854 eos de quadam re dissensisse monet. Apud Muellerum cfr. Nymph. fr. 5 cum Herod. fr. 49, Nymph. 7 cum Her. 56, N. 8 cum H. 58 (qui sunt illi loci).

[5]) Cfr. supra p. 30.

[6]) Ibid. IV, 353 sqq., laudatur schol. ad I, 1126 et II 780.

[7]) De hist. Graecis p. 74 (ed. Westerm.).

Supra enim ubi de Cyzico verba fecimus, vidimus eum Callisthenem, cuius περίπλους schol. ad I, 1037 laudatur, ad Apollonium vix pertinere. Iterum eiusdem liber commemoratur schol. ad II, 672 de Thyniade insula: ubi tamen Muellerus[1]) Callistrati, de quo modo dixi, nomen in Callisthenis corruptum esse putat. Sed eum cuius schol. ad II, 936 de Parthenio fluvio mentio fit, Callisthenem esse Olynthium, Alexandri Magni condiscipulum et amicum, et Geierus[2]) et Muellerus[3]) censet, praesertim cum etiam Strabo[4]) de hoc fluvio disserens illius sententias uberius tractet. Sed ut ad nostram quaestionem revertar, num Apollonius quoque libros eius inspexerit, affirmari nequit. — Iam ad loca ipsa accedamus. Ab insula Thyniade (II, 723) Argonautae os Sangarii[5]) fluminis praetervecti dum iam Mariandynorum litora legunt, Lycum fluvium et Anthemusidem lacum conspiciunt (v. 726) atque in portum prope Acherusidem promunturium situm deveniunt (v. 730), ubi a Lyco rege Mariandynorum liberaliter recipiuntur. Hic est ipse Heracleae Ponticae locus: Lycus enim fluvius ad meridiem versus non multum ab urbe aberat[6]), Acherusis sive Acherusias[7]) promunturium a septemtrione, cum late in mare, ut vocat Apollonius, Bithynium (v. 732) promineret, urbem claudebat portumque efficiebat[8]); Anthemusis lacus aliis fere ignotus — nam praeter poetam et scholiastam[9]) Stephanus Byzantius[10]) tantum eius mentionem facit — sine dubio prope Lycum fluvium erat, quocum fabulis quidem eum arte coniunctum videmus: est enim Anthemusis sive

---

1) Script. Alex. Magni p. 28 sq.

2) Script. Alex. Magni p. 191 sqq.

3) l. l. 19: fr. 27.

4) p. 542.

5) II, 724. — Strab. p. 543, 563. — Arr. p. 18. — Ptolem. V, 1, 6. De Hermogene, schol. Ap. Rh. ad II, 722 commemorato, cfr. Mueller, Hist. fr. III, 523 sq.

6) Xenoph. Anab. VI, 2, 3. — Scyl. 91. — Arrian. per. 18. — Anon. per. 9. — Plin. VI, 4.

7) II, 354.

8) Cfr. tabulas: Kiepert, Atl. v. Griechenl. XVII, et mappam in Hamiltoni Researches, vol. I. — Iaubert, Reisen durch Armenien p. 233 adnot.

9) ad II, 724.

10) v. Ἀνθεμοῦς.

Anthemusia huius fluvii filia cum Dascylo nupta, e quo Lycum, ex avo rursus nominatum, regem Mariandynorum, progenuit: quas res ab Herodoro et Nymphide traditas esse e schol. ad II, 752 discimus. Iam, cum ad geographicam rationem, non ad fabularum ordinem spectemus, omnia quae Apollonius de regione Heracleensi dicit colligere iustamque descriptionem exhibere conemur. Acherusis promunturium videtur fuisse paeninsulae, cui idem nomen erat [1]): erat collis late in mare prominens, rupibus cautibusque circumdatus, maris aestibus circumfluxus, platanis ingentibus consitus, quarum strepitus foliis perpetuo vento agitatis cum stridore fluctuum miscebatur (II, 731 sqq.); in summo colle erat, ut quidem ex Apollonii verbis statuere possumus, quibus Lycus rex dicens inducitur (v. 808 sqq.):

Νόσφι δὲ Τυνδαρίδαις Ἀχερουσίδος ὑψόθεν ἄκρης
εἴσομαι ἱερὸν αἰπύ· τὸ μὲν μάλα τηλόθι πάντες
ναυτίλοι ἂμ πέλαγος θηεύμενοι ἱλάξονται,

fanum Tyndaridarum Castoris et Pollucis [2]), qui omnino nautis bene adesse credebantur [3]) atque potissimum a Doriensibus colebantur. Heraclea autem erat, cum a Megarensibus condita esset [4]), — id quod Apollonius quoque commemorat (II, 749 sq., 849) — Dorica colonia; fabulis vero illius fani originem ad heroica tempora prolatam esse videmus. Paulum sub vertice collis erant tumuli duorum Argonautarum, qui ibi mortui esse tradebantur: unus erat Idmonis, oleastro consitus (v. 843 sqq.), de quo satis mire fabulabantur accolae: Argonautas in sepulcro amici phalangam ligneam, quae ad navis apparatum pertinebat, pro signo posuisse, eam autem radicibus actis reviruisse, ut arboresceret et oleaster ille fieret. Idmonem ipsum Heracleenses, cum Agamestora eum vocarent, ut heroem *πολισσοῦχον* (v. 848) colebant. Alter tumulus prope illum situs erat Tiphyis gubernatoris (v. 855, 861 sq.). A radice collis ad mediterranea vergebat con-

---

[1]) Xenoph. Anab. VI, 2, 2: *καὶ ὡρμίσαντο παρὰ τῇ Ἀχερουσιάδι Χερρονήσῳ.*

[2]) Cfr. Arrian. per. 19 et Muelleri adnot.: is quem Arr. recenset locum, cui est nomen Tyndaridae, ab hoc diversus videtur fuisse.

[3]) Cfr. Hemsterhus. ad Lucian. Deor. dial. 26. — Apoll. Rh. IV, 651.

[4]) Cfr. omnino Stiene, De Heraclea Pontica. Muenster. 1870. — Schneiderwirth, Heraclea am Pontus. Pr. v. Heiligenstadt. 1882.

vallis, in qua erat specus arboribus opaca et saxis circumclusa, propter naturam terribilem „specus Orci“ appellata: exhalabat autem vapores valde frigidos, etsi pruinae, quae circumfundebantur, meridiei calore liquescebant (II, 736—741). Prope promunturium ipsum e faucibus quibusdam fluvius oriebatur et, brevi cursu ut videtur, in mare effluebat; (v. 745) cui, quod quasi ex inferis proruere videbatur, Acheronti nomen erat; atque promunturium quoque ex eo nomen tulit; sed quod ostium illius navibus ad promunturium illud periculosissimum vento agitatis refugium erat, ipse Sonantes vocabatur (v. 748). Iam moneam illud Tyndaridarum fanum, de quo modo dixi, ad easdem res spectare. Sed de Sonaute fluvio Apollonium non recte dicere C. Muellerus[1]) opinatur: Plinius[2]) enim ab occidente ad orientem versus Sonauten post Callichorum fluvium recenset; Callichorum autem — de quo infra tractabimus — putat ille eundem esse fluvium, quem ceteri[3]) nominant Oxinam; Oxinas autem ab Heraclea longissime — ex Arriani periplo[4]) ducenta decem stadia computo — abest: ergo Sonauten, quem a Callichoro sive Oxina etiam latius ad orientem spectare Plinius exhibet, ab Acheronte illo Heracleensi plane diversum esse Muellerus statuit. Concedo Plinii verba cum Apollonii descriptione pugnare: sed primum quidem, num Oxinas et Callichorus unus idemque fuerint fluvius, satis dubium est: nam scholiasta Ap. Rh. II, 904, quo nititur Muellerus, dicit Callichorum ab aliis vocari Ὀξύνοντα, non Oxinam: quae nomina, quamvis inter se similia, eadem non sunt: ergo contendi non potest Oxinam et Callichorum eundem fluvium esse: sed licet sint, nonne iudicare possumus Plinium illo loco ordinem geographicum omisisse? Omisit vero aliis locis[5]), ubi Cromnam ante Sesamum nominat et Parthenium fluvium inter Stephanen urbem et Cerambim promunturium recenset! Ergo non habeo cur Apollonii descriptionem repudiem, praesertim cum e Nymphide vel Herodoro[6]) auctoribus locupletissimis — nam erant Heracleae nati illi — his rebus eum optime imbutum

---

[1]) ad Arriani per. 19. [2]) N. H. VI, 4.
[3]) Peripli Arr. 19, anon. 9, Marc. 8.
[4]) l. l. [5]) VI, 5.
[6]) Cfr. schol. ad. II, 901, ubi Herodorus de Acheronte laudatur, atque fere eadem atque Apollonius tradidisse fertur.

fuisse credam. Si vero accuratius situm Sonautae fluvii ex Apollonio exquirere studemus, graves difficultates exoriri videmus: versus sunt hi (II, 745 sqq.):

Ἔνθα δὲ καὶ προχοαὶ ποταμοῦ Ἀχέροντος ἔασιν,
ὅστε διεξ ἄκρης ἀνερεύγεται εἰς ἅλα βάλλων
ἠοίην· κοίλη δὲ φάραγξ κατάγει μιν ἄνωθεν.

Profluebat igitur ex ipso promunturio fluvius ille: sed ubi terrarum est haec *ἅλς ἠοίη,* quo effluere dicitur? Qua de re Merkelius haec adnotat:[1]) *Ἠοίην* aut *ἠῴην* explicatum non habet: totus pontus Euxinus indicari nequit; sinus in quem effluit fluvius, ab occidente est, ut scholia habent et mappae geographicae docent. Aut igitur scribendum *Ηοίην* pro nomine eius sinus, aut temptanda emendatio. Ionium mare pars orientalis Ponti Euxini etiam *Δ,* 288, 308 (Ap. Rh.) nuncupatur. Ammianus Marc. XXII, 13: „Bospori vocati quod per eos quondam Inachi filia . . . ad mare Ionium permeavit.“ Emendationem istam minime probem, sed traditam lectionem retineam; atque quomodo res se habeat de eis locis, quos Merkelius laudat, IV, 288, 308, infra videbimus. Contra quod fluvium in sinum qui ad occasum spectat effluere indicat, recte dicere videtur, quamquam res certa non est. Scimus enim portum Heracleae prope Acherusiadem Chersonesum, ex qua erat sine dubio promunturium illud, fuisse[2]): hic est sine dubio *ἄκρης Ἀχερουσίδος ὅρμος* (v. 730), quo effluit Acheron, cuius in ostium nautae, sicut Argonautae fecerunt, naves deducebant;[3]) Heraclea autem urbs ipsa sita erat ad sinum illum, quem promunturium a septemtrionibus claudit.[4]) Iam, ut ad Merkelium revertar, num sinus ille *Ἠοίη ἅλς* proprie nominatus sit, plane nescimus: equidem vero absurdum esse statuo sinum, qui est ab occidente, orientale mare vocari. Nescio igitur an *ἠοίην ἅλα* de toto Ponto Euxino dictum esse intelle-

---

[1]) p. 107 ed. mai.

[2]) Cfr. Xenoph. An. VI, 2, 2: *ὡρμίσαντο παρὰ τῇ Ἀχερουσιάδι Χερρονήσῳ.*

[3]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 901: *ἔτυχον* (sc. *Ἀργοναῦται*) *γὰρ μέχρι ε̄ σταδίων ἀναπλεύσαντες διὰ τοῦ Ἀχέροντος καθορμισόμενοι* (ex Herodoro).

[4]) Cfr. Iaubert, l. l. p. 233 adnot.

gendum sit:[1]) est enim omnium explicationum simplicissima, quamquam ipse concedo hanc elocutionem esse satis mirabilem. Denique in finibus Mariandynorum breviter commemorantur ab Apollonio fluvii e periplis[2]) notissimi Billaeus, qui ad orientem Paphlagonesque spectabat, et Hypius, cuius ripas quondam Bebryces ab occidente occupasse narrantur (v. 793, 797); fabulae, quibus Mariandyni olim Bithynos et Phryges et Mysos subegisse traduntur, ad nostram quaestionem vix pertinent (v. 788 sqq.).

Iam cursum Argus navis amplius prosequamur. Heroes e Lyci hospitio liberalissimo profecti primum Callichori fluminis ostium praetervehuntur (II, 906): cui hoc nomen eo inditum esse fabula erat, quod ad eius ripas et in Aulio antro, quod prope eum fuisse videtur, Bacchus ex India reversus choros duxisset orgiaque exercuisset.[3]) De situ huius fluvii e poeta nihil discimus nisi eum ab Heraclea ad orientem spectasse. Scylax[4]) et scholiasta Apollonii[5]) Paphlagoniae fluvium eum appellant, cum periplorum auctores eum plane silentio praetereant aliumque, cui nomen est Oxinas, fluvium illic recenseant. Iam cum scholiasta Apollonii alterum nomen Callichori fuisse „Oxynon“ prodat (ad II, 904), Muellerus[6]) colligit e similitudine vocum „Oxynon“ et „Oxinas“ ipsum Callichorum esse Oxynam: id quod, ut supra dixi, admodum dubium esse iudico. Etenim alii[7]) et Apollonius[8]) Paphlagoniam Billaeo fluvio ab Mariandynorum terra dividi exhibent: Oxinam autem periplorum scriptores[9]) a Billaeo ad occidentem spectare referunt, cum illum Callichorum Paphlagoniae fluvium esse ipse Scylax[10]) et scholiasta Apollonii tradant.

---

[1]) Cfr. Gerhard, Lectiones Apollonianae p. 80 sq.

[2]) Arrian. per. 18 sq. — Anon. per. 8 sq. — Marc. per. 8. — Scyl. 91. — cfr. Mannert, Geogr. VI, 3, p. 616 sq.

[3]) II, 907 sqq., schol. ad. h. l. — Ammian. XXII, 8, 22.

[4]) 90.

[5]) ad II, 904.

[6]) ad Scyl. 90.

[7]) Plin. N. H. VI, 4 sq. — Marian. per. 8. — Arrianus terminum Paphlagoniae etiam ad Parthenium reducit: per. 20.

[8]) II, 793: unde vel ad utramque ripam Paphlagones habitasse statuas.

[9]) Arrian. 19. — Anon. 12. — Marc. 8.

[10]) Apud hunc est ipse Callichorus terminus Paphlagoniae: qui

Prorsus vero respuo aliam Muelleri sententiam: is enim Aulium antrum ad eandem regionem pertinuisse atque *Μητρῷον* illud, quod octoginta stadia Heraclea abfuisse Arrianus commemorat[1]), eo putat quod et in anonymo periplo[2]) locus ille nominatur *Μητρῷον τὸ νῦν καλούμενον Αὐλία* et quod omnino in illis regionibus cultus Rheae sive Magnae Matris, cuius fanum illud *Μητρῷον* fuisse videtur, et Bacchi, cui Aulium antrum sacrum erat, inter se saepius coniuncti erant. Sed in hac re Muellerus cum se ipso pugnat: ex Apollonii verbis apparet Aulium antrum prope Callichorum fuisse (cfr. II, 909): quem esse Oxinam ille putat: ab Oxina autem — ut Arrianus docet — Metroon centum et tringinta stadia abfuit. Atque videt ipse Muellerus ratiocinationem suam non constare atque difficultates expedire studet, cum Apollonium ordinem geographicum non servasse contendat: quam sententiam eo confirmare conatur, quod poeta de Sonautae fluvii situ — qua de re supra dixi — a Plinio dissentit; at supra demonstrasse videor etiam Plinium interdum ab ordine geographico decedere neque esse cur Apollonio minus crederemus quam Plinio. Callichoro relicto tumulum Stheneli Argonautae conspiciunt (II, 913), ad quem escensione facta aram *νηοσσόῳ Ἀπόλλωνι* dedicant sacraque faciunt (v. 929 sq.); tum Orpheus lyram in ara positam consecrat, unde locus ille nomen Lyrae accipit (v. 931). Etiam hic locus in Paphlagonia, ut e schol. ad II, 911 et 929 cognoscimus, erat, sine dubio inter Billaeum et Parthenium fluvios; accuratius autem situs definiri nequit, cum Ammiani[3]) descriptio, ubi sepulcrum Stheneli commemoratur, plane confusa sit: Lyram locum praeter scholiastam Apollonii Valerius Flaccus[4]) commemorat, qui tamen non nisi Apollonii narrationem repetit. Multo notior est Parthenius fluvius, cuius ostium Argonautae a Lyrae loco degressi praetervehuntur (II, 938): iam ab Homero[5]) commemoratur; nomen autem eum tulisse eo quod Diana virgo —

---

quamquam a Billaeo ad occidentem spectare videtur, nescio an non ducenta nonaginta stadia — ut erat Oxinas ille ex Arriani calculo — ab eo abfuerit. — cfr. Kiepert, Atlas v. Hellas t. XVII, ubi Oxinas et Callichorus inter se distinguuntur.

[1]) per. 19; cfr. Mueller. ad h. l. [2]) § 12.

[3]) XXII, 8, 22. [4]) Argon. V, 100.

[5]) *B*, 854. cfr. supra p. 25.

sicut Apollonius ipse narrat v. 939 sqq. — in eo lavari crederetur, prodiderat Callisthenes, ut scholiasta ad II, 936 adnotat; atque e Strabone[1]) quoque discimus illum, qui est Olynthius, ut supra dixi, intellegendus, de Homeri versibus illis, qui de hoc fluvio sunt, egisse: fortasse igitur Apollonius ex eo sua desumpsit. Eadem et de natura tranquilla fluvii et de fabula atque Apollonius tradit Scymnus[2]):

Παρθένιος . . . . οὗτος ὁ ποταμός
πλωτὸς καταφέρων ῥεῖθρον ἡσυχώτατον.
. . . . ἐν δ' αὐτῷ λόγος
Ἀρτέμιδος εἶναι λουτρὸν ἐπιφανέστατον.

— De urbibus Paphlagoniae quae iam sequuntur Sesamo, Erythinis, Crobialo, Cromna, Cytoro (II, 943 sq.), in priore dissertationis parte, ubi de Homericae geographiae imitationibus dixi, satis mihi multa verba fecisse videor. — His urbibus relictis heroes Carambim promunturium circumvecti esse narrantur (II, 945), cuius de situ apte poeta dicit (II, 360 sqq.):

Ἔστι δέ τις ἄκρη Ἑλίκης κατεναντίον ἄρκτου[3])
πάντοθεν ἠλίβατος, καί μιν καλέουσι Κάραμβιν,
τῆς καὶ ὕπερ βορέαο περισχίζονται ἄελλαι·
ὧδε μάλ' ἂμ πέλαγος τετραμμένη αἰθέρι κύρει.

Ab hoc promunturio ad orientem versus Apollonius litus, quod *πουλὺν αἰγιαλόν* vocat, late porrigi narrat (II, 364 sq.; 946 sq.): atque ad certum nomen et locum poeta videtur spectare: nam cum et proprie hanc universi litoris partem *αἰγιαλόν* vocet et cum ipsam hanc partem accurate terminis distinguat et discernat — dicitur enim vergere a Carambi promunturio usque ad actam, ubi Halys effluit (v. 365 sq.), — hoc litus e reliquo Asiae litore quod est idem „*αἰγιαλός*“, clare excipit. Itaque non multum interest, utrum scribatur *αἰγιαλός* an *Αἰγιαλός*:[4]) constat quidem dici de certa litoris Paphlagoniae parte. Atque etiam Strabo[5])

---

[1]) p. 542.

[2]) v. 968 sqq. (apud anon. per. 14). cfr. Iaubert, Reise durch Armenien und Persien, p. 281.

[3]) Cfr. Strab. p. 125, 309, 496, 545. — Ptol. V, 4, 2.

[4]) Illud legitur in edit. min., hoc in edit. maiore Merkelii. cfr. adnot. eius (p. 88 et 117 ed. mai.).

[5]) p. 545.

hanc litoris regionem commemorat, sed de situ eius ab Apollonio graviter dissentit; dicit enim hunc *Αἰγιαλόν* a Carambi promunturio ad occidentem, non ut Apollonius tradit, ad orientem spectare[1]); scholiasta Apollonii[2]) quamquam de situ huius litoris cum poeta consentit, tamen de spatio eius aliter censet: nam usque ad Sinopen tantum id porrigi statuit. Quas differentias si explicare volumus, statuendum nobis esse iudico terminos huius litoris ab alio aliter definitos esse, modo magis ad orientem prolatos, modo magis ad occidentem reductos esse, ita ut non solum ea quae de spatio et longitudine computabantur, sed etiam ea quae de universo situ prodebantur ab alio aliter indicarentur magnaeque discrepantiae exorerentur. — Iam ad Sinopensem oram appulsi Argonautae Deileontem et Autolycum et Phlogium, Herculis comites, ibi habitantes inveniunt (II, 948, 957 sqq.); ii enim credebantur primi Graecorum coloni fuisse, qui Sinopen incolerent, ut in Scymni periegesi[3]) legimus de hac urbe:

Ἥν ποτε μὲν ᾤκουν εὐγενεῖς ὄντες Σύροι,
μετὰ ταῦτα δ', ὡς λέγουσιν, Ἑλλήνων ὅσοι
ἐπ' Ἀμαζόνας διέβησαν, Αὐτόλυκός τε καὶ
σὺν Δηιλέοντι Φλόγιος, ὄντες Θέσσαλοι.

Regionem poeta vocat Assyriam atque eam a Sinope fere usque ad Iridem fluvium pertinere dicit: eodem nomine Scylax[4]) etiam totum tractum appellat, qui a Chalybibus „usque ad Sinopen et paullo ultra", ut ait Muellerus, pertinere recensetur; Dionysius periegeta vero re ad Scylacem, verbis ad Apollonium spectat, cum dicit (v. 772):

Τοὺς (i. e. *Χάλυβας*) *δὲ μετ' Ἀσσυρίης πρόχυσις χθονὸς ἐκτετάνυσται.*

Reliqui quoque auctores alii alia produnt: secundum Scymnum, ut modo vidimus, Sinope in Syrorum finibus sita erat; contra Herodotus[5]) *Συρίους* per Halyn fluvium a Paphlagonibus ad occidentem versus habitantibus dividi narrat; quocum Strabo[6])

[1]) Cfr. Meineke, Vindiciae Strabonianae p. 192.
[2]) ad II, 945.
[3]) v. 943 sqq. cfr. Mueller ad h. l.
[4]) § 89. cfr. Mueller ad h. l.
[5]) I, 72. [6]) p. 544.

consentit, nisi quod quos ille Syrios vocat ipse Leucosyros appellat: atque eos esse Cappadoces dicit. Attamen ad earum quas Apollonius tradit rerum aetatem nomen Assyriae de Sinopensi regione dictum optime quadrat: nam tum cum Graeci primi advenerunt, Sinope erat Assyria urbs[1]); fortasse igitur consilio poeta illo nomine usus est, ut antiquitati rerum responderet: certum quidem est nonnullos geographos de hoc nomine egisse[2]); fortasse etiam de origine et memoria eius verba fecerunt; neque vero solum de hac re, sed ne de fontibus quidem, quos Apollonius exscripsit, quidquam scimus: nihil scimus nisi Andronem et Artemidorum istius nominis mentionem fecisse[3]): quorum hic, Ephesius ille geographus, multo post Apollonium vixit, ille, si modo Muellerus[4]) recte coniecit, intellegendus est Alexandri Magni comes ab Arriano[5]) commemoratus; confecit autem periplum, quo etiam fabulas tractabat: ei fortasse poeta sua debet. Neque tamen sibi constitit Apollonius: alio enim loco (IV, 244 sqq.) enarrat Argonautas, cum domum redirent, Medea iubente ad Paphlagoniam oram, *πάροιθ' Ἅλυος ποταμοῖο,* appulsos Hecatae sacra fecisse: atque fanum deae tum dedicatum adhuc exstare (v. 250 sqq.); hoc igitur loco Halyos fluminis regiones, quas illic Assyriae tribuit, Paphlagoniae assignat. Hanc differentiam nescio an explicare possimus, si statuimus Apollonium alio loco alium fontem usurpasse: e scholio quidem ad IV, 247 adscripto comperimus de fano illo Hecatae Nymphidem egisse, quem Apollonii auctorem fuisse supra vidimus. — Ad Halyn adiungitur a poeta Iris fluvius, *ἀγχίρροος* et *μειότερος* dictus, quae epitheta ad illum referenda sunt (II, 367 sq., 965). Atque Iridem minorem esse quam Halyn Xenophon quoque affirmat, qui illum tria plethra, hunc duo stadia, quae sunt duodecim plethra, latum esse tradit.[6]) Vocabuli *ἀγχίρροος* significationem non admodum premendam esse existimo, — distant quidem inter se horum flu-

[1]) Cfr. Curtius, Griech. Geschichte, 5. Aufl. I, 405: . . . Sinope, der assyrische Hafenort, auf den die grosse Reichsstrasse auslief, welche von Ninive her über den Euphrat quer durch Kleinasien gebahnt war. — M. Duncker, Gesch. des Alterth., 4. Aufl., I, 394.

[2]) Cfr. Eustath. ad Dionys. 772.

[3]) Schol. Ap. Rh. II, 946.

[4]) Hist. II, 348 fr. 1 et 2.

[5]) Hist. Ind. 18, 7,

[6]) Anab. V, 6, 9.

viorum ora, ut ex Arriani[1]) periplo computo, quingenta et octoginta stadia — sed poeta nihil nisi cursus eorum vicinos esse universe indicare vult. Quod vero Iridem *λευκῇσι δίναις* (v. 368) in mare effluere dicit, poetice finxisse videtur: Hamiltonus[2]) quidem eum vidit „muddy and yellow", quare scripsit: „I cannot . . . understand why Apollonius and Dionysius Periegetes[3]) should have applied to it the epithets of „white" and „pure"; or the *λευκαὶ δίναι* of Apollonius must have been of a very opaque white". — Ex eo loco, ubi Iris effluit, ora maritima aliquantum in mare procurrit, ut poeta describit verbis (II, 369 sq.):

Κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπείροχος ἀγκὼν
ἐξανέχει γαίης . . .;

Hic videtur idem tractus esse quem infra (v. 966) *Ἀσσυρίης πρόχυσιν χθονός* vocat: audiamus enim scholiastam de hac re; qui ad illum locum haec adnotat: *ἐκεῖθεν* (ab Iride) *δὲ προελθοῦσιν ἀκτήν τινα εἶναί φησιν ἐκκειμένην εἰς θάλασσαν·* . . . ., vocem *Ἀσσυρίης πρόχυσιν* hoc modo explicat: *πρόχυσιν ἔφη τῆς Ἀσσυρίας, τουτέστι Λευκοσυρίας, τὴν ἐγκειμένην χώραν αὐτῆς εἰς θάλασσαν, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἐπάνω*

λεῖπον Ἅλυν ποταμόν, λίπον δ' ἁλιμυρέα χώραν
Ἀσσυρίης ἀνέχουσαν ἀπὸ χθονός.

Τοῦτο δὲ εἶπεν ὡς ποταμοχώστου τῆς γῆς οὔσης διὰ τὸ μεγάλους εἰς αὐτὴν καταφέρεσθαι ποταμοὺς Ἅλυν καὶ Ἶριν. Καὶ οὕτως ἔχει ταῖς ἀληθείαις, καὶ πρὸς ταῖς ἄκραις ἡ χώρα ἔγκειται. Διὸ ποταμόχωστον λέγει εἶναι Ἀπολλωνίδης[4]). *Τοὺς γὰρ προειρημένους ποταμοὺς ἀμφοτέρους, μάλιστα τὸν Ἶριν, μακροῖς αὐτὴν προσχώμασιν εἰς μέσον ἐκτείνειν τὸ πέλαγος. Διὸ δὴ σύμπασαν εἶναι ποταμόχωστον τὴν γῆν καὶ ἄλλοτε κατ' ἄλλους ἐκδιδόναι τόπους εἰς τὴν θάλασσαν τὸν Ἶριν. Βίαιον γὰρ καὶ πολὺν αὐτὸν ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας διὰ χειμερίου καὶ μακρᾶς [χώρας] φερόμενον παρασύρειν τὴν γῆν. Τοῦ δὲ κύματος παλίσσυτον ἐλαύνοντος ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἰλὺν συμ-*

---

[1]) § 22.
[2]) Researches in Asia Minor I, p. 283.
[3]) v. 783.
[4]) Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 309 sq., qui eum inter Mithridatis et Strabonis tempora vixisse putat. De re cfr. Ukert, Geogr. III, 2, 174.

βαίνειν τὴν χώραν ἐπιπολὺ παραυξέσθαι καὶ τὴν θάλασσαν γίνεσθαι τεναγώδη. Halys igitur ac potissimum Iris multum limum secum portabant, quem sub ostiis affundebant, ita ut novam terram aggererent: atque ipse Ancon erat tractus *ποταμόχωστος*, Iridis limis aggestus; nomen autem sine dubio e forma incurva tulit[1]) — Iam ad Amazonum gentem fabulosam pervenimus. Sed quamvis gens ipsa ad fabulas et ad ultimam vetustatem pertinet, terrae descriptionem quam Apollonius exhibet a veritate fideque non abhorrere videbimus. Prope promunturium, quod poeta *Θεμισκύρειον ἄκρην* (II, 371) vel *Ἀμαζονίδων λιμενήοχον ἄκρην* vocat (II, 967), Thermodon fluvius in sinum quendam effluit (II, 370 sqq., 972 sq.); promunturium illud ab aliis[2]) nominatur *Ἡράκλειον,* sine dubio ob ipsam eam rem, quam Apollonius quoque commemorat (II, 968 sqq.): ibi enim Hercules cingulum ab Hippolyte recepisse dicebatur; promunturium ipsum a Thermodonte ad occasum vergit: nam Argonautae id prius circumvehuntur, quam in portum ad illius ostium situm deveniunt: quam poetae descriptionem geographi confirmant.[3]) Deinde satis multa verba Apollonius de cursu Thermodontis facit (II, 974—986), quae singula perlustremus: neque enim omnia dilucida sunt. Atque illum fluvium in Amazoniis montibus, sicut poeta tradit, nasci Plinius[4]) confirmat: etiam hodie hos montes „Masón Dagh“ nominari apud Hamiltonum lego scriptum.[5]) In his igitur montibus verus fluvii fons est, ex quo ille profluit; iam, ut pergit poeta, *ἔνδοθι,* i. e., ut equidem interpretor[6]), in locis mediterraneis, priusquam in planitiem orae

---

[1]) Peripli recensent *Ἀγκῶνα λιμένα* (Arrian. 22) vel *Ἀγκῶνος λιμένα* (Anon. 28) ad Iridis ostium situm. cfr. Kiepert, Atlas v. Hellas. t. XVIII. — Hamilton, Researches I, 287 sq. (cuius sententiam jure refellit Muellerus ad Arr. per. 22) et mappam („Chalti Bournou“-Ancon); Hamiltoni verba cum chartae imagine non congruunt; equidem chartam probo. cfr. I. Peters, De C. Valerii Flacci vita et carmine p. 69.

[2]) Arr. per. 22. — Anon. per. 29 (*Ἡράκλειον ἱερὸν καὶ ἀκρωτήριον*). — Strab. 548; Ptolem. V, 6, 3 erravit, cum post Themiscyram promunturium nominat.

[3]) Cfr. Mueller ad. Arr. per. 22.

[4]) N. H. VI, 10. [5]) Researches I, 283.

[6]) Cfr. Shawii versionem latinam huius totius loci. Mordtmannii (Die Amazonen, Hannover 1862, p. 76 sq.) interpretationem respuo.

maritimae devenit, per terram ex adverso obtentam atque satis editam diffinditur — nimirum quod meatus retinetur: dividitur autem in sex et nonaginta partes, quas Apollonius κελεύθους vel πόρους (vv. 981, 984) vocat; hae partes alia alia via in planitiem demissam decurrunt, multae earum omnino non proprie nominantur, ubi effluunt, sed obscurae sunt; maxima vero pars, qui est ipse fluvius Thermodon dictus, aperte prope curvam actam, quae est promunturii Heraclei, postquam ceterarum paucas rursus in se recepit[1]), in Pontum effluit. Quodsi de hac descriptione iudicium facere volumus, Strabo[2]), qui solus paulo uberius de illo fluvio agit, adhibendus est: is autem Thermodontem in multas partes dividi omnino nusquam commemorat: nihil dicit nisi cum fluviis rivisque non paucis in se receptis unum per campum Themiscyrae fluere; recentiores quoque, ut Iaubertus[3]) et Hamiltonus[4]) permultos amnes et rivos in illa regione esse narrant, sed has esse Thermodontis partes nemo prodit: immo Hamiltonus Apollonii versus ad suas rationes accomodat dicens:[5]) „He[6]) also bears witness to the numerous waters which traverse these extensive plains, known in former days by the name of Doeantius Campus.“ Hoc recte dictum est: at non omnia, quae poeta exponit, ad veritatem quadrare videantur. Iam quaeritur, cui Apollonius descriptionem suam debeat: cogitem de Pherecyde, quem scholiasta ad II, 990, ubi de genere Amazonum dicit, diserte auctorem Apollonii de hac re fuisse tradit:[7]) fortasse igitur alia quoque, quae de terra et gente earum enarrat, ex illo hausit. Nam ad eas reliqua omnia loca prorsus spectant:[8]) incolunt campum Doeantium, secundum schol. ad II, 988 ad Thermodontem situm:[9]) ibidem erat nemus Acmonium, in quo Harmonia Amazonum stirpem e Marte procreasse dicitur

[1]) i. e. ἄμμιγα παύροις. cfr. Strabonis descriptionem.

[2]) p. 547.

[3]) Reise in Armenien etc. p. 219.

[4]) Researches I, 280 et 283.

[5]) Ibid. I, 283 sq.

[6]) i. e. Apollonius.

[7]) Φησὶ Φερεκύδης, ᾧ ἕπεται Ἀπολλώνιος. cfr. supra p. 28.

[8]) Cfr. de Amazonibus: Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III, 2, p. 379 sqq. — Mordtmann, Die Amazonen, Hannover 1862. p. 51.

[9]) Hamilton, l. l.

scyrae, Lycastiae, Chadesiae.[1]) Themiscyra urbs, Amazonum sedes nobilissima, ad Thermodontem sita, satis nota[2]) est; ceterae duae a plerisque ignorantur: sine dubio vici erant ad Lycastum et Chadisium fluvios, qui inter Amisum et Iridem fluvium in periplis recensentur, siti.[3]) — Ab Amazonum antiquitate iam ad historiam deflectit narratio Apollonii atque verae gentes enumerantur (II, 1002 sqq):[4]) Chalybes, Tibareni, Mossynoeci, Philyres, Macrones, Bechires, Sapires, Byzeres, Colchi; atque fusius tractantur Chalybes, Tibareni, Mossynoeci, de quibus quas poeta prodit res fide historicorum et geographorum comprobatas esse videbimus. Et primum quidem si situm harum trium gentium respicimus, iure miretur quispiam, quod Apollonius alium ordinem atque Xenophon, qui ipsis de his regionibus est locupletissimus auctor, exhibet: hic enim primum[5]) ad Phasim fluvium, quem fuisse Araxem in superiore cursu illo altero nomine vocatum veri simile est, Chalybes offendit; ad quos Chalybes mediterraneos fortasse etiam Plinius spectare videtur, cum „Armenochalybes“ commemorat.[6]) Tum Xenophon cum iam oram maritimam legeret, ab oriente ad occidentem versus peragrasse se narrat[7]) fines Mossynoecorum, Chalybum, quos numero perexiguos atque illorum Mossynoecorum imperio subiectos fuisse dicit, Tibarenorum. Contra Apollonius ab occidente ad orientem versus recenset Chalybes, Tibarenos, Mossynoecos. Sed hanc discrepantiam facile explicare possumus, si reputamus, Xenophontem iam Cotyorae, in urbe Tibarenorum[8]), cum exercitu naves ascendisse atque inde, cum navigatione uteretur, accuratam gentium enu-

[1]) II, 374, 997, 1001 sq.

[2]) Aeschyl. Prom. 723 sqq. — Herod. IV, 86; IX, 27. — Strab. p. 544. — Mel. I. 105.

[3]) Cfr. Anon. per. 28. — Marc. per. 10. — Steph. Byz. v. *Λύκαστος. Χαδισία.* — Plin. VI, § 9. — Mel. I, 105. — Schol. Ap. Rh. II, 373, 999.

[4]) Cfr. Hansen, De gentibus in Ponto orientali inde a Thermodonte fluvio ad Phasim usque habitantibus. Kiel 1876.

[5]) Anab. IV, 6, 4 sq.

[6]) III, 12.

[7]) Anab. V, 4, 2 sqq.; 5, 1 sq.

[8]) Xenoph. Anab. V, 5, 3 sqq.; VI, 1, 14.

merationem omisisse, ut eorum Chalybum, qui ab occidente Tibarenos attingebant, mentionem non faceret.[1]) Eam rursus Chalybum partem quam Xenophon vidit cum ceteri tum Apollonius silentio praetermittunt, aut quod eam propter exiguitatem plane ignorabant aut propria commemoratione dignam non habebant, aut quod hi Chalybes postea plane in Mossynoecorum statum et speciem, cum essent eis subiecti, defluxerant.[2]) Praeterea eum quem Apollonius prodit ordinem confirmant Scylax[3]), Scymnus[4]), Mela[5]), Plinius[6]), Dionysius[7]); e Strabonis[8]) descriptione autem certius quidquam de hac re exquiri nequit, quod is neque ordinem neque fines diserte indicat, sed has nationes omnes breviter amplectitur. Nunc singulas gentes consideremus. Chalybes, quod terram admodum sterilem incolebant (II, 375), neque agriculturae operam dabant[9]) neque pecora alebant, sed in ferri fodinis, quae in illis regionibus creberrimae erant[10]), victum quaerebant (II, 376, 1004 sqq.): quibus in operibus occupatos apte poeta eos depingit, cum dicit (v. 1008):

. . . . *οὐ δέ ποτέ σφιν*
ἠὼς ἀντέλλει καμάτων ἄτερ, ἀλλὰ κελαινῇ
λιγνύι καὶ καπνῷ κάματον βαρὺν ὀτλεύουσιν.

Omnino apud antiquos haec gens ob ferrum, quod ab ea effodiebatur et exportabatur, notissima erat.[11]) Inter Chalybes et Tibarenos Apollonius narrat quasi terminum esse *Ζηνὸς Εὐξείνοιο Γενηταίην ἄκρην* (II, 378) sive *Γενηταίου Διὸς ἄκρην* (II, 1011).

[1]) Cfr. Mueller ad. Scyl. 88.

[2]) Muellerus (l. l.) et Hansenus (p. 30) putant hos quos Xenophon peragravit Chalybes eosdem esse quos Strabo prope Pharnaciam habitantes commemorat: id quod dubium esse censeo.

[3]) 86 sqq.

[4]) Apud anon. per. 31 sqq.

[5]) I, 106.

[6]) VI, 11.

[7]) v. 766 sqq.

[8]) p. 548 sq.

[9]) Cfr. Strab. p. 549: *ἡ παραλία στενὴ τελέως ἐστὶν . . . γεωργεῖται δ' οὐ πολλά.*

[10]) Hodie quoque ibi ferrum effoditur: Hamilton, Researches I, 276.

[11]) Aeschyl. Prom. v. 714 sqq. — Eurip. Alc. 980 sq. — Strab. l. l. — Dionys. v. 767 sqq. — Catull. 66, 48 (ex Callimacho) — Verg. Georg. I, 58. — Ammian. XXII, 8, 21. — cfr. M. Duncker, Gesch. des Alterth., 4. Aufl., I, 393 sq.

Hoc promunturium videtur fuisse prope fluvium, cui nomen erat *Γένης*[1]) vel *Γένητος*[2]) vel *Γενήτης*[3]): ex eo quidem, ut scholiasta ad II, 378 adnotat, illi nomen inditum erat: sine dubio igitur ab eo non multum aberat; ipsum Iovi sacrum fuisse e verbis poetae suspicari possumus, cum alii nihil de hac re dicant. Inde ad orientem vergebant Tibareni ab Apollonio *πολύρρηνες* dicti: hi igitur, aliter atque Chabybes, pastum videntur egisse.[4]) Praeterea poeta eis morem fuisse narrat, ut pro uxoribus mariti puerperio cubarent: etenim quasi ipsi partum eniterentur, gemebant et ab uxoribus, nimirum cum iam peperissent, cibo alebantur lavacrisque fovebantur (II, 377, 1011—1016); eundem morem, quamvis, ut nobis quidem videtur, mirum atque ridiculum, etiam Hispanorum nationibus quibusdam et Corsis fuisse apud Strabonem[5]) et Diodorum Siculum[6]) lego: atque etiam hodie eum apud gentes barbaras saepius inveniri Oscarus Peschelius[7]) prodit: neque solum, ut Hansenus[8]) putat, eo consilio, ut mali daemones fallerentur, hunc morem ortum esse credo, sed etiam eo quod partu patri quoque quasi partem adimi cogitatio barbarorum hominum animos facillime subire potest, explicandum esse existimo. Apollonius quidem hanc narrationem ex auctore talium rerum satis, ut videtur, perito hausit: scholiasta enim ad hunc quem tractamus locum (II, 1010) adnotat eadem de Tibarenorum more illo tradita esse a Nymphodoro *ἐν τοῖς Νομίμοις*; cum autem infra, ubi de Colchico more sepeliendi verba facit (ad III, 202), diserte dicat illo loco Nymphodori librum ab Apollonio exscriptum esse, idem etiam hoc loco factum esse ex argumentorum similitudine statui licet. Scripsisse videtur ille auctor, si modo Muellerus recte dicit[9]), Ptolemaeo Philadelpho

[1]) Sophocl. ap. Steph. Byz. v. *Γενήτης*. — Schol. Ap. Rh. II, 378.
[2]) Anon. per. 32.
[3]) Strab. 548. — Steph. Byz. v. *Γενήτης*.
[4]) Cfr. de Tibarenorum ceteris moribus: Ephor. ap. Steph. Byz. v. *Τιβαρηνία* — Mel. I, 106. — Scymn. v. 914 sqq. (Mueller). — Schol. Ap. Rh. II, 1010.
[5]) p. 165. [6]) V, 14. [7]) Völkerkunde p. 26 sq.
[8]) l. l. p. 23.
[9]) Hist. Gr. fr. II, 375 sqq. cfr. Hansen p. 25; apud Mueller. cfr. fr. 15—18.

regnante: vixit igitur non multo ante Apollonium. Praeter alios libros librum de moribus barbararum gentium confecit, qui inscribebatur *Νόμιμα Βαρβαρικά*, unde Apollonius illa deprompsit. Tibarenorum fines ab oriente Mossynoeci attingebant (II, 379, 1017), de quibus quae poeta narrat ab aliis auctoribus iterum atque saepius confirmantur.[1]) Habitabant illi in turribus ligneis[2]) (v. 381 sqq., 1018 sq.), quo domorum genere etiam nostris temporibus illarum regionum incolas uti ex Iauberto[3]) et Hamiltono[4]) comperio; hae turres appellabantur *μόσσυνες*, unde ipsi *Μοσσύνοικοι*, ut Graecis quidem videbatur, nominabantur (v. 383, 1019)[5]): qua de re iam pauca dicam. Vocabulum *μόσσυν*[6]) Graecae originis non esse, sed ex ea voce, qua hae turres ab ipsa Mossynoecorum gente vernaculo sermone nominabantur, ad Graecum sermonem accommodatam esse, ex ipsis Apollonii versibus apparet, qui sunt (II, 381 sqq.):

> *Δουρατέοις πύργοισιν ἐν οἰκία τεκτήναντες*
> *κάλινα καὶ θαλάμους εὐπηγέας, οὓς καλέουσιν*
> *μόσσυνας* (sc. Mossynoeci ipsi)· *καὶ δ' αὐτοὶ ἐπώνυμοι*
> *ἔνθεν ἔασιν* . . .,

et idem inde recte suspicari mihi videor, quod nullo fere alio loco nisi ubi de his huius gentis turribus sermo est, hoc vocabulo antiqui scriptores utuntur. Iam quaeritur de composito vocabulo *Μοσσύνοικοι*, utrum Graeci ipsi demum vernaculum verbum *οἰκεῖν* cum illa barbara voce, postquam e Graecis rationibus mutata sit, coniunxerint an hoc quoque totum vocabulum e barbarie integrum in Graecum sermonem receperint, quantum potuerunt, mutaverint, non solum ad aures, sed etiam ad sensum ipsorum accommodaverint, ita ut id vocabulum iustam Graeci nominis speciem sibi induerit. Quae res facilis esset diiudicatu, si sciremus quo nomine haec gens se ipsa appellaret; in As-

---

[1]) Cfr. Mueller. ad Scyl. 86, ubi locos bene collectos invenies. Vocantur etiam Mossyni vel Massyni (Mel., Plin.).

[2]) Cfr. Vitruv. II, 1, 4: ubi exstruendi ratio exponitur. — Scymn. v. 900 sqq. — Strab. p. 549. — Mel. I, 106. — Diod. Sic. XIV, 30.

[3]) Reise durch Armenien etc. p. 51.

[4]) Researches I, 318.

[5]) Cfr. Strab. 549: *τῶν πύργων μοσύνων λεγομένων.*

[6]) Cfr. Stephani thes. v. *μόσσυν.*

syriis titulis autem recensetur gens „Masnaka", quae in eisdem fere regionibus, atque Mossynoeci, habitasse indicatur:[1]) „Masnaka" ipsum nomen esse, quo illa gens se ipsa vocabat, veri simile est; voces „Masnaka" et „*Μοσσύνοικοι*" inter se non ita discrepare, qui linguarum rationem habet earumque varias rationes respicit, vix negabit. Iam si statuamus illos quos Assyrii recensent Masnaka fuisse hos quos Graeci vocabant Mossynoecos, facere non possimus, quin hoc Graecorum vocabulum integrum ex illa barbara voce fluxisse censeamus. Sed rursus concedo vocabulum *Μοσσύνοικοι*, etiam si vocabulum *μόσσυν* e barbarie ortum esse putemus, et forma et sensu ita ad Graecum sermonem quadrare, ut ab ipsis Graecis id non esse inventum et compositum contendere dubitem. Certe qui vocabulum *Μοσσύνοικοι* nihil esse nisi vocabulum Masnaka Graeca specie indutum putat, ei quidem concedendum est mirum fuisse casum, quo factum est, ut barbara illius nominis forma ita mutari posset, ut fieret ipsum Graecum nomen appellativo sensu praeditum. Iam ad mores huius gentis tractandas redeamus. Rex in altissima turri sedebat ibique ius dicebat:[2]) erat autem in condicione admodum miserabili: nam si quam litem falso diiudicaverat, totius diei inedia puniebatur.[3]) Eadem de hac re, ut scholiasta ad II, 1029 monet, narraverant Ephorus et Nymphodorus, quorum hunc Apollonii auctorem fuisse supra vidimus: fortasse igitur etiam hunc *νόμον βαρβαρικόν* poeta ex eo didicerat. Omnino autem Mossynoecorum mores ab aliorum, ac potissimum eruditorum populorum moribus diversi erant: nam quae alii palam faciunt, illi clam faciebant, et quae apud alios occulte fiunt, apud illos aperte fiebant[4]) (II, 1020 sqq.): itaque etiam cum mulieribus palam coibant[5]), quam ob rem poeta eos apte cum subus comparat (v. 1055 sqq.), cum dicit:

---

[1]) Kiepert, Lehrbuch der alten Geographie p. 95, Anm. 1.

[2]) II, 1028 sqq. cfr. Xenoph. Anab. V, 4, 26. — Diod. XIV, 30.

[3]) Mel. I, 106. — Scymn. v. 904 sqq. — Nicol. Damasc. fr. 126 (narrat regem inedia etiam interfectum esse).

[4]) Xenoph. Anab. V, 4, 34. — Scymn. v. 904. — Artemid. Onirocrit. I, 8.

[5]) Xenoph. Anab. V, 4, 33. — cfr. L. Buechner, Kraft u. Stoff[8], p. 178 Anm. — Herod. III, 101 (*κατάπερ τῶν προβάτων*).

Οὐ δ' εὐνῆς αἰδὼς ἐπιδήμιος ἀλλὰ σύες ὥς
φορβάδες, οὐδ' ἠβαιὸν ἀτυζόμενοι παρεόντας,
μίσγονται χαμάδις ξυνῇ φιλότητι γυναικῶν;

quae postrema verba *ξυνῇ φιλότητι γυναικῶν* scholiasta[1]), quasi hanc nationem a summae infamiae crimine defendere vellet, hoc modo interpretatus est: *οὐχ ὡς αὐτῶν συνερχομένων ταῖς ἀλλήλων γυναιξὶ τοῦτο λέγει. Ἀλλὰ ἕκαστος τῇ ἑαυτοῦ φανερῶς.* Quae explicatio nescio an Pomponii Melae verbis[2]) refutetur, qui de Mossynis, quo nomine ipse Mossynoecos vocat, diserte dicit: „promisce concumbunt et palam“: e vocabulo „promisce“ apparet apud eos feminas communes fuisse[3]), id quod Apollonius quoque sine dubio verbis illis *ξυνῇ φιλότητι γυναικῶν* indicare voluit. Regio quam Mossynoeci incolebant, erat montuosa et silvestris[4]) (II, 379 sq., 1018); atque in ea erat mons, cui nomen erat *Ἱερὸν ὄρος*: ut scholiasta (ad II, 1015) monet, hic mons in Pontum Euxinum porrigebatur atque a Trapezunte centum stadia aberat: egerant autem de eo Ctesias, Suidas, Agatho auctores; quorum quis fuerit Agatho, plane nescimus[5]), Suidas a Strabone et Stephano Byzantio una cum Cinea, Pyrrhi legato illo, laudatur[6]): unde statui licet eos eisdem temporibus vixisse. Etiam in periplis qui aetatem tulerunt illud *Ἱερὸν ὄρος* commemoratur, atque a Trapezunte ad occasum versus centum quinquaginta quinque[7]), aut centum quadraginta[8]) stadia distare dicitur; si autem ea quae in anonymo periplo[9]) et apud Xenophontem[10]) de finibus Mossynoecorum vicinarumque gentium legimus, respicimus et cum illo spatio conferimus, intellegimus hoc *Ἱερὸν ὄρος* in Macronum, non in Mossynoecorum finibus situm fuisse.[11]) Apollonius igitur aut omnino nullos aut alios calculos

---

1) ad II, 1025. 2) I, 106.

3) Cfr. O Peschel, Völkerkunde p. 238 sq.

4) Cfr. Strab. 549.

5) Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 291, coniecit *Ἄνδρων*, de quo supra dixi.

6) Mueller, ibid. II, 464 sq.: fr. 1, 3, 5, 6.

7) Arr. per. 24. 8) Anon. per. 36 sq. 9) 35.

10) An. V, 4, 1 sq. (secundum Xenoph. Mossynoeci incipiebant a Cerasunte, secundum illum a Pharnacia demum: vergebant inde ad occasum).

11) Cfr. Anon. per. 37. — Schol. Ap. Rh. II, 1015: . . . *καὶ Σουίδας ἐν β περὶ τοὺς λεγομένους Μάκρωνας.* cfr. Hansen p. 23.

posuit: nam duos montes fuisse quibus idem illud nomen inditum fuisset, unum in Mossynoecis, alterum in Macronibus, vix quisquam contendet. Contra eam quam Mossynoeci incolebant orae maritimae partem erat Aretias insula i. e. Martis insula (II, 384, 1032 sq., 1049, 1118 sq).[1]) Ibi Argonautae aves Stymphalides ab Hercule ex Arcadia depulsas atque illuc transgressas narrantur offendisse. Atque de hac Stymphalidum fabula satis multos scholiasta (ad II, 1031, 1052) enumerat egisse auctores, inter quos nomino Phercydem, ex quo Apollonium complura de Amazonibus mutuatum esse supra exposuimus, et Timagetum[2]), cui item poetam nonnulla debuisse infra videbimus. Insula enim ipsa etiam ad Amazonum res pertinuisse videtur, cum templum Martis, quod in insula inde ipsa nominata erat, ab illis conditum esse fabula esset (II, 387 sqq., 1172 sqq.): atque dicebantur illae neque oves neque boves, sed equos deo immolasse (v. 1179). Inde aliam insulam, quae vocatur Philyreis, heroes praetervehuntur (II, 1234): de qua poeta nihil dicit nisi Saturnum, cum ibi cum Philyra clam concumberet, a Rhea uxore deprehensum esse; ab illa Aretiade, ut ex itinere Argonautarum patet, ad orientem haec Philyreis vergebat[3]); atque ipsa sine dubio ad gentem Philyrum pertinebat, quam quamquam Phineus recensens supra (II, 395) inducitur, infra poeta plane omittit: ex illo autem loco qui est:

Νήσου δὲ προτέρωσε καὶ ἠπείροιο περαίης
φέρβονται Φίλυρες . . .,

comperimus illos habitasse ab Aretiade insula et adversa continentis ora ad orientem versus, atque ex ipsis verbis quidem colligendum opinor poetam eis non solum insulam Philyreidem — quae sedes admodam angusta fuisset —, sed etiam contrariae orae partem tribuisse[4]); videntur igitur Mossynoecos ab oriente

[1]) Plin. VI, 32. — Arrian. per. 24. — Anon. per. 36. — Schol. Ap. Rh. II, 382. — Hamilton I, 262, et mapp. vol. II. — Kiepert, Atlas v. Hellas t. XVIII.

[2]) Mueller, Hist. fr. IV, 519 fr. 4.

[3]) Cfr. Hamilton I, 261 sq. et mappam in vol. II: Hamiltonus posuit eam duo millia Anglica a Cap Zefréh distantem ad occasum versus.

[4]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 392: Hansenum, qui aliter censet, errasse puto.

excepisse: id quod Dionysius confirmat, qui ab oriente ad occasum progediens enumerat (v. 766):

Μάκρωνες Φίλυρές τε καὶ οἳ μόσσυνας ἔχουσιν . . .,

cum Valerius Flaccus[1]), Ammianus Marcellinus[2]), Orphicorum auctor[3]) plane turbatum harum gentium ordinem praebeant. Tum breviter recensentur Macrones, Bechires, Sapires, Byzeres (II, 395 sqq., 1245 sqq.): hae gentes non minus saepe quam illae, de quibus modo diximus, ab auctoribus antiquis, potissimum a geographis commemorantur; ordinem vero earum alius alium exhibet[4]): saepius quidem hoc vel illud nomen omittitur, aliud inseritur; quis igitur recte dicat, in tali discrepantia et confusione diiudicari vix potest. Fortasse etiam re vera commutationes terminorum et sedûm — id quod in feris gentibus minime mirum videtur — per tempora factae sunt. De Sapiribus autem nescio an poeta erraverit, quod eos orae maritimae accolas fuisse putavit: ii enim Ponti litus omnino non attigisse, sed mediterranea Armeniae loca videntur incoluisse.[5]) Denique quod Bechirum *φῦλα περιώσια* (v. 396) et *γαῖαν* eorum *ἀπειρεσίην* dicit (v. 1245 sq.) atque Sapires *ὑπερφιάλους* (v. 1246) appellat, poetae magis quam geographo tribuendum esse vix est cur moneam. Iam dum heroes sequimur, tandem ad Colchidem pervenimus (II, 1264, 1280).[6]) Priusquam huius regionis descriptionem perlustremus, moneam in hac ipsa nos luculentissime Apollonii rationem perspicere et cognoscere posse: hic enim falsa et vera ita inter se commiscuit, ut quae ad fabulas, quae ad veritatem pertineant, interdum diiudicare vix possimus. Neque enim solum is, ut videtur, fabulas, quae de Aeete, de fuga Phrixi, de Iasonis Medeaeque amore, de tauris aëneis, de aureo vellere

---

[1]) Argon. V, 151 sqq.

[2]) XXII, 8, 21.

[3]) v. 756 sqq. cfr. Steph. Byz. *Φίλυρες*.

[4]) Cfr. Mueller ad Scyl. 82, ubi omnia collecta sunt: Hecat. fr. 190. — Plin. VI, 4. — Dionys. 765. — Mel. I, 107. — Valer. Fl. V, 151 sqq. — Orph. Arg. 756. — Ammian. XXII, 8, 21; cfr. Strab. 549. — Anon. per. 37 sqq.

[5]) Herod. I, 104; IV, 37, 40. — Steph. Byz. v. *Σάπειρες*.

[6]) Cfr. II, 398. — Scyl. 81 sq. (de ordine gentium). — De Colchide v. Ukert., Geogr. d. Gr. u. R. III, 2, 505 sqq.

traditae atque multo ante eum ad has regiones translatae ibique quasi collocatae erant[1]), ex hoc vel illo libro deprompsit, sed etiam eos auctores adiit, qui fabulis neglectis veras res de illis regionibus incolisque enarrare studuerant. Conemur autem omnia quae poeta exponit colligere et in iudicium vocare. Ad dextram (II, 1269 sq.) Phasidis fluvii ripam sitam esse dicit Aeam, urbem Aeetis regis (II, 405): hanc regionem non solum Ponti (II, 1264)[2]), sed etiam orbis terrarum extremam esse (II, 419 sq.): omnem regionem vocat Colchidem (II, 1280; III, 313; IV, 132), incolas Colchos (III, 1274; IV, 212, 236, 303, 314, 335 etc.); videmus igitur quomodo Apollonius nomina ficta et vera inter se confundat: Aea urbs omnino non erat:[3]) erant Colchi et Colchis. Et regionem (II, 401) et urbem (II, 1270) appellat Cytaeidem ex Cyta sive Cytaea urbe vere ibi sita[4]), aeque atque Aeetem dicit Cytaeum (II, 1096) vel Cytaeeum (II, 405; III, 228). Praeterea urbem vocat et e gente Colchidem (II, 419) et Titenidem (IV, 131) e fluvio Titene, quem Eratosthenes, ut scholiasta ad IV, 131 adnotat, *ἐν Γεωγραφικοῖς* commemoraverat. Situm Aeae urbis satis accurate Apollonius indicat: ab ostio Phasidis et a mari non multum abest, ut e verbis Phinei patet ad Argonautas dicentis: (II, 404 sq.):

Κείνου νῆ' ἐλάοντες ἐπὶ προχοὰς ποταμοῖο (sc. Phasidis)
πύργους εἰσόψεσθε Κυταιέος Αἰήταο:

per fluvium igitur heroes aliquantum navigant (II, 1267 sq.; IV, 210 sq., 225 sqq.), dum ad urbem perveniunt, quae, ut supra dixi, ad dextram ripam sita est. Inter urbem autem et eum ripae locum, ad quem illi navem alligaverunt, est Circaeus campus (II, 402; III, 198 sqq.), consitus arboribus, quibus Colchi ad mortuos sepeliendos utebantur (III, 200 sqq.): ii enim feminas tantum humabant mortuas, marium corpora pellibus involuta ad

[1]) Cfr. Ukert. l. l. p. 513. — Herod. I, 2. — Xenoph. Anab. V, 6, 36 sq. — Euripid. Med. 2.

[2]) Cfr. II, 400. cfr. schol. Ap. Rh. II, 397.

[3]) Cfr. Mueller ad Scyl. 81.

[4]) v. Ukert l. l. Anm. 58. cfr. Mueller l. l.: „Quatenus autem subest memoria urbis, quae re vera exstitit, Aea non est diversa ab urbe *Κύτη* vel *Κύτα* vel *Κύταια*, quae nomina sive de urbe sive de regione, Medeae patria apud poetas celebrantur."

arborum ramos deligabantur ibique putrescebant:[1]) hic mos videtur eo ortus esse quod, ut scholiasta prodit (ad III, 202 et 714), Colchi Uranum et Gaeam, caelum et terram, maxime colebant, quos ad deos etiam iurare solebant, atque ideo institutus esse, ut utrique deo aequa pars mortuorum obveniret: feminae credebantur redire ad Terram deam feminam et matrem, mares ad Aethera deum marem et patrem. Hunc morem e Nymphodoro, ut supra dixi, poeta cognovit: quaeri potest, num etiam campi Circaei notitiam eidem debuerit; quae res dubia est: esse in Colchis campum Circaeum Timaeus confirmaverat, ut scholiasta ad II, 399 narrat. Attamen nomen quidem campi, quod est a Circe derivatum[2]), maxime ad fabulas spectat. Fortasse autem rem eo explicare possumus, quod statuimus a Colchis vernaculo sermone hunc campum simili nomine vocatum esse, quod Graeci facile in suum nomen mutare possent, praesertim cum hoc nomen ad fabulas de his regionibus traditas aptissimum videretur. Ab urbe tantum quantum meta a carceribus, (III, 1270) aberat atque ad Caucasum i. e. ad septemtrionem vergebat campus Martius (III, 409, 1269; II, 1271), in quo agon Iasonis factus est. Ad ipsum campum (II, 1271; III, 1356) erant fanum et nemus Martis, ubi aureum vellus asservabatur (II, 406 sq.): ab hoc nemore ad fluvii ripam, ut videtur, porrigebatur pratum (IV, 114 sqq.), cui nomen erat *Κριοῦ εὐναί,* quod ibi aries, quo Phrixus vectus erat, e longo itinere requievisse dicebatur. Quorum locorum notitiam cui poeta debuerit, scholiasta non exponit: affirmat autem multos fani et campi Martii mentionem fecisse his verbis (ad II, 404): *τοῦ δὲ ἐν Κόλχοις λεγομένου Ἀρείου πεδίου καὶ τοῦ αὐτόθι Ἄρεος τεμένους μέμνηνται πολλοί:* etiam illum locum *Κριοῦ εὐναί* vocatum confirmat fuisse (ad IV, 115) *ἐν Κόλχοις, ὅπου πρῶτον τὸν Φρίξον κομίσας ὁ κριὸς ἀνεπαύσατο,* sed utrum haec e poeta an e geographo cognosceret, dicere oblitus est: attamen multum nostra interest scire, utrum poetae tantum hunc locum finxerint, ut Phrixi fa-

[1]) Similia tradunt Aelian. Var. Hist. IV, 1, Sil. Ital. XIII, 486, alii. — cfr. Th. Waitz, Anthropologie III, p. 201 sq., qui similem morem apud Indianos Americanos esse dicit.

[2]) Schol. Ap. Rh. II, 399. cfr. Strab. p. 232 (*Κιρκαῖον ὄρος* Italiae).

bulam illustraverint an re vera in illis regionibus talis campus herbidus fuerit, cui coloni Graeci illud nomen e fabula ad ipsas has regiones pertinenti repetitum indiderant. Dilucide ad geographos spectant ea quae de Phaside fluvio poeta exponit: defluit enim ille ex Amarantis montibus (II, 401 sq.), unde ipse Amarantius vocatur (III, 1219), atque ex Araxe partem, cui est nomen Lycus, recipit (IV, 132), quocum coniunctus in *Καυκασίην ἅλα* influit (IV, 135): hoc nomine Apollonius appellat eam Ponti Euxini partem, quae radices Caucasi alluit, non ut scholiasta censet, mare Caspium *διὰ τὸ συνάπτειν τῷ Καυκάσῳ* (ad IV, 131): qui scholiastae error fortasse eo ortus est, quod de Araxis cursu in illud mare influentis cogitavit.[1]) Quae de fluviorum amborum coniunctione narrantur, sine dubio e geographo aliquo hausta sunt, qui accuratiorem notitiam harum regionum nondum habuit.[2]) Simili modo Apollonium Rhodani et Eridani sive Padi cursus inter se coniunxisse infra demonstrabimus. Amarantos montes in Colchis fuisse scholiasta (ad II, 399) exponit atque Ctesiae testimonium affert:[3]) sunt tamen paene ignoti. Accedit, quod alii Phasin in Armeniis montibus, oriri produnt[4]); quam discrepantiam Oberlinus[5]) expedire vult, cum dicit: „Quid si catena tota montium Amarantiorum nomine venerit, cuius pars ea, quae Phasin effundit, dicta Armenion?" Quae num recte disputata sint in medio relinquamus. A septemtrione (II, 1269 sq.) et ab oriente (III, 1222 sq.) conspiciuntur Caucasi cacumina altissima et nive nitentia: quae descriptio cum prorsus ad verum inferioris Phasidis cursus situm quadret[6]), rursus ad fabulas pertinent Promethei Caucaso affixi cruciatus atque dira nex Typhaonis in hoc saltu prope Typhaoniam rupem Iovis fulmine

[1]) Caspias conchas poeta III, 858 commemorat: cfr. schol. ad h. l.

[2]) Fortasse Cyri fluvii cursus errorem moverat: v. Kieperti Atl. ant. t. II.

[3]) . . . *ὅτι δὲ τὰ Ἀμαραντὰ ὄρη ἐστὶ Κόλχων ἱστορεῖ Κτησίας ἐν ιγ'* . . . cfr. Vib. Sequestr. p. 16 ed. Oberl., p. 150 ed. Riese. — Steph. Byz. v. *Ἀμαραντοί*. — Schol. Ap. Rh. l. l. et III, 1220. — Cfr. Lentz, Herod. rel. praef. p. 217.

[4]) Hessel ad Vib. Sequ. l. l.

[5]) ad Vib. Sequ. p. 165.

[6]) Cfr. tabul. geogr.

icti (II, 1213 sqq., 1250 sqq.).[1]) Denique de incolis pauca addenda sunt. Quod Apollonius Colchorum originem ab Aegyptiis deducit Aeamque urbem a rege quodam illorum conditam esse narrat (IV, 272 sqq.), minime miramur, cum reputamus hanc apud antiquos vulgatam fuisse sententiam.[2]) Praeter Colchos poeta Sauromatas (III, 353) commemorat, quos illorum hostes esse tradit (III, 394): fortasse igitur eos illorum finitimos esse animo cogitavit.[3])

Nunc reditum Argonautarum consideraturi Ponti oras meridianas, quas ex Apollonii carmine satis accurate cognovimus, relinquamus et ad loca longe ab illis remota transeamus. Primum quidem quae de Istro poeta prodit perlustremus.[4]) Atque duo sunt loci, qui ad huius fluminis descriptionem pertinent: IV, 282—293 et 323—326, quos versus, cum summi momenti sint, hic adponam:

Ἔστι δέ τις ποταμός, ὕπατον κέρας Ὠκεανοῖο,
εὐρύς τε προβαθής τε καὶ ὁλκάδι νηὶ περῆσαι·
Ἴστρόν μιν καλέοντες ἑκὰς διετεκμήραντο·
ὅς δή τοι τείως μὲν ἀπείρονα τέμνετ᾽ ἄρουραν
εἷς οἶος· πηγαὶ γὰρ ὑπερ πνοιῆς βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσιν.
ἀλλ᾽ ὁπότ᾽ ἂν Θρῄκων Σκυθέων τ᾽ ἐνιβήσεται οὔρους,
ἔνθα διχῇ τὸ μὲν ἔνθα μετ᾽ Ἰονίην ἅλα βάλλει
τῇδ᾽ ὕδωρ, τὸ δ᾽ ὄπισθε βαθὺν δια κόλπον ἵησιν
σχιζόμενος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα,
γαίῃ ὃς ὑμετέρῃ παρακέκλιται, εἰ ἐτεὸν δὴ
ὑμετέρης γαίης Ἀχελώιος ἐξανίησιν. —,

et infra

αὐτὰρ ἐπεί τ᾽ Ἄγγουρον ὄρος καὶ ἄπωθεν ἐόντα
Ἀγγούρου ὄρεος σκόπελον πάρα Καυλιακοῖο,

---

1) Cfr. III, 851 sqq.

2) Herod. II, 104 sqq. — Strab. p. 498. — Ukert, l. l. p. 509 sq. — Brehmer, Entdeckungen im Alterthum, Weimar 1822, I, p. 354 sqq.

3) Cfr. Ukert, Geogr. III, 2, 322.

4) Cfr. Mannert, Geogr. d. Gr. u. R. IX, 1, p. 45 sqq. — Ukert, Geogr. d. Gr. u. R. III, 1, 146 sqq. — Brehmer, Entdeckungen im Alterthum II, p. 402 sqq. — Mueller ad Scyl. 20.

ᾧ πέρι δὴ σχίζων Ἴστρος ῥόον ἔνθα καὶ ἔνθα
βάλλει ἅλις, πεδίον τε τὸ Λαύριον ἠμείψαντο, —.

Et primum quidem si posteriores versus respicimus, e verbis *ἔνθα καὶ ἔνθα*[1]) intellegimus Istrum in duas partes dividi: atque quo effluant hae duae partes, ex ipsa itineris narratione discimus; Paphlagoniae enim ora relicta (IV, 245, 299 sqq.) Argonautae per Pontum Euxinum navigant, *ἕως Ἴστροιο μέγαν ῥόον εἰσαφίκοντο* (IV, 302): ergo una pars huius fluminis in Pontum influit: atque, ut Apollonius quidem narrat, influit duobus ostiis, quae vocat *Καλόν* et *Νάρηκος στόμα* (v. 305 sqq.). Iam per hoc os Argonautae fluvii cursum intrant, cum Colchi Apsyrto duce per illud navigent (v. 306, v. 313 sqq.): quod autem *Καλὸν στόμα* a meridie, *Νάρηκος στόμα* a septemtrionibus est, Apsyrtus, quamquam Argonautas persequitur, tamen prius — venit enim aeque atque illi fere e meridie — in fluvium invehitur, quam illi, qui longiore itinere ad remotius ostium proficiscuntur. Itaque Apsyrtus illos praevenit et, cum illi demum ad eum fluminis locum perveniunt, ubi *ἔνθα καὶ ἔνθα* i. e. in duas partes dividitur, atque ex una in alteram partem transeunt, iam ex altera parte in *Κρονίην ἅλα* (v. 327), quo nomine Apollonius, ut scholiasta adnotat, Hadriam vocat[2]), provehitur, atque undique vias praecludit, dum illi *ὄπιθεν* fluvio secundo devehuntur (v. 329): fit igitur, id quod poeta supra (v. 307 sq.) indicavit verbis:

Τῷ καὶ ὑπέφθη τούσγε βαλὼν ὕπερ αὐχένα γαίης
κόλπον ἔσω πόντοιο πανέσχατον Ἰονίοιο (sc. Apsyrtus):

ex tota narratione autem apparet alteram Istri partem secundum Apollonium in Hadriam influere.[3]) Nunc ad illos versus (v. 282 sqq.) accedamus, quos Argus dicens inducitur: quae verba si interpretari volumus, primum quaerimus, quae sit *Ἰονίη ἅλς*, tum quis sit *κόλπος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχων* intellegendus, denique quid in hoc rerum conexu sibi velit Acheloi commemoratio. *Ἰονίην ἅλα* a poeta intellegi sinum Hadriaticum, eum quem Graeci *Ἰόνιον κολπον* vocabant, e IV, 630 apparet, ubi

---

[1]) Cfr. IV, 289: *διχῇ*: quae vocabula Ukertus, Geogr. III, 1, 147 omnino non respexisse videatur.

[2]) Cfr. IV, 509, 546.

[3]) Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 308, 321.

una pars Rhodani, quae ex eo in Eridanum, quem esse Padum infra videbimus, immittitur, per huius alveum μετ' Ἰονίην ἅλα fluere dicitur.[1]) Deinde πόντον Τρινάκριον poeta nominavit ex insula Trinacria, quae est eadem atque Sicilia: intellegendum autem est mare, quod est ad Trinacriam sive Siciliam; atque scholiasta spectare videtur ad mare Tyrrhenum (ad IV, 284 et 291): sed equidem e IV, 292 verbis γαίῃ ὃς ὑμετέρῃ παρακέκλιται sentio dici de Ionio mari, quod est inter Siciliam et Graeciam et cuius pars meridiana mare Siculum appellabatur.[2]) Sinus autem huius maris quem poeta εἰσανέχοντα dicit (v. 291) nihil nisi sinus Hadriaticus sive Hadria esse potest: at hunc ipsum iam voce Ἰονίῃ ἁλς significavit Apollonius! Quid quod ea fluminis pars, quam in Pontum Euxinum influere ex ipsa poetae narratione modo cognovimus, hoc loco plane omittitur! At vero huius ipsius mentionem fieri hoc ipso loco quam maxime oportebat; argumentum enim hoc est: poeta Argum de reditu in Graeciam disserentem facit (IV, 256 sqq.), dum Argo navis iam in Ponto est (v. 245): exponere autem ille studet, qua altera via — illam enim quae est per Cyaneas Bosporumque Argonautae vitare volunt — navis e Ponto exire possit; atque haec altera via est per Istrum in Pontum effluentem: sed Argi verbis haec ipsa res minime indicatur. Qua causa Gerhardium[3]) commotum esse video, ut v. 289 pro vocabulo Ἰονίην scriberet ἠῴην, quo nomine Apollonius, ut supra demonstravimus, II, 747 Pontum Euxinum appellat. Quam coniecturam si recipimus, omnes difficultates removentur: et enim mentio Ponticae Istri partis fit, quam e rerum conexu disideramus, et tota ratio ad v. 325 sq. et ipsius itineris narrationem quadrat, cum una fluvii pars in mare orientale i. e. in Pontum, altera in sinum maris Siculi vel Ionii i. e. in Hadriam influere dicatur. Praeterea si Gerhardii sententiam probamus, verba τῇδ' et γαίῃ ὃς ὑμετέρῃ παρα-

---

[1]) Merkelii sententiam partem occidentalem Ponti Euxini esse Ἰονίην ἅλα putantis, ipso hoc loco IV, 630 plane refutari censeo. (cfr. Merkel. ad II, 745).

[2]) Insp. Kieperti tabulas geogr.

[3]) Lectiones Apollonianae. Lips. 1816. p. 80 sq.; alteram mutationem v. 308 plane repudio, quod hoc loco sensum ille non recte intellexit.

κέκλιται non solum ad rationes geographicas apte spectare, sed etiam optime inter se respondere sentimus: hoc enim ad eum locum pertinet quo Argonautae, tum cum Argus dicit, commorantur, scilicet in Ponto, — illa verba ad eorum patriam spectant, quo iam reverti student: his verbis igitur via diserte indicatur. Quae cum ita sint, censeo poetam v. 289 scripsisse *μετ' ἠῴην* vel *ἠοίην*[1]) *ἅλα βάλλει* atque coruptelam eo ortam esse, quod verba *μετ' Ἰονίην ἅλα* e versu IV, 630, sine dubio a viro docto, propter elocutionis similitudinem comparandam margini adscripta ab homine minus perito, cum meliorem lectionem illam esse crederet, in textum recepta sunt. Denique de Acheloi fluvii commemoratione pauca dicam: ex hac quidem re scholiasta Apollonii[2]) et Ukertus[3]) statuerunt Acheloum ex Istro nascentem hic a poeta induci: at equidem eum tale quid dicere non invenio: en verba Apollonii (IV, 292 sq.):

. . . . *εἰ ἐτεὸν δὴ*
ὑμετέρης γαίης Ἀχελώιος ἐξανίησιν;

video autem ex falsa interpretatione illorum errorem ortum esse: referunt enim illi verba illa ad totam descriptionem alterius Istri partis, de qua sunt verba (v. 290 sq.) *τὸ ὄπισθε βαθὺν διὰ κόλπον ἵησιν σχιζόμενος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα*: sed hoc falsum esse intellegimus si verborum responsionem respicimus, quae est in *γαίῃ ὑμετέρῃ* et *ὑμετέρης γαίης*, quorum vocabulorum coniunctio totum sensum exprimit: est igitur haec Acheloi mentio ad enuntiatum relativum *γαίῃ ὅς ὑμετέρῃ παρακέκλιται* referenda, minime ad Istri alveos spectat. Accedit quod tale quid de Acheloi origine apud antiquos scriptores nusquam legimus: immo vero iam Hecataeus[4]) superiores huius fluvii cursus satis accurate videtur novisse. Quid Apollonius? num quis censet eum tales nugas de fluvio tum certe Graecis notissimo prodere ausum esse? Neque capere possum, qua ratione inductus poeta illam quam Ukertus ei tribuit miram

---

[1]) v. Gerhard. l. l.

[2]) ad IV, 293 . . . *ἀναπιδύειν φησὶν οὖν τὸν Ἴστρον εἰς τὸν Ἀχελῷον διὰ τὸ τὰς πηγὰς αὐτῷ παρέχεσθαι.*

[3]) Geogr. d. Griechen u. Römer III, 1, p. 147 sq.

[4]) fr. 70—72 Mueller: cfr. Pauly Real-Encyclop. v. Achelous.

halucinationem excogitaverit: nam ad viam reditus Argonautarum constituendam ea opus non erat, cum Apollonius, ut infra videbimus, in hac re Timageti sententiam reciperet, qua iam certa via definita erat, qua per Istri partes duas illas heroes e Ponto in Hadriam ducebantur. Quoniam Ukerti scholiastaeque sententias refutavi, nunc qua equidem hanc Acheloi commemorationem explicandam esse censeam, paucis verbis exponam. Spectant, ut supra demonstravi, haec verba *εἰ ἐτεὸν δὴ ὑμετέρης γαίης Ἀχελώιος ἐξανίησιν* ad enuntiatum relativum *γαίῃ ὅς ὑμετέρῃ παρακέκλιται,* quod ipsis illis verbis quasi argumento confirmatur, quamquam forma condicionalis enuntiati eis est: hoc modo igitur Argi sententiam enucleamus: „Altera, inquit, pars Istri immittitur in sinum maris Trinacrii, i. e. Siculi, quo e sinu — haec subaudienda sunt — nimirum in ipsum mare Trinacrium pervenire possumus: hoc autem mare iam ad Graeciam, vestram patriam esse cogitandum est, si modo Achelous — quem fluvium, cum eum quippe qui sit *τῶν τῆς Ἑλλάδος ποταμῶν τῶν ἄλλων διαπρεπέστατος*[1]), bene sciam, in ipsum illud mare influere cognovi — e patria vestra profluit: — audivi enim eum esse Graecum fluvium; si autem illud mare ad Graeciam est, per illud ad hanc patriam vestram pervenire possumus" —: id quod, ut infra legimus (IV, 574 sq.), re vera factum esset, nisi tempestate exorta heroes repulsi essent. Videtur igitur eo consilio poeta Acheloi mentionem facere, ut viam dilucide indicet. Iam ad Istrum revertamur, quem, ut demonstrasse mihi videor, Apollonius in duas partes dividi narrat, quarum una in Pontum, altera in Hadriam influit. Quae sententia quamvis falsa tamen nobis minime mira videtur, si reputamus quarto a. Chr. n. saeculo eam a viris doctis probatam esse[2]): testes sunt Theopompus[3]), Aristoteles[4]), Scylax[5]). Num autem etiam Apollonii aetate ea viguerit atque, id quod scire plurimum nostra interest, Era-

---

[1]) Verba schol. Ap. Rh. IV, 293.

[2]) Cfr. H. Berger, Die geograph. Fragmente des Eratosthenes, p. 347 sqq. — id., Geschichte der wissenschaftl. Erdkunde bei d. Gr. II, p. 61. — Ukert, l. l.

[3]) ap. Strabon. p. 317.

[4]) Hist. anim. VIII, 15.

[5]) § 20.

tosthenes idem atque illi de hac re senserit, dubium est.[1]) Apollonius sua, ut scholiasta ad IV, 259 et 284 diserte adnotat, e Timageto[2]) deprompsit, qui quibus temporibus vixerit plane nescimus, nisi quod Apollonio eum antiquiorem esse ex ipsis illis scholiis discimus: scripsit autem librum de portibus, *περὶ λιμένων*, in quo tamen fluvios quoque descripsisse videatur, ut ex illis scholiastae verbis suspicari possumus. Sed utrum in hoc libro, qui sine dubio, ut quidem e titulo statuere possumus, ad veram geographiam spectabat, obiter tantummodo, cum ipsam hanc Istri rationem ad fabulas accommodaverit, commemoraverit Argonautas per illas Istri partes duas in patriam redisse an accuratiorem de hoc reditu narrationem iam exhibuerit, diiudicare non possumus: neque minus incertum esse puto, num primus Timagetus hanc opinionem ostenderit Argonautas per Istrum redisse: ac ne illud quidem penitus scimus, quando sententia Istrum in duas partes illas dividi exstiterit, quando obsoleverit: quinto a. Chr. n. saeculo nondum ea videtur fuisse; nam Herodotus, quamquam satis multa verba de Istro facit[3]), de hac re nihil dicit; post Apollonium Hipparchus opinionem iam retinuit:[4]) atque etiam Cornelium Nepotem in eodem errore perseverasse e Plinio cognoscimus[5]): Strabo[6]) tandem lumen rei attulit, veritatem patefecit, illorum opiniones redarguit: sed iam Polybius de Istro et de regionibus, quae sunt inter Pontum et Hadriam, sententiam exhibuerat, quae ab Apollonii opinione maxime abhorruit.[7]) Iam reliqua consideremus, quae poeta de Istro fluvio prodit: atque oritur in Rhipaeis montibus, qui ad ultimas septemtrionis plagas vergunt (IV, 286 sq.): quam notitiam Apollonius, ut scholiasta ad IV, 284 monet, ex Aeschylo hausit, qui *ἐν Λυο-*

---

[1]) Cfr. H. Berger, Die geogr. Fragm. d. Eratosthenes l. l., qui subtilissime de hac re egit.

[2]) Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 519 sq. fr. 1—5.

[3]) II, 33; IV, 47—50; 89.

[4]) Cfr. Strab. 57: ... *κοινὴν δέ τινα τῶν πρὸ αὐτοῦ τισιν ἄγνοιαν ταύτην ἠγνόηκεν.* cfr. H. Berger, die geogr. Fragm. d. Hipparch p. 89 sq. — Ukert, Geogr. III, 1, 148.

[5]) N. H. III, § 128.

[6]) l. l., p. 317.

[7]) Berger, Eratosth. p. 349. (Strab. 313 et 317.)

μένῳ Προμηθεῖ idem narraverat; est autem flumen altissimum et latissimum[1]) et quod navi oneraria lustrari potest (v. 283); in confiniis Thracum et Scytharum in illas duas partes dividitur (v. 288 sq.): prope hunc locum situs est *σκόπελος Καυλιακοῖο* (v. 324 sq.): cuius montis etiam Polemonem *ἐν Κτίσει Ἰταλικῶν καὶ Σικελικῶν* mentionem fecisse e scholio ad IV, 324 comperimus; cum autem ille aetate paulo minor quam Apollonius sit, — est enim aequalis Aristophanis grammatici[2]) — ad ipsius poetae fontem investigandum scholium illud non valet. Stephanus Byzantius[3]) commemorat gentem Caulicorum, quam *κατὰ τὸν Ἰόνιον κόλπον* habitare et e monte illo nomen accepisse dicit; sine dubio igitur in eorum finibus ille mons situs erat: unde qua fere in regione Istrum dividi antiqui sibi cogitaverint, coniicere possumus. Ab Cauliaco monte longe abest mons Angurus item ad Istrum situs (v. 323 sq.): quem cum ante illum heroes praetervehantur, magis ad inferiorem fluminis partem et quae in Pontum influit, spectasse sentio: mentionem eius fecit, ut scholiasta (ad IV, 324)[4]) monet, Timagetus *ἐν Λιμέσι,* a quo Apollonium eum cognovisse veri simile est. Contra prope abest a Cauliaco scopulo et eo ubi Ister dividitur loco[5]) campus Laurius (v. 326), quem Sindi incolunt (v 321 sq.): quam gentem alii omnes[6]) ad Maeotidem paludem habitasse produnt. Praeter eos commemorat poeta Graucenios, Sigynnos, Scythas cum Thracibus mixtos (v. 320 sq.): quae nomina unde hauserit incertum est; scholiasta dicit (ad IV, 321) Timonactem *ἐν πρώτῳ περὶ Σκυθῶν* quinque et quinquaginta gentes enumerasse, inter quas etiam illae ab Apollonio recensitae fuisse videantur: ille auctor[7]) praeter hunc locum bis a scholiasta laudatur (ad III, 1236, et IV, 1217), cuius e verbis apparet illum nonnulla ad Argonauticas fabulas pertinentia enarrasse: sed haec tria fragmenta tan-

---

[1]) Cfr. Herod. IV, 48.

[2]) Mueller, Hist. Gr. fr. III, 126: fr. 38.

[3]) v. *Καυλικοί.*

[4]) fr. 3. Muell.

[5]) Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 321.

[6]) Herod. IV, 28. — Scyl. 72. — Hellanic. ap. schol. Ap. Rh. IV, 321. — Mel. I, 110 sq. — Strab. 495. — Dionys. 681. — Arrian. per. 28 sq.

[7]) Cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 522: fr. 1—3.

tum servata sunt, atque quibus temporibus ille floruerit, plane ignoramus. Quod Apollonius Scythas cum Thracibus mixtos commemorat, ad versum 288 (IV) sine dubio spectat, ubi Ister has gentes inter se dividere dicitur. Trans Istrum habitare Sigynnas Herodotus[1]) tradit, quos ab his quos poeta Sigynnos vocat non diversos fuisse statuere licet; Strabo[2]) rursus Siginnos mare Caspium accolere contendit; Graucenii plane ignoti sunt. In Pontum Euxinum Ister duobus capitibus influit, quibus efficitur insula *Πεύκη* ab Eratosthene, ut scholiasta ad IV, 310 docet, *διὰ τὸ πολλὰς ἔχειν πεύκας* hoc nomine vocata (v. 309 sqq.)[3]); atque secundum Apollonii descriptionem *Καλὸν στόμα* a meridie, *Νάρηκος στόμα* a septemtrionibus videtur fuisse, ut supra diximus: qua in re a geographis graviter poeta dissentit, cum illi[4]) *Νάρακον στόμα* ad meridiem, *Καλόν* ad septemtriones spectare exhibeant; codices Apollonii v. 312 praebent . . *καλέουσιν ἄρηκοσ* . . . vel *καλέουσιν ἄρηκος*[5]): etiam in scholio legitur *Ἄρηκος*; *καλέουσι Νάρηκος* Hoelzlinus emendasse fertur: quae emendatio valde probabilis est, quamquam illa difficultas obstat: sed erravit fortasse poeta atque rem confudit.

Sed de Istro quidem hactenus: in Hadriam per alteram huius fluvii partem fabulosam iam pervenimus. Quod mare quam ob rem Apollonius *Κρονίην ἅλα*[6]) vocet, scholiasta explicat verbis (ad IV, 327) *ἐνταῦθα γὰρ τὸν Κρόνον κατῳκηκέναι φασίν*; atque ad eandem rem fortasse etiam Aeschylus spectat, cum ex illius uxore hunc sinum Hadriaticum *κόλπον Ῥέας* appellat.[7]) Argonautae de Istri parte Hadriatica egressi primum ad insulas Brygeides duas Dianae sacras contendunt, quarum in una illius deae templum est, — ad quod Apsyrtus trucidatus est (IV, 329 sqq., 452 sqq.) — ad alteram ipsi appelluntur (IV, 332 sqq.): reliquas enim insulas omnes

μέσφα Σαλαγγῶνος[8]) *ποταμοῦ καὶ Νέστιδος αἴης*

---

1) V, 9. 2) p. 520.
3) Cfr. Berger, Die geogr. Fragm. d. Eratosth. p. 344 sq.
4) Arrian. per. 35. — Anon. per. 67 sq.
5) Cfr. Merkelii adnot. crit. p. 221.
6) IV, 327, 509, 546.
7) Prometh. 837 sqq.
8) Cfr. Lobeck, Patholog. serm. Gr. prolegomena Lips. 1843, p. 309.

Colchi iam occupaverant intercluserantque vias; quae contra Dianae insulas est oram continentis incolunt Brygi, e quibus illae ipsae quoque appellatae sunt *Βρυγηίδες* (IV, 330, 470). Quo fonte in his rebus poeta usus sit, nescimus: singula quidem contemplemur. Dianae insulas duas Apollonius intellexit eas quae vulgo ab antiquis appellabantur Apsyrtides:[1]) nam Colchos qui ibi consedisse feruntur, ex Apsyrto nomen accepisse dicit (IV, 481, 515); sitae illae sunt ante sinum Flanaticum, unde qua fere regione Apollonius Istri ostium Hadriaticum illud esse sibi finxerit, statuere potes. De Brygorum autem sedibus nescio an ille erraverit: Scymnus[2]) et Strabo[3]) quidem hanc gentem Epidamnum accoluisse produnt: videtur igitur poeta eius fines aliquantum ad septemtriones protulisse, nisi contendere mavis fuisse duas nationes, quibus idem illud nomen esset. Neque minor difficultas est de Salangone fluvio, qui plane ignotus est:[4]) Nestorum autem gens videtur ad Pharum insulam habitasse[5]); sed num ad hanc regionem spectaverit Apollonius, dubium est, cum IV, 561 sqq. etiam Liburnides insulas, ut Issam, Corcyram Nigram, Melitam, quae ultra illam ad meridiem vergunt, a Colchis occupatas esse dicat: concedo tamen Apollonium accuratam notionem de his regionibus vix cepisse. Praeter Nestidem regionem etiam Nestaeos commemorat (IV, 1213), qui ad Ceraunios montes habitasse dicuntur. — Apsyrto interfecto ab insula Dianae Argonautae ad insulam Electridem profugiunt (IV, 504 sqq): de qua deinceps, cum de Eridano, cuius ad ostium ea sita esse credebatur, dicam, pauca verba adiungam; Colchi autem postquam ducem necatum esse compererunt, fulguribus ne illis persequerentur deterriti in illis regionibus considere constituunt:[6]) una

---

[1]) Cfr. Mueller ad Scyl. 21. — Strab. 123, 315. — Scymn. 373 sqq. — Mel. II, 114. — Plin. III, 151. — Dionys. 487 sqq. — Steph. Byz. v. *Ἀψυρτίδες*.

[2]) 434 sqq.

[3]) 326 sq. cfr. Steph. Byz. v. *Βρύξ*. — Mueller ad Scymn. l. l.

[4]) Mitto enim Meinekii coniecturam ad Steph. Byz. v. *Σάλαγγος* (vid. eius edit. p. 550 adn.). — cfr. Mueller ad Scyl. 22.

[5]) Scyl. 23. cfr. Mueller ad. h. l. — schol. Ap. Rh. IV, 1215, ubi Nestaei nominantur.

[6]) IV, 507 sqq.; 520 sq. — cfr. Brehmer, Entdeck. im Alterthum, II, 406 sqq.

igitur pars ad Dianae insulas proficiscitur[1]), altera ad Enchelenses demigrat et ad Illyrici fluvii ripas, ubi Cadmi Harmoniaeque tumulus erat[2]), domicilia collocat (IV, 514 sqq.), tertia[3]) in Ceraniis montibus, quos ex ipso hoc tempore, quo illi fulminibus Iovis territi ac repulsi sunt, illo nomine vocatos esse poeta narrat, sedes deligit (v. 518 sqq.): quae in loca postea etiam Colchi demigrant, qui in insula Corcyra apud Phaeacas consederant (IV, 1209 sqq.): postquam enim haec insula a Corinthiis occupata est, illi primum in *περαίην νῆσον*, tum ad Ceraunios montes, regiones Abantum[4]) Nestaeorumque[5]) atque in oppidum Oricum[6]) transmigrasse produntur: quae plane eodem modo atque Apollonius Timaeus enarraverat.[7]) Argonautae, postquam vias reditus patefactas esse senserunt, rursus profecti ad Hyllenses[8]) perveniunt, a quibus liberaliter recipiuntur; haec gens ad Corcyraeas res pertinet: in Corcyra enim, ut supra vidimus, Hercules e Melita, Aegaei fluvii filia, Hyllum progenuisse dicebatur: hunc, cum adultus esset, Phaeacum coloniam ad sinus Hadriatici regiones deduxisse populumque Hyllensium ex ipso duce vocatum condidisse fabula erat (IV, 522 sqq.), quam etiam Scylax[9]) et Scymnus[10]), qui Eratosthenem et Timaeum de hac re exscripsit, produnt: atque factum aliquod ei subesse suspicor. Unde autem Apollonius illa hauserit, quae de tripode Hyllensibus, quod viam per insularum orae illi obtentarum turbam difficilem demonstraverant, ab Argonautis praemio dato atque

---

[1]) Cfr. Dionys. 488 sqq.

[2]) Cfr. de hoc populo cum Cadmi fabula coniuncto: Mueller ad Scyl. 25, ubi locos quoque omnes collectos invenies. — Berger, Eratosth. p. 357.

[3]) De hac re dubitationem existere posse concedo: verba *οἵ δ' ἐν ὀρέεσσιν* etc. (v. 518 sqq.) etiam ad Enchelenses referri possunt, quos nonnulli auctores ad Ceraunios montes habitasse produnt: cfr. Mueller ad Scyl. 25.

[4]) Cfr. Steph. Byz. v. *Ἀβαντίς*.

[5]) v. supra p. 89.

[6]) Cfr. Strab. 316. — Plin. III, 145: Oricum a Colchis conditum.

[7]) Schol. Ap. Rh. IV, 1216.

[8]) de situ cfr. Mueller ad Scylac. 22.

[9]) l. l.

[10]) 405 sqq. cfr. Steph. Byz. v. *Ὑλλεῖς*.

prope urbem Aganen[1]) defosso tradit, plane ignotum est. Mentores, item gentem Illyricam[2]), poeta non ita procul ab Hyllensibus, ut videtur, habitasse cogitavit: ab illis enim Hyllus, cum pro boum grege pugnaret, interfectus esse dicitur (IV, 548 sq.). Ab Hyllensibus degressi ad meridiem versus heroes contendunt atque insulas Liburnides praetervehuntur (IV, 560 sqq.), inter quas[3]) ab Apollonio nominantur hae septem: Issa, Dysceladus, Pityea, Corcyra Nigra, e silvarum colore appellata, Melite, Cerossus, Nymphaea, Calypsus nymphae sedes; notae sunt Issa, Corcyra Nigra, Melite[4]), quas poeta secundum situm ordinemque geographicum — Argonautae enim a septemtrione progredi finguntur — enumerat; Dysceladum Mela[5]) tantum commemorat; reliquae tres plane ignorantur: eam quam Apollonius Pityeam vocat proprie Pityussam nominatam esse a scholiasta[6]) cognoscimus: sine dubio similem ob causam nomen accepit atque Corcyra Nigra; Nymphaea vocata est e Calypso nympha, quam ibi habitasse, nimirum cum Corcyrae, quae Phaeacum sedes fuisse credebatur, situm atque narrationem eam quam Homerus de Ulixis navigatione ad eorum terram exhibet respicerent et inter se conferrent, antiqui ratiocinati videntur esse. Iam Ceraunios montes Argonautae conspiciunt, cum tempestate exorta ad insulam Electridem repelluntur atque in Eridanum fluvium deferuntur (IV, 573 sqq., 594 sqq.).

Sequitur Eridani Rhodanique descriptio:[7]) priusquam autem ad ipsam Apollonii narrationem considerandam transeo, antiquissima de illo fluvio testimonia exponam. Aliter enim atque de Istro flumine, cuius descriptionem certo auctori debere poetam

---

[1]) Cfr. Merkel. adnot. ad IV, 535.

[2]) Aristot. Mir. 111. — Plin. III, 119. — Steph. Byz. v. *Μέντορες*. cfr. Mueller ad Scyl. 21, ubi Mentorides insulae commemorantur.

[3]) Strab. p. 315 (*περὶ τετταράκοντα τὸν ἀριθμόν*).

[4]) Scyl. 23. — Scymn. 413 sq. — Plin. III, 152. — Mel. II, 114. — Ptol. II, 16, 14.

[5]) l. l.

[6]) ad IV, 564.

[7]) Cfr. Kiepert, Lehrb. d. alt. Geogr. p. 391 Anm. 2. — Mannert, Geogr. d. Gr. u. R. IX, 1, 61 sqq. — Brehmer, Entdeck. i. Alterthum II, p. 69 sq., 91 sqq., 105. — Forbiger, Handb. der alten Geogr. v. Europa p. 364.

scimus, unde ea quae de hoc tradit hauserit, plane ignoramus. Atque omnium primus Hesiodus Eridani mentionem facit[1]: sed nihil nisi nomen, cui vocabulum βαθυδίνης adiectum est, ex eo discimus.[2]) Deinde Aeschylus[3]) in Iberia, quo nomine ille non solum Hispaniam, sed etiam Galliae partes meridianas appellasse videtur[4]), Eridanum esse, eundemque appellari Rhodanum dixit. Tum Pherecydes[5]) ei qui postea Padus vocabatur fluvio Eridani nomen tribuit. Uberius Herodotus de eo agit: negat esse fluvium Eridani nomine appellatum, quem in mare septemtrionale influere et unde sucinum deportari fabula esset; atque ipsum nomen Eridani non esse barbarum, sed Graecum et a Graeco poeta fictum.[6]) Porro Euripides[7]) simili atque Apollonius modo Padum et Rhodanum in Hadriatico litore confluere atque, ut videtur, Eridani nomine vocatos[8]) una in Hadriam influere contendit. Denique Scylax[9]), ubi Enetos ad Hadriae angulum habitantes recenset, Eridanum commemorat. Venimus ad Apollonium: et primum quidem statuendum est secundum eius narrationem Eridanum in sinum Hadriaticum influere. Apsyrto enim in insula quadam huius sinus, ut supra exposuimus, interfecto Argonautae ad insulam Electridem prope Eridani ostium sitam (IV, 505 sq.) contendisse narrantur: dicit eam poeta ἀλλάων ὑπάτην i. e. omnium quae in illo sinu sitae sunt insularum ultimam et a ceteris longe remotam (IV, 508 sq.); inde Liburniae Dalmatiaeque oram et insulas praetervecti iam Cerauniis montibus heroes appropinquabant, cum tempestatibus subito exortis ad insulam Electridem relati sunt, unde ipsum Eridani cursum intraverunt (v. 593 sq.): qua e narratione patet Eridanum in

[1]) Theogon. 338.

[2]) Cfr. Mueller ad Scyl. 19, qui Welckeri opiniones (Aeschyl. Trilog. p. 568) refutavit.

[3]) ap. Plin. N. H. XXXVII, § 32 sqq. = fr. 73 N.

[4]) Cfr. Scyl. 3. — Scymn. 206 sqq.

[5]) Schol. German. Arat. 264. — Hyg. 154.

[6]) III, 115.

[7]) ap. Plin. XXXVII, 32 sqq.

[8]) Hippolyt. 735 sqq. — cfr. Nauck, Tragicor. fr.², p. 601.

[9]) 19. cfr. Mueller ad h. l. — De Eratosthenis sententia cfr. Berger, Die geogr. Fragm. d. Eratosth. p. 356 sq. — v. Scymn. 395 sqq. — Polyb. II, 16, 13. — Strab. 215. — Dionys. v. 288 sqq.

Hadriam influere cogitandum esse[1]) atque haec quidem ratio quadrat ad Pherecydis, Euripidis, Scylacis sententias. Minus ad geographiam spectant fabulae illae, quas de origine electri Apollonius prodit: quarum unam, quae est de Phaethonte et Heliadibus, poetae Graeci iamdudum fuse exposuerant[2]), alteram, qua Celtae sucina esse lacrimas Apollinis, quem illi sine dubio Solem deum intellegebant, tradidisse narrantur (IV, 609), postea demum ex ipsis barbaris illis electra vendentibus Graeci videntur comperisse[3]): nimirum autem ambae fabulae inter se propinquae sunt; mirum videtur, quod Apollonius Phaethontem non in fluvium ipsum, sed in lacum quendam, cuius aquae in illum emittuntur, demersum esse narrat (IV, 597, 606, 608, 621): atque naturam lacus, quam quidem poeta describat (v. 597 sqq.), Asphaltitae similis videtur, qui aeque atque ille „gravitate odoris accolis pestifer" suetas aquis volucres non patitur, ut Tacitus[4]) prodit. — Ex Eridano Argonautae in eam partem Rhodani fluvii perveniunt, quae ex hoc in illum influit (IV, 625 sq.): Rhodanus enim ex intima terrarum plaga,

. . . . ἵνα τ' εἰσὶ πύλαι καὶ ἑδέθλια Νυκτός[5]),

ortus, ubi per lacus quosdam, qui late per Celtarum fines porriguntur, fluit, duas partes emittit, quarum una in Eridanum influit, per quam heroes in illos lacus perveniunt; altera pars, ab Apollonio ἀπορρώξ vocata (IV, 635), in Oceani sinum effluit: quam Argonautae ex illis lacubus rursus egressi iam navigaturi sunt, cum a Iunone, quae in monte Hercynio (v. 638) apparet, revocantur: itaque proprium Rhodani alveum intrant, quo per Celtarum Ligurumque gentes ad mare deferuntur (v. 644 sqq.): dividitur igitus Rhodanus in tres partes (v. 629): una ad Oceanum defluit, altera postquam in Eridanum transiit eius alveo in Hadriam immittitur, tertia, quae re vera unicus Rhodani cursus est, in mare Sardinium sinumque ingentem, ut Apollonius dicit,

[1]) De Electridibus insulis cfr. Scyl. 21 (v. Mueller ad h. l.) — Scymn. 374. — Plin. III, 152. — Strab. 215.

[2]) Cfr. Welcker, Aeschyl. Trilogie p. 566 sqq.

[3]) Cfr. Welcker, ibid. p. 567. De Phaethontis fabulis cfr. Knaack, Quaest. Phaethonteae. Berlin 1886.

[4]) Hist. V, 6.

[5]) Quae verba quo spectent, accurate dicere non possum.

eum qui sinus Gallicus[1]) vocabatur, influit. Apollonius igitur Eridanum et Rhodanum ipsos fluvios diserte inter se discernit, qua in re ab Aeschylo graviter dissentit: sed tamen cursus eorum per alveum, qui e Rhodano in Eridanum transmittitur, rursus inter se coniungit: Euripides, ad quem solum Plinii[2]) verba spectare possunt, cum Apollonius longe aliam opinionem exponat, simpliciter „in Hadriatico litore confluere Rhodanum et Padum" dixerat. Eridani nomine ab Apollonio quoque Padum appellari ex iis quae supra exposui verisimile, ne dicam manifestum videatur; de Rhodani cursu recte fere ille sensit: recte enim narrat eum per Celtas et Ligures[3]) compluribus capitibus — quamquam de numero eorum, quem septem fuisse poeta tradit (IV, 632), dissensio est[4]) — in sinum maris, quod est ad Sardiniam, influere: sciebat igitur hos duos fluvios plane inter se diversos esse: attamen priorum, ut Aeschyli et Euripidis, sententias nimirum e nominum similitudine ortas, quibus fluvii illi aliquo modo inter se coniuncti esse habebantur, plane reiicere noluit, itaque per propriam Rhodani partem eos inter se copulavit: cui autem hanc rationem et viam poeta debeat, nisi forte ab ipso eam excogitatam esse statuere mavis, obscurum est. Nimirum ubi primum Padi et superioris Rhodani regiones accurate innotuerunt, etiam hanc opinionem falsam esse apparuit. Iam quaeritur, qua causa permotus Apollonius illam Rhodani ἀποῤῥῶγα, quae praeter Hercynium scopulum in Oceanum defluere dicitur, commemoraverit. Subesse videtur huic rei fama, quae de fluvio quodam e Rhodani vicinitate in Oceanum defluenti[5]) ad Graecos perlata erat: id quod potissimum ex Hercynii montis mentione patet, ad quam sine dubio Caesar spectat, cum Hercyniam silvam „Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam" fuisse dicit.[6]) Ea quoque quae de lacubus, per quos Rhodanus fluere fertur, poeta narrat, fama videntur accepta esse: pertinent

---

[1]) Kiepert, Atl. antiqu. t. X. [2]) XXXVII, 34.

[3]) Cfr. Scyl. 4.

[4]) Strab. 122, 183: Timaeus quinque, Artemidorus tres, Polybius duo ostia esse contenderat.

[5]) De Rheno scilicet: cfr. Berger, Geschichte der wissenschaftl. Erdkunde p. 21.

[6]) Bell. Gall. VI, 24. — cfr. Berger, Fragm. d. Erathosthenes p. 361

enim sine dubio ad eos Alpium lacus, per quos fluunt Rhodanus et Rhenus et illi fluvii, quos ei in se recipiunt. Denique moneam in tali trium fluviorum coniunctione, quae nobis absurda videtur, antiquos minime offendisse[1]: ab Apollonio quidem, ut supra vidimus, Phasis et Araxes simili atque Eridanus et Rhodanus modo inter se connectuntur, Ister secundum ipsorum geographorum doctrinas in duas partes dividitur: eadem fere rursus de Rhodano proferuntur: sunt autem, ut vidimus, priorum sententiae commutatae, correctae, ad ipsius Apollonii aetatem accommodatae.

E medio Rhodani ostio provecti Argonautae ad insulas Stoechades[2]) appelluntur, contra Galliae oram meridianam sitas. Quibus e causis poeta et auctor eius in his insulis heroes fuisse putaverint, incertum est: dicit (IV, 552) ibi *Ἀργῴης περιώσια σήματα νηός* exstare, atque fortasse e verbis (IV, 648):

. . . . *σόοι εἵνεκα κούρων*
Ζηνός· ὃ δὴ βωμοί τε καὶ ἱερὰ τοῖσι τέτυκται
ἔμπεδον· . . . .

coniiciat quis ibi fanum Castoris et Pollucis vetustissimum fuisse, quod ab Argonautis conditum esse fabula esset.[3]) Accuratius scimus, quae *σήματα*[4]), e quibus antiquis apparere videbatur heroes ibi versatos esse, Aethaliae, quam ad insulam a Stoechadibus pervenisse illi narrantur (IV, 652), exstiterint. Potissimum enim portus huius insulae, Argous appellatus[5]) fabulosi itineris memoriam referebat (IV, 656); praeterea ibi lapilli varii et mire guttati reperiebantur, qui ex eo colores recepisse dicebantur, quod Argonautae eis sudorem detersissent (v. 653 sqq.)[6]); atque

---

[1]) Cfr. Berger, l. l. p. 347 Anm., ubi exempla collecta sunt.

[2]) Strab. 184. — Mel. II, 124. — Plin. III, § 79. — Ptolem. II, 10, 21. — Steph. Byz. v. *Στοιχάδες* (*καλοῦνται δὲ καὶ Λιγυστίδες* cfr. Ap. Rh. IV, 551). cfr. tabulas geogr.

[3]) Cfr Diodor. IV, 56, 4.

[4]) Cfr. Diodor. IV, 56, 5: *ἐμφανῆ σημεῖα.*

[5]) Strab. 224. — Diodor. IV, 56, 5.

[6]) Strab. l. l. — Diod. l. l. — Aristot. De mir. auscult. 105. — Etiam L. Holstenius recentiore aetate hos lapides vidit: cfr. adnot. ad Ap. Rh. IV, 655 (in Shawii edit. II, p. 127).

etiam disci[1]) et panni ingentes, quos ab heroibus ibi relicti esse credebantur, videntur in insula asservati esse (v. 655).

Ex insula Aethalia Aeaeam (IV, 659), ad sedem Circae, Argonautae veniunt, unde Sirenum Planctarumque pericula subeunt (IV, 889 sqq., 920 sqq.); quibus superatis Thrinaciam praetervecti ad Phaeacum insulam contendunt (v. 991 sq.), a quibus liberaliter recipiuntur. Atque quoniam de his rebus in priore dissertationis parte egi, iam ad ultimas carminis partes considerandas transeo.

Corcyra Phaeacum insula relicta (IV, 1221), sinum Ambracium (v. 1226), Acarnaniam, Curetum terram (v. 1227), Echinades insulas illi orae obtentas (v. 1228) praetervecti[2]) heroes iam Peloponnesum (v. 1229) conspiciunt, cum boreae venti flatu vehementissimo in mare Libycum deferuntur, unde tandem in intima Syrtis loca repelluntur (v. 1233): ipsius quidem poetae verba sunt:

. . . μέχρις ἵκοντο
προπρὸ μάλ' ἔνδοθι Σύρτιν . . .

Atque cum duae et a nobis discernuntur et ab antiquis distinguebantur Syrtes, statim oritur quaestio, utram dicat poeta. Secundum ipsam narrationem quidem, qua Argonautae a Peloponnesi ora occidentali borea vento ad illam regionem delati esse produntur, maiorem Syrtim intellegendam esse veri simili est: haec enim ex illa regione ad ipsum meridiem spectat, cum altera ab occidente magis sit: attamen concedo hoc esse levissimum argumentum, propterea quod ad tales ratiocinationes geographicas poeta vix respexit. Et ne illi quidem versus, quibus natura Syrtis diserte describitur (IV, 1235 sqq.), ad hanc quaestionem diiudicandam valent: utraque enim Syrtis proditur esse deserta, arenosa, vadosa, aestus recessu malaciaque periculosissima, sicut Apollonius ipsam depingit.[3]) Fortasse autem ille consilio rem dilucide exponere noluit: reliqua quoque quae de Libya narrat satis obscura sunt. Ab illa enim Syrtis regione heroes navi humeris imposita duodecim dies

---

[1]) σόλοι (IV, 655): spectant fortasse ad ferri abundantiam, qua floruit Aethalia. — cfr. Diod. V, 13.

[2]) v. tabulas geographicas.

[3]) Cfr. Strab. p. 835 sq. — Plin. V, 26. — Mel. I, 35, 37. — Scyl. 110 (qui minorem esse periculosiorem dicit. — Dionys. 103 sqq. (aliter atque illi sentit: est autem minime audiendus).

noctesque per Libyae arenas profecti ad Tritonem lacum perveniunt (IV, 1382—1390), qui ostio angusto (v. 1574) cum mari coniunctus est; atque tales lacus videntur complures in ambarum Syrtium ora fuisse.[1]) Iam ubi Apollonius Tritonem lacum esse cogitaverit, ex ipsius verbis enucleare conemur. Atque primum quidem illum ab eo Syrtis loco, ad quem Argonautae appulsi sunt, satis longe abesse e pedestri illo itinere apparet: neque vero solum, utra Syrtis intellegenda sit, nescimus, sed etiam, quam ad caeli plagam illud iter spectaverit, poeta dicere omittit; ergo ad eam quam tractamus rem illustrandam ex illa quae est de itinere pedestri narratione nihil proficitur. Deinde prope illum lacum Tritonem esse dicitur hortus Hesperidum (IV, 1394, 1442), quem ipsum χώρῳ ἐν Ἄτλαντος situm esse poeta prodit (v. 1396): hanc Atlantis terram nescio an ad occidentales Africae tractus, ubi est mons Atlas, referenda sit, quamquam ipsa verba illa satis obscura sunt. Eodem spectare videtur Mopsi ad illum lacum sepulti (IV, 1530) tumulus: quem a Colchis tantum abesse Apollonius indicat, quantum occidens abest ab oriente (I, 84 sq.). Tum non procul a Tritone lacu habitasse videntur Garamas, Nasamo, Caphaurus heroes (IV, 1483 sqq): narratur enim Canthus Argonauta, cum Caphauri greges abducere conaretur, ab illo interfectus esse; intellegendi autem sine dubio sunt Garamas Nasamoque atavi gentium Garamantum[2]) et Nasamonum[3]), quarum haec maiorem Syrtim accolebat, illa mediterranea loca et quae magis ad meridiem versus spectabant, habitabat. Porro Triton deus, qui Argonautis opem ferens Euphemoque glebam illam donans inducitur (IV, 1549 sqq.), se Eurypylum regem esse simulat (v. 1559): is autem Cyrenae regnasse fertur[4]), quo etiam tota glebae fabula pertinet. Vidimus igitur harum rerum bre-

[1]) Strab. ll. ll.: cfr. de Tritone lacu: Pauly, Real-Encycl. v. Tritonis, Triton: ubi omnes locos collectos invenies. — P. Thrige, Res Cyrenensium. Hafniae 1828 p. 68 sq.

[2]) Herod. IV, 174, 183. — Plin. V, 26. — Strab. 835, 838. — Mel. I, 23. — Dinoys. 217. — Tac. Ann. III, 74; IV, 26. Hist. IV, 50. — Ptolem. IV, 6, 16.

[3]) Scyl. 109; cfr. Mueller ad h. l. — Strab. 131, 836. — Herod. II, 32, IV, 172. — Plin. V, 33. — Ptolem. IV, 5, 20 sq.

[4]) Schol. Ap. Rh. IV, 1561.

viter a poeta indicatarum aliam ad aliam regionem spectare. Neque magis ad rem examinandam valent Argous portus et *σήματα νηός* et arae Neptuni Tritonisque, quae ab ostio lacus, quo in mare emittitur, non longe abfuisse videantur (IV, 1618 sqq.)[1]: nam accuratius situs harum rerum definiri nequit. Denique exponit poeta oram maritimam ab illo emissario primum directo aliquantum ad orientem porrigi, — nam Argonautae Zephyri flatu eam *ἐπὶ δεξί' ἔχοντες* praetervehuntur (IV, 1621; cfr. v.1576 sqq.), — tum angulo effecto late instar *ἀγκῶνος* (v. 1580 sq., 1623 sq.) in mare prominere, unde illi noto secundo (v. 1625 sq.) adiuti Graeciam petunt: quae descriptio, cum tabulam geographicam inspicio[2], nescio an ad eam Libycae orae partem quadret, qua redditur sinus maioris Syrtis: nam certe ea, quippe quae satis dilucida sit, ad verum locorum situm spectat. Fortasse igitur Apollonius de Tritonis lacus situ idem sensit atque Callimachus[3]) qui eum citra minorem Syrtim — sine dubio ex Alexandriae, ubi vixit ille, regione dictum — esse contenderat. Atque omnino hic fusius de his regionibus videtur egisse: laudatur quidem a scholiasta, et ubi de Libycis deabus, quae Argonautis opitulantur (IV, 1307 sqq.), verba facit et ubi de Eurypylo rege tractat (schol. ad IV, 1322 et 1561)[4]: atque id minime mirum est in homine Cyrenaeo. Praeter eum a scholiasta commemorantur Agroetas[5]) Acesander[6]), Theochrestus[7]), qui item de Cyrenis scripserunt: sed quibus temporibus illi floruerint, plane ignotum est. E Pindari carmine illo ad Arcesilaum Cyrenaeum misso[8]) de geographia non multum discere potuit Apollonius,

---

1) Schol. Ap. Rh. IV, 1620.

2) v. Kiepert, Atl. ant. I. 3) Apud Plin. V, 28.

4) ad IV, 1322: ... *περὶ δὲ τῶν νυμφῶν μέμνηται Καλλίμαχος* ... ad IV, 1561: *μνημονεύει τοῦ Εὐρυπύλου καὶ Καλλίμαχος ... περὶ Κυρήνης ποιούμενος τὸν λόγον.* cfr. ad IV, 1552: ... *ἔστι δὲ παρὰ τοῖς γεγραφόσι τὰ περὶ Κυρήνης καὶ Λιβύης.*

5) Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 294 sq. fr. 2—4 (cfr. fr. 6) = schol. Ap. Rh. II, 498, IV, 1396, IV, 1492.

6) Cfr. id. ibid. IV, 285 sq., fr. 4—6. = schol. Ap. Rh. IV, 1561, II, 498, IV, 1750.

7) id. ib. II, 87 (schol. Ap. Rh. IV, 1750). cfr. Thrige, Res Cyrenensium. Hafniae 1828 p. 6 sq., 68 sq.

8) Pyth. IV.

quia ille de hac itineris parte antiquissimas sententias rationesque exhibuerat[1]), quae ad Apollonii aetatem iam aptae non erant.

Ab ora Libyae Carpathum profecti (IV, 1634) Argonautae Cretam petunt (v. 1635) ultra reliquas maris Aegaei insulas sitam, atque Talo interfecto in terram exeunt (v. 1687 sq.). Inde Salmonium promunturium[2]), quo haec insula latissime ad orientem vergit, circumvecti (v. 1691) per mare Creticum navigant[3]), dum Anaphen perveniunt (v. 1715), quae insula, e Sporadibus una (v. 1709), a verbo ἀναφαίνειν nomen recepisse fertur, quod Apollo eam e scopulis Melantiis in mari sitis (v. 1705)[4]) per nubilae noctis tenebras Argonautis monstrasset (v. 1704 sqq.). Erat in hac insula fanum Apollonis Aegletae[5]), quod illi heroes condidisse tradebantur, atque, cum festos dies huius dei incolae agebant, mos erat, ut viri et feminae inter se ludificarentur et cavillarentur (IV, 1725 sqq.): cuius moris origo item ab Argonautis repetebatur: atque etiam Callimachus[6]) hunc Apollinis Aegletae cultum bene novisse videtur: fortasse igitur ei Apollonius sua debuit. Prope Anaphen sita est Hippuris insula (IV, 1710), cuius, ut scholiasta adnotat, Timosthenes et Pythaenetus, qui de Aegina insula librum scripsit, mentionem fecerunt. Timosthenes[7]), qui περὶ λιμένων librum confecit, classi Ptolemaei Philadelphi regis praefuit: vixit igitur ante Apollonium; Pythaeneti aetatem vero plane ignoramus.[8]) Anaphe relicta heroes Aeginam contendunt atque in cursu Euphemus glebam a Tritone receptam in mare proiicit, e qua Calliste sive Thera insula oritur (IV, 1755 sqq.): quae fabula, quippe quae ad Cyrenen spectet, ab eis auctoribus, qui de hac urbe scripserunt,

---

1) Cfr. ib. 25 sq.

2) Cfr. Strab. 472 sq. — Mel. II, 112. — Plin. IV, 58. — Ptol. III, 17, 5: vulgo vocatur Samonium vel Sammonium.

3) v. Kiepert, Atl. ant. t. IV.

4) Strab. 636. — schol. Ap. Rh. IV, 1707.

5) Strab. 484. — Apollod. I, 9, 26. — cfr. Schneider, Callimach. II, 78 sq.

6) Apud Strab. 46, 484.

7) Cfr. E. A. Wagner, Die Erdbeschreibung des Timosthenes. Leipzig 1888. Diss. — Praeter hunc locum quinquies laudatur a schol. Ap. Rh. II, 297, 517, 526, 532; III, 847: ultimus locus tamen dubius est.

8) Cfr. C. O. Mueller, Aegineticorum liber. Berl. 1817 p. 30.

videtur uberius exposita esse, a Theochresto et Acesandro, de quibus modo diximus. Aeginae simili atque Anaphae modo incolae memoriam Argonautarum videntur retinuisse: mos enim erat, ut iuvenes, cum amphoras aqua repletas humeris portarent, certatim currerent, quod illos idem fecisse, cum aquarentur, fabula erat.[1]) Ab Aegina Cecropiam terram, Aulidem, alias Opuntiorum Locrorum urbes, dum ex altera parte Euboeam conspiciunt, praetervecti Argonautae tandem ad Pagasaeas actas redeunt (IV, 1776—1779). Iam ad finem itineris pervenimus.

Restat, ut singulos locos colligam, ubi Apolonius res ad geographiam pertinentes commemorat. Ut a Graecia incipiamus, Thessaliam poeta vocat Haemoniam, *Αἱμονίην* (II, 506, III, 1089, IV, 998, 1032)[2]), atque incolas eius *Αἱμονιῆας* (II, 509; IV, 1073); situm huius terrae diserte describit (III, 1084 sqq.): esse eam altis montibus circumclusam, sicut Herodotus[3]) quoque prodit, abundare gregibus pecudum, multas urbes in ea esse; fluvii commemorantur Peneus, cuius ab ripis Apollo Cyrenen nympham rapuit (II, 502 sqq.), Apidanus (II, 517), Amyrus, ad quem Lacerea, Coronidis patria, sita erat (IV, 614 sq.); Triccae[4]) natus erat Deimachus heros (II, 957), cuius filii Deileon, Autolycus, Phlogius Sinopen condiderunt.[5]) Prope Phthiam erat campus Athamantius, aeque atque Othrys mons, opimum gregibus pascuum.[6]) — A Thesalia ad meridiem vergebant Dryopes[7]) Oetam accolentes, e quibus Hercules Hylan Theodamantis filium rapuit (I, 1211 sqq.). — Thebae Ogygiae, quam urbem Amphion et Zethus olim aedificaverant (I, 736 sqq.), Cadmus draconem Aonium, Martii fontis custodem, interfecit (III, 1177 sqq.)[8]), cuius dentes Iason rursus Aeetae iussu apud Colchos sevit. — In Attica erat

---

[1]) Cfr. Apollod. I, 9, 26, 6.

[2]) Strab. 443 sq. — Steph. Byz. v. *Αἱμονία*. — schol. Ap. Rh. II, 504; III, 1090; IV. 1000.

[3]) VII, 129. — cfr. schol. Ap. Rh. III, 1085.

[4]) Strab. 327, 360, 374, 437 sq.

[5]) Cfr. supra p. 65.

[6]) II, 516 sq. cfr. schol. Ap. Rh. II, 513.

[7]) Strab. 321, 373, 434, 586. — Steph. Byz. v. *Δρυόπη* — schol. Ap. Rh. I, 1212.

[8]) Cfr. schol. ad h. l.

Ilissus fluvius eo nobilis, quod ab eius ripis Boreas Orithyiam abduxit (I, 215).[1]) — Ephyra, quo nomine Corinthus antiquissimis temporibus vocata esse dicitur, Bacchiadae colonos in Phaeacum terram mittunt (IV, 1210).[2]) — Arcades Apidanenses poeta iam illis temporibus fuisse tradit, quibus luna nondum erat (IV, 266): eos igitur esse omnium Graecorum antiquissimos: quae fabula ab auctoribus satis multis videtur tractata esse.[3]) In Arcadia erant Lampeae[4]) Erymanthique[5]) saltus (I, 127) et lacus Stymphalius[6]) ob Herculis labores clarissimi (II, 1055); Maenalus[7]) quoque mons feris plenus videtur fuisse (I, 168, 770). — Nunc ad insulas recensendas transeamus. Strophades[8]), antea Plotas dictas, a verbo *στρέφειν* nomen accepisse poeta narrat, propterea quod Boreadae, cum Harpyias persecuti essent, illinc reverterentur (II, 296 sq.): quam narratiunculam ex Antimacho, qui in Lyde de hac re dixerat, Apollonius hausit[9]); adnotat enim scholiasta ad II, 296: *Στροφάδας φησὶ κεκλῆσθαι διὰ τὸ τοὺς Βορεάδας αὐτόθεν ὑποστρέψαι στραφέντας εἰς τοὐπίσω, λαβὼν παρὰ Ἀντιμάχου* . . . et ad II, 297: *αἱ Πλωταὶ νῆσοι μετωνομάσθησαν Στροφάδες· μέμνηται αὐτῶν καὶ Ἀντίμαχος ἐν τῇ Λύδῃ*. — Saepissime commemoratur Creta, sedes Minois regis, e quo ipsa appellatur *Μινωίς* (II, 299) atque mare quod est ad eam *Μινώιον* (IV, 1562) atque omnino maris Aegaei insulae *Μινωίδες* (II, 518)[10]). Erat in Creta Dictaeum antrum in quo Iupiter nutriebatur (I, 509), et Anchiale nympha Dactylos Idaeos peperit (I, 1130); etiam *ἀχαιινέαι ἔλαφοι* (IV, 175), cervorum genus[11]), quod Romani vocabant „subulones", ad Cre-

---

[1]) Cfr. schol. ad h. l. — Cfr. Herod. VII, 189.

[2]) v. schol. Ap. Rh. IV, 1212.

[3]) Cfr. schol. Ap. Rh. IV, 264, ubi enumerantur Eudoxus, Theodorus, Aristias, Dionysius, Mnaseas, Aristoteles, Duris. cfr. Strab. 388.

[4]) Cfr. Strab. 341. — Paus. VIII, 24, 4. — Steph. Byz. v. *Λάμπεια*.

[5]) Cfr. Hom. ζ, 103. — Paus. l. l. — Apollod. II, 5, 4. — Steph. B. v. *Ἐρύμανθος*.

[6]) Cfr. Apollod. II, 5, 6. — Steph. Byz. v. *Στύμφαλος*. — Strab. pp. 371, 389.

[7]) Strab. 389. [8]) Id. p. 359. [9]) v. supra p. 28.

[10]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 516. — Strab. 472 sqq.

[11]) Cfr. schol. ad h. l. — Aristot. Hist. anim. 505a, 24 (*ἀχαΐνης ἔλαφος*). cfr. Bonitz, Index Aristot. p. 130 v. *ἀχαίνης*.

tam pertinent, cum ex Achaea urbe nominatae essent; in Amniso fluvio Cretico[1]) Diana lavari putabatur (III, 876, 881), sicut de Parthenio, ut vidimus (II, 940 sqq., III, 875), fabula eadem erat. — Teni (I, 1305 sqq.) in tumulo Calaidos et Zethae erant duae columnae, quarum una boreae venti flatu tacta resonabat.[2]) — Cei erat fanum Iovis Icmaei, quod ab Aristaeo heroe conditum esse narrabatur (II, 522 sqq.).[3]) — Sicinum, quae antea Oenoea vocata esse fertur, Thoas rex, cum Lemno fugeret, delatus est (I, 623 sqq.), cuius e filio Sicino illud nomen postea insulae inditum est.[4]) — Diae, quo nomine poetae Naxum appelare solent, nuptiae Bacchi et Ariadnae celebratae sunt (IV, 425 sqq.).[5]) — Nunc ad regiones remotiores progrediamur. In Pallene paeninsula erat campus Phlegraeus[6]), ubi dei cum Gigantibus decertasse dicebantur (III, 234, 1226). — In Ἀσίδος ἠπείροιο (II, 779) plagis fluit Pactolus fluvius cygnis canoris frequentissimus (IV, 1298 sqq.).[7]) — Latmi montis specus propter Lunae Endymionisque amores celeberrimus est (IV, 57).[8]) — Paulo uberius de Aegypto Apollonius dicit: quae terra ab eo vocatur Ἠερίη (IV, 270)[9]); inundatur a Tritone fluvio, quo nomine Nilus antea appellatus esse[10]) tradebatur (IV, 269), ἑπτάρροος dictus, quod septem capitibus in mare influit[11]); populus Aegyptiorum est omnium antiquissimus, ut Mosmes, Leo, Cnossus[12])

[1]) Steph. Byz. v. Ἀμνισός.

[2]) Cfr. schol. ad h. l.: fortasse ex Aenesidemi Teniacis (schol. Ap. Rh. I, 1300) Apollonius hanc narratiunculam sumpsit. De auctore illo cfr. Mueller, Hist. fr. IV, 286 sq.

[3]) Cfr. schol. ad h. l.

[4]) Cfr. schol. ad h. l.: e Cleone sumptum, cfr. Mueller, Hist. Gr. fr. IV, 515 v. supra p. 28.

[5]) Aliter Homerus rem narrat: λ, 325.

[6]) Schol. Ap. Rh. III, 234. — Scymn. 635 sqq. — Strab. p. 330, fr. 25, 27. — Steph. Byz. v. Φλέγρα.

[7]) Cfr. Callimach. Hymn. in Del. 250.

[8]) Cfr. schol. ad h. l.

[9]) Cfr. Hesych. v. Ἀερία. — Steph. Byz. v. Αἴγυπτος — Gell. 14, 6. — Eustath. ad Dionys. 239. — Steph. Thes. v. Ἠερίη.

[10]) Plin. V, 54. — schol. Ap. Rh. IV, 269.

[11]) Mel. I, 51.

[12]) Schol Ap. Rh. IV, 262: Mosmes et Cnossus plane ignoti sunt: cfr. Mueller, Hist. fr. III, 158 et IV, 369, qui „Cosmes“ et „Eudoxus“ coniecit; fortasse vernacula Aegyptiorum nomina in eis latent. —

auctores aliter atque Herodotus[1]), contenderant (IV, 259 sqq.). Ab Aegyptiis Colchorum originem ab antiquis repetitam esse supra demonstravi[2]) (IV, 272 sqq.). Ad Aegyptum pertinent etiam campus Nysëus et lacus Serbonis, cuius in aquas Typhaon demersus esse ferebatur (II, 1217 sq.)[3]), cum *Μυρτώσιον αἶπος,* quo Apollo Cyrenen nympham traduxit, in Cyrenaica regione sit (II, 507).[4]) Denique commemoro Apollonio morem esse, cum dei mentionem facit, interdum eius delubra nobilissima enumerandi[5]) vel ipsum e fano celeberrimo appellandi. Itaque Apollini sacra sunt Pytho (I, 308, 418, 536), Parnassus, quem Coryciae nymphae, Plisti filiae, habitant (II, 707 sqq.), Delus sive Ortygia (I, 308, 419, 537), Clarus (I, 308), Ismenus (I, 537) Xanthusque (I, 309)[6]) fluvii; ipse vocatur Lycoreus e vico Lycorea apud Delphos sito (IV, 1488) frequentare solet Hyperboreos (II, 677; IV, 612). Propter Neptuni templa incluta erant loca Isthmi, Taenari, Onchesti Hyantii, Calaureae, Geraesti, propter eius facta fons Lerne et rupes Haemonia[7]) (III, 1239 sqq.). Iunonis sedes est Samus insula, antea Parthenia nominata, quod illa, cum iam virgo esset, ibi educabatur (I, 187 sq.)[8]); atque ex ipsius insulae fluvio Imbraso appellatur Imbrasia (ib.), et e Thessalica Pelasgo Pelasgis (I, 14). Minervae e lacu Tritone et monte Itone sunt Tritonis et Itonis[9]) cognomina indita (I, 109, IV, 1309, I, 551). Venus in monte Eryce (IV, 915) colebatur, cum Vulcano marito Lemnus insula sacra esset (I, 850 sq., 859). Dionysus ex India reversus Thebis domicilium collocasse dicitur (II, 908):

Leo Pellaeus vixit Alexandri Magni temporibus: cfr. Mueller, ibid. II, 334.

[1]) II, 2.

[2]) Cfr. Reinganum, Geschichte der Erd- und Länderabbildungen der Alten. Jena 1839, p. 1 sqq.

[3]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 1211 et 1217. — cfr. Herod. III, 5. — Strab. 760, 763.

[4]) Cfr. schol. Ap. Rh. II, 505.

[5]) I, 307 sqq., 418 sq., 536 sqq.; III, 1239 sqq.

[6]) Cfr. II, 676.

[7]) Cfr. schol. ad Pind. Pyth. IV, 246.

[8]) v. supra p. 8.

[9]) Cfr. Wentzel, *Ἐπικλήσεις* sive de deorum cognominibus etc. Gotting. 1890, I, p. 8, II, p. 8, VII, p. 38 et 40.

sacrum est ei Aulium antrum ad Callichorum fluvium situm, ut supra vidimus. — Sed haec hactenus.

Quoniam ad finem propositi pervenimus, iam statuere possumus Apollonium in carmine suo, cum per totum fere terrarum orbem, qui quidem tum notus fuerit, per Graeciam Pontique oras, per Istrum Hadriamque, per Eridanum Rhodanumque, per Italiae Libyaeque litora nos circumducat, satis multas res geographicas exhibere: quas quibus e fontibus hauserit singulas, quamquam exquirere non potuimus, tamen nonnullorum auctorum vestigia indagavimus eosque ipsos fuisse locupletissimos vidimus, ut Deilochum, Nymphidem, Nymphodorum, Timagetum; atque ipsas eas res, quas unde Apollonius mutuatus sit scimus, ad geographicam notitiam augendam et illustrandam maxime valere percepimus, et ea quae de Cyzico Heracleaque traduntur, et barbararum gentium descriptiones, et quae de Istro exponuntur opiniones. Sed cetera quoque digna quae uberius tractarentur fuisse sentio: testimonio enim sunt in Apollonio geographiae scientiam fuisse satis magnam.

Addenda.

ad p. 49 sqq. cfr. *Διονυσίου Βυζαντίου ἀνάπλους Βοσπόρου,* Dionysii Byzantii de Bospori navigatione quae supersunt etc. ed. Wescher, Paris 1874, et quae de hoc libro disputavit Wieseler, Götting. gel. Anz. 1876 p. 321 sqq.

HUBERTUS SCHMIDT:

OBSERVATIONES ARCHAEOLOGICAE IN CARMINA HESIODEA.

CAROLO ROBERT

S.

In prooemio agitur: de novem Musis, de Promethei et Atlantis poenis in patera Cyrenaea pictis, de Atlantis et Noctis imaginibus in arca Cypseli expressis.

Deinde agitur:

1. De Prometheo et Pandora.
2. De Veneris ortu.
3. De caede Medusae.
4. De Typhoeo.
5. De Iovis ortu.
6. De ara Pergamena.
7. De Herculis cum Cycno pugna, quae in Scuto Herculis tradita est.

Ex Homeri et cycli epici qui vocatur carminibus cum pleraque antiquioris artis monumenta, ea scilicet, quae ad septimum et sextum saeculum recedunt, pendere paene omnes artis interpretes aut cognoverint aut concesserint, Hesiodea carmina quomodo ab artificibus Graecis illustrata sint adhuc nondum satis perquisitum est. Immo sunt, qui omnino ulla eorum vestigia in monumentis Graecis exstare prorsus negent, velut Brunnius in Actis Academiae Monacensis 1889 p. 73 sqq.

Primus Luckenbachius in dissertatione, qua quomodo vasculorum Graecorum picturae cum epico cyclo cohaereant docte et accurate disputavit,[1] de Hesiodo quoque nonnulla protulit, e quibus proficiscendum esse puto.

Agitur enim de Musis; Hesiodum primum novem Musas enumerasse eisque nomina dedisse omnibus notum est: theog. 76

ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι
Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε
Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνιά τ' Οὐρανίη τε
Καλλιόπη θ'· ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

Eadem fere nomina in cratere illo antiquissimo Attico, Clitiae et Ergotimi opere praeclaro, inveniuntur, in quo cum aliae minoris ordinis deae, velut Horae atque Moerae, tum Musae novem currus, quibus principes deorum ad Pelei et Thetidis nuptias vehuntur, ita comitantur, ut Calliope et Urania iuxta Iovem et Iunonem, Clio Euterpe Thalia Melpomene iuxta Neptunum atque Amphitriten, Stesichora Erato Polymnis iuxta Martem et Venerem procedant.[2]

[1]) Jahrb. f. class. Philol. Suppl. Bd. XI, 560.

[2]) Pro Terpsichora Stesichorae, pro Polymnia Polymnidis nomen vas exhibet, de qua discrepantia infra disseretur. Nuper delineatum est Wien. Vorlbl. 1888 tab. 2. Nomina adscripta sunt:

Quaerendum igitur est, utrum e religione aut cultu pictor Musarum numerum ac nomina noverit, an ex ipso Hesiodi carmine sumpserit, quod ut enucleemus, nonnulla de Musarum apud Graecos natura et cultu[1]) praemittere visum est.

Musae ex antiquissimis temporibus prope Olympum montem Thessaliae, praecipue Pimplae et Libethrae in urbibus ad Pierum montem sitis, colebantur, qua de causa *Ὀλυμπιάδες* et *Πιερίδες* appellantur. Unde Musarum cultum in Boeotiam ad Heliconem montem a Thracibus qui vocantur translatum esse Strabo X, p. 471 refert. Atque initio ad Heliconem, Sicyone, Delphis, aliis locis tres Musae colebantur.[2]) Quo autem tempore aut loco numerus novenarius Musarum coli coeptus sit, prorsus diiudicari nequit; nam quae Pausanias tradit a Piero Macedone novum cultum conditum esse, procul dubio posterioris aetatis commenta sunt, fortasse ab ipso Callipo, ad quem Pausanias provocat, excogitata.[3]) Quae quidem controversia ut iudicetur, antiquissima quae et in litteris et in monumentis de Musarum numero inveniuntur testimonia examinanda atque pensitanda mihi sunt.

Homerus nonnunquam Musas ita inducit, ut aut una aut complures commemorentur (Od. I, 1. 10; VIII, 63. 73. 488; Il. I, 604; II, 491; XI, 218; XIV, 508; XVI, 112). Neque vero nomina iis tribuuntur, neque ulla re ab aliis alia discernitur, quo magis est mirum Odysseae libri XXIV, 60 poetam novenarium numerum novisse. Item de novem Musis Hom. Hymn. Apoll. 11 (*μοῦσαι μὲν ϑ᾽ ἅμα πᾶσαι*) cogitari potest. Tum in arca Cypseli (Paus. V, 18, 4) Musae cum Apolline ita coniunctae erant, ut epigramma de choro Musarum loqui posset[4]) atque vel propter spatium

---

ΚΑ⁄ΙΟΓΕ, ΟΡΑΝΙΑ, Κ⁄ΕΙΟ, ΕΥΤΕΡΓΕ, ΘΑ⁄ΕΙΑ, ΜΕ⁄ΓΟΜΕΝΕ, ΣΤΕΣΙ+ΟΡΕ, ΕΡΑ(ΤΟ), ΓΟ⁄ΥΜΝΙΣ. Initio sexti saeculi vas factum esse probabile est.

[1]) Cf. Deiters, Ueber die Verehrung der Musen bei den Griechen. Bonn 1868. Preller-Plew, Griech. Myth. I 399.

[2]) Paus. IX, 29, 2. 3; Plut. symp. IX, 14, 4. 7; Diod. IV, 7; Plut. qu. conv. IX, 3; schol. Il. B 671; Serv. Verg. Bucol. VII, 21.

[3]) Vid. Kalkmanni sententiam (Pausan. der Perieget p. 258).

[4]) Paus. V, 18, 4: *πεποίηνται δὲ καὶ ᾄδουσαι Μοῦσαι καὶ Ἀπόλλων ἐξάρχων τῆς ᾠδῆς· καί σφισιν ἐπίγραμμα γέγραπται·*

Λατοΐδας οὗτος γά Ϝάναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων·
Μοῦσαι δ᾽ ἀμφ᾽ αὐτόν, χαρίεις χορός, αἷσι κατάρχει.

novem figuris opus esset; qua cum imagine scuti Herculis descriptio (v. 201)[1]) optime consentit.

Quae cum ita sint, forsitan quispiam dixerit non solum Odysseae libri XXIV, quippe quem posteriore aetate factum esse constet, et Hymmi Apollinis poetas, sed etiam arcae Cypseli artificem et qui scutum Herculis describeret novenarium Musarum numerum Hesiodo debuisse, cuius testimonio iam antiqui scriptores maximam tribuerint auctoritatem.[2])

Nihilo secius cum cogitari possit ex ipso cultu novenarium numerum profectum esse, Welckeri[3]) quem Deitersius (p. 24) sequitur sententia non prorsus reicienda est, qua novenarius numerus ita declaratur, ut simul cum chororum carminibus excolendis ternarius numerus Musarum auctus sit. Fortasse Delphis, ubi Apollo cum Musis coniungi coeptus est,[4]) Musarum cultus hoc modo amplificatus est, praesertim cum et in arca Cypseli et in scuto Herculis eodem modo Apollo cum Musarum choro cohaereat. Deinde etsi sexto saeculo exeunte tres Musas ab Hagelada, Canacho, Aristocle sculptas esse epigramma Antipatri[5]) docet, tamen in hoc nulla vestigia inveniuntur, quibus Heliconias Musas illis statuis expressas esse appareat. Immo cum Canachus et Aristocles Sicyonii, Hageladas Argivus sit, Sicyone, ubi tres Musas cultas esse Plutarchus (qu. symp. IX, 14) testatur, illas constitutas esse veri simillimum est.[6]) Tum mirum

[1]) Ἐν δ' ἦν ἀθανάτων ἱερὸς χορός· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
ἱμερόεν κιθάριζε Διὸς καὶ Λητόος υἱός
χρυσείῃ φόρμιγγι — — — — — — —
— — — — — — θεαὶ δ' ἐξῆρχον ἀοιδῆς
Μοῦσαι Πιερίδες λιγὺ μελπομένῃς εἰκυῖαι.

Cf. O. Bie, de Musarum imaginibus Berol. 1887 p. 7.

[2]) Vid. Deiters. l. l. p. 24.

[3]) Welcker, Gr. G. I 55.

[4]) De Musarum cultu Delphico Deiters p. 30.

[5]) Anall. II, p. 15, no. 35 = Anth. Pal. XVI, 220:
Τρίζυγες αἱ Μοῦσαι τᾷδ' ἕσταμεν· ἁ μία λώτους,
ἁ δὲ φέρει παλάμαις βάρβιτον, ἁ δὲ χέλυν.
ἁ μὲν Ἀριστοκλῆος ἔχει χέλυν, ἁ δ' Ἀγελάδα
βάρβιτον, ἁ Καναχᾶ δ' ὑμνοπόλους δόνακας·
Ἀλλ' ἁ μὲν κράντειρα τόνου πέλει, ἁ δὲ μελῳδός
χρώματος, ἁ δὲ σοφᾶς εὑρέτις ἁρμονίας.

[6]) Cf. Deiters p. 33; O. Bie p. 18.

esset Boeoticum poetam a cultu domestico, si tres Musae illa aetate ad Heliconem cultae essent, suo Marte discrepasse, ut potius novem quam tres tum fuisse Heliconias Musas ex Hesiodi testimonio concludere nobis liceat. E posteriore scilicet aetate certum exstat vestigium, unde appareat etiam in cultu Heliconio novenarium numerum sanctum et confirmatum fuisse; dico duos choros novem Musarum, quos a Cephisodoto eiusque sociis Strongylione Olympiosthene quinto saeculo exeunte vel ineunte quarto factos atque in Musarum sacro ad Heliconem sito collocatos esse Pausanias (IX, 30, 1) tradit. Paullatim igitur ad Heliconem ipsum pro vetustissimo ternario numero novem illae Musae videntur exstitisse, initio carentes certis nominibus, quae ab ipso Hesiodo inventa esse e sequentibus elucebit.

Nomina enim novem Musarum nisi ab Hesiodo aut ab iis poetis scriptoribusve, qui ex illo pendeant,[1]) tradita non sunt. Significatio eorum in universum ad omne genus gaudii atque voluptatis humanae spectat, ut suo arbitrio ipsum poetam novem Musis iam pridem cultis aut notis nomina tribuisse Deitersius p. 25 rectissime censere mihi videatur.

Haec cum ita sint, facere non poterimus, quin Clitiam pictorem ex Hesiodi Theogonia nomina Musarum hausisse putemus, praesertim cum vel in figurarum dispositione Hesiodi enumerationem accurate sequi videatur; nam quam poeta Musarum omnium praestantissimam vocat, Calliopam (*Καλλιόπη θ᾽· ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων*) pictor quoque non solum ceteris sororibus praeposuit, sed et faciei corporisque adversa positione et instrumento musico, syringe scilicit qua sola utitur, cum ceterae omnes instrumentis careant atque voce canentes repraesentatae sint, mirum in modum praecellere voluit. Secundum ab ea locum Urania tenet, quae in Hesiodi quoque catalogo proxime a Calliopa abest v. 78. 79:

Οὐρανίη τε
Καλλιόπη θ᾽· ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων;

praeterea Urania vel ipso nomine ad caelestium comitatum destinatur; itaque hae duae Musae Iovis et Iunonis currum sequuntur.[2])

---

[1]) Plat. Phaedr. p. 259.

[2]) Cf. Plat. Phaedr. l. l.: *τῇ δὲ πρεσβυτάτῃ Καλλιόπῃ καὶ τῇ μετ᾽ αὐτὴν Οὐρανίᾳ.*

Ceterae autem omnes eodem ordine in imagine se excipiunt, quo in carmine enumerantur, ita ut primae illae quattuor componantur, quae v. 77:

Κλειώ τ' Εὐτέρπη τε Θάλειά τε Μελπομένη τε

appellantur, deinde autem sequantur, quae v. 78:

Τερψιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνια — — —

reliquae sunt.

Haec cum casu quodam accidisse vix credibile sit, accurate Hesiodea nomina vel potius versus ipsos memoria pictorem tenuisse iudico. Quoniam autem pro Terpsichora et Polymnia, quae nomina codices exhibent, Stesichoram et Polymnida in pictura ponit, quaestio non supervacanea nobis oboritur, num memoriae lapsu Clitias a poeta abscesserit, an in libro vetustissimo hae nominum formae exstiterint; neque enim proprio Marte eum nomina commutasse credi potest.[1]) Atqui certa ratione quaestionem diiudicare difficile est. Id tantum dici potest versum

Στησιχόρη τ' Ἐρατώ τε Πολύμνις τ' Οὐρανίη τε

tradita lectione deteriorem non esse. At etiamsi Clitias versum in suo Hesiodi exemplo ita legisset, tamen ne tum quidem constaret, genuinas has esse nominum formas, quia iam antiquitus varias lectiones in Hesiodi exempla irrepsisse cogitari potest. Id autem optimo iure iudicare licet nullo modo has Clitiae lectiones ab Hesiodi editoribus neglegendas esse atque re vera cratera nobis antiquissimi Theogoniae codicis instar esse, quod Luckenbachius negat in sermonis consuetudine pro *Πολυμνία* facillime poni potuisse *Πολυμνίς* dicens. At *Στησιχόρη* pro *Τερψιχόρη* si dicitur, notio ac vis vocis prorsus alia fit. Sane paullatim Stesichorae nomen oblitteratum est. Plato enim cum Hesiodearum Musarum munera illustrat, Terpsichorae nomen in Hesiodi codicibus legit: Phaedr. p. 259 C. *Τερψιχόρᾳ οὖν τοὺς ἐν τοῖς χοροῖς τετιμηκότας αὐτὴν ἀπαγγέλλοντες ποιοῦσι προσφιλεστέρους.*

---

[1]) L. Schmidtius *Πολυμνίς* scribere voluit; contradicit Luckenbachius. O. Bie l. l. p. 7 pictorem ne ordinem quidem Hesiodi servare studuisse censet, quod Trendelenburgius (Der Musenchor. Winckelmannsprogr. Berol. 1876 p. 11) recte statuit.

Posteriore autem aetate quoniam plane promiscue Musarum nomina et insignia ex arbitrio unius cuiusque artificis adhiberi O. Bie in dissertatione sua p. 13 sqq. satis idoneis exemplis demonstravit, Hesiodea nomina illis tribuere nulla ratione comprobatur. Nam quamquam duo exstant exempla, quae novem Musas certe nobis praebent,[1]) novenario numero solo non confirmatur Hesiodi enumerationem artifices secutos esse.

E vulgari igitur opinione cultu Musarum confirmata hauserunt.

Similiter ac de Musarum nominibus res se habet in Promethei fabula, cuius rei exemplum praeclarum praebet phiala nigris figuris ornata, Caere in oppido Etrusco eruta,[2]) quam Cyrenis fabricatam esse hodie omnes concedunt.[3]) In hac con-

[1]) Huc pertinet amphora Monacensis 805 (Él. céram. II, 86. Arch. Ztg. 1860 tab. 139. 140) rubris figuris exornata, in qua cum aliae et heroicae et communis vitae res, tum novem Musae variis instrumentis musicis praeditis, velut cithara, lyra, trigono, cistis, notis musicis evolutis, apparent.

Deinde commemorandum est Praxitelis anaglyphum in Latonae simulacri basi factum atque Mantineae erutum (Fougères, Bullet. de corr. héll. 1888 p. 105, pl. 1. 2. 3. Overbeck, Sitzber. d. sächs. Ges. 1888 p. 284. Kunstmyth. III 457). In verbis Pausaniae (VIII, 9, 1: *πεποιημένα ἐστὶν ἐπὶ τῷ βάθρῳ Μοῦσα καὶ Μαρσύας αὐλῶν*) lectionem *Μοῦσα*, quam Fougeresius coniectura *Μοῦσαι* emendare conatus est, tenendam et artis cuidam interpreti tribuendam esse ipsa anaglypha docent. Tria enim exstant, quorum singula ternas figuras exhibent. In antico et primario latere certamen Apollinis et Marsyae repraesentabatur: Apollo, longa tunica cincta et pallio circumvoluto vestitus, sinistra manu phorminga tenens, dextra pallii laciniam suscipiens dextrorsus in saxo sedet; Marsyas in dextro latere tibiis Phrygiis canit; in medio scytha cultellum tenens apparet, qui Marsyam certamine victum et a deo ad supplicium datum magnis cruciatibus vexaturus sit. In ceteris duobus anaglyphis ternae Musae expressae sunt, ut quartum ubi reliquae tres Musae repraesentandae erant latus interisse apertum sit. Instructae autem sunt variis instrumentis musicis atque signis ad artem musicam pertinentibus. *Μοῦσαι* scilicet quamquam in anaglyphis exstabant, tamen Apollinem longa tunica indutum atque in saxo sedentem, quem praeter ceteras omnes figuras spectantibus ante oculos versari opus est, esse unam e Musis Pausanias vel eius auctor putavit ceteris baseos lateribus neglectis.

[2]) Gerhard, A. V. B. II, 86. Mueller-Wieseler, D. A. K. II 64 no. 825. Baumeister, Denkm. d. kl. Altt. III 1411 fig. 1567.

[3]) Studniczka Kyrene p. 1 sqq.

spicimus virum imberbem, manibus et pedibus ad columnam Doricam, cui avis quaedam, fortasse gallus, imposita est, a tergo vinctum; eius in gremio aquila sedet iecurque lacerat. Contra hunc virum, cuius dolorem labella compressa et oculi praeminentes optime exprimunt, alter vir barbatus adstat, qui magnam molem, quae saxi figuram habet, sed certe caelum repraesentat, summa omnium virium contentione humeris portat. In sinistra imaginis parte ad spatium explendum serpens delineatus est. Sine dubio Promethei et Atlantis poenae[1]) repraesentantur, quas eodem modo etiam Hesiodus, ubi de Iapeti genere agit,[2]) his versibus componit Theog. 517—525:

Ἄτλας οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης
πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων,
ἑστηὼς κεφαλῇ τε καὶ ἀκαμάτεσσι χείρεσσι.
ταύτην γάρ οἱ μοῖραν ἐδάσσατο μητιέτα Ζεύς.
δῆσε δ' ἀλυκτοπέδησι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.
καί οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον· αὐτὰρ ὅ γ' ἧπαρ
ἤσθιεν ἀθάνατον, τὸ δ' ἀέξετο ἶσον ἁπάντῃ
νυκτός, ὅσον πρόπαν ἦμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄρνις.

Vides consensum talem esse, ut phialae Cyrenaicae imaginem ad versus illos illustrandos compositam esse summo iure contendere possis. Nam Atlas et Prometheus nisi ab Hesiodo et qui eum imitatus est Aeschylo in Promethei vincti versibus 395 s. 425 nusquam coniunguntur. Neque certe initio coniuncti sunt, cum alter in Othrye monte, alter in Peloponneso patriam habeat, uti M. Mayerus recte exposuit in libro de Gigantibus

---

[1]) Promethei vicinum hic esse Atlantem primus Welckerus A. D. III 192 dixit, quamquam alii ad Sisyphi fabulam imaginem rettulerunt, velut Capranesius (Bullet. d. J. 1835 p. 41), Gerhardius (A. V. B. II p. 20), Murrayus (Rev. arch. 1878 p. 201). Sisyphi poena prorsus aliter repraesentari solebat; vid. Inghirami vas. fitt. II, 135, Polygnoti Necyiam, alia.

Non recte Studniczka (Kyrene 120) in hac phiala de Arcade Atlante (cf. M. Mayer, Giganten und Titanen p. 87) cogitat. Nam non ex traditione populari, sed ex Hesiodi carmine artificem hausisse supra demonstravi; si Prometheum certe ex Hesiodo sumpsit, de Atlante idem statuendum est.

[2]) Copiosius de tota Hesiodi narratione infra disseretur.

scripto p. 87. Accedit, quod regiones, in quibus uterque poenas solvit, quam diversissimae sunt; Atlas in finibus terrae prope Hesperidum hortos caelum portat, Prometheus, si Hesiodum sequeris, in ipsa Graecia, si Aeschylum, in Caucaso cruciatur; atque ipse Aeschylus Atlanta a Prometheo longo spatio divisum esse indicat. Summi vero momenti est, quod Promethei poena a pictore ita est repraesentata, ut poeta illis versibus significat, qua de re infra plus proferam. Itaque soli Hesiodi versus artificem Cyrenaeum, ut imaginem in phiala componeret, commovere potuerunt, quod iam Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 227) recte iudicavit.

Denique arcae Cypseli artifici Theogoniam Hesiodeam notam fuisse vel versus ille Atlantis figurae adscriptus docet (Paus. V, 18, 4)

Ἄτλας οὐρανὸν οὗτος ἔχει, τὰ δὲ μᾶλα μεθήσει,

quem ad Hesiodi exemplum (Theog. 523)

Ἄτλας οὐρανὸν εὐρὺν ἔχει κρατερῆς ὑπ᾽ ἀνάγκης

factum esse Robertus v. d. dicit (Hermes XXIII 440, not. 3).

Huc accedit Nox una cum Somno et Morte filiis, quorum illum album, hunc nigrum bracchiis matris sublevatos in latere sinistro arcae locum habere voluit (Paus. V, 18, 1). Nam quamquam Somnus et Mors fratres iam Homero ubi de Sarpedonis morte agit noti sunt, Noctem matrem horum geminorum certe Hesiodus demum in genealogiarum ordine excogitavit.

Artifices igitur Atticos Cyrenaicos Corinthios VII. et VI. saec. Hesiodi Theogoniam legisse atque in imaginibus componendis consuluisse certis exemplis evicimus.

Itaque operae pretium est quaecunque Hesiodi exstant carmina ita perquirere, ut omnes fabulae quae in iis vel diserte narratae vel obiter commemoratae sunt cum monumentis superstitibus quae easdem res praebent comparentur. Qua in re ita procedam, ut primum de Theogonia et Operibus, deinde de Cycni fabula in Scuto Herculis enarrata agam.

Ex iis quae Theogoniae et Operibus propriae sunt fabulis eae eligendae esse mihi videntur, quae sunt de Prometheo et Pandora, de Veneris ortu, de caede Medusae, de Typhoeo, de Iovis ortu; accedet quaestio de nonnullis deis deabusque, qui in ara Pergamena cum gigantibus pug ant.

1. De Prometheo et Pandora.

Promethei et Pandorae fabulae, quamquam initio nulla inter eas intercessit ratio, tamen in Theogonia (v. 507 sqq.) et in Operibus (v. 47 sqq.) arte coniunctae sunt, quam ob rem etiam hoc loco simul cum Prometheo Pandoram tractare posse mihi videor. Neque enim genuinas et vulgares fabulas cognoscere nobis propositum est, sed duas illas narrationes accurate comparare, ut perspiciamus, utrum easdem an diversas fabulae formas praebeant.[1])

In Theogonia principiis omnium rerum eorumque prole vv. 116—122—132 tractatis Terrae et Urani conubium singulique eorum liberi, qui vocantur Titanes,[2]) Coeus Crius Hyperion Iapetus Theia Rheia Themis Mnemosyne Phoebe Tethys Cronus, vv. 133—138 commemorantur. Quorum stirpes cum singulatim vv. 337 sqq. post Ponti liberos tractavisset, poeta ad Iapeti et Clymenae gentem (v. 507) pervenit, quorum liberi sunt Atlas Menoetius Prometheus Epimetheus. Quod de unoquoque memoria dignum est, narrat, non quo novi quidquam de illis referre in animo habeat, sed ut paucissimis verbis Iapetidum fatum attingat: de Epimetheo vv. 512—514, de Menoetio vv. 514—516, de Atlante vv. 517—520, de Prometheo vv. 521—531. Initio autem alia fabula in alia regione orta vel collocata erat, Promethei in Othrye monte, Atlantis in Arcadia, Menoetius vero Plutonis pastor est (Preller-Plew II 212, 1. 223) atque Epimethei figura ad Promethei exemplum a poeta quodam ficta esse videtur. Itaque brevissimam hanc narratiunculam non ipse Hesiodus procreavit, sed ab alio quodam poeta mutuatus est, a quo accuratius ac planius eaedem res tractatae erant.[3])

De Promethei fabula versibus, quos commemoravi, nihil aliud narratur, nisi quomodo Prometheus a Iove punitus atque ab Hercule liberatus sit. Qua re non contentus poeta, quoniam Promethei fabula optima praecepta atque sententias utilissimas

---

[1]) De Promethei fabula Schoemannus (opusc. acad. II 264), Preller-Robert (Gr. M. I 94), Maximilianus Mayer (Giganten und Titanen 86) satis mihi dixisse videntur, ut eam accuratius tractare supersedeam.

[2]) Cf. A. Meyer, De compos. Theog. Hes. Diss. Inaug. Berol. 1887 p. 20 sqq.

[3]) Vid. Schoemannum Hes. Theog. 208.

ei videtur praebere, etiam causam poenae vv. 535 sqq. addit ex eodem fonte sumptam. Contra versus 532—534 nulla alia de causa compositi sunt, nisi ut causam rei cum re ipsa coniungant. Quid autem omnino poeta voluerit, optime apparet e versibus 613—616: Iovis enim, potentissimi dei, imperium exemplo Promethei celebrare vult.

Prorsus alia est ratio poetae in Operibus. Eam quidem partem, in qua de Prometheo et Pandora agitur vv. 47—105, non esse genuinam, sed a consarcinatore antiquissimo additam paene inter omnes constat. Atque profecto sententias melius inter versus 46 atque 109 sqq. connexas esse puto quam inter 46 et 47.

Sed in Operibus Promethei et Pandorae fabula non Iovis celebrandi causa additur, sed ut apertum sit, unde omnia mala inter homines venerint. Nam antecedentibus versibus homines a principio omnibus miseriis atque calamitatibus caruisse, nunc maximis difficultatibus opprimi — nam v. 42 *κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι* — breviter exponitur.

Quod ad singulas res attinet, de fraude atque poena Promethei aut de Herculis auxilio omnino non est sermo, sed breviter attingitur causa v. 48: *ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης*. Hac enim de causa Iupiter ignem hominibus non dat[1]), sed Prometheus ignem surreptum apportat. Quo

---

[1]) v. 47: *ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε* . . . . .
v. 50: *κρύψε δὲ πῦρ* . . . . .
Hoc nihil aliud significat ac theog. 563 *οὐκ ἐδίδου*; atque voce *κρύπτειν* poeta Operum utitur, quod supra v. 42 verba exstant: *κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι.* Tamen Schoemannus l. l. p. 279 sic statuit: „usu quidem ignis homines ante non caruisse, ipsum tamen ignem in potestate non habuisse, sed hanc penes deos solos fuisse. Nempe in illo convictu et communione vitae, quae olim fuerat, homines ipsos ignem habere non opus erat, si quidem omnia, quae sine igne confici nequeant, a diis accipiebant." — Si hominibus ignem habere non licebat, usu eius certe carebant; aut si penes deos solos ignis erat, homines omnino non poterant eo uti. Dilucide Theogoniae poeta rem significat v. 563: *οὐκ ἐδίδου μελίοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο θνητοῖς ἀνθρώποις, οἳ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσι.* Novum igitur atque ignotum hominibus Prometheus ignem detulit, quam ob rem ipsam *ὁ πυρφόρος θεός* appellatur (Soph. Oed. Col. 56) atque in academia Atheniensi simul cum Hephaesto colebatur.

furto iratus Iupiter maximum malum creat: mulierem vv. 60 sqq. Eandem autem poenam Theogoniae poeta novit vv. 570 sqq.

Quaeritur igitur, quid intersit inter Theogoniae et Operum mulieres.

In Operibus mulier a Mercurio ad Epimetheum ducitur atque Prometheo valde dissuadente ab illo accipitur; domi autem eius magnum illud dolium[1]), quo omnia mala abscondita erant, reclusit, ut illa inter homines, qui usque ad illud tempus felicissimi erant, immiscerentur praeter spem, quae sola intus remansit.

Contra in Theogonia (v. 585) mulier in contionem deorum atque hominum ducitur, quam eandem esse ac v. 535 veri est simillimum. Sed v. 589 narratio subito subsistit neque comperimus, quid faciant dei muliere.

Schoemannus igitur mulierem in Theogonia omnino primam atque omnibus hominibus datam esse, ita ut ceterae omnes

De interpretatione versuum 47—50 Steitzius et βίον (v. 47) et πῦρ (v. 50) Iovem occultasse dicit. Rectius Schoemannus (Hes. rel. 19), quem Hillerus (Jahrb. f. class. Phil. 1870 p. 311) sequitur: „apparet poetae nihil admodum interesse visum esse, hocine (κρύψε δὲ πῦρ), an illud (ἔκρυψε βίον) diceretur, sed eodem utrumque redire, propterea scilicet, quod igne subducto necesse fuerit omnem hominum vitam miseram et laboriosam fieri.“ Sane. Sed quoniam vv. 47 sqq. postea additi sunt, equidem locum hoc modo interpretari malim: propter fraudem Promethei (v. 48) Iupiter non victum simul et ignem occultat, sed ignem solum; ad ἔκρυψε verbum (v. 47) sine dubio pertinet πῦρ accusativus, non supplendus, sed ita coniungendus, ut post parenthesin (v. 49 τοὔνεκ' ἄρ' ἀνθρώποισι ἐμήσατο κήδεα λυγρά) repetatur ἔκρυψε cum accusativo πῦρ. Scilicet vv. 47. 48 non esse secernendos a versibus 49. 50 contendo contra Kirchhoffium (Hesiod's Mahnlieder an Perses 1889 p. 40. 44). Qui vir doctissimus vv. 49—197 a versibus 11—48 secernit: hos esse carmen primum per se solum intellegendum, illos postea additos. Et recte quidem. At vv. 47 et 48 melius cum antecedentibus quam cum sequentibus non cohaerent; nam supra v. 42 omnes deos (θεοί) victum occultasse poeta dicit, v. 47 nominat Iovem solum. Ad quem finem? Quid enim occultavit? βίον? Male hoc repetitum esset. Immo vero πῦρ occultat. Fabulae diversae sunt.

[1]) Ubi hoc dolium fuerit atque unde venerit, poeta omisit dicere, quasi malorum dolium tum omnibus notum esset; cf. Schoem. l. l. p. 281 sq.

ὅτι πάντες Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες
δῶρον ἐδώρησαν πῆμ' ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν.

At ut Anesidora, ita Pandora non passivam, sed activam vim habet atque eam, quae hominibus quaecumque eis opus sunt dat, i. e. naturam vel terram significat. Comparari potest nomen *Πολυδώρα*. Ipse igitur Operum poeta Hesiodeam primam mulierem, quae a deis creata est, cum Pandora, quae ad terram spectat, coniunxit. Eadem causa esse mihi videtur, cur vv. 69—82 plures deos atque deas primam mulierem ornantes quam antecedentibus versibus enumeraverit. Quoniam autem ad suam etymologiam poeta ipse v. 85 (*δῶρον ἄγοντα*) atque v. 86 (*μήποτε δῶρον δέξασθαι*) alludit, neque Schoellium neque Lehrsium neque Kirchhoffium de versibus 81—89 recte iudicare elucet.

Discrepantias igitur, quas supra commemoravi, non interpolatori cuidam, sed compilatori Operum mediocri ipsi opprobrio esse censeo, quod iam Schoemannus l. l., Hillerus (Jahrb. f. class. Phil. 1870 p. 312), Bergkius (Gr. Litg. I, 949) dixerunt.

Ad Pandorae nomen accedit magnum illud dolium, quo omnia mala abscondita erant.[1]) Nam quoniam in Theogonia mulier prima ipsa hominibus malo, in Operibus causa omnium malorum est, quaerendum est, qua ex re haec dissensio declarari possit. Dolia bonorum et malorum in Iovis aedibus inveniuntur in Iliade Ω 525—533.

ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν
ζώειν ἀχνυμένοις· αὐτοὶ δὲ τ' ἀκηδέες εἰσίν.
δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων·
ᾧ μέν κ' ἀμμίξας δοίη Ζεὺς τερπικέραυνος,
ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅ γε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.
ᾧ δέ κε τῶν λυγρῶν δοίη, λωβητὸν ἔθηκεν·
καί ἑ κακὴ βούβρωστις ἐπὶ χθόνα δῖαν ἐλαύνει,
φοιτᾷ δ' οὔτε θεοῖσι τετιμένος οὔτε βροτοῖσιν.

Cum his comparari potest Aeoli follis, (Od. κ 19 sqq.), quo mali venti retinebantur. Ex his igitur fabulis dolium malorum compilatorem Operum excogitasse veri est simile.

[1]) Cf. Philodem. *περὶ εὐσεβείας* 130 p. 51 Gomperz. et Babrium f. 58, qui varias fuisse de dolio fabulas docent.

Cetera autem omnia ex Hesiodi Theogonia eum sumpsisse vel inde apparet, quod quamquam dolio malorum a prima muliere aperto homines omnibus miseriis et calamitatibus obrutos esse cogitat, tamen in Operibus verba exstant, quibus ipsa mulier malum significetur, velut v. 57:

τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακόν, ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες,

vel v. 87:

ἀλλ' ἀποπέμπειν
ἐξοπίσω, μή πού τι κακὸν θνητοῖσι γένηται.
αὐτὰρ ὃ δεξάμενος, ὅτε δὴ κακὸν εἶχ', ἐνόησε.

Atque eadem re declaratur, quod Theogoniae et Operibus multi versus multaque verba communia sunt, si conferas Theog. 565 et Opp. 48. 50, Theog. 566 et Opp. 51, Theog. 558 et Opp. 53, Theog. 571 et Opp. 70, Theog. 572. 573 et Opp. 71 et 72, Theog. 589 et Opp. 83, Theog. 613 et Opp. 105.

Nunc ad monumenta transeamus, quae singulatim tractare expedit.

a) de Prometheo.

Non omnia quae ad Promethei fabulam pertinent monumenta numerare et illustrare, sed ea tantummodo eligere in animo habeo, quae ad antiquiorem aetatem, i. e. ad septimum vel sextum saeculum referenda sunt; pertinent autem ad poenam Promethei.

Qua in re duae fabulae formae distinguendae sunt: Hesiodea, quam modo cognovimus, et Aeschylea in tragoedia, quae inscribitur *Προμηθεὺς δεσμώτης*, tradita. Apud Hesiodum Prometheum ad columnam, apud Aeschylum ad Caucasum montem vinctum invenimus; utramque autem fabulae formam etiam artifices secuti sunt.

Antiquissimum quod cum Aeschylo consentiat exemplum est scarabeus a Furtwaenglero (Arch. Ztg. 1885 p. 223) editus, ubi Vulcanum ad Caucasum eodem quo Aeschylus vult modo Prometheum catenis ferreis alligantem videmus. Hanc Aeschyli tragoediam inde a quinto saeculo, cuius ad finem scarabeus referendus est, artifices sequi coeperunt.

Cetera monumenta antiquiora omnia in duas classes dividi possunt, quarum prior solum Prometheum vinctum, posterior et

Promethei poenam et Herculis auxilium ostendit. Quae singula, cum de interpretatione magna sit inter viros doctos controversia, in ipso textu enumeranda atque accurate describenda esse mihi videntur.

A. De monumentis, quae Prometheum vinctum solum exhibent.

1. phiala Caeretana, nigris figuris ornata, Cyrenis fabricata [1]), de qua iam supra p. 114 sq. locuti sumus.
2. gemma Cretica. Brit. Mus. 79.[2])

   Pr. barbatus, humi sedens in dextrum, utraque manu post tergum posita vinctus est. Columna aut simile quid non cernitur; a dextro latere aquila Iovis advolat.[3])
3. anaglyphi aenei fragmentum Olympiae repertum.[4])

   Videmus virum nudum, humi sedentem, manus a tergo tenentem; superior corporis pars mutilata est. Tota eius positio Prometheo eius gemmae, quam modo descripsi, tam similis est, ut facillime ad eandem fabulam adducamur.[5])

---

[1]) Gerhard A. V. B. II, 86. Mus. Greg. II, 67, 3. Mueller-Wieseler II, 64 no. 825. Guigniaut nouv. gal. myth. 158. Daremberg et Saglio Dict. des ant. I 527 fig. 616. Baumeister, Denkm. d. klass. Altert. III 1411 fig. 1567. Cf. Bullet. d. I. 1835 p. 41. Welcker A. D. III 192. Loeschcke Dorp. Progr. 1879 p. 12 not. 12. Puchstein. Arch. Ztg. 1881 p. 217 no. 2.

[2]) Milchhoefer Anf. d. K. p. 89 no. 58. Rev. arch. 1878 tab. 20, 1. Wien. Vorlbl. Ser. D tab. 9, 5.

[3]) Gemma ad classem earum pertinet, quae vocantur „Inselsteine". Neque vero tam vetusta est, sed secundum Furtwaenglerum propter stilum non ultra sextum ante Chr. saeculum referenda.

[4]) Milchhoefer, Anf. d. K. p. 185 fig. 68 = Wien. Vorlbl. Ser. D. tab. 9, 4. = Ausgrab. v. Olympia IV tab. 25 p. 18 no. 3. Cf. Curtium Arch. Broncerel. p. 14.

[5]) Furtwaenglerus (Broncef. aus Olymp. p. 95) propter magnam corporis formam de gigante quodam cogitat, fortasse de Alcyoneo, quem dormientem Hercules aggrediatur. Huic interpretationi imprimis spatii inopia obstat: Herculi aggredienti spatium non patet. Contra fieri potest, ut eodem modo, quo in gemma illa Cretica, a dextro latere aquila advolet; atque re vera duae vel tres lineae in dextro fragmenti margine apparent, quae videntur ad alas aquilae spectare.

B. De monumentis, quae Promethei poenam et Herculis auxilium simul repraesentant.

1. amphora nigrarum figurarum in sepulcro Etrusco apud vicum, qui la Tolfa vocatur, reperto.[1])

In media pictura Prometheus barbatus, sinistrorsus altero genu nititur dextra manu sublevata, sinistra demissa.

Cum hoc fragmento aliae quaedam partes ibidem repertae coniungendae sunt (Ausgr. v. O. l. l. no. 4), ubi Hercules cum maris sene pugnat; inscriptiones adscriptae propter lambdae formam ad Argos spectant; vid. Kirchhoffium Studien [4] p. 97.

Cetera omnia monumenta ab aliis huc relata excludenda esse puto:

1. imago, quae interiorem phialae Cyrenaeae partem ornat (Arch. Ztg. 1881 p. 218 no. 11 tab. 12, 3), ubi vir longa veste indutus in throno sedet atque aquila a dextro latere advolat. Primus Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 226) secundum monetam Arcadicam (Wien. Vorlbl. Ser. D. tab. 9, 4) Iovem esse illum virum recte dixit.
2. gemma (Brit. Mus. Rev. arch. 1878 pl. 20, 2 = Milchhoefer Anf. d. K. p. 89 no. 57 = Wien. Vorlbl. l. l. no. 6). Iam Furtwaenglerus l. l. Prometheum esse negavit; nam vir omnino non est vinctus neque stat, sed iacet, dum aquila eum vexat. Ipse vir ille doctissimus occisum quendam eum esse putat ab ave dilaceratum, quod schema in arte orientalium gentium antiquissima persaepe inveniatur. Tamen melius ad fabulam quandam refertur. Murrayus (Rev. arch. l. l. p. 202) de Ganymede cogitat, sed ipse suo iure contradicit aquilam corpus illius viri non auferre velle, sed aggredi et vexare. Itaque Robertum secutus ad Tityi poenam gemmam refero, cuius schema simile invenimus in fragmento ex argilla facto (Mittlg. d. Athen. Inst. XI 87.).
3. scuti signum militis in amphora posterioris stili Apula picti (Arch. Ztg. 1863 tab. 174). Contra militem armatum mulier stat, in media imagine puer. In altera amphorae parte virum barbatum, pallio indutum atque mulierem alteram manum porrigentem videmus; inter has figuras magna amphora cernitur. In scuto militis illius superiorem corporis viri barbati quasi humi iacentis partem conspicimus, iuxta quem avis quaedam stat. Hanc scuti imaginem Oppermannus l. l. ad Promethei poenam rettulit, quod incertissimum est. Qua ex significatione profectus militem ipsum Deucalionem, mulierem Pyrrham, puerum e lapide natum esse putat, in altera imagine Epimetheum et Pandoram simul cum dolio malorum repraesentatos esse dicit.

Equidem omnes has figuras ad vitam familiarem pertinere censeo. Atque scuti imago quid significet, nescio.

[1]) Jahrb. d. arch. Inst. IV 1889 tab. 5. 6, 1.

Super cervice suprema stipitis pars apparet. A dextro Promethei latere aquila Iovis advolat; ab altero Hercules accurrit arcum tendens sagittamque in aquilam demittens; altera sagitta demissa super Promethei capite apparet. Deinde in sinistra imaginis parte Minerva stat hastam tenens, galea instructa; dextra autem pars valde mutilata est, ut nisi figura in sinistrum sedens, quam Schuhmacher l. l. recte Iovem appellat, nihil certum sit; iuxta quam parvae Mercurii reliquiae conspiciuntur.

Vas mihi ab arte Chalcidensi pendere, sed in Attica ipsa esse factum videtur.

2. vas Clusii repertum, nigris figuris exornatum. Mus. Berol. 1722.[1])

In media parte Pr. dextrorsus, barbatus, taenia ornatus, manus vinctas porrigens humi quasi subsidit, ita ut nisi pedibus humum non tangat; cuius cum corpore nescio quo modo stipes cohaeret, quoniam et supra et infra apparet. A dextro latere aquila advolat, a sinistro Hercules arcum tendens auxilio accurrit; duae autem sagittae per aera volant. Juxta aquilam vir barbatus, pallio vestitus, s. m. longum sceptrum tenens conspicitur.[2])

Furtwaenglerus (Catalog p. 1054) Chalcidicum vas esse dicit.

3. amphora nigrarum figurarum in Mus. Vidonensi servatum.[3])

Pr. dextrorsus, subsidens dextro genu, retro spectans eodem modo, quo in vase Clusino, cum stipite cohaeret: ad quem a dextro latere magna aquila advolat. In sinistra parte Hercules arcum tendens accurrit, cuius altera sagitta aquila percussa est. Praeterea quattuor figurae additae sunt: primum Mercurius caduceo praeditus; deinde vir imberbis, arcum tendens, quem Iahnius

[1]) O. Jahn, Arch. Beitr. tab. 8 p. 228. Arch. Ztg. 1858 tab. 114, 1. Baumeister, Denkm. III 1410, fig. 1566. Bullet. d. I. 1840 p. 48.

[2]) Hunc Gerhardius, Welckerus, Iahnius, alii Iovem appellant; neque vero certum est, cum inferiore parte excepta figura secundum Furtwaenglerum genuina non sit.

[3]) Arch. Ztg. 1858, tab. 114 no. 2. 3. Cf. O. Jahn., p. 165.

Apollinem appellat; tum vir barbatus, baculo quinque spiculorum praeditus, quod sceptrum esse Iahnius existimat, cum Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 225) tabulis illis votivis Corinthiis, quae in Mus. Berol. 379. 385. 464. adservantur, comparatis Neptunum eum appellet; postremo femina, longa veste induta, florem tenens, quam Iahnius Iunonem esse putat; at iuxta Neptunum Amphitrite exspectatur. Atticam esse amphoram Furtwaenglerus dicit.

4. vasis magni nigris figuris exornati fragmentum, Phaleri repertum.[1])

Reliquum est caput Promethei, quod in sinistram partem versum est, super quo stipes apparet; iuxta hoc alitis pars non parva, cuius ala et collum sagittis percussa sunt; ex alae vulnere magna sanguinis gutta stillat.

Imago ad idem exemplum, ac tria illa vasa modo descripta, delineata est.

Magna est controversia, qualis in his alterius classis vasis poena Promethei sit aut quomodo cum Hesiodi narratione picturae vasorum cohaereant.

Proficiscamur igitur ab ipsius Hesiodi verbis, quae sunt Theog. 521:

δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.

Exstiterunt enim, qui monumentis nisi hos versus ita interpretati sint, ut Iupiter per Promethei corpus stipitem adigat, velut primus Welckerus (A. D. III 193), quem secuti sunt Iahnius (Arch. Ztg. 1858 p. 165), quamquam Arch. Beitr. 228 aliter iudicaverat, et nuper Furtwaenglerus (Arch. Ztg. 1885 p. 225).

At si monumentis neglectis sola poetae verba sequimur, summi momenti verbum *δῆσε* est omnibus antepositum; ergo vinxit Iupiter Prometheum vinculis. Quomodo autem eum vinxit? „*μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας*". Quidnam *ἐλάσσας*? Proximum est respondere: *ἀλυκτοπέδας* vel *δεσμούς*; ergo vinculis, ut firmiora essent, per columnam adactis eum vinxit, qui connexus sententiarum ab omnibus sine dubio facile intellegitur. At isti

[1]) Benndorf. Gr. u. Sic. V. 54, 3.

viri docti ad *μεσὸν διὰ* supplent *Προμηθέα* atque cum participio *ἐλάσσας* accusativum *κίονα* coniungunt, ita ut per Promethei corpus stipitem adigi dicant.[1])

Huic argumentationi tribus de causis assentiri non possum.

Primum si illorum sententia probanda esset, omnes postularent, ut Iupiter non prius, quam Prometheum vinxisset — fortasse ne corpus moveret, manibus et pedibus —, columnam per eum adigeret, quae maior atque crudelior poena est. Atque id, quod summi momenti esset, participio expressum esset. Deinde prorsus a consuetudine sermonis atque recto dicendi genere abhorret, verborum connexum ita disturbare, ut ad *μεσὸν διὰ,* quae verba artissime cum *κίονα* cohaereant, suppleri possit *Προμηθέα.* Tum omnino supervacaneum esse videtur columnam tam crudeliter adhiberi, cum vincula, ut aquila iecur ederet, Prometheo indi satis esset. Immo absurdum est vinculis simul cum stipite vel columna uti; stipite enim percussum Prometheum, si modo est homo, statim mortem obire necesse est. Non solum poetam de nulla alia poena nisi de vinculis cogitasse certum est, sed etiam a vulgari fabula tanta crudelitas aliena erat.

Contra aliter de monumentis res se habere videtur. Neque enim negare possumus in omnibus alterius classis monumentis Prometheum ita punitum apparere, ut per medium eius corpus stipes adacta sit; in vase Clusino etiam manus vinctae sunt. Talis autem fabulae forma quoniam in vulgari opinione omnino non potuit existere, nulla ex alia causa poenam Promethei ita repraesentatam esse arbitror, nisi quod Hesiodi verba pictores falso interpretati sunt. Contra Cyrenaeae paterae pictor ea sine dubio recte intellegit atque accurate sequitur; non stipite, sed columna utitur atque *μεσὸν διὰ κίονα* vincula alligat. Huc accedit, quod iuxta Prometheum alterum Iapeti filium ab Hesiodo

---

[1]) Furtwaenglerus l. l. utramque sententiam coniungere studet, cum dicit: „Der Dichter hat das grausame Motiv möglichst in den Hintergrund gedrängt; er macht die Fesselung zur Hauptsache und deutet die Pfählung nur an, und zwar so, dass sogar eine Zweideutigkeit entsteht und man ohne Kenntniss der Lage von der Pfählung die Worte natürlicher nur auf die Fesselung bezieht und zu *ἐλάσσας* aus dem vorigen *ἀλυκτοπέδας* ergänzt, also die Fesseln durch die Mitte der Säule geschlagen werden lässt."

eodem loco commemoratum, Atlantem humeris coelum portantem, posuit, quod iam in prooemio expositum est.

Diversa autem poena esse videtur in gemma Cretica (A 2) atque in anaglypho aeneo Argivo[1]) (A 3), quae monumenta non multo antiquiora vasculis sunt: columna vel stipes omnino non conspicitur, ut artifices de columna quadam cogitasse vix credibile sit. Qua de causa in his monumentis fabulae formam ab Hesiodo diversam repraesentatam esse iudico eandemque, quam multo posteriore aetate Aeschylus tradit: Prometheum ad rupem vinctum esse; scilicet Caucasus mons posterioribus temporibus, fortasse ab ipso Aeschylo, additus est. Ad vulgarem autem fabulam rupem spectare valde probabile est, ut genuinum atque primarium schema Promethei manibus a tergo ad rupem vinctis humi sedentis gemma illa Cretica et anaglyphum Argivum nobis praebeant. Chalcidensis autem pictor (B 2) a schemate genuino profectus esse videtur, quia Prometheus hac in pictura sedentis hominis similis est; at si quis ad columnam alligatus est, non sedet, sed stat. Atticae vero amphorae (B 3) pictor, qui schemate illo antiquissimo, quod nos appellamus „Knielaufschema", utitur, id quod imitatus est exemplum omnino non intellexisse videtur. Utrum apud Chalcidenses, an apud Atticos hoc falsum schema alterius classis exortum sit, difficile est dictu, quamquam antiquissimum est fragmentum B 4, quod ad Atticam artem spectat. Non minus incertum est, qua arte genuinum schema gemmae Creticae et anaglyphi Argivi excultum sit, quoniam Promethei fabula in media Graecia prope montem Othrya orta est, Argivi autem non a Prometheo, sed a Phoroneo homines ignem accepisse contendebant. Fortasse antiquissimo carmine Promethei fabula tractata et pervulgata est eodemque, e quo Theogoniae poeta Iapetidum omnium res sumpsit. Quod nescio quo modo cum Sicyone cohaesisse eo indicatur, quod Theog. 536 Mecone, i. e. Sicyon[2]) commemoratur. Suo igitur arbitrio Hesiodus vulgarem de poena Promethei fabulam ita commutasse videtur, ut eum ad columnam vinctum esse diceret. Atque etiamsi eandem

[1]) Cf. p. 124 not. 5.

[2]) Cf. Schoemann., op. acad. II 272. Preller-Robert G. M. I 94 not. 3.

fabulae formam illud carmen praebuisset, tamen omnia quae illustravi vasa (A 1. B 1—4) ex Hesiodo pendere contendere nobis licet, quia eosdem versus, quos in Theogonia 521. 522 legimus, iam in antiquiore fonte fuisse vix credibile est.

b) De monumentis, quae Pandoram repraesentant.

Iam sexto saeculo artifices quoque Pandorae fabulam tractasse neque notum neque veri simile est. Primus Phidias in basi Minervae, quae Parthenos vocatur, Pandoram dignam habuisse videtur, quae imagine repraesentaretur. De hoc anaglypho celeberrimo duo exstant testes: Pausanias et Plinius, quorum ille ita scribit I, 24, 7: *ἔστι δὲ τῷ βάθρῳ τοῦ ἀγάλματος ἐπειργασμένη Πανδώρας γένεσις· πεποίηται δὲ Ἡσιόδῳ τε καὶ ἄλλοις, ὡς ἡ Πανδώρα γένοιτο αὕτη γυνὴ πρώτη· πρὶν δὲ ἢ γενέσθαι Πανδώραν οὐκ ἦν πω γυναικῶν γένος*; hic autem dicit in Nat. hist. lib. 36 cap. 19: in basi autem, quod caelatum est — Pandoras genesin appellant — dii sunt adstantes XX numero.[1])

Quamquam haec tam universe dicta sunt, ut dubitari possit, quam fabulae formam Phidias expresserit, tamen iam Heynius (Antiqu. Aufs. I 230) eandem fabulam repraesentatam esse dixit, quam Hesiodus (Theog. 570 et Opp. 60) narrat, scilicet Pandoram, primam mulierem hominibus vel Epimetheo datam, a Vulcano e luto fictam atque ab omnibus deis ornatam esse, ceterique omnes viri docti Heynium secuti sunt. Atque vel ipsi veteres Hesiodi fabulam Phidiam secutum esse noverant, id quod Pausaniae verba docent. Accedit, quod operum poetam ipsum primae mulieri nomen dedisse Pandorae certum est; ergo non solum Phidias, sed etiam qui opus eius spectabant et interpretabantur, Hesiodi carmen noverunt. Quod iis quae nunc exstant monumentis[2]) affirmatur.

[1]) Sic legit Gerhardius. Alii aliter locum sanare conati sunt, vid. ed. Sillig. et Overbeck. Schriftquellen 661.

[2]) 1. Phialae variis coloribus pictae imago interna, rep. Nolae, del. ap. Gerhardium (Festgedanken an Winckelmann. Berol. 1841 tab. 1. Lenormant et de Witte Él. céram. III pl. 44. Roscher. Lex. Myth. I 2058.

2. basis parvulae statuae Minervae e marmore factae, quae Athenis reperta nomen habet a Francogallo Lenormant. Michaelis Parthenon tab. 15, 1. 1a. p. 276 sqq.

Priusquam de Phidiae anaglypho quidquam pro certo affirmari possit, proficiscendum esse puto a **pictura vasis Nolani.** Puella peplo induta, cuius membra rigida nondum anima inflata esse videntur, medium picturae locum tenet, corpore adverso, capite obliquo, ut sinistrorsum videat. Hinc Minerva, illinc Vulcanus. Minerva, aegide ornata, puellae *ἀποπτύγματος*, quod vocant, partes in humero dextro connexura est, Vulcanus imberbis, pallio indutus caput puellae fascia aurea circumdat, dum sinistra instrumentum quoddam fabrile[1]) tenet. Nomina adscripta sunt:

ΗΕΦΑΙΣΤΟΣ — ΑΘΕΝ . . ΑΑ — ΝΕΣΙΔΟΡΑ[2])

Sed vel sine nominibus Pandorae creationem repraesentatam esse intellegeremus. Quodsi puella a dis facta pro Pandora Anesidora vocatur, aliud Telluris deae nomen pro alio positum est.

Quae supra commemoravi Minervae simulacra, cum ad exemplum Minervae Phidiacae facta sint, eorum anaglyphis ad restituendam caelaturam, qua basis celeberrimi illius signi ornata erat, uti debemus. In **basi statuae Lenormantinae** a sinistra parte currum advehentem conspicimus, cuius equi et ab auriga in curru stante et ab altero viro ante currum in dextram partem progrediente habenis reguntur. In dextra anaglyphi parte equus, qui videtur, demisso capite in dextrum abit tergo figuram nescio quam portans.[3]) Medium locum tres figurae occupant, quarum duas sceptris et hastis innixas esse, primam rem rotundam manu sinixtra gerere, alteram manum in scuto niti, tertiam dextram efferre Michaelis l. l. arbitratur.

3. basis statuae Minervae, quae Pergami nuper reperta in Museo Berolinensi asservatur, nuperrime delineata atque tractata a Puchsteinio Jahrb. d. I. V, 1890 p. 114.

[1]) Hoc alii viri docti aliter interpretati sunt. Panofka (Ber. Berl. Ak. 1838 p. 48 = Allg. Enc. III 10 p. 332) bacillum figularem, de Witte (Cat. Magnoncour no. 9) malleum, Preller (Philologus VII 51) caelum esse censent.

[2]) Legendum est *Ἀνησιδώρα*; littera A est suprascriptum iuxta Minervae nomen; lacuna, quae inter N et A in inscriptione Minervae exstat, ita explenda est, ut legamus *ΑΘΕΝΑΙΑ*.

[3]) Michaelis p. 277: „ueber dem Rücken des Tieres eine grosse viereckige Masse."

At figurae ita depravatae et mutilatae sunt, ut de habitu et genere nihil pro certo affirmare praestet.[1]) Contra in basi Minervae Pergamenae sex figurae, si non integrae, at tamen ita servatae sunt, ut de habitu cum maiore probabilitate dicere possimus. Puchsteinius (p. 113) hanc basim, quae ab utraque parte mutilata est, decem figuras olim continuisse censet ita dispositas, ut ab utroque latere quinae figurae stantes in mediam imaginis partem versae essent omnes; omissas autem fuisse medias figuras tres et eas quidem, quae ad summam rei maxime necessariae essent, Pandoram Minervam Vulcanum (cf. p. 116).

At sculptor, qui Minervam Phidiacam celeberrimam imitaretur, ut in bibliotheca Pergamena constitueretur, eas figuras, quae summi momenti essent, in basi omittere non potuit.

Proinde figuras, quae exstant, aliter interpretari conemur.

Mihi quidem, cum in Museo Berolinensi basim meis oculis examinarem, ea figura, quam cornu copiae sinistra manu tenere Puchsteinius dicit, quae est, si figuras a sinistro exorsus numeres, quarta, non in dextrum, quod ille vult, versa, sed adverso corpore ita, ut ad spectatores faciem convertat, quasi in medio loco posita esse videbatur.[2]) Atque vel e delineatione cognosci potest et vestitu et habitu hanc figuram a ceteris feminis prorsus diversam esse.

Reliquae autem omnes figurae eodem quo Puchsteinius censet modo oblique versae esse mihi quoque videntur. Tum vero integram basim non decem, sed undecim figuras continuisse necesse est, quarum sexta, quae cornu copiae praedita est, medium locum tenet, ceterae in utroque latere quinae oculos in eam convertunt. Hic autem numerus cum Plinii testimonio optime conciliari potest; nam cum ille praeter Pandoram viginti

---

[1]) Tamen Michaelis p. 277 suo iure etiam hanc basim ad Pandorae fabulam atque Phidiae anaglyphum refert. Sententiae Conzei, qui Annal. d. I. 1861 p. 338 figuras ad dedicationem spectare dicit, cum multa, tum hoc obstat, quod a Sole et Luna tota imago circumdata est, de qua re infra disseretur.

[2]) Quum ipse basim conspicerem, haec notavi: „In der Mitte eine ruhig stehende, weibliche Figur, en face, die Haende lose herabhaengend, bekleidet mit schwerem Chiton u. Mantel, der hinten herabhaengt.

deos adstantes expressos fuisse testetur, apparet sculptorem Pergamenum dimidium figurarum elegisse.

Mediam figuram nominare facile est: sine dubio Pandora est, ut videtur, ab ipso Phidia inventa. Cum cornu copiae ei tribuit, ut pictor ille vascularis, qui Anesidorae nomen adscripsit, de ea Pandora cogitavit, quae Telluris dea est. Nam cornucopiae nihil aliud significat nisi fruges opesque uberrimas, quas Terra aut ei dei, qui Terrae similes sint aut cum Terrae vi aliqua ratione cohaereant, hominibus dant (cf. Hartwig, Herakles mit dem Füllhorn p. 1. 6); itaque eodem signo Tellus, Ceres, Pluton, Amalthea, Hercules, Achelous, Tyche, Fluvii praediti sunt. Ad ea quae Hartwigius affert exempla *Πλοῦτος* addendus est, cui Cephisodotus, cum Pacis signum fingeret, parvum cornu copiae dedit.[1]) Eandem sine dubio vim Pandorae cornu copiae habet; idem significat, quod nomen Pandora — *πᾶν δῶρον ἔχει*.

Quod ad ceteras figuras attinet, ea, quae Pandorae a dextra parte adstat, mihi esse virilis videtur.[2]) Cui, quia superior cor-

[1]) Antiquissimum cornu copiae exemplum praebet Tyche, quae vocatur, Smyrnaeorum, opus Bupali (Paus. IV, 30, 6). Posterioribus tamen temporibus haec dea Fortunae significationem ob id ipsum accepit, quia cornu copiae instructa erat. Initio fortasse Amalthea vel dea Telluris similis erat.

[2]) Puchsteinius p. 115 haec dicit: „Von der ersten Figur der rechten Haelfte, der sechsten von links, ist leider nur die Bruchflaeche des Torso und der rechte Arm vorhanden. Namentlich der Arm, der dieselbe Haltung wie der linke Arm der jungfraeulichen Gestalt hat, laesst deutlich erkennen, dass sie sich nach links, also den Figuren der linken Haelfte entgegen wendete, vielleicht mit rechtem Standbein. Ob ihr Oberkoerper bekleidet war, ist sehr unsicher, aber wegen des glatten Umrisses der Bruchflaeche an der rechten Koerperseite unwahrscheinlich; sicherer wird der zu dem linken Beine gehoerige Rest von einer Falte herrühren. Die rechte Hand traegt einen ringfoermigen, wulstigen Gegenstand (Kranz, Halsband von einer Charis oder der Peitho?); es ist auffallend, dass der Reliefgrund unter ihm tiefer liegt, als ueber ihm zwischen dem Arm und dem Koerper, man koennte daher glauben, dass hier ein Kleidungsstück hing, und dass die Hand es gefasst hatte. Aber abgesehen davon, dass aussen neben dem Arm keine Spur davon vorhanden ist, wuerde ich die Art, wie dann der Gewandzipfel von der Hand gehalten sein muesste, nicht verstehen.“ Equidem haec notavi: „Rechts: der Rest einer maennlichen Figur; die ganze Oberflaeche ist abgestossen; dass die Figur maennlich ist,

poris pars nuda est atque figura speciem opificis praebet, Vulcani nomen tribuere licet[1]; sed quid sinistra manu teneat, diiudicari non potest.

Quis vero eam sequatur, difficile est dictu[2]; certe virilis est, fortasse de Iove cogitare licet.

Neque vero de ea dea, quae Pandorae a sinistro latere proxima est, Puchsteinium recte dixisse iudico. His enim verbis utitur: „Ein neues, sehr anmutiges Motiv bietet die vierte, wiederum weibliche Figur (der Kopf und die Beine fehlen); verschleiert und mit dem geschlossenen, wahrscheinlich ohne Kolpos geguertetem Peplos bekleidet, hat sie mit der linken Hand dessen langen Ueberschlag an dem einen Ende aufgehoben, während sie mit der rechten das andere Ende unten fasst und leise spannt — offenbar trug sie wie eine Hore Blumen, Früchte oder dergleichen im Bausch." Equidem ipse haec notavi: „Eine weibliche Figur, links Standbein, rechts Spielbein, in den Haenden haelt sie eine Binde oder einen offenen Kranz; erhalten ist nur der Rumpf der Figur."

De Hora omnino non potest cogitari; nam quomodo quinto saeculo Attici artifices Horas finxerint, patera Sosiae docet.[3] Tales autem Horae, quales Puchsteinius describit, ante aetatem Alexandrinam nunquam inveniuntur. Itaque hanc deam Venerem esse puto; quam vero manibus tenet, taenia vel cingula fortasse cestus est, quem Pandorae tradere in animo habet.

---

schliesse ich aus dem Contur, der an der rechten Seite ueber der r. Haelfte erhalten ist: er ist ganz glatt gearbeitet und scheint als nacktes Fleisch ohne Gewand aufgefasst werden zu muessen. Der rechte Arm ist gesenkt; in der Hand muss die Figur etwas gehalten haben."

[1]) Comparare licet Vulcanum paterae.

[2]) Puchsteinius p. 115 dicit: „Auch an der siebenten Figur ist die Wendung nach links durch das erhaltene Stueck des Torso ausser Zweifel gestellt. Unter dem Mantel, der von der Linken an der Huefte festgehalten nur den Unterkoerper verhuellte, trug sie einen duennen Chiton, dessen Aermel auf dem rechten Arm bis zum Ellbogen herabfaellt. Die gesenkte Rechte hielt wahrscheinlich aufrecht einen hohen und breiten Gegenstand, von dem geringfuegige Reste oben und unten herruehren.

[3]) Hermann, de Horarum apud veteres figuris. Diss. Inaug. Berol. 1887 p. 20.

Reliquae sunt duae figurae quarum prior Minerva, altera Iuno est, si Puchsteinii descriptionem spectas.[1])

Nunc si quaerimus, quomodo hoc anaglyphum, quod nobis Phidiacas figuras praebere conicere licet, cum patera illa variis coloribus picta coniungendum sit, e media anaglyphi parte proficiscendum est. Quam cum vasculari pictura comparatam ab hac prorsus diversam esse apparet: in vasculari pictura tres figurae artiore vinculo inter se cohaerent, in anaglypho Phidiaco figurae paene sine connexu compositae sunt; in illa in eo est, ut Minerva et Vulcanus primam mulierem fingant et ornent, in hoc iam ficta est Pandora atque dii deaequae omnes varia dona, quibus ornetur, apportant; accedit, quod Phidias iuxta Pandoram Venerem, pictor Minervam ponit.

His de causis pateram cum Phidiaco anaglypho artius cohaerere aut ab eo pendere, quod nonnulli dixerunt, concedere non possum. Kleinius enim, qui omnes eiusdem generis pateras enumeravit atque diligentissime illustravit, brevissimum tempus circa Ol. 85=440 eas usitatas fuisse iudicat, quod cum Minervae Phidiacae aetate optime consentit.[2]) At hodie postquam in arce

---

[1]) Puchsteinius p. 113: „Die an erster Stelle befindliche Figur ist eine Frau (Hera?), die nach rechts, d. i. nach der Mitte zu, gewandt und aus der Vorderansicht nur sehr wenig in die der Wendung entsprechende Profilansicht gedreht ist . . . . . Sie hat links Standbein und ist mit dem geschlossenen, ungeguertetem Peplos bekleidet; ueber den Rücken, wahrscheinlich vom Kopfe herab, faellt ein langer Schleier, den sie mit der rechten Hand rafft . . . . . Ebenso muss auch die dritte Figur in der ganz abgescheuerten rechten Hand vor der Brust einen kleinen Gegenstand getragen haben, während sie die linke ungezwungen herabhaengen laesst . . . . . Ihre Tracht ist der bei der Athena uebliche an der rechten Seite offene Peplos, der ueber dem langen Ueberschlag gegürtet ist; über die Schultern sind nach vorn die Zipfel eines hinten herabfallenden Mantels gezogen."

[2]) De aetate Minervae Phidiacae eorum sententiam sequor, qui post Iovem Olympicum eam sculptam esse dicunt. Ol. 85, 3=438 statuam finitam atque dedicatam esse certum est (schol. Arist. Pax 605. Overbeck, Schriftquellen 647).

W. Kleinius (Euphronios[2] p. 251 not. 1) disserit: „Das einzige, inhaltlich bedeutende Bild unserer Schalenreihe, Pandora's Geburt, weisst bestimmt auf den Einfluss Phidias'scher Kunst, der denselben Gegenstand bekanntlich auf der Basis der Parthenos (Ol. 85, 3 geweiht)

Athenarum inter rudera belli Persici non solum vasa rubris figuris severioris stili ornata, sed etiam variis coloribus in albo picta reperta sunt, tales pateras iam ante annum 480 exstitisse certum est atque si quis artis severitatem perpenderit, pateram illam Nolanam post 450 factam esse non posse facile concedet. Ergo vascularis imago vetustior est anaglypho Phidiaco. Atque Kleinii coniecturam, qua haec vasa cum Apollodori arte cohaerere contendit, prorsus falsam esse temporum ratio docet. Ceterum incertum est, utrum ipse vasis pictor primus Pandorae creationem effinxerit, an in maiore arte tabulas vel parietes pingendi idem vel simile exemplum exortum sit. Certe Phidias ipsius ingenii vi novum Pandorae exemplum prodit. Quod confirmatur, si quaerimus, qua ratione artifices carmina Hesiodea in operibus suis adhibuerint.

In patera enim pingenda pictorem Theogoniae versus 573. 574 et 578—580 ante oculos habuisse et satis accurate illustrasse luce est clarius:

ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
ἀργυρέῃ ἐσθῆτι·
ἀμφὶ δέ οἱ στεφάνην χρυσέην κεφαλῆφιν ἔθηκε,
τὴν αὐτὸς ποίησε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις,
ἀσκήσας παλάμῃσι, χαριζόμενος Διὶ πατρί.

Attamen etiam Operum narrationem ei cognitam fuisse nomen Anesidorae pro Pandora positum docet. Phidias vero cum Veneri, cuius nulla in Theogonia fit mentio, partes primarias tribuat, haud dubie operum versus 65. 66 sequitur:

καὶ χάριν ἀμφιχέαι κεφαλῇ χρυσέην Ἀφροδίτην
καὶ πόθον ἀργαλέον καὶ γυιοκόρους μελεδῶνας.

Quodsi hac re Minerva, quae imprimis ponenda erat, nimis neglectam videri contenderis, consideres velim Phidiam ei eum locum dedisse, qui Iovi responderet.

Quod autem ad illam quam Puchsteinius Iunonem vocat figuram attinet, cum Iovis uxor in dextro latere iuxta coniugem exspectetur, non sine probabilitatis specie pro Gratiarum vel

---

darstellt. Die auffallend laenglichen Kopfformen aller drei Figuren finden in den Parthenonfiguren Analogien."

Horarum una eam habere possis, quas Operum compilator vv. 73—75 commemorat:

ἀμφὶ δέ οἱ Χάριτές τε θεαὶ καὶ πότνια Πειθὼ
ὅρμους χρυσείους ἔθεσαν χροΐ· ἀμφὶ δὲ τήν γε
Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσι εἰαρινοῖσι.

Quod denique ad ceteras figuras a Phidia expressas attinet, in extremis anaglyphi partibus Solem et Lunam apparuisse paene certum est.[1]) De reliquis figuris quamquam nisi coniecturas ponere non possumus, tamen praestantissimos e numero deorum a Phidia electos esse veri simile est, ut figuras ita dispositas[2]) esse coniciam

in sinistra parte:

10 = Sol Mercurius Horae (3) Gratiae (3) Minerva Venus

in dextra parte:

10 = {Vulcanus Iupiter Iuno Neptunus Amphitrite Leto Apollo Diana Mars Luna.

De Mercurio narratur Opp. 77:

ἐν δ' ἄρα οἱ στήθεσσι διάκτορος Ἀργεϊφόντης
ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος
θῆκε θεῶν κῆρυξ, ὀνόμηνε δὲ τήνδε γυναῖκα
Πανδώρην.

Martem adfuisse propterea veri simile est, quod unius figurae galea ab anaglypho dissoluta in titulis CIA II, 676, 13; 701; II, 60. 703 commemoratur, Minervam autem, eam scilicet, quam Ἐργάνην vocant, in hac scaena galeatam fuisse parum probabile est.

2. De Veneris ortu.

Anaglyphum Phidiacum in Iovis Olympici basi sculptum qui unus commemorat, Pausanias his verbis accurate describit (V, 11, 8):

---

[1]) Cf. Michaelis, Parthenon p. 276. Schreiber Abh. d. sächs. Ges. VIII, 599. De Luna equo vehente vid. Heydemann. Mitteilg. aus Antikensamml. p. 91 not. 234. F. Winter, Tirocinium philol. sod. sem. Bonn. 1883 p. 71. Furtwaengler, Samml. Sabouroff tab. 43. Loeschcke, Arch. Ztg. 1884 p. 97.

[2]) Alii alias figuras supplent. Cf. Gerhard. Festgedanken l. l Panofka Monatsber. d. Berl. Akad. 1838 p. 48.

ἐπὶ δὲ τοῦ βάθρου τοῦ τόν θρόνον τε ἀνέχοντος καὶ ὅσος ἄλλος κόσμος περὶ τὸν Δία, ἐπὶ τούτου τοῦ βάθρου χρυσᾶ ποιήματα, ἀναβεβηκὼς ἐπὶ ἅρμα Ἥλιος καὶ Ζεύς τέ ἐστι καὶ Ἥρα· παρὰ δὲ αὐτὸν Χάρις· ταύτης δὲ Ἑρμῆς ἔχεται, τοῦ δὲ Ἑρμοῦ Ἑστία· μετὰ δὲ τὴν Ἑστίαν Ἔρως ἐστὶν ἐκ θαλάσσης Ἀφροδίτην ἀνιοῦσαν ὑποδεχόμενος· τὴν δὲ Ἀφροδίτην στεφανοῖ Πειθώ· ἐπείργασται δὲ καὶ Ἀπόλλων σὺν Ἀρτέμιδι, Ἀθηνᾶ τε καὶ Ἡρακλῆς καὶ ἤδη τοῦ βάθρου πρὸς τῷ πέρατι Ἀμφιτρίτη καὶ Ποσειδῶν, Σελήνη τε ἵππον ἐμοὶ δοκεῖν ἐλαύνουσα· τοῖς δέ ἐστιν εἰρημένα ἐφ' ἡμιόνου τὴν θεὸν ὀχεῖσθαι καὶ οὐχ ἵππου καὶ λόγον γέ τινα ἐπὶ τῷ ἡμιόνῳ λέγουσιν εὐήθη.

Antiquissima de Veneris ortu narratio exstat apud Hesiodum (Theog. 188 sqq.): Venus e spuma maris, quam membra genitalia Urani effecerant, orta postquam ad Cyprum insulam appulsa est, ab Amore et Himero excipitur atque in deorum concilium ducitur.

Quae fabula quamquam ab Hesiodo cum cultu Veneris Cypriae et Cythereae coniungitur[1]), tamen num re vera cum illo quidquam commune habuerit, dubitari potest.

Primum in Homeri carminibus nihil invenitur, quod cum Hesiodeo Veneris genere aut ortu ullo modo cohaereat; nam Venus filia Iovis et Dionae est (Il. E 312); atque etsi multa in cognominibus deae exstant vestigia, quae ad cultus illos antiquissimos pertinent[2]), tamen nullo loco quidquam de Venere e spuma maris orta commemoratur aut indicatur. Deinde Hesiodus, antiquissimus illius fabulae testis, expressis verbis etymologiam affert, qua nomen Veneris declaretur, v. 195

τὴν δὲ Ἀφροδίτην
κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἄνερες, οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ
θρέφθη[3]),

---

[1]) Theog. 192. 193:
πρῶτον δὲ Κυθήροισιν ζαθέοισιν
ἔπλητ', ἔνθεν ἔπειτα περίρρυτον ἵκετο Κύπρον.

[2]) *Κύπρις:* Il. E 330. 422. 458. 760. 883. *Κυπρογενής, Κυπρογένεια* Hom. H. IX, 1. cf. Panyassim ap. Athen. II, 36 D. *Κυθήρεια* Od. θ 288. σ 193. cf. Il. O 432. Hom. H. IX, 1.

[3]) Versum 196:
ἀφρογενέα τε θεὰν καὶ εὐστέφανον Κυθέρειαν
suo iure Wolfius eiecit. Sine dubio hoc cognomen posterioribus temporibus ortum atque inventum est cf. Mosch. I, 71. C. I. G. 5956.

quam etymologiam Plato Cratyl. 406 C probat. Accedit, quod Veneris ortum cum Urani et Croni fabulis ita coniungit, ut spumam maris e membris genitalibus Urani effectam esse dicat; fortasse Uraniae Veneris nomine poeta commotus est, ut hanc fabulam fingeret. Etymologia quoque num ex ipsius ingenio profecta sit, diiudicari nequit, etsi in aliis fabulis suas etymologias protulit, velut in Pegasi Chrysaoris Titanum nominibus.[1]) Nihilo secius ab ipso Hesiodo de Veneris ortu fabulam et inventam et pervulgatam esse sine dubitatione contendere posse mihi videor.

Neque vero omnino ipsum ortum Veneris solum Phidias repraesentare, sed cum deorum concilio ita coniungere in animo habebat, ut nova dea a ceteris deis Olympicis exspectaretur, quod Hesiodus verbis „*γεινομένῃ τὰ πρῶτα θεῶν τ᾽ ἐς φῦλον ἰούσῃ*“ significat.

Hoc *φῦλον θεῶν* in anaglypho quoque Phidiae sine dubio apparebat; in Olympo ipso — id enim Vesta, quae adest, significat — dii deaeque novam deam e mari ascendentem conspiciunt.

Sed quaeritur, qualis Veneris figura in anaglypho fuerit, in qua magna controversia non solum Pausaniae descriptionem, sed etiam monumentorum quae nunc exstant exempla respicere debemus; nam quoniam Pausanias expressis verbis (*ἐκ θαλάσσης ἀνιοῦσαν*) Venerem ex undis emergentem commemorat, aliqua ratione mare cum deorum concilio coniungendum est. Stephanius[2]) Venerem e concha ascendere dixerat, quod nimis a Phidiae more abhorrere videtur atque satis idoneis causis a Furtwaenglero[3]) refutatum est. Furtwaenglerus ipse eam prorsus nudam fuisse atque schema Anadyomenae, quae vocatur,

[1]) Theog. 282. 283 de Pegaso et Chrysaore:

τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ᾽ ἄρ᾽ Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς
γένθ᾽, ὁ δ᾽ ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι.

de Titanibus v. 207,

τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε
παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανός, οὓς τέκεν αὐτός.
φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι
ἔργον, τοῖο δ᾽ ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι.

[2]) Compte rendu 1870/1871 p. 50 sqq.

[3]) N. Jahrb. f. Phil. 1875 p. 588 sqq.

praebuisse censet.[1]) De Witte autem fragmentum argenteum Galaxidis repertum comparat, ubi Amor Venerem e maris undis subducit.[2]) Quod cum verbis Pausaniae (*Ἔρως ἐστὶν ἐκ θαλάσσης Ἀφροδίτην ἀνιοῦσαν ὑποδεχόμενος*) tam accurate respondit, ut gravioribus argumentis, quam quae Kalkmannus et Puchsteinius protulerunt[3]), opus sit, si tabulam a Phidia pendere negare velis. Contradicunt enim hoc fragmentum ad basim restituendam nihil valere, quia ad annum 400. referendum sit. At ornatum illum aureum Panticapaei repertum, qui antiquissimam imitationem faciei Minervae Phidiacae nobis praebet, illo tempore antiquiorem esse credere non possumus. Ipsum igitur Veneris ortum Phidias cum deorum concilio eodem quo Hesiodus finxit modo ita coniungere in animo habebat, ut principes deorum dearumque novam deam e mari emergentem exspectarent; Olympus scilicet non totius compositionis scaena esse potest, sed ut in fastigio orientali Parthenonis, totum mundum Phidias indicare voluit, quod Solis et Lunae figuris additis confirmatur. Num prorsus nuda Veneris figura in basi fuerit, diiudicare non possum. Pro Himero, qui Hesiodo auctore theog. 201. 202.

τῇ δ' Ἔρος ὡμάρτησε καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλὸς
γεινομένῃ τὰ πρῶτα θεῶν τ' ἐς φῦλον ἰούσῃ

simul cum Amore Venerem in deorum concilium se conferentem comitatur, Phidias in opere suo Peithonem adhibet, non quo Peitho artius illo cum Venere cohaereat, sed quia legibus artis observatis variare studet; neque enim Himerus in opere ab Amore diversus esse potest.

His causis allatis concedendum erit, ut in Minervae, quae in Parthenone constituta erat, ita in Iovis Olympici basi Hesiodi narrationem Phidiam secutum esse.

Quod ad figurarum ordinem attinet, Brunnius (K. G. I 174) sine dubio optimo iure verba Pausaniae „*Ἥρα· παρὰ δὲ αὐτὸν Χάρις*“ offendit atque dii cuiusdam nomen, fortasse Vulcani, omissum esse coniecit; nam si verba tradita sequeremur coniectura Welckeri usi, qui *παρὰ δὲ αὐτὴν* proposuit, in altera

[1]) Roscher. Lex. Myth. I 414. 417.
[2]) Gaz. archéol. 1879 p. 171 tab. 19, 2. cf. Preller-Robert Gr. M. I 353.
[3]) Jahrbuch d. J. I 254 (Kalkmann.), V 112 (Puchstein).

anaglyphi parte sex, in altera quinque figurae exstarent, quod ab artis legibus severis, imprimis a Phidiae principiis, alienum est. Non minus recte Brunnius fecit, quod omnes figuras in uno eodemque baseos latere posuit. Contra quam sententiam Stephanius (C. R. 1870/71 p. 48) artificiosissime verba „*καὶ ἤδη τοῦ βάθρου πρὸς τῷ κέρατι*" interpretatus est, cum diceret: „die aeusserste entgegengesetzte Seite der Basis, d. h. die noch nicht beschriebene letzte Nebenseite der Basis, welche der zuerst mit den Worten *ἀναβεβηκὼς ἐπὶ τὸ ἅρμα Ἥλιος* .... beschriebenen gerade entgegengesetzt ist". Summo iure Furtwaenglerus (N. Jahrb. f. Phil. 1875 p. 588) contradicit ipsos potentissimos deos, Iovem et Iunonem, Neptunum et Amphitriten in sinistro et dextro lateribus baseos futuros esse, si ordinem figurarum disturbaremus.[1]) Hoc igitur schemate usus Brunnius figuras distribuit:

D B A C E

1. 2. 3. 2. 1. 3. 3. 2. 1.

A. 1. Venus.
2. Eros.
3. Peitho.

D et E: Sol et Luna.

B. 1. Iupiter et Iuno.
2. Vulcanus et Gratia.
3. Mercurius et Vesta.

C. 1. Neptunus et Amphitrite.
2. Minerva et Hercules.
3. Apollo et Diana.

Altera enim figura iuxta alteram ita posita est, ut Pausanias describit; Vesta quasi ad Olympi introitum stat.

In his quae usque adhuc tractatae sunt fabulis facile erat diiudicare, qua ratione monumenta cum Hesiodi carminibus cohaereant. Contra in Persei fabula, ad quam nunc transire liceat, quaestio difficilior est, quia permagnus monumentorum numerus percensendus est.

[1]) Eadem de causa alii viri docti Brunnium secuti sunt, velut Treu Arch. Ztg. 1875 p. 44. Petersen, Kunst des Phidias p. 372. Flasch, Zum Parthenonfriese p. 25.

3. De caede Medusae.

Antiquissimus de Medusae fabula testis est Hesiodus, qui Theog. 270 sqq. cum Phorci et Cetus progeniem enumerat, de Gorgonibus haec verba facit:[1])

Γοργούς θ' αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο,
ἐσχατιῇ πρὸς νυκτός, ἵν' Ἑσπερίδες λιγύφωνοι,
Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε λυγρὰ παθοῦσα.
ἡ μὲν ἔην θνητή, αἱ δ' ἀθάνατοι καὶ ἀγήρῳ,
αἱ δύο· τῇ δὲ μιῇ παρελέξατο Κυανοχαίτης
ἐν μαλακῷ λειμῶνι καὶ ἄνθεσι εἰαρινοῖσι.
Τῆς δ' ὅτε δὴ Περσεὺς κεφαλὴν ἀπεδειροτόμησεν,
ἔκθορε Χρυσάωρ τε μέγας καὶ Πήγασος ἵππος.
τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ περὶ πηγάς
γένθ', ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι.
χὠ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων,
ἵκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει,
βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

Plura de hoc praeclaro Persei facto auctor scuti Her. 216 sqq. nobis tradit. Describit enim Perseum post caedem Medusae a Gorgonibus, sororibus eius, fugatum; idem accurate enumerat Persei arma haec: *πτερόεντα πέδιλα, μελάνδετον ἄορ, κίβισις,* quae Medusae caput continet, *Ἄιδος κυνέη.*

Quae illi a Nymphis praeter gladium data esse Pherecydes ap. schol. Apoll. Rhod. IV, 1091 narrat, quocum Apollod. II, 4, 2 consentit.[2]) Atque ad quam aetatem haec fabula redeat, vas Chalcidicum ap. Gerhard. A. V. B. 323 delineatum, sexti saeculi

---

[1]) In Homeri carminibus nisi de Gorgone et gorgoneo sermo non est cf. Il. *Ε* 741. *Θ* 349. *Λ* 36. Od. λ 633. Perseus uno tantummodo loco commemoratur (Il. *Ξ* 319), ubi filius Iovis e Danae natus nominatur. Totam Persei et Gorgonum fabulam Roscherus copiosissime tractavit in libro, qui inscribitur Die Gorgonen Lpzg. 1879. cf. Lex. Myth. I 1675. Mihi quidem ea eligere liceat, quae ad caedem Medusae pertinent.

[2]) Ap. Eratosth. Cat. 22, quem Aeschyli fabulam non solum in hac una re, sed etiam tota in narratione fabulae Persei sequi veri simile est (cf. Robertum Erat. rel. p. 130 not.), a Mercurio galeam et talaria accepit.

initio tribuendum docet, ubi tres Nymphas, quibus nomen *NEIΔEΣ* adscriptum est, Perseo coram Minerva tria illa arma tradentes videmus.[1])

Quod ad ipsam caedem attinet, apud Hesiodum Perseus gladio usus caput Medusae desecat, quocum artis monumenta antiquissima congruere infra apparebit. Postea autem haec fabula simplex aucta variisque additamentis ornata est. Velut ap. schol. Apollon. Rhod. l. l. legimus: *ταύτας* (sc. *τὰς Γοργόνας*) *κοιμωμένας εὑρίσκει· Ὑποτίθενται δὲ αὐτῷ οὗτοι οἱ θεοὶ* (i. e. *Ἑρμῆς καὶ Ἀθηνᾶ*), *ὅπως*[2]) *χρὴ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμεῖν ἀπεστραμμένον καὶ δεικνύουσιν ἐν τῷ κατόπτρῳ τὴν Μέδουσαν, ἣ μόνη ἡ θνητὴ τῶν Γοργόνων.*

Pro speculo Apollodorus (II, 4, 2) Minervae scutum ponit atque deam manum Persei regentem facit. Deinde pro gladio posteriores aut falcem aut harpen quae vocatur ponere solent, quam aut a Vulcano[3]) aut a Mercurio[4]) aut denique a Minerva[5]) Perseus accepit. In artis autem monumentis harpe e gladio et falce composita est.

Primus autem Hesiodus in fabulam inducit Pegasum et Chrysaorem: Neptunum enim cum Medusa prope Oceani fontes[6]) consuetudinem habuisse narrat[7]); itaque capite Medusae a Perseo praeciso Neptuni filii Pegasus et Chrysaor e collo exsiliunt, quorum ille ad Iovem in Olympum evolat, hic in terra remanet.[8])

---

[1]) Nymphae ad vulgarem fabulam spectare videntur, praesertim cum Perseus cum Apesantii cultu arte cohaereat, de qua re infra plus dicendum erit.

Gitiaden Lacedaemonium in templo Minervae, cui cognomen erat *Χαλκίοικος*, eandem fabulam repraesentasse Pausanias (III, 17, 3) tradit.

[2]) Idem iam antiquissima monumenta ostendunt.

[3]) Erat. Cat. 22. schol. Arat. 250. schol. German. B. P. p. 82, 12. G. p. 147, 17. Hygin. astr. II, 12.

[4]) Apollod. II, 4, 2, 6.

[5]) Nonn. Dion. 25, 55.

[6]) Posteriores in templo Minervae hoc factum esse dicunt Ovid. Met. IV, 797. Lactant. IV, 20.

[7]) cf. Strabo IX p. 379. Ovid. Fast. III, 456. Nonn. 31, 22.

[8]) Posteriores de horum quoque ortu alii aliter fabulati sunt: e sanguine Medusae nati sunt ap. myth. Vat. II, 131 Ovid. Met. IV, 784; utero autem exierunt ap. Lactant. IV, 17. Myth. Vat. II, 112.

Monumenta, quae Medusae mortem exhibent, in duas classes dividenda sunt, quarum prior Perseum a duabus Gorgonibus vel ab una sola post caedem Medusae fugatum, altera ipsam caedem ostendunt.

Cetera omnia, quorum nonnulla Iahnius (Philologus 27, 1 sqq.) tractavit, omitto; praeter Iahnium Loeschcke (Arch. Ztg. 1881 p. 29) et Dumontius (Monumens grecs etc. 1878 p. 15), si non omnia, at tamen praestantissima, quae ad Persei fabulam pertinent, monumenta enumeraverunt breviterque illustraverunt.[1])

Quae fugam Persei repraesentant monumenta aut pleniorem imaginem sex figuras complexam, scil. Perseum Minervam Mercurium duas Gorgones Medusam iam occisam et pronam (A)[2]), aut compendiariam aliis figuris in aliis monumentis omissis praebent (B)[3]). Omnium antiquissima est arca Cypseli VII. saeculo

---

[1]) E monumentis ea tantum modo enumero, quae delineata et edita sunt. De ceteris omnibus cf. Six. de gorgone Amstelodami 1885 passim.

[2]) A 1. patera nigris figuris ornata stili antiquissimi, in insula Rhodo reperta. Journal of hell. stud. 1884 pl. 43 p. 220. 239.

A 2. vas nigrarum antiquissimi stili figurarum. coll. Stuart. Annal. d. J. 1851 tab. P.

A 3. amphora n. f. Mus. Monac. 619. Gerhard A. V. B. II, 88.

A 4. vas Nolae repertum. Campana. Monum. d. J. 1855 tab. II, p. 17.

[3]) Nigris figuris haec vasa praedita sunt:

B 1. patera. Mus. Berol. 1753. Gerhard Trinksch. tab. 2 = Levezow Gorgonenideal tab. 2, 24 = Mueller-Wieseler D. A. K. II, 71 no. 897.

B 2. vas formae tripodis Tanagrae rep. Mus. Beral. 1727. Arch. Ztg. 1881 tab. 3. 4. 5. cf. Loeschcke p. 29 sqq.

B 3. vas Aeginae rep. Mus. Berol. 1682. Arch. Ztg. 1882 tab. 10. cf. Furtwaengler. p. 197 sqq.

B 4. amphora. Mus. Lup. Campana IV 1108. Monum. d. I. VIII, 34, 2. cf. Kluegmann Annal. d. J. 1866 p. 447.

B 5. hydria. Mus. Vindob. Annal. d. J. 1866 tab. R. cf. Conze p. 285 sq.

B 6. patera. Mus. Greg. II, 92, 4 = Canina, l'antica Etruria II, 111, 17.

B 7. amphora. Mus. Brit. 548. Cat. Durand 243.

B 8. vas. Princ. Ruspoli. Loeschcke Arch. Ztg. 1881 p. 29 not. 2.

B 9. amphora. Mus. Monac. 1187. Gerhard A. V. B. III, 216 = Micali Storia 85, 5. 6. = Levezow, Gorgonenideal tab. 2, 23.

B 10. lecythus. Duc de Luynes. Arch. Anz. 1850 p. 211.

a. Chr. n. facta, cuius in secundo imaginum ordine fuga Persei repraesentata erat, de qua Pausanias (V, 18, 5) haec verba facit: *αἱ δὲ ἀδελφαὶ Μεδούσης ἔχουσαι πτερὰ πετόμενον Περσέα εἰσὶ διώκουσαι. τὸ δὲ ὄνομα ἐπὶ τῷ Περσεῖ γέγραπται μόνῳ.* Si constat Pausaniam omnes figuras, quae in arca expressae erant, describere neque ullam omittere, contendere licet totam imaginem tribus figuris, Perseo et Gorgonibus duabus, constitisse, Medusam ipsam expressam non fuisse, ut ad alterius classis monumenta eam referre liceat. Similiter in scuto Hesiodeo Perseus et duae Gorgones illum persequentes describuntur.

Sequuntur autem ea monumenta (C)[1], quae Perseum solum in d. aut s. vehementer currentem repraesentant, qui ex supe-

---

Rubris figuris ornata sunt haec:

B 11. amphora severioris stili. Mus. Monac. 54. Micali Mon. ined. 44, 3.

B 12. *κότυλος*. Stackelberg, Graeber der Hellenen 39.

B 13. vas pulchri stili. Panofka Mus. Blacas 11, 1.

B 14. scyphus. Mus. Nap. III. Campana XI K, 85. Philologus 27 tab. 1, 1.

B 15. vas pulchri stili. Inghirami vasi fitt. I, 71 = Millin gal. myth. pl. 105 no. 387 = Levezow tab. 3, 31 = Mueller-Wieseler D. A. K. II, 72 no 899.

B 16. hydria. Mus. Berol. 2377. Annal. d. J. 1851 tab. O. cf. Jahn p. 175.

B 17. amphora. Mus. Naz. 1767. Mus. Borb. XIII, 57—59. cf. O. Jahn Philologus l. l. p. 8. 29. Bullet. d. J. 1843 p. 80.

B 18. amphora posterioris stili. Mus. Monac. 910. Gerhard A. V. B. II, 89, 3. 4.

Praeterea alia monumenta varii generis commemoranda sunt haec:

B 19. sarcophagus prope oppidum, cui nomen est Atheniu, in insula Cypro situm. Cesnola Cyprus pl. X p. 110 sq. = Perrot et Chipiez, hist. de l'art III p. 612 fig. 419.

B 20. speculum Etruscum. Mus. Lup. Gerhard Etr. Sp. V, 68.

B 21. tripus Etruscus Mus. Berolin. Friedrichs Berl. ant. Bildw. II, p. 192 not. 767.

B 22. terracotta Melia. Millingen. Anc. uned. Mon. II, 2 = Levezow tab. 4, 42 = Mueller-Wieseler I, 14 no. 51 = Overbeck Plastik I, 162 fig. 32 a.

[1]) C 1. catillus Rhodi rep. Mus. Berol. 3917. Salzmann Camiros 55, 2. cf. Arch. Ztg. 1881 p. 221 not 23.

C 2. hydria. Cab. des Méd. Heydemann, Pariser Antiken p. 76 not. 34.

rioribus fugae Persei imaginibus sine dubio depromptus est. Ab hoc schemate eius Persei figura secernenda est, qui stans altera manu caput Medusae quasi triumphans sublevat; talis enim figura ex eis imaginibus, in quibus Perseus caput Medusae Polydectae, regi Seriphiorum, ostendit, orta esse mihi videtur, qua de causa eam neglegere hic licet.

Ut ea quae littera A significavi monumenta omnes sex figuras, quas commemoravi, nobis praebent, ita alterius classis B exempla alia alias figuras omittunt, ita ut quinque, quattuor, tres, duae figurae appareant, prout spatium explendum est.[1])

Quod ad motum habitumque singularum figurarum attinet, ceteris omnibus neglectis de Perseo solo pauca afferam. Perseus enim paene semper celerrime in d. currens apparet[2]); et in nonnullis monumentis ita pictus est, ut pedes terram omnino non attingere videantur[3]); volans igitur cogitatur. Hae imagines accuratissime cum Hesiodeis verbis, quae inveniuntur in scut. Herc. 216 sqq., consentiunt: „*ὁδ᾽ ὥστε νόημ᾽ ἐποτᾶτο*“; *σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικώς*“; eodemque modo v. 217 intellegendus est: *οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἐπιψαύων σάκεος ποσὶν οὔθ᾽ ἑκὰς αὐτοῦ*“. Cum fuga autem artissime cohaeret, quod Perseus retro spectat.[4]) A ceteris omnibus monumentis sarcophagus Cyprius (B 19) discedit, ubi Perseus tardo gressu in d. vadit Medusam

C 3. signum officinae in strigile ex aere facta, Athenis rep. Mus. Berol. Friederichs Berl. ant. Bildw. II, 89 no. 202. Heydemann, Marmorbildw. z. Athen p. 107.

C 4. speculum Etruscum. Gerhard Etr. Sp. II, 121.

C 5. nummus Seriphius. Cadalvène, Recueil IV no. 27.

[1]) Quinque figurae exstant in B 1, 7, 8, 10; quattuor in B 2, 4—6, 17. 18; tres in B 9. 4. 15. 20. 21; duae in B 11—13. 16. 22. Plerumque omnes figurae in dextram partem versae sunt, quod demonstrant: A 1. 3. B. 1. 2. 4. 5. 9. 11. 12. 14. 16. 19. 20. 22. C 1. 3. 4. In contrariam partem versae sunt in posterioribus monumentis paucissimis: B 17. 18. Varium in modum figurae versae sunt in A 2. B 13. 15. In A 4 Minerva sola in d. versa est, ceterae omnes figurae, Mercurius Perseus duae Gorgones Medusa, ad Minervam versae sunt. Hic igitur Minerva quasi dea tutelaris est Persei, praesertim cum alteram manum, ut significet tutelam, porrigat.

[2]) vid. A 1. 2. 4. B 6. 7—9. 11—14. 16—18. 20. C 1. 2. 3.

[3]) A 3. B 1. 2. 3. 5.

[4]) vid. A 1. 2. B 1. 6. 16. 22. C 4.

occisam relinquens. Deinde in anaglypho figulino Melio (B 22) mirus est equus, quo Perseus in d. celeriter vehitur, s. m. falcem tenens, d. m. caput Medusae portans; sub equi corpore Medusa ipsa magnis alis praedita prona in genua subsidet capite praeciso. Hunc equum Persei iam Levezowius rectissime his verbis declarat: „dass es hier seine Entstehung bloss dem Umstande zu verdanken habe, dass Perseus und Medusa der Vorstellung des von dem Pegasus herab die Chimaera besiegenden Bellerophon zum Gegenstuecke dienen". Conferas velim alterum anaglyphum ex argillo factum et in eadem insula repertum, quod Bellerophontem, in Pegaso sedentem, Chimaeram necantem facit (Millingen Anc. uned. Mon. II pl. 3 = Baumeister Denkm. I 301 fig. 318).

In nonnullis vasculis figurarum rubrarum, quae pulchrum stilum quinti saeculi praebent (B 14. 15), Neptunus, pater Gorgonum, sive inter duas Gorgones currentes, sive inter Perseum et Mercurium fugientes, invenitur. Pro Neptuno autem in speculo Etrusco (B 20) Phorcus positus est. Videmus enim Perseum celerrime in d. currentem, quem sequitur Minerva retro spectans in virum chlamyde vestitum atque tridentem gestantem, cui nomen adscriptum est litteris Etruscis *ΛVDCIVƩ* = Purcius = Phorcys.[1]) Qui quin non sit diversus ab Hesiodeo Phorcye, cuius uxor erat Ceto, et a quo nascuntur Graeae et Gorgones (Theog. 270 sqq.), non est dubium.[2]) Phorcyi, maris deo, artifices Neptuni speciem dederunt. Neque tamen certum est, num delineator speculi atque pictores illorum vasorum Hesiodum respexerint, quia ex quinto saeculo fabulas Persei varie tractatas esse Pherecydis et Aeschyli narrationes[3]) docent.

Nunc ad alteram monumentorum classem accedo, quae caedem Medusae ipsam ostendunt. Haec monumenta in tres partes dividi possunt, quarum prima Perseum Medusae caput

[1]) A Persei altero latere mulier alata, nomine Meanpe, conspicitur. Haec in numerum daemonum Etruscorum alis praeditorum, qui saepissime in arte Etrusca inveniuntur, referenda est.

[2]) Phorcus secundum Theocritum Chium ap. Fulgent. Myth. I, 26 = Mueller. fr. hist. gr. II 87a pater Medusae erat atque sec. Serv. V. A. V, 824 in insulis Corsica et Sardinia regnabat.

[3]) vid. Roscher. Lex. Myth. I 1731. 1735.

desecantem (*A*)[1]), secunda ad Medusam inopinantem, ut eam occidat, accedentem (*B*)[2]), tertia post caedem Medusae aliquid facientem (*Γ*)[3]) ostendit.

---

[1]) Ad primam classem referenda sunt:

A 1. metopa Selinuntia. Benndorf, Die Metopen von Selinunt tab. I. Overbeck. Gr. Plast. I [3] 80 fig. 5.

A 2. fragmentum paterae Tarquiniis rep. Arch. Ztg. 1881 tab. 5, 2. cf. Loeschckium p. 30 not. 3.

A 3. oenochoa Amaseos n. f. Mus. Brit. 641. Wien. Vorlbl. 1889 tab.

A 4. amphora (πελίκη) r. f. Eremitage 1918. Ant. du Bosph. Cimm. pl. 63 a, 3. 3 a.

A 5. amphora r. f. Gerhard Rapp. volc. no. 419 a.

Cetera varii generis monumenta haec sunt:

A 6. scarabeus. Castellani. Mon. d. J. VI, 24 no. 4. cf. Bullet. d. J. 1858 p. 51. Brunn, Annal. d. J. 1858 p. 386.

A 7. Figurae aeneae. Gori, Mus. Etr. 145 = Levezow, Gorgonenideal tab. 3, 34 (Gaedechens: „Verzierung eines Löwenfusses", wahrscheinlich zu einer Candelaber-Basis gehörig).

A 8. aes Etruscum. coll. Oppermann. Fröhner Mus. de France pl. 20, 5. cf. Bullet. d. J. 1866 p. 123.

A 9. speculum Etruscum. Mon. d. J. VI, 24, 2. cf. Bullet. d. J. 1858 p. 103. Arch. Anz. 1858 p. 170.

A 10. ectypon figulinum Etruscum. Mon. d. J. VI. VII, 72 no. 1. 2. 5. Brunn. Annal. d. J. 1862 p. 278 sq.

A 11. ectypon figulinum Tarsi repertum Gerhard Arch. Anz. 1853 p. 303.

A 12. pictura parietis. Mus. Borb. XII, 48.

A 13. nummus aeneus Sebastae. Millin gal. myth. 105 no. 386** = Inghirami Mon. etr. VI tab. L, 4 no. 7 — Levezow Gorgonenideal tab. 5, 54.

A 14. gemma. Millin. gal. myth. 105 no. 386***.

[2]) ad secundam classem pertinent:

B 1. cylix r. f. pulchri stili ornata. Arch. Ztg. 1846 p. 342 no. 9.

B 2. vas r. f. pulchri stili. Huebner, Die antiken Bildwerke in Madrid p. 193 no. 391.

B 3. speculum Etruscum. Gerhard Etr. Sp. V, 67. cf. Bullet. d. J. 1885 p. 201.

B 4. scarabeus. Mon. d. J. VI, 24, 3. cf. Brunn. Annal. d. J. 1858 p. 386.

[3]) Ad tertiam classem pertinent:

Γ 1. crater posterioris aetatis. Gerhard A. V. B. II, 89, 1. 2.

Γ 2. amphora r. f. ornata Italica. Mus. Berol. 3022. Mon. d. J. VIII, 34, 1. cf. Kluegmann. Annal. d. J. 1866 p. 443 sq. Bullet. d. J. 1865 p. 165.

Ut arcae Cypseli anaglyphum ad priorem quae fugam Persei praebet classem rettulimus, ita solium Amyclaeum ipsam Medusae caedem ostendisse videtur teste Pausania, cuius verba ad ipsam caedem spectare conici potest (III, 18, 11): *Περσέως τε τὸ ἔργον πεποίηται τὸ ἐς Μέδουσαν.*

Ut schemata in his quae enumeravi monumentis distinguamus, Medusae figuram animadvertere expedit.

In metopa (*A*1) Medusa in d. versa genu dextro nititur ea, quam nos appellamus „Knielaufschema“, positura; habitus illarum Gorgonum currentium simillimus est, quae in antiquissima arte saepissime inveniuntur atque fortasse ab Ionibus primis excultae sunt (cf. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I p. 1709). A sinistro latere Perseus in d. versus Medusae caput, quod s. m. crinibus capit, gladio desecat capite averso. Eodem modo Amasis (*A*3) figuras componit, praeterquam quod in metopa Minerva a sinistro, in oenochoa Mercurius a dextro Perseum adiuvat. Neque aliud schema pictor paterae Tarquiniensis (*A*2) adhibuisse videtur, quantum e fragmento cognoscere possumus; conspicitur enim Medusae caput et parva pars dextri bracchii Persei gladium tenentis. Ac ne solii Amyclaei quidem imaginem ab his, quas attuli, diversam fuisse conicere possumus, quia antiquissimi septimi et sexti saeculi artifices iisdem fere figuris uti solent. Iam quaeritur, ubi hoc antiquissimum schema ortum sit. Cum Selinus circa annum 628 a Megarensibus condita sit, ad Peloponnesiacam artem ducimur. Sed haec certe aliqua ratione cum Asiatica vel potius Ionica arte cohaeret. Atque cum solium Amyclaeum ab artifice Magnete, Bathycle, factum sit, veri simile est, ut Gorgones ipsas, ita Persei fabulam primis ab Ionicis artificibus tractatam esse. Deinde in arca Cypseli fugam Persei repraesentatam esse iam supra dixi. Hanc autem arcam multis in rebus ab Asiatica arte pendere constat. Fortasse igitur illa quae seiunxi schemata, et caedes Medusae et fuga Persei, ab Ionica arte initium ceperunt.[1])

Posteriore aetate Medusa ambobus genibus nixa invenitur:

[1]) Qua ratione solium Amyclaeum et arca Cypseli cum Asiatica vel potius Ionica arte cohaereant, Loeschcke Dorp. Progr. 1879 p. 10 sqq. 1866 p. 8. 11 coniecit.

in eis monumentis, quae ad quintum et quartum saeculum referenda sunt (A 6. 7. 8. 10).

Hoc schema postea ita commutatum est, ut Medusa non nixa sit genibus, sed subsidat in genua cadens in dextrum. Talem Medusam et in pictura parietis (*A* 12) et in nummo (*A* 13) invenimus, in quibus Persei quoque figurae simillimae sunt; magno enim gressu a sinistro latere in Medusam invectus sinistra manu crines capitis eius capit atque retro spectans in Minervam, quae vehementi motu accurrit, dextra manu Medusae caput harpa desecat; illa autem sinistra manu se liberare conatur. Videmus igitur et parietem et nummum similes imagines exhibere, ut ad idem exemplum eas redire probabile sit; post Alexandri aetatem Asiaticum quendam pictorem aut sculptorem caedem Medusae similem in modum repraesentasse conicere possumus. Illis enim temporibus hoc opus ortum esse vel inde apparet, quod pulchrum illud quidem, sed dolorosum gorgoneum in Medusae facie invenitur.[1]) Fortasse ab eodem artifice dolorosa gorgonei forma inventa est.

In alterius quam littera Graeca *B* significavi classis monumentis Medusam in rupe vel humi sedentem aut iacentem ac dormientem conspicimus. Neque vero tam eximiae sunt huius classis imagines, ut accuratius eas tractare atque illustrare nobis opus sit. Alia tamen pictura vascularis hoc loco commemoranda est, quam inter Gorgonum imagines iniuria alii referre solent: dico pyxidem variis coloribus pictam, pulchro figurarum stilo insignem, Athenis repertam, Museo Luporensi asservatam, a Dumontio editam atque illustratam.[2]) His enim verbis usus Dumontius figuras interpretatur: „Le moment de la légende de Persée et de Méduse que l'artiste a choisi est facile à reconnaître. Persée, qui a reçu des nymphes les souliers aîlés, *πτηνὰ πέδιλα*, et le casque d'Adès, *Ἄϊδος κυνῆ*, destiné à le rendre invisible, vient d'arriver en volant au-dessus de la mer occidentale, près de la Nuit, au séjour des Gorgones. Athéna et Hermès, qui

[1]) De hac gorgonei forma vid. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I 1724; gemma (*A* 14) falsa esse videtur, quia Medusa aegide Minervae instructa est.

[2]) Mon. grecs de l'association pour l'encouragement des études grecs 1878 pl. 2. p. 15 sqq.

l'ont accompagné pour le protéger, l'invitent à poursuivre son entreprise. Il s'élance sur le rivage, en détournant la tête; il ne doit pas regarder Méduse sous peine d'être pétrifié. Méduse dort sur un tertre près d'un arbre, la tête dirigée du côté opposé à Persée, ce qui rendra la surprise plus facile. Le héros va la saisir; une autre Gorgone accourt pour prévenir sa soeur."

At huic interpretationi e variis causis assentiri non possum. Perseus enim prorsus armis caret; dextera protensa certe harpam non tenet. Deinde altera quam Medusam Dumontius vocat Gorgo manum dextram supinam prona sinistra tegit, ut nescio quid caute custodire videatur. Tum altera Gorgo, quam accurrere Dumontius dicit, manibus demissis, ut prorsus egregie pictor expressit, digitos porrigit atque incerto passu ingreditur; haec procul dubio caeca est, ut illam ipsam quoque, quam dormire Dumontius censet, caecam esse contendere possimus. Qua re ad aliam Persei fabulam adducimur atque aliis monumentis collatis non Gorgones, sed Graeas in pyxide pictas esse facile cognoscemus. Duo enim exstant monumenta, quae Graeas repraesentant: pyxis Attica a Boehlavio nuper edita[1]) et speculum Etruscum iam antea notum.[2]) In utroque monumento Perseus oculum Graeis, dum altera sorori tradere conatur, inopinantibus auferre studet. Idem autem momentum ille pictor Atticus exprimere voluit, cum una ex Graeis, ut oculum capiat, ad alteram accedat. Quam occasionem opportunam esse Mercurius Perseo, qui capite reverso verbis dei aures praebet, manu exstensa indicat.

Etsi idem momentum in omnibus monumentis ab artificibus expressum est, tamen nonnullis in rebus alius ab alio discrepat; in pyxide, quae Athenis asservatur, tres Graeae, in speculo Etrusco et in pyxide Luporensi duo apparent, quam discrepantiam in fabulae diversis formis positam esse constat. Hesiodus enim duas esse Graeas tradit (Theog. 270), quibus nomina sunt Enyo et Pephredo; Aeschylus in tragoedia, quae *Φορκίδες* inscribitur, ad quam Hygini (Astr. 2, 12) et Eratosthenis, qui nomi-

---

[1]) Mitteilg. d. Athen. Inst. 1886 tab. VII.

[2]) Mon. d. J. IX, 56, 2. Annal. d. J. 1873 p. 126 sqq. Simile speculum descriptum est Bulletin épigraphique 1884 p. 152 no. 428. cf. Rosch. Lex. Myth. I, 1738.

natur (Catast. 22), narrationes redeunt, procul dubio eundem Graearum numerum adhibuit, quem Prom. 792 tradit

αἱ Φορκίδες ναίουσι δηναιαὶ κόραι
τρεῖς κυκνόμορφοι.

At cum Hesiodus neque de oculo quidquam noverit neque Graearum fabulam cum caede Medusae coniunctam esse indicet, in omnibus illis monumentis eandem quam Aeschylus tractat fabulam exhiberi probabile est; nihilo secius Hesiodum quoque artifices respicere vel inde cognoscere possumus, quod et delineator Etruscus duas Graeas repraesentat eisque Hesiodea nomina dat Enyo et Pephredo, et pyxidis Luporensis pictor, quamquam Aeschyleam fabulam illustrare voluit, tamen Hesiodeum numerum videtur retinuisse. Difficilius autem est diiudicare, num Neptunus et Phorcys ex Hesiodi Theogonia deprompti sint, quoniam posterioribus temporibus Persei fabulam varie tractatam esse et Pherecydis et Aeschyli narrationes[1] demonstrant.

Iam si quaerimus, quomodo cetera monumenta, quae enumeravi, cum Hesiodi Theogonia cohaereant, omnia ad eius narrationem redire contendere non possumus. Sine dubio iam multo antiquioribus temporibus, quam Hesiodeis, fabula de Perseo eiusque factis a poetis tractata atque pervulgata erat, ut et monumenta et Hesiodi narrationem ad eundem fontem spectare coniciam. Tamen est, cur de Pegaso et Chrysaore ab Hesiodo commemoratis accuratius disseramus, praesertim cum alia monumenta Pegasum solum, alia et Pegasum et Chrysaorem, cetera omnia neque Pegasum neque Chrysaorem praebeant. Duo enim antiquissima vascula, patera Rhodi reperta (A 1) et patera Berolinensis (B 1), quae e Furtwaengleri sententia ab Atticis artificibus factae sunt atque fortasse usque ad VI. saeculi initium redeunt, Pegasum alatum solum e collo Medusae occisae exilientem ostendunt. Contra Chrysaorem solum in monumentis multo posterioribus invenimus, velut in vasculo Tarquiniensi r. f. ornato (B 12) atque in anaglypho figulino Melio (B 22), quae ad eandem fere aetatem, ad primam saeculi quinti partem, referenda sunt. Nonnullis autem in monumentis et Pegasum et Chrysaorem nascentes

[1]) vid. Roscher. Lex. Myth. I 1731. 1735.

videmus. Quorum antiquissimus est sarcophagus Cyprius (B 19), quem sequitur vas Etruscum (B 18) nigris quidem figuris pictum, sed post sextum saeculum factum; recentissimum videtur esse vas Nolanum (A 4).[1])

Sed priusquam de his monumentis quidquam pro certo affirmare possim, de fabula ipsa dicendum est.

Plurimum enim interest quaerere, qua in regione quaque forma fabula genuina atque vulgaris fuerit. Certe apud Argivos primos antiquissimis temporibus de Perseo eiusque factis fabulae pervulgatae erant; Perseus ipse cum Iove Apesantio, qui antiquitus in monte qui appallatur Ἀπέσας prope Nemeam sito colebatur, sine dubio artissime cohaeret.[2]) De eodem monte Perseus ad Gorgones volasse dicitur[3]); Mycenarum conditorem eum fuisse omnes Graeci narrant.[4]) Inde fabulam in Asiam translatam esse veri simile est, fortasse ab Argivis ipsis, qui in insulam Rhodum colonias deduxerint. Pegasus autem ad genuinam fabulam Argivam pertinet, quia multae fabulae Argivis cum Corinthiis, qui procul dubio Pegasum excogitaverunt, communes sunt[5]), quam ob rem in antiquissimis monumentis Atticis et in metopa Selinuntia solus apparet. Sed Chrysaor sine dubio postea additus est, non ab Argivis, sed ab incolis quibusdam Asiaticis, fortasse a Caribus aut vicinis eorum. Nam Chrysaorem cum Iove illo Cario, cui cognomen est Χρυσαορεύς[6]), prope Stratoniceam culto, quae urbs antiquissima aetate ipsa Χρυσαορίς appellata erat (Paus. V, 21, 10), nescio quo modo cohaerere constat. Etiam posterioribus temporibus τὸ ἔθνος Χρυσαορέων ibi habitasse inscriptio Mylasensis docet.[7]) Lydiae

---

[1]) Ab eis quae caedem ipsam repraesentant monumentis Pegasi et Chrysaoris ortum alienum esse consentaneum est. Eo magis mirandum est in metopa Selinuntia Medusam dextro bracchio Pegasum quasi per prolepsim gestare, qua re originem eius significare, non repraesentare artifex in animo habebat.

[2]) Paus. II, 15, 3. Bursian Geogr. v. Gr. II 35. Preller-Plew. Gr. Myth. I 100, 2.

[3]) Stat. Theb. III, 60 sqq.

[4]) Paus. II, 15, 4.

[5]) Cogito de Bellerophonte, de Medea et Iasone, aliis.

[6]) Strabo XIV, p. 660.

[7]) Boeckh C. I. G. 2693. cf. II p. 473.

quoque flumen erat Chrysaoras.[1]) Atque deis cognomen *Χρυσάωρ* inditum erat, ut Apollini (Hom. Il. XV, 256), Dianae (Herodt. VIII, 77), Cereri (Hom. H. in Cer. 4). Ad Asiam igitur Chrysaor ille Hesiodeus nos traducit; ubi fabula de Chrysaore e Medusa nato exculta esse videtur. Atque Asiaticos artifices primos Chrysaorem simul cum Pegaso finxisse monumenta indicant. Nam sarcophagus ille Cyprius (B 19), in quo primo Chrysaorem et Pegasum invenimus et quem circa sexti saeculi exitum factum esse censeo, ad eandem artem, fortasse Ionicam, spectat, quacum ectypon figulinum Melium cohaerere videtur.[2]) Itaque e fabula vulgari ac domestica artifices Asiatici hauserunt.

Contra aliter de vase Nolano (A 4) iudicandum esse puto; in quo Pegasus et Chrysaor prorsus aliter ac in ceteris omnibus monumentis repraesentati sunt: ille alatus ad caelum volat, hic puerulus humi in dextrum latus quasi serpens apparet. Licet igitur nobis statuere huius imaginis auctorem fuisse memorem Hesiodi, qui Pegasum ad Iovem in Olympum volantem, Chrysaorem in terra remanentem facit v. 284:

χὠ μὲν ἀποπτάμενος προλιπὼν χθόνα μητέρα μήλων
ἵκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει,
βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διὶ μητιόεντι.

De aetate huius vasculi aliquid pro certo affirmare difficile est; anaglyphis ornatum est; stilus figurarum, et corporum et vestium, ad recentiorem aetatem spectat. Equidem de quinto saeculo cogitaverim.

Apparet igitur, ut in Promethei imaginibus, ita hic singulos artifices ab exemplo tradito aberrare Hesiodi verbis commotos.

4. De Typhoeo.

Quoniam Maximilianus Mayerus[3]) de Typhoei et natura mythologica et imaginibus accuratissime egit et Alfredus Bruecknerus[4]) fastigium illud e poro lapide factum, quod Iovis cum

---

[1]) Steph. Byz. s. v. *Μάσταυρα*.

[2]) cf. Furtwaenglerum ap. Rosch. Lex. Myth. I 1710.

[3]) M. Mayer., Die Giganten u. Titanen 135. 215. 225. 274. Preller-Robert, Gr. Myth. I 63.

[4]) Mitteil. d. Athen. Inst. XIV 67 tab. II. III.

Typhoeo pugnam exprimit, e fragmentis in Athenarum arce erutis felicissime restituit, unum restat, ut quaeramus, num cum Hesiodi poesi (Theog. 820 sqq.) aliquo modo haec monumenta cohaereant. Qua in re e Typhoei figura proficiscendum esse puto, quae cum in monumentis nunquam nomine adscripto significata sit, e poetarum scriptorumque verbis primum delineanda est.

Ac primum quidem in Aeschyli versibus (Sept. 474 sqq.), quibus Hippomedontis scutum describitur,

Τυφῶν' ἱέντα πύρπνοον διὰ στόμα
λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν.
ὀφέων δὲ πλεκτάναισι περίδρομον κύτος
προςηδάφισται κοιλογάστορος κύκλου,

M. Mayerus (l. l. p. 274) serpentes non pro pedibus habendos esse, sed caput ipsum circumdare mea sententia recte statuit, quod e verbis „*περίδρομον κύτος προςηδάφισται ὀφέων πλεκτάναισι*" apparere iure ille contendit. Solum igitur caput Typhoei, gorgenei simile, medio scuto affixum erat.

Iam vero quale reliquum Typhoei corpus fuerit, quaeritur.

Accuratissime Apollodorus (I, 6, 3) formam Typhoei describit, cum dicit: *ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ, μεμιγμένην ἔχοντα φύσιν ἀνδρὸς καὶ θηρίου. Οὗτος καὶ μεγέθει καὶ δυνάμει πάντων διήνεγκον ὅσους ἐγέννησε Γῆ, ἦν δὲ αὐτῷ τὰ μὲν ἄχρι μηρῶν ἄπλετον μέγεθος ἀνδρόμορφον, τὰ δὲ ἀπὸ μηρῶν σπεῖρας εἶχεν ὑπερμεγέθεις ἐχιδνῶν· πᾶν δὲ αὐτοῦ τὸ σῶμα κατεπτέρωτο, αὐχμηραὶ δὲ ἐκ κεφαλῆς καὶ γενείων τρίχες ἐξηνεμοῦντο, πῦρ δὲ ἐδέρκετο τοῖς ὄμμασι.*

E serpentibus igitur et humano corpore superiore Typhoeus commixtus est. Eodem modo Aeschyleum illum Typhoeum num cogitare possumus? At obstant *αὐχμηραὶ τρίχες*, quas Apollodorus commemorat. Contra cum Hesiodeis verbis Aeschyleus Typhoeus consentire videtur. Hesiodum enim, cum Typhoeum his verbis describit Theog. 823

οὗ χεῖρες μὲν ἔασιν ἐπ' ἰσχύι ἔργματ' ἔχουσαι
καὶ πόδες ἀκάματοι κρατεροῦ θεοῦ· ἐκ δέ οἱ ὤμων
ἦν ἑκατὸν κεφαλαὶ ὄφιος, δεινοῖο δράκοντος,

γλώσσῃσιν δνοφερῇσι λελιχμότες, ἐκ δέ οἱ ὄσσων
θεσπεσίης κεφαλῇσιν ὑπ' ὀφρύσι πῦρ ἀμάρυσσε,

non de monstro e serpentibus et humano corpore composito, sed de integro humano corpore cogitare demonstrant verba „*ἀκάματοι πόδες*", quae ad serpentium corpora referri non possunt; contra serpentes centum „*ἐκ δὲ ὤμων*" erant, i. e. ex humeris procrescere videbantur atque caput ipsum circumdabant. Eadem autem Typhoei facies Aeschylo ante oculos versabatur.

Ad has duas formas accedunt *τρισώματοι Τυφῶνες* (Eur. Herc. 1271)[1]), qui cum Geryoneo Peloponnesiaco comparari possunt.

Nunc autem videamus, qualem Typhoeum praebeant artis monumenta. In solio Amyclaeo Typhoeus simul cum Echidna ita expressus erat, ut Tritonibus ex altera parte positis responderent[2]); Tritonibus igitur simillima corpora Typhoei et Echidnae fuisse conicere nobis licet, i. e. ut illi cum piscibus, ita hi cum serpentibus commixti erant, quod et cum Apollodori Typhoeo et cum Hesiodi Echidna[3]) optime consentit. Eandem autem formam cum monstrum illud, quocum Iupiter in hydria Monacensi 125[4]) pugnat, habeat, ad Typhoei fabulam hanc pugnam summo iure referimus, quamquam in pictura vasculari nomen adscriptum non est.

Minus certa est pictura hydriae Mus. Brit. 443 ap. Micalium Mon. ined. 37, 2[5]), ubi duo dei cum simili monstro pugnant.

Dubium autem mihi videtur, num eadem monstra omnia[6]), quae sine Iove una cum variis avibus aut floribus in antiquissimis vasis Corinthiis et variis monumentis Etruscis apparent,

[1]) Lectio certa est auctoritate Plutarchi de Alex. M. fort. 10 p. 341 E, quem locum M. Mayer p. 217 not. 145 citat.

[2]) Paus. III, 18, 10: *ἐν ἀριστερᾷ δ' Ἔχιδνα ἕστηκε καὶ Τυφώς, ἐν δὲ δεξιᾷ δὲ Τρίτωνες.*

[3]) Hes. Theog. 298.

ἥμισυ μὲν νύμφην ἑλικώπιδα καλλιπάρῃον,
ἥμισυ δ' αὖτε πέλωρον ὄφιν δεινόν τε μέγαν τε
ποίκιλον ὠμηστὴν ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης.

[4]) Gerhard A. V. B. III, 237 = Baumeister, Denkm. III 2135 fig. 2393. cf. M. Mayer l. l. p. 275 no. 3.

[5]) cf. Mayer p. 278 no. 4.

[6]) cf. Mayer p. 275 no. 2. p. 278 a—i.

Typhoei nomine vocanda sint. Fortasse, ut in Centaurorum et Gorgonum figuris, forma iam antea exculta ad Typhoei figuram formandam adhibita est. Neque vero in omnibus regionibus eadem Typhoei figura nota erat, cum Hesiodo et Aeschylo forma daemonis cuiusdam antiquissimi, Phobi aut Gorgonis similis, ante oculos versari videtur.

Novam autem formam fastigium Brueckneri nobis praebet: tria enim corpora eodem modo coniuncta sunt, quo in arca Cypseli et vasis Corinthiis atque Atticis Geryoneus apparet; praeter eos serpentes, qui pro pedibus cum humano corpore coniuncti sunt, alii serpentes parvi ex humeris procrescunt; accedunt magnae alae duplices, quae tergo adhaerent. Ab illa igitur forma in solio Amyclaeo expressa sculptorem fastigii profectum esse apparet, ita tamen, ut simul Geryonei exemplum imitaretur; ipse autem num hanc formam invenerit, certum non est. Nec certius, unde parvos illos serpentes sumpserit: utrum ex Hesiodo, qui centum tribuit serpentes Typhoeo, an ex suo ingenio, ut horridior aspectus esset.

Certe ceteris in rebus Typhoeus illius fastigii ab Hesiodeo discedit; neque tamen hac re demonstratur artificem Hesiodi fabulam non secutum esse.

Maiores autem difficultates nobis sinistra fastigii pars parat, quam Bruecknerus recte, ut opinor, ita restituit, ut Hercules impetum faciat in magnam serpentem, quam Echidnam esse veri simillimum est, cum aliud monstrum cum Typhoeo nihil commune habeat. Dixerit igitur quispiam sculptorem fastigii Hesiodo auctore usum esse, qui Echidnam Typhoei uxorem esse multaque alia monstra peperisse Theog. 305 sqq. dicat.

Cui opinioni multa mihi videntur obstare. Matrimonium Echidnae et Typhoei in fabulis Asiaticarum gentium ortum esse arbitror, quia εἰν Ἀρίμοις Typhoeum Homerus (Il. B 781), Echidnam Hesiodus (Theog. 304) habitasse tradit.[1]) Eisdem e fabulis Bathycles Magnes Echidnam et Typhoeum coniuges sumpsit, cum solium Amyclaeum ornaret, nisi vero quisquam dicit Hesiodi Theogoniam etiam Bathyclem secutum esse. In Boeotia scilicet

[1]) cf. Mayer p. 137 not. 192. Preller-Robert, Gr. Myth. I 64 not. 1. 2.

quamquam *Τυφαόνιον,* quod vocatur, *ὄρος* situm erat[1]), tamen qualis fuerit fabulae forma, ignotum est. Deinde si sculptor Hesiodi versus ante oculos habuisset, non serpentem, sed talem Echidnam, qualem Hesiodus describit, e muliere et serpente compositam reddidisset. Atque secundum Hesiodi auctoritatem symmetriae praecepta observare et sinistram dextramque fastigii partes similes sculpere facile fuisset. Tum de Hercule, adversario Echidnae atque Iovis socio, Hesiodus nihil novit. At enim fieri potest, ut suo arbitrio artifex et Echidnae adventum et Herculis auxilium ipse sibi finxerit, ut egregium hoc esset exemplum, quo artificum opera ad vulgares fabulas et commutandas et amplificandas vim habuisse demonstraretur. At illa quae iam protuli argumenta tam gravia sunt, ut huic sententiae assentiri non possim. Itaque eandem fabulam in fastigio servatam esse puto, cuius vestigia M. Mayerus l. l. p. 217 ex Eur. Herc. 1271 atque Plut. de Alex. M. fort. 10 p. 341 E in lucem protulit.[2]) Hi autem auctores rem obiter tangunt, quia Hercules non Typhoei ipsius adversarius est, sed Iovis cum Typhoeo pugnae ita interest, ut Echidnam Typhoeo auxilio venientem vincat. Quae fabula ubi orta sit, difficile est dictu. In Boeotia ignota fuisse videtur, quia Hesiodus de Hercule et Echidna nihil novit.

Apparet igitur sexto saeculo varias fabulas de Typhoeo notas fuisse; neque causa est, cur alia monumenta ad Hesiodi Theogoniam redire iudicemus.

Idem de Iovis ortu dicendum est.

5. De Iovis ortu.

In ara Romanae aetatis, quae in Mus. Capitol. adservatur[3]), anaglyphum conspicitur, quod ad eandem fabulam pertinet, quam Hesiodus Theog. 453 sqq. de Iovis ortu tradit.

Saturnus enim cum se per suum filium interiturum esse Urani et Gaeae oraculo audivisset, quoscunque liberos Rhea uxor pepererat, devoravit. Itaque cum in eo esset, ut Iupiter ipse

---

[1]) Hesiod. scut. Herc. 32. schol. Pind. Ol. IV, 11. Tzetz. Lykophr. 177. cf. Preller-Robert I 64, 2.

[2]) cf. Bruecknerum l. l. p. 72.

[3]) Overbeck K. M. tab. III, 24. Mueller-Wieseler D. A. K. II, 804.

nasceretur, Uranus et Gaea in insulam Cretam Rheam miserunt, ubi Saturni crudelitate evitata Iupiter natus atque in monte Aegaeo nutritus est. Pro infante autem Rhea lapidem involutum (σπαργανίσασα) coniugi dedit, qui inopinans eum devoravit.

Eadem fabulae forma num apud Cretenses ipsos cogitata sit, incertum est. Quamquam certe aliae exstabant fabulae, quae a Theogonia discederent[1]), ex ipsius poetae ingenio illam fabulae formam profluxisse contendere nobis non licet, praesertim cum ille lapis ad Iovem spectare videatur, qui Delphis sub lapidis forma colebatur.[2])

Romanum vero artificem Hesiodo fabulam debere absurdum esset contendere. Celerrime de Iovis ortu fabulae in omnes Graeciae partes pervulgatae sunt. Atque iam Praxiteles, qui in templo Iunonis Plataeensi Rheam Saturno lapidem „σπαργάνοις κατειλημένον“ tradentem fecerat (Paus. IX, 2, 7), e vulgari fabula atque opinione communi haurire potuit.

6. De ara Pergamena.

Puchsteinius (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1888 p. 1231. 1889 p. 323) in ara Pergamena figuras deorum dearumque cum gigantibus pugnantium ita compositas esse, ut certa genealogia cohaereant, magna cum probabilitate contendit. Atque imprimis Hesiodi Theogoniam praeclarissimus ille artifex, cui dispositionem arae Pergamenae debemus, multis in figuris respexisse videtur. Ubi enim maris dei deaeque pugnant, multi inveniuntur, quos Hesiodus certa genealogia coniungit: Oceanus, cuius uxor Tethys est (Theog. 337), filiam habet Doridem (Theog. 240), quae Nereo cum multas alias, tum praecipue Amphitriten (Theog. 243) peperit; atque ex Amphitrita Neptuno Triton natus est (Theog. 931). Hae autem omnes figurae in occidentali et septentrionali latere arae compositae sunt (cf. Puchstein. p. 324). Deinde sequuntur Graeae, Enyo et Pephredo, atque Gorgones sorores, Euryale et Medusa, quae apud Hesiodum (Theog. 270) artissime cum maris numinibus cohareant (cf. Puchstein. p. 332). Tum in orientali atque meridionali latere apparent Phoebe Asteria Hecate Latona

---

[1]) cf. Preller-Robert I 55 not. 2.

[2]) Hesiod. Theog. 197. Schoemann op. acad. II 254.

Apollo Diana. Phoebe enim, uxor Coei, mater est Asteriae atque Latonae ap. Hesiod. Theog. 406. 409; atque cum Asteria ac Latona progenies coniuncta est, cum illa Hecate (Theog. 411), cum hac Apollo et Diana (cf. Puchstein. p. 324. 335). Denique Theia, quae in orientali latere inter Lunam Solem Auroram conspicitur, ex Hesiodi Theogonia sumpta esse videtur, ubi v. 371 illorum numinum mater appellatur; atque eodem Hesiodo auctore (Theog. 135. 136) Theia una cum illa Phoeba ab Urano nata est, qui in eodem arae latere expressus est. Tamen incertum est, utrum ex ipsa Hesiodi Theogonia, an ex alio fonte, qui ex Hesiodo pendet, artifex genealogiam illarum figurarum hauserit (cf. Puchstein. p. 327).

7. De Herculis cum Cycno pugna.

Dignissima inter eas quae Hesiodi propriae sunt fabulas est memoria pugna ab Hercule cum Cycno commissa, quae in Scuto quod vocatur Herculis tradita est.

Sed praeter Hesiodum a Stesichoro Cycni fabulam tractatam esse constat, ut operae pretium sit quaerere, quibus in rebus hic ab illo discrepet.

Hesiodus enim hoc fere modo fabulam narrat (scut. Herc. 57 sqq.): Hercules simul cum Iolao socio ad Ceycem regem[1]) Trachinem, in oppidum Thessaliae, pergens in luco Apollinis Pagasaei[2]) Cycno cum Marte patre curru vehenti[3]) obviam fit.

[1]) De hoc consilio Hercules ipse loquitur v. 353. cf. Diod. IV, 37.

[2]) Locus pugnae in aliis fontibus alius est. Euripides (Herc. 389). Anaurum fluvium commemorat, ad quem Cycnum a Ceyce rege sepultum esse Hesiodus v. 477 narrat. Itonum, urbem Phtiotidis, a qua non longe aberat lucus Pagasaeus, Herculem praetervectum esse Apollodor. II, 7, 7, 4 et Diod. IV, 37, 4 tradunt; Nic. Dam. fr. 55 (= Mueller, fr. hist. gr. III 389, 55) Itonum oppidum Achajae commemorat. Deinde ut Echedorum, Macedoniae fluvium, altero loco Apollod. II, 5, 11, 3 commemorat, ita Penei Pausanias (I, 27, 6) mentionem facit. Prorsus aberrat schol. Il. Ψ 346, qui ad Trozena pugnam commissam esse dicit.

[3]) Martis filius Cycnus semper appellatur; de matre antiquissimi fontes silent; varia autem matris nomina posteriores afferunt, velut Apollod. II, 7, 7, 4 et Nic. Dam. fr. 55, Pelopiam, Pyrenam idem Apollod. altero loco (II, 5, 11, 3) alium fontem secutus.

Quem quamquam Hercules adhortatur, ut sibi cedat (v. 350), tamen Martis auxilio fretus cedere non vult. Itaque postquam uterque subito de curru desiluit, dum quadrigae prope eos versantur (v. 368), magno sonitu concurrunt: Cycnus hasta in scutum adversarii demissa damnum ei non affert; Hercules Minerva adiuvante hostem ita vulnerat, ut humi prosternat. Tum Mars filio subventurus, quamquam Minerva eum, ut absistat a pugna, monet, tamen hastam in Herculem abicit neque eum attingit, quod Minerva eam celeriter declinat. Deinde autem gladio deus ab Hercule vulneratus atque profligatus a Deimo et Phobo servis in currum portatur atque in Olympum reducitur. Dum Minerva quoque ad deos redit, Hercules et Iolaus ad Ceycem regem se conferunt, qui postea Cycnum sepelit.

Stesichorus quomodo fabulam tractaverit atque commutaverit, schol. Pind. Ol. XI(X), 19 = Bergk. poet. lyr. gr. [3] III 978 no. 12 docet. Nam in carmine, quod *Κύκνος* inscribebatur, non ab initio Herculem vicisse, sed primum a Cycno Marte adiuvante fugatum esse narravit, deinde autem vicisse et occidisse Cycnum, cum solus esset, finxit (*αὐτὸν μόνον γενόμενον ἐνίκησεν καὶ ἀπέκτεινε*). Pindaro quoque illo loco, ad quem scholiasta verba adnotat, fugisse Herculem notum est (*τράπε δὲ Κυκνεία μάχη καὶ ὑπέρβιον Ἡρακλέα*), quod certe non ipse excogitavit; scholiasta enim cum Stesichori narrationem referat (*Στησίχορος ἐν ἐπιγραφομένῳ Κύκνῳ ἱστορεῖ*), carmine eius Pindarum usum esse certe significat.

Haec autem fabulae forma mihi duabus e causis esse mira videtur, primum quod deus filium, quem antea adiuverit, postea deseruisse dicitur, deinde quod filio interfecto Herculem propter facinus punire non studet. Itaque scholiastam in fabula Stesichori reddenda nonnulla omisisse censeo, praesertim cum ea, quae affert, magno, quod videtur, carmini non satisfaciant. Quas difficultates quoniam et aliis testibus et monumentis ipsis arcessitis dirimi posse puto, cetera omnia, quae ad rem faciunt, testimonia nunc percensebo.

Ac primum quidem de causa pugnae scholiasta ex Stesichoro, ut videtur, haec narrat: *ὅτι κακόξενος ἦν Κύκνος υἱὸς τοῦ Ἄρεος καὶ ἐν παρόδῳ τῆς Θετταλίας οἰκῶν ἀπεκαρατόμει τοὺς παριόντας, ναὸν τῷ Ἄρεϊ βουλόμενος ἐκ*

τῶν κεφαλῶν οἰκοδομῆσαι καὶ αὐτῷ παριόντι ἐπιβουλεῦσαι ἠθέλησε. Latro igitur Cycnus erat atque, ut alios viatores, ita Herculem cum Iolao praetervehentem ingressus est. Neque tamen diiudicari potest, num Hercules, ut apud Hesiodum, ita apud Stesichorum ad Ceycem regem iter faciat; fortasse ab ipso Apolline emissus est Cycni puniendi vel interficiendi causa. Depravati autem mores Cycni per totam antiquitatem noti erant; Pausanias (I, 27, 6) aliam historiolam narrat, qua docetur, quam multis ille perniciei fuerit (*τοῦτον τὸν Κύκνον φασὶν ἄλλους τε φονεῦσαι καὶ Λύκον Θρᾷκα προθέντων σφίσι μονομαχίας ἆθλον*).

Deinde ex Euripide, quem Anaurum fluvium memorare iam supra not. 2 dixi (Herc. 389), illud tantum videmus Cycnum non hasta, sed sagittis interfectum esse. In Alcestide autem (504) Euripides breviter ad rem alludit.

Ceterorum autem testium plurimi ipsam caedem paucis verbis commemorant, velut Plut. Thes. 11. Apollod. II, 7, 7, 4. Diod. IV, 37, 4. Nic. Dam. fr. 55. Duo modo testes insignes sunt: Apollod. II, 5, 11, 3 et Hygin. f. 31, quorum verba exscribere expedit.

Apollodorus enim dicit: *πορευόμενος οὖν ἐπὶ ποταμὸν Ἐχέδωρον ἧκε. Κύκνος δὲ Ἄρεος καὶ Πυρήνης εἰς μονομαχίαν αὐτὸν προυκαλεῖτο. Ἄρεος δὲ τοῦτον ἐκδικοῦντος καὶ συνιστάντος μονομαχίαν, βληθεὶς κεραυνὸς μέσος ἀμφοτέρων διαλύει τὴν μάχην.*

Hyginus autem narrat: Cycnum, Martis filium, armis superatum occidit. Quo cum Mars venisset et armis propter filium contendere vellet cum eo, Iovis inter eos fulmen misit atque ita eos distraxit.

Utrumque eandem fabulae formam tradere luce clarius est. Quae ita ab Hesiodo differt, ut Hercules et Mars inter se omnino non certent, quamquam hic illum graviter punire vult, sed a Iove vel potius fulmine Iovis dirimantur. Quo est similius veri ad eundem fontem Apollodorum et Hyginum redire, quoniam alio modo alter cum altero non potest coniungi. Apollodorus autem brevius quam Hyginus fontem exscripsit, sed „*ἐκδικοῦντος*“ vox postulat, ut Hercules Cycnum iam occiderit,

quod Hyginus expressis verbis dicit. Hygini vero verba cum Stesichori fabula, quam scholiasta ille Pindari tradit, optime congruunt. Nam ex verbis „Cycnum, Martis filium, armis superatum occidit. Quo cum Mars venisset“ apparet antea Martem non adiuvisse filium, ut Herculi facile fuerit adversarium interficere. Solum autem etiam apud Stesichorum fuisse Cycnum, cum eum Hercules iterum aggrederetur, scholiasta expressis verbis testatur: ἀλλ' ὕστερον αὐτὸν μόνον γενόμενον ἐνίκησεν ὁ Ἡρακλῆς καὶ ἀπέκτεινε.

Itaque Apollodorum et Hyginum eam narrationis Stesichori partem referre existimo, quam scholiasta Pindari locum interpretatus omittere posse sibi visus est. Scilicet illi non ex ipso Stesichori carmine hauserunt, sed ex eodem compendio fabulari, de quo Beethius (quaest. Diod. Gott. Diss. 1887) atque Wilamowitzius (Eur. Herac. I 168) disseruerunt. Incertum sane est, quomodo Hercules iterum Cycno obviam iverit atque cur Mars filium suum non adiuverit. Fortasse repentinum impetum Hercules in Cycnum fecit. Neque vero ex insidiis Cycnum interfectum esse conicere nobis licet, velut Actoriones, heroes illos Peloponnesiacos, per dolum ab Hercule necatos esse Hesiodus narrat (vid. fr. 32 Rzach. Pind. Ol. XI (X), 25 sqq.). Nam ad verum certamen et scholiastae (ἐνίκησεν καὶ ἀπέκτεινε) et Hygini verba (armis superatum occidit) spectant. Neque certius est, num verba Euripidis (Herc. 389) cum Stesichorea fabula coniungi possint; poterat sane fieri, ut Stesichorus etiam de armatura Herculis ab Hesiodea fabula discederet atque arcum, quem ceteroquin habere solet, ei daret.

Ex his tribus testimoniis (schol. Pind. l. l. Apollod. II, 5, 11, 3. Hygin. f. 31) Stesichori carminis argumentum colligendum esse maiore cum probabilitate contendere poterimus, si nobis contigerit, ut Apollodori et Hygini narrationem iam aetate Stesichori vulgatam fuisse demonstremus, id quod e monumentis, quae exstant, docebo.

Ea quae Herculis cum Cycno pugnam exprimunt monumenta enumerata vel tractata sunt a Braunio (Bullet. d. J. 1837 p. 89 sqq. 1839 p. 6 sqq.,) deinde ab Engelmanno (Arch. Ztg. 1879 p. 187 not. 5), tum ab Heydemanno (Annal. d. J. 1880 p. 78 sqq.), qui Pamphaei in pictura vasculari illustranda cetera

omnia monumenta copiose tractavit. Cum autem non tam omnia monumenta enumerare aut illustrare, quam exempla in certum ordinem redigere atque schemata discernere mea intersit, Heydemanni numeris neglectis alias classes constituendas esse censeo. In tres enim partes ille omnia monumenta divisit, quarum prima Herculem et Cycnum solos pugnantes (no. 1—3), altera praeter eos Minervam et Martem, illam Herculem, hunc Cycnum filium adiuvantem (no. 4—12), tertia super hos Iovem fulmine pugnantes dirimentem exhibet (no. 14—24).

Contra ego duas tantummodo classes statuo, quarum prior ea monumenta, in quibus Iupiter deest, posterior contineat ea, in quibus Iupiter pugnae additus est. Nam mox videbimus Iovis figuram non casu omissam aut spatii implendi causa additam esse, sed aliam fabulae formam indicare.[1])

---

[1]) Litterae A et *A* vascula nigris figuris, B et *B* vascula rubris figuris ornata, C alia monumenta significant. Ad priorem classem, in qua Iupiter deest, pertinent:

A 1 = H 5. lecythos Chalcidica. Mus. Syracus. Inscriptiones additae sunt (C. I. G. 7612). cf. Bullet. d. J. 1839 p. 7. Annal. d. J. 1835 p. 38. Kretschmer (Kuhn's Zeitschrift N. F. IX 386) in numerum Chalcidicorum vasculorum habet propter formam Ἀθηναίη.

A 2. hydria Mus. Greg. II, 10, 1. 1 a. b.

A 3 = H 7. amphora Mercuri. Bullet. d. J. 1837 p. 90. 91. C. I. G. 7613.

A 4 = H 7. amphora Vescovali. Bullet. d. J. ibid.

A 5 = H 8. hydria Monac. 48. Bullet. d. J. 1839 p. 9. Klein, Meistersign.[2] p. 131, 3.

A 6 = H 9. hydria. coll. Feoli. Campana Cat. 19. Nunc in Mus. Wuerzburg. III no. 129 servata.

A 7 = H 2. amphora Chalcidica. Mus. Monac. 1108. Bullet. d. J. 1839 p. 8. Kirchhoff, Studien[4] p. 126.

A 8 = H 1. amphora Attica. Lutet. Paris. Millingen Anc. uned. mon. 38 = Mueller-Wieseler D. A. K. I 19 no. 96 C. I G. 7610.

A 9 = H 4. amphora. Mus. Florent. Heydemann, Mittlg. aus Antikensamml. 3. Hall. Winckelmannsprogr. p. 84 no. 2.

A 10 = H 10. hydria. Mus. Florent. Heydemann ibid. p. 88 no. 26. Annal. d. J. 1877 p. 179.

B 1 = H 6. patera Camiri effossa. Mus. Brit. Journal of philol. VII pl. A. B. cf. Percy Gardner p. 215. Comment. Mommsen. p. 171 no. 30. Brunn, Sitz.-Ber. der Bair. Akad. 1880 I p. 179. 211.

Quod ad schemata attinet, plerumque in utraque monu-

B 2. patera Pamphaei Mus. Cornet. Mon. d. J. XI, 24. Wien. Vorlbl. Ser. D tab. 5. cf. Bullet. d. J. 1877 p. 113. Annal. d. J. 1880 p. 78. P. J. Meyer Arch. Zeitg. 1884 p. 239. Klein, Meistersign.[2] p. 92, 13.

B 3 = H 11. patera. coll. Canino. Gerhard A. V. B. II, 84. 85. Cf. O. Jahn, Annal. d. J. 1869 p. 182 not. 4.

C 1 = H 3. scarabeus Etruscus. Mus. Brit. Micali Storia 116, 1 = Mueller-Wieseler, D. A. K. I 63 no. 322 = Annal. d. J. 1880 tab. M, 1. Fabretti, C. I. Ital. 2530.

C 2 = H 12. poculum ex aere factum Mus. Rhen. Bonn. Jahrb. d. Ver. f. A. i. d. Rh. I, 1, 2 p. 50 (Urlichs). cf. Panofka, Monatsber. d. Berl. Akad. 1837 p. 71.

Ad alteram classem, in qua Iupiter additus est, pertinent:

A 1 = H 14. lecythus Attica. Mus. Athen. Collignon Cat. 198. Heydemann, Gr. V. I, 4.

A 2. amphora Camiri rep. Torr, Rhodes pl. 6 B b. cf. Furtwaengler. ap. Rosch. Lex. Myth. I 2210. Heydemanno ignota erat.

A 3 = H 18. amphora. Mus. Monac. 81. Gerhard A. V. B. II, 121, 2.

A 4 = H 19. amphora Basseggio. cf. Bullet. d. J. 1839 p. 89. 1840 p. 56. Gerhard A. V. B. II, 121, 1.

A 5 = H 21. lecythus. Annal. d. J. 1880 tab. M. 3. 3 a.

A 6 = H 20. vas. Mus. Civ. Bologn. 1587. cf. Bullet. d. J. 1879 p. 56. Heydemann, Mitteilgen. p. 59.

A 7 = H 22. hydria. de Witte cat. étr. 133. Bullet. d. J. 1835 p. 164. Él. céram. I 2.

A 8 = H 13. oenochoe Colchi. Mus. Berol. 1732. Gerhard A. V. B. II, 122. 123. Wien. Vorlbl. 1889 tab. 1 no. 2 b. cf. Bullet. d. J. 1835 p. 163. 1839 p. 6. Klein. Meistersign.[2] p. 48.

A 9 = H 17. holmos Caeret. Mus. Vindob. cf. Bullet. d. J. 1865 p. 143.

A 10 = H 16. amphora. Mus. Brit. 552. Cat. I p. 109, 4. cf. Journal of philology VII p. 222.

A 11 = H 15. fragm. crateris Attici. Mus. Brit. Heydemann Mitteilgen. p. 59 no. 143. Annal. d. J. 1880 p. 88.

A 12. patera Nicosthenis. Mus. London. 560. Overbeck, Atlas z. K. M. IV, 7. cf. II 346, 10. Bolte de monum. ad Odyss. pertin. Diss. Berol. 1882 p. 53 no. 29. Max Mayer, Giganten u. Titanen p. 297 not. 62.

A 13. patera Glaucytae. Mus. Berol. 1799. Gerhard A. V. B. I, 61. 62. Klein, Meistersign.[2] p. 78.

A 14. fragm. amphorae (a colonnette). Mus. Berol. 3987.

Ad has quas constitui classes non pertinent separatimque tractanda sunt:

mentorum[1]) parte Hercules et Cycnus, hic a Marte, ille a Minerva adiuvatur; interdum quadrigae adduntur, quibus Minerva et Mars modo adstant, modo, ut in Hesiodea narratione, insistunt.[2]) Contra in oenochoa Colchi (A 8) aurigae sunt Herculis Jolaus, Martis Phobus. Praeter Minervam aut Martem aliae minoris momenti figurae adiunguntur, quae ceteros deos accurrentes repraesentant[3]); in oenochoa Colchi figuris nomina adscripta sunt: iuxta quadrigas accurrunt a sinistro Neptunus[4]) a dextro Apollo; in finibus imaginis Bacchus et Nereus conspiciuntur. Compendiosam autem imaginem monumenta praebent, quae A 7. 8. C 2 notavi, quorum pictores Herculem et Cycnum expressisse satis habuerunt.

Figurarum dispositio in vasis nigra pictura ornatis fere eadem est. Hercules semper a sinistra parte in dextrum versus procedit atque plerumque adversarium sinistra manu aut capere studet aut re vera capit.[5]) Cycnus modo Herculem aggreditur, modo reversa facie fugit[6]); cadentem autem Cycnum nonnulla exempla praebent[7]); semel (A 9) retro cadit. Unus Colchus in figuris disponendis a ceteris ita discedit, ut Cycnus iam profligatus humi iaceat, super eum Hercules et Mars arma pro-

---

α) amphora rubris figuris pulchri stili ornata. coll. Iatta 1088. Arch. Ztg. 1856 tab. 88. Heydemann no. 24.

β) anaglyphum ex argilla rubra factum aetatis Romanae. Gaz. arch. III tab. 12, 1. Heydemann no. 23.

Excludenda sunt duo vascula: alterum nigris figuris ornatum Lut. Paris. servatum (Campana VII, 755. Klein, Meistersign.[2] p. 115, 3), alterum rubris figuris exornatum ap. Gerhard. A. V. B. II, 224. Hercules enim obstat barbato viro armato. Apud Gerhardium adversarius Herculis inscriptione, cuius reliquiae sunt litterae *KAON*, instructus est. Hae sine dubio *Λυκάων* significant, qui ap. Eur. Alc. 503 una cum Cycno Martis filius atque Herculis adversarius est. Ad eandem pugnam alterius vasculi pictura referenda erit.

[1]) A 1—4. B 1. C 1. *A* 1—7.

[2]) A 5. 6. B 2. *A* 8—11.

[3]) A 9. 10. B 3. *A* 7—11.

[4]) vid. scut. 104.

τιμᾷ σὴν κεφαλὴν καὶ ταύρεος Ἐννοσίγαιος,
ὃς Θήβης κρήδεμνον ἔχει ῥύεταί τε πόληα.

[5]) A 2. 5. 7. 9. 10. *A* 4.

[6]) A 1. 2. 5. 7. *A* 2. 3 9. — A 8. 10. *A* 1. 4. 5. 6. 7.

[7]) *A* 2. 4. 5.

tendant; Iupiter autem inter pugnantes fulmen gestans intercedit, ut eos dirimat.[1]) Qua dispositione Iovis figura medium imaginis locum tenet atque magis excellit quam in ceteris vasis.

De Nicosthenis atque Glaucytae vasis (A12. 13) infra accuratius disseram. In lecytho Attica (*A* 1) omnes quinque figurae ad pugnam pertinentes, Hercules Cycnus Iupiter Minerva Mars, ab utroque latere singulis equitibus cinguntur. Hi equites, qui nusquam in aliis Cycni monumentis inveniuntur, sine dubio ex antiquissimis certaminum imaginibus translati sunt atque servos heroum pugnantium repraesentant.[2])

In vasis rubris figuris ornatis severioris illius dispositionis legibus abiectis novae et pingendi et disponendi rationes inveniuntur. Sola Pamphaei pictura (B2) a ceteris omnibus ita discrepat, ut in ea symmetriae praecepta paene usque ad minutias observata sint.

Restat, ut de vestitu Herculis et Cycni nonnulla addam. Cycnus enim paene semper plena armatura instructus est. Hercules, ut in aliis monumentis, ita hic plerumque chitone atque pelle leonis vestitus est[3]), praeterea pharetram portat modo in tergo, modo in latere[4]); deinde plerumque gladium stringit[5]); raro clavam vibrat dextra manu.[6]) Eandem speciem in aliis quoque monumentis Hercules praebet. Singulare autem est eum interdum hasta armatum esse[7]) atque scutum sinistra manu gestare[8]); quin etiam in *A* 7 non leonis pellem, sed θώρακα portat, cuius rei causam infra afferam. Contra arcum, qui eius proprius est, nisi in *A* 13 nunquam tendit.

Nomina singularum figurarum aut ex inscriptionibus aut e dispositione vel schemate facile est cognoscere. Una Pamphaei patera (B2) interpretibus maiores difficultates videtur

---

[1]) Superior Jovis figurae pars mutilata est, sed recte emendata, ut eiusdem schematis A cetera exempla demonstrant.

[2]) Huius rei exemplum egregium praebet vas Sicyonium Achillis et Memnonis pugnam repraesentans ap. Overbeckium Her. Gall. 22, 1.

[3]) A 2. 5. 8. 9. 10. B 1. 2. C 1. 2. *A* 1—5, 7—9. 12. 13.

[4]) A 2. 7. 9. 10. *A* 3. 4.

[5]) A 7. 9. 10. B 3. *A* 1—4.

[6]) A 1. 2. C 1. 2. *A* 6.

[7]) A 8. B 1. 2. *A* 7. 8. 9. 12.

[8]) A 8. B 1—3. *A* 2. 7—9. 12.

praebere. Hercules enim barbatus, chitone pelle leonis scuto hasta ocreis praeditus, hasta scutoque protensis adversarium aggreditur, qui plena armatura instructus est. Ab utraque parte quadrigae conspiciuntur, quarum aurigae ab heroibus pugnantibus aversi sunt, nisi quod Herculis auriga caput revertit. Supra hos duo pueri parvi alati ad pugnam advolant, quorum sinister flores manibus tenet.

Ac primum quaerendum est, et cum utro Hercules pugnet, cum Cycno an cum Marte, et quomodo auriga ille respiciens appellandus sit. Si adversarius Herculis Cycnus esset, Martem patrem, ut in Hesiodi scuto, eum adiuvare exspectaremus, praesertim cum quadrigae additae sint; ergo Mars esset ille vir, qui in quadriga stans ad pugnam respicit, quod cum Hesiodo optime congrueret. Nunc vero illum aurigam Heydemannus (Annal. d. J. 1880 p. 96) Colchi patera nisus, ubi Phobum et Iolaum aurigas inscriptiones (*ΦO.◡Ϟ—IOΙ*) testantur, Phobum appellavit atque re vera P. I. Meyerus (Arch. Ztg. 1884 p. 239) patera denuo accurate inquisita inscriptionem *ΦOBOϞ* invenit. Itaque si re vera illa figura Phobus esset, aut Mars esset Herculis adversarius aut Martis locum ut adiutoris Cycni teneret Phobus. At hoc absurdum esse mihi videtur neque ullis exemplis probatur; illud cygni imagine in scuto adversarii picta refutatur, qua pictor *Κύκνον* sine dubio significare in animo habebat. Accedit, quod de inscriptione Phobi prorsus aliter mihi videtur iudicandum esse. Quae mea quidem sententia ad illum aurigam omnino pertinere non potest. Nam Meyerus ipse haec dicit: „Helbig erkannte (Bullet. d. J. 1877 p. 114) rechts von der Flügelfigur auf Kyknos' Seite *OϞ*, was er zu *καλὸς* ergänzte. Doch steht deutlich *ΦOBOϞ* da, der Name des Wagenlenkers, und hierdurch wird Heydemann's, auf grund der Berliner Kanne bei Gerhard A. V. B. 122 aufgestellte Vermutung, die Figur sei *Φόβος* zu nennen, bestätigt." Quod cum Heydemannus non recte statuerit, iniuria Meyerus sequitur. Nam ex ipsis Meyeri verbis apparet inscriptionem omnino non prope aurigam, sed prope puerum alatum a dextro ad pugnam advolantem inveniri, ut archaeologicae interpretationis elementis servatis ad puerum illum alatum referenda sit: hic ergo Phobus est. Scilicet hic Phobus non ille daemon terribilis est, quo Aga-

memnonis scutum in arca Cypseli ornatum erat aut quem Hesiodus (scut. Herc. 144 sqq.) describit, sed Martis servus, quem Colchus quoque equos Martis regentem facit, et qui apud Hesiodum (scut Herc. v. 463—466) una cum Deimo deum ab Hercule vulneratum e pugna portat atque in Olympum reducit:

τῷ δὲ Φόβος καὶ Δεῖμος ἐύτροχον ἅρμα καὶ ἵππους
ἤλασαν αἶψ' ἐγγύς, καὶ ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης
ἐς δίφρον θῆκαν πολυδαίδαλον· αἶψα δ' ἔπειτα
ἵππους μαστιέτην· ἵκοντο δὲ μακρὸν Ὄλυμπον.

Itaque sinistrum puerum alatum Deimum appellare licet. Pamphaeus autem quoniam, quaecunque in pugna acciderunt, una eademque pictura pingere non potuit, per Phobum et Deimum ad pugnam volantes exitum pugnae Marti fatalem significare volebat. Si quis Martem armis carere contradicat, symmetriae causa Pamphaeum arma Martis omisisse monendum est; nam Iolaus ipse quoque, Herculis socius, arma non habet, praeterquam quod aurigarum habitus utriusque proprius est. Ii vero, qui alterum puerum dextrum tristem, alterum sinistrum laetum esse dixerunt, mihi plus in figuris invenisse videntur, quam artifex exprimere studebat.

Quae cum ita sint, fieri non potest, quin Pamphaeum Hesiodi carmen accurate novisse statuamus. Deinde quaerendum est, quae ratio inter duas quas distinxi classes intercedat.

Quod ad alterius classis monumenta attinet, in quibus Iupiter additur, non desunt, qui eum sine certa significatione eodem fere modo, quo multas alias figuras spatii explendi causa, inseri vel omitti posse dixerint. Velut Furtwaenglerus ap. Rosch. Lex. Myth. I 2210 haec dicit: „. . . . Dieser Typus ward nun zuweilen noch erweitert durch Hinzufügung verschiedener herbeieilender oder zuschauender Gottheiten (cf. Berlin 1799. 1732); viel häufiger jedoch ward er verkürzt, namentlich durch Weglassung der Gespanne oder durch Weglassung des trennenden Zeus." Atque similia Engelmannus (Arch. Ztg. 1879 p. 188) profert. Videntur illa quidem alterius classis vasa, quae Iovem ostendunt, antiquiora esse: usque ad primam VI. saeculi partem, quin etiam ad saeculi initium, referenda sunt. At prioris classis

vasa omnia cum illis comparari non posse valde dolendum est, quia minor eorum pars delineata est. Certe omnium quae novimus monumentorum antiquissimum erat solium Amyclaeum, cuius de imagine Pausanias III, 8, 10 haec paucissima verba facit: *Ἡρακλέους μονομαχία πρὸς Κύκνον.* E quibus si schema illud duorum pugnantium antiquissimum hic adhibitum esse conicere nobis licet, ad priorem quam Latinis litteris significavi classem pertinere videtur. Huc accedit, quod exempla alterius classis ita confecta esse plane cognoscere possumus, ut inter schematis A figuras Iupiter intercalaretur, qua re simplex schema supervacanea figura onerari videtur. Itaque Colchus, maioris ingenii pictor, vel fortasse is, quem Colchus imitatus est, artifex schemate tradito repudiato aliud adhibet: eorum, qui supra virum iam occisum pugnant, qua ipsa re Iupiter propriam accipit vim. Quibus de causis id schema, quod Iovis figuram exhibet, mihi non videtur primarium ac genuinum esse. Cur autem illa intercalata sit, fabula a scriptoribus tradita docet: sine dubio in posterioris classis monumentis eadem fabula repraesentatur, quae ab Apollodoro et Hygino narratur. Quam iam initio VI. saeculi vulgatam fuisse monumenta ipsa demonstrant. Atque eadem aetas ad Stesichori vitam optime quadrat.[1]) Suidas enim Stesichorum Ol. 37—56 = 632—550 vixisse tradit; Rhode (Rh. Mus. 33, 198) ab Alcmanis aetate profectus Stesichori poesin VII. saeculo exeunte floruisse iudicavit. Ut autem Stesichori carmen ab Hesiodi fabula discrepat, ita monumenta posterioris classis a priore classe discedunt. Neque igitur facere poterimus, quin posterioris classis pictores a Stesichori carmine pendere vel potius, ut Iovis figuram inter schematis traditi figuras intercalarent, commotos esse censeamus.

Quid autem priore schemate faciamus, quod antiquius atque genuinum esse mihi persuasi? Hesiodeamne fabulam eius artifices repraesentare dicere possumus?

Sine dubio iam Hesiodus suo arbitrio fabulam vulgarem tractavit, quod praecipue e Deimi et Phobi adventu cognosci

---

[1]) De diversis poetis, quibus Stesichori nomen est, hoc loco disserere supervacaneum est. cf. Welcker kl. Schriften I 149. Boeckh. C. I. G. II p. 319. Agitur autem de antiquissimo atque praeclarissimo, cui carmen Cycni tribuendum est.

potest, quorum auxilium ad exemplum Hypni et Thanati, qui Sarpedonem interfectum auferunt, a poeta videtur esse fictum. Quae autem ad Apollinis Pagasaei cultum pertinent, e vulgari fabula hausit. Sed cum Mars Cycni pater per totam antiquitatem omnibus notus sit, Minerva autem in plurimis Herculis factis adiutrix esse soleat, ut poeta, ita ii artifices, qui Herculem et Cycnum, illum a Minerva, hunc a Marte adiutum repraesentabant, e vulgari fabula haurire poterant; eodemque modo solii Amyclaei imaginem ortam esse veri simile est.

Aliter rem se habere puto de iis imaginibus, in quibus quadrigae sive a deis, sive ab Iolao et Phobo vel aliis incertis aurigis rectae adduntur: has ab Hesiodo pendere censeo. Pamphaeum vero certe Hesiodi carmen bene novisse iam supra exposui.

Certissima autem argumenta nobis praebent arma Herculis, de quibus iam supra dixi. Mirum enim est in nonnullis monumentis Herculem hasta et scuto armatum esse, quae arma ab eius vestitu aliena sunt (cf. A 7. 8. B 1. 2. 3. *Δ* 2. 7. 8. 9. 12). Fortasse quispiam dixerit Herculem ob id ipsum his armis instructum esse, quia cum Cycno, i. e. cum milite omnibus armis armato pugnet. At ne cum Geryoneo aut Amaconibus quidem pugnans Hercules hasta aut scuto praeditus est.[1])

Itaque quoniam ex artis legibus arma Herculis declarari non possunt, dubium non esse potest, quin illi artifices carmen Hesiodeum sequantur. Eius enim poetam armaturam Herculis, quamquam ab eius habitu aliena erat, ipsum sibi ideo finxisse apertum est, ut exemplum Homeri imitatus scuti imagines describeret. Eadem autem ex re discrepantiae quaedam in eis versibus, qui descriptioni antecedunt, optime intellegi possunt. Neque enim omnibus in rebus probandi sunt sermones Herculis et Iolai, quos vv. 83—121 continent. Nam primum quae Hercules de caede Electryonis, de Amphitryonis fuga, de suo ipsius atque Iphiclis ortu dicit (v. 84—94), non ad rem quadrant neque cum pugna periculosa congruunt; versus sequentes (95—101), quibus Her-

[1]) Exstat unum exemplum: vas n. f. Mus. Berol. 2007, ubi Hercules, Geryonei adversarius, magno scuto armatus est. Hoc unum exemplum meae sententiae non obstat; immo vero hoc in vase de Cycni pugnae imaginibus scutum translatum est.

cules Iolaum adhortatur, aliqua ratione cum re ipsa cohaerent. Deinde quod sequentibus versibus (108 sqq.) Iolaus Herculem, ut arma induat, admonet, valde mirandum est; nam antecedentibus versibus Hercules simul cum Iolao in curru stat neque armis carere potest. Has discrepantias nulla ex alia re intellegere possum nisi, quod poeta, ut ad scutum transire posset, eam armaturam, quae Herculis propria non est, commemorare coactus erat, ita ut more Homerico eos, qui audiebant, longis sermonibus delectaret atque Herculem arma induentem faceret.

Itaque si ab ipso poeta arma Herculis inventa suoque arbitrio adhibita sunt, artifices, qui eadem pingunt, illum sequi apparet. Neque id obstat, quod in vasis, quae ad Stesichori auctoritatem supra relata sunt (*A* 7—9), Hesiodi armaturam invenimus. Ex his, quae attuli, cognoscitur iam VI. saeculi initio Hesiodeum carmen, quod scutum Herculis inscribebatur, eandem formam, quam nunc, habuisse.

Neque igitur omnia monumenta antiquiora, quae ad Cycni fabulam pertinent, ab Hesiodo pendent, sed idem hic statuendum est, quod de Prometheo ac Medusa supra demonstratum est: Hesiodi carmen causam fuisse, cur schema arte iam excultum commutaretur atque amplificaretur.

Nunc de hydria illa rubris figuris ornata disserere expedit, quam a ceteris exemplis seiunxi atque littera *α* significavi. Videmus enim Herculem, qui postquam sua arma, pellem leonis pharetram clavam arcum, deposuit, galea scuto ocreis indutus a Minerva longam hastam accepturus est, quam dea a sinistra parte stans ei paratam habet. A dextra parte iuvenis stat armatus galea scuto hasta ocreis. Iuxta quem bigam videmus, cuius equi a iuvene armato reguntur. In media pictura iuvenis nudus conspicitur, coronatus, dextra manu stirpem quandam parvam gestans; hic sine dubio Apollo appellandus est. A sinistro eius latere Erinys sedet. Totius imaginis in dextro latere iuvenis Thracum habitu insignis apparet, quem tuba, quam dextra manu tenet, praeconem significat. Figurae secundum Polygnoti rationem dispositae sunt; stilus autem earum est quarti saeculi.

Welckerus (Arch. Ztg. 1856 p. 177) ad pugnam Herculis cum Amazonum regina commissam picturam rettulit. Heydemannus primus (Bull. d. J. 1871 p. 222. Annal. d. J. 1880 l. l.

no. 24) eam ad Cycni fabulam pertinere iudicavit. Quam sententiam, quamquam Engelmannus (Arch. Ztg. 1875 p. 21. 1879 p. 186) refutare conatus est, probandam esse censeo. Hercules enim pugnam parat atque suis armis depositis scuto galea hasta se armat, quae arma sine dubitatione ad Cycni fabulam referre nobis licet. Quod confirmatur figuris Apollinis atque Erinyos. Adversarius Herculis est Cycnus; Mars in curru stat. Quaeritur autem, utrum Hesiodi, an Stesichori fabulam pictor quarti saeculi secutus sit. Ad illum spectant arma atque Minervae auxilium; aquila quoque Iovis, quae a dextro latere advolat, Herculis victoriam significat; apud hunc Hercules in primo impetu fugatur atque postea Marte absente victoriam reportat. Itaque quia Herculis victoria aperte significatur, Mars autem filium adiuvat, Hesiodeam fabulam a pictore tractatam esse iudicamus, ut etiam quarto saeculo Hesiodi scutum apud Atticos vulgare fuisse appareat.

Quin etiam Romana aetate Cycni fabula ignota non erat, quod demonstratur poculo ex aere facto (C1) atque anaglypho ex argilla rubra facto (*β*), inscriptionibus Latinis praedito. In illo iam prostratus est Cycnus ab Hercule, Mars autem adiutor vel potius ultor filii accurrit; in hoc adversarius Herculis est Mars, qui ex inscriptionibus cognosci potest („adesse ultorem nati me credas." — „virtus nunquam terreri potest."); in basi autem sedent Iupiter, Minerva, Victoria. Opifex anaglyphi Stesichori fabulam tractare videtur, quam e compendio fabulari haustam esse consentaneum est.

Restat, ut de Nicosthenis et Glaucytae pateris (*Δ* 12. 13)[1]), quae Iovem intervenientem ostendunt, nonnulla addam.

In Nicosthenis patera inter duas quadrigas in dextrum vehentes tres personae pictae sunt: Iupiter et Minerva, ille fulmen portans, haec hastam porrigens, obsistunt viro hasta armato, in sinistrum verso. In dextra quadriga, prope quam vir ille

---

1) Heydemannum haec vascula effugerunt, quod ad gigantomachiam antea referebantur. Glaucytae pateram primus Furtwaenglerus (Catal. I 304 no. 1799) recte interpretatus est, alteram M. Mayerus (Gig. u. Tit. p. 297) in numerum nostrorum vasorum rettulit, cum Gigantes curru vehi nullis in monumentis demonstraret.

armatus stat, iuxta aurigam alter quoque vir armatus apparet, qui ea quae in medio accidunt magna diligentia observat. In sinistra quadriga iuxta aurigam Herculem pellem leonis portantem, scuto hastaque se defendentem pictor facit. A sinistro latere Mercurius ad pugnam festinat; deinde in extrema parte duae figurae sequuntur, quibus certa nomina tribui non possunt. In altero latere homo quidam pugnam relinquit, iuxta quem alter stat. Praeterea duae figurae reliquae sunt: iuxta Herculis quadrigam in dextrum festinat figura iuvenis alis praediti, quae fortasse ad pugnae vim referenda est; iuxta Cycni quadrigam mulier quaedam in sinistrum manum protendens.

Glaucytae paterae in utroque latere eadem fere repraesentata sunt; sed quia vasculum valde destructum atque nostro saeculo refectum est, non omnia quae de singulis figuris Furtwaenglerus in catalogo Berolinensi accuratissime affert, repetam, sed ea tantum modo commemorabo, quae a Nicosthenis pictura diversa sunt. Ac primum quidem in medio non tres figurae, sed Iupiter solus apparet in dextrum currens atque fulmen vibrans; in altera parte paterae ad Herculem respicit. Minerva in quadriga Herculis aurigae locum tenet. In altera quadriga ante Iovem in dextrum versa non auriga et vir armatus, ut apud Nicosthenem, sed duo viri armati apparent, quorum alter retro versus hastam vibrat atque scuto corpus obtegit. Inter ceteras figuras, quae aut accurrunt aut fugiunt, unus Mercurius cognosci potest.

Sine dubio apud Glaucytam adversarii Herculis in curru stantes Mars et Cycnus sunt; eorumque fugam pictor repraesentare in animo habebat. Iupiter autem Herculem illos fugantem adiuvare videtur: in altero paterae latere oculos convertit in hostes fugientes, in altero retro vertit in Herculem, quasi postquam ipso adventu illos fugavit, Herculem impedire velit, quominus illum sequatur aut interficiat. Herculem arcum tendentem atque iuxta Minervam in curru pugnantem artifex e gigantomachiae imaginibus sumpsit, quod Mayerus l. l. recte monet. Nicosthenes autem, quamquam sine dubio eandem fugam exprimere vult, tamen Iovi et Minervae virum armatum, sive Cycnum, sive Martem, opponit. Quod ita intellegere possumus, ut Iupiter Martem vel Cycnum a pugna arceat atque fulmine fuget.

Certe Cycnus in utroque vase omnino non interficitur ab Hercule, sed fuga salutem petit.

Tertiam igitur fabulae formam haec vasa nobis praebent, quam pictores ipsi sine dubio sibi finxerunt, quia in poesi nusquam eius vestigia inveniuntur.

Iam vero summam disputationis nostrae subducere iuvat.

Theogoniam Hesiodi nonnullis in fabulis ad imagines componendas aliquam vim habuisse certum est. Novem enim Musarum nomina Hesiodea Clitias, pictor vasis Francoisii, Theogoniae ita debuit, ut illos versus accurate memoria teneret. Deinde artifici quoque arcae Cypseli Hesiodeam Theogoniam notam fuisse cognovimus. Tum ea, quae Prometheum, sive vinctum, sive ab Hercule liberatum ostendunt, monumenta docent pictores nonnullorum et Chalcidensium et Atticorum vasorum, quae ad primam VI. saeculi partem referenda sunt, schema Promethei vincti traditum ob id ipsum commutasse, quia Hesiodeos versus (Theog. 521. 522) falso interpretati sunt. Contra pictor Cyrenaeus, qui et Atlantis et Promethei poenas in una patera composuit, Hesiodi Theogoniam quasi illustrare imagine in animo habebat.

Quid igitur ex his, quae attuli, docetur? Iam initio sexti saeculi non solum in Euboea, in Attica, apud Corinthios, sed etiam apud Cyrenaeos Theogonia Hesiodi vulgaris omnibusque nota fuit.

Etiam posterioribus temporibus, i. e. quinto saeculo artifices Hesiodeas fabulas imagine repraesentavisse basis Iovis Olympici demonstrat, ubi Phidias ortum Veneris eodem fere modo, quo Hesiodus narrat, anaglypho expressit. Atque ut Veneris ortum in Iovis basi repraesentavit, ita Pandorae ortus imagine basim Minervae, quae erat in Parthenone constituta, ornavit. Eandem fabulam iam ante Phidiae aetatem pictores Attici tractaverant. Itaque ἔργα quoque Hesiodi quinto saeculo in Attica tantum valuisse dicemus, ut eam ipsam fabulam, qua Opera insignia sunt, dignam, quae imagine repraesentaretur, artifices putarent.

Ex eis quae Persei fugam caedemque Medusae praebent vasis unum (A4) a ceteris omnibus ita discrepat, ut opificem de

Hesiodea Persei commemoratione, qua Pegasus in Olympum volat, Chrysaor in terra remanet, cogitasse coniciamus. Ut Promethei pictores vasculares, ita hic artifex carmine Hesiodi commotus schema vulgare suo arbitrio commutat.

Aliter res se habere videtur de Rhea pro Iove infante lapidem Saturno tradente. Quae fabula cum cultu ac religione tam arte cohaeret, ut artifices e vulgi opinione hausisse videantur.

Typhoei vero fabula Hesiodea mea quidem sententia cum fastigii Atheniensis figuris non consentit. Neque alia monumenta ab illa pendere causa est, cur iudicemus. In ara denique Pergamena utrum ex Hesiodi Theogonia, an ex alio fonte, qui ex illa pendet, nonnullarum figurarum dispositio deprompta sit, dubium est.

In Cycni pugnae imaginibus pictores vasorum sexti, quinti, quarti saeculi schema ita commutaverunt, ut Herculi Hesiodea arma, quae ab eo aliena sunt, tribuerent. Pamphaeus autem Deimum et Phobum, quos Martis servos esse atque deum necatum in Olympum reducere Hesiodus narrat, eo consilio addit, ut exitum pugnae indicet. Atque quam arte cum poetarum narrationibus artificia cohaereant, ea fabulae forma docet, quae a Stesichoro excogitata est: ut hic Iovem pugnantes, Martem et Herculem, a pugna arcentem facit, ita artifices eiusdem aetatis Iovis figuram schemati tradito inserunt. Novum autem schema Colchus, pictor Atticus, adhibet, ut Iovis figura magis excellat. Haec igitur exempla docent, quam notum fuerit Scutum Herculis inde a VI. saeculo usque ad quartum praecipue in Attica.

ARTHURIUS GERSTENHAUER:

DE ALCAEI ET SAPPHONIS COPIA VOCABULORUM.

Iterum atque saepius doluerunt viri docti[1]) quod adhuc desit thesaurus linguae Graecae qui omnia vocabula et ab antiquissimis temporibus Graecis usitata et recentiore aetate orta complexus accuratius exponat de qua stirpe vocabula derivanda sint, quae propria eorum fuerit notio, quis poetarum aut scriptorum pedestris orationis proprium sensum commutaverit, utra significatio, propria an commutata, apud posteriores valuerit, usque ad quod tempus vocabula in usu fuisse videantur, quae fata, ut uno dicam verbo, voces habuerint. Sed hoc quidem ut cognoscatur, antea opus est de singulis scriptoribus diligenter quaerere, ut intellegatur quae vocabula usurpaverint, unde ea quae iam antea in usu erant desumpserint, qua significatione ipsi vocabula aliunde desumpta ornaverint, quae nova ad copiam verborum quae iam exstabat addiderint; tum demum perspiciemus atque intellegemus „quomodo lingua Graeca et adoleverit et obsoleverit".

His igitur rationibus permotus accessi ad copiam verborum quae duo imprimis apud Graecos insignes atque praeclari poetae lyrici, Alcaeus et Sappho, in fragmentis nobis traditis usurpaverunt, percensendam atque tractandam, maxime auctore Wilamowitzio magistro mihi dilectissimo, qui non semel auditores adhortatur ut ad eiusmodi quaestiones aggrediantur, cui viro docto hoc loco gratias ago quam plurimas.

Ea autem procedam via ut primum agam de eis vocabulis quae iam ante Alcaeum et Sapphonem apud poetas maxime epicos inveniuntur, deinde enumerem cetera quae nova usurpaverunt Lesbiaci. Antea tamen opus est, ut intellegatur de

1) Unum laudo Wilamowitzium, Isyllos von Epidauros (Philologische Untersuchungen 9. Heft, excurs. 1 (ζάθεος) p. 107.

quibus agendum sit, indicem omnium vocabulorum quae in fragmentis Lesbiacorum poetarum leguntur, confici; hunc in appendice addidi.[1])

1) Secutus sum in fragmentis laudandis Bergkium PLG.[4] vol. III; omisi tamen in vocabulis tractandis 1) Sapphon. fr. 26 quod poetriae abiudicandum esse omnes consentiunt; 2) fragmentum quod Sapphoni tribuit Blass, Rhein. Mus. vol. 35 p. 287 = fr. adesp. 56 A Bgk.; 3) Alc. fr. 70 quod iure Nauckius Achaeo non abiudicavit (Bergkius nomen Alcaei substituit) cf. fragmenta tragicor. Graecor.[2] p. 758, 51; 4) Alc. fr. 143 (cf. Bergk. annot.); 5) Alc. fr. 50, quod quomodo restituendum sit, parum perspicere possumus.

§ 1. Perlustrantes vocabula quae Alcaeus et Sappho in fragmentis nobis traditis usurpaverunt, invenimus permulta eorum iam legi apud veteres epicos poetas atque ex accuratiore dinumeratione intellegimus ex eis fere duas partes totius copiae constare, unam complecti ea quae posteriore aetate orta nondum apud priores poetas leguntur. Omnia autem illa quae inde ab Homero non semel leguntur, enumerare cum satis longum est tum ad hanc quaestionem quam tractamus nihil afferre utilitatis apparet. Id unum monendum est neque hoc cuiquam mirum videbitur, illa quae ex epica poesi desumpserunt Lesbiaci poetae, cum multo magis quam ceteri lyrici patriae dialecti proprietates servarent, fere omnia ori Aeolico, ut ita dicam, accommodasse. Neque tamen omnia: nam cum omnino pauca epicae dialecti vestigia in Sapphus et Alcaei reliquiis cognosci possint (cf. Meister, Die griechischen Dialekte 1882, I p. 16), etiam parvus est numerus epicorum vocabulorum, quae nihil mutata neque legibus Aeolicae dialecti accommodata in fragmentis poetarum de quibus agimus inveniuntur. Haec, cum non liceat lectionem codicum commutare, facere non possumus quin Ionibus tribuamus.

§ 2. Itaque haec nunc primum enumeremus.[1])

1. *καταῤῥέω* Sa. 4, 3:[2]) *αἰθυσσομένων δὲ φύλλων κῶμα κατάῤῥει.* Hoc verbum ex Ionica dialecto desumptum esse

---

1) Aeolensibus abiudicare non ausim *ἐθέλω* cum negatione coniunctum *κὠὺκ ἐθέλοισαν* Sa. 1, 24, ubi Bergk coniecit *οὔκι θέλοισα* (cf. adnot. ad h. l.).

2) Hiller hoc fragmentum sic restituit:

ἀμφὶ δ' ὕδωρ
[ὑψόθεν] ψυχρὸν κελάδει δι' ὕσδων
μαλίνων, αἰθυσσομένων δὲ φύλλων
κῶμα κατάῤῥει.

elucet praepositionis forma *κατά,* nam Aeoles non *κατα,* sed *κατ* usurpavisse constat,[1]) cf. Ahrens, De Graecae linguae dialectis vol. I p. 150. Meister, Griech. Dial. I p. 191. Itaque Ahrensius et Bergkius verbum mutaverunt ille in *καῤῥέει,* hic in *κατάγρει,* quod probat Meister l. l. Ahrens enim offensus cum praepositione ionica tum contractione (*-ῥέϝει* in *-ῥεῖ*) — „cum raro digamma inter vocales ita evanuerit ut etiam contractio concederetur" cf. De Graec. ling. diall. I p. 40 — has difficultates illa quam dixi correctione optime se effugere arbitratus est. Atque si verba *κῶμα κατάῤῥει* vel *καῤῥέει,* quod scribit Ahrens, in priore Sapphici versus parte posita essent — hoc enim suspicatus esse videtur Ahrens — ei assentiri non dubitarem. At sunt quarti versus strophae, i. e. Adonii, cum ante verba: *ἀμφὶ δὲ ψῦχρον κελάδει δι' ὔσδων* sententiam aliquam omissam esse statim intellegatur ex particula *δέ,* et Adonii metrum vetat scribi *κῶμα καῤῥέει.* Neque magis probatur mihi Bergkii quamvis ingeniosa coniectura *κατάγρει,* namque hoc verbum quamquam in Aeolica dialecto idem valet quod *καθαιρεῖ* et similiter Sa. fr. 43 *ὄτα πάννυχος ἄσφι κατάγρει* scil. *ὔπνος* vel *ἄωρος* (*ὦρος*), cf. fr. 57, legitur, tamen minime aptum est ad poeticam descriptionem cum Sappho soporem una cum rivuli murmurantis aqua quasi defluentem faciat de „fronde obstrepente" (*αἰθυσσομένων δὲ φύλλων*), quam elegantiam et suavitatem sententiae illud *κατάγρει* prorsus delet. Assentior

---

1) Eadem de causa non probandae sunt Hilleri et Bergkii coniecturae Alc. fr. 39, 5, quorum hic scripsit: (*θέρος*) *ὄπποτα φλόγιον κατὰ γᾶν πεπταμένον πάντα κατανάνῃ*; ille: (*θέος*) *ὄπποτα φλόγι(σμ)ον κατὰ γᾶν πεπταμένον θῇ καματώδεα*; alii alia coniiciunt. *πεπτάμενον* restituit Hartung ex *ἐπιπτάμενον.* Sententiam versus corrupti recte perspexerunt Bergk et Hiller, cum conferunt Hes. Opp. 582 *θέρεος καματώδεος ὥρῃ,* et maxime probo coniecturam Hilleri, quem secutus scribendum esse puto: *θέος ὄπποτα φλογίαν* — pro *φλόγα* cf. Aesch. Prom. 22 *ἡλίου φλογί* Pers. 497 *ἡλίου κύκλος … θερμαίνων φλογί*; *φλογίαν* iam Goellerus ad Demetr. de elocut. § 142, unde fragmentum petitum est, eodem sensu quo nos volumus [„sive scribes *φλογίαν,* pro: *φλόγα* (*ὥρας*) erit"] scribd. proposuerat — *ἐπὶ γᾶν πεπταμέναν θῇ καματώδεα.* praepositio *ἐπί* scribae culpa falso loco posita est. ad *ἐπὶ γᾶν* cf. ψ 371 *ἤδη μὲν φάος ἦεν ἐπὶ χθόνα.*

ergo Hillero qui suo iure *κατάῤῥει* retinuit. Contractio vero quam Ahrens in verbo *κατάῤῥει* concedi posse negat, — idem iudicat Meister I p. 95 — tamen admissa est Sa. fr. 69, ubi scriptum videmus *ἄλιος* ortum ex *ἀϝέλιος* cf. fr. adesp. 61, quod „Alcaei videtur" iudicante Bergkio (*ἀλλ' ὦ πάντ' ἰφόρεις Ἄλιε*) cf. Meister Diall. I p. 95.

2. Non minus quam *κατάῤῥει* suspicionem movit *κατα-στείβω* quod legitur Sa. 94:

οἴαν τὰν (cod. *τὴν*) *ὐάκινθον ἐν ὤρεσι* (cod. *οὔρεσι*) *ποίμενες ἄνδρες*
πόσσι καταστείβοισι (cod. *καταστείβουσι* correx. Schneidew.).

Nam cum propter alia (*τήν, ἐν οὔρεσι*) tum propter *κατα* in composito Ahrens II 544 et Meister I 191 hoc fragmentum Sapphoni abiudicandum esse censent. At cogitandum est *καταστείβοισι* in hexametris minime offendere posse. — Praeter hunc locum *καταστείβειν* non saepius quam bis apud scriptores Graecos invenitur, primum in hymno Homerico XIX (in Panem) v. 4 *αἵ τε κατ' αἰγίλιπος πέτρης στείβουσι κάρηνα*, ubi mea quidem opinione *κατ'* per tmesin a verbo seiunctum est, aliter Gemoll, Baumeister, deinde Soph. O. C. 467 *κατέστειψας*: cf. Wecklein ad h. l. (Wunder edit. V 1889).

3. Ionica vestigia pressit Sappho in vocabulis *μναμοσύνα* fr. 68 et *ἀβροσύνα*[1]) fr. 79. Nam de substantivis in *-οσυνη* exeuntibus apud tragicos disserens quam accuratissime A. W. Verral (Journal of Hellenic Studies I 260 sqq.) optime docuit omnia talia substantiva aut ab Ionibus ipsis aut eorum imitationis causa a poetis ficta esse.

---

1) Rob. Holsten, de Stesichori et Ibyci dialecto et copia verborum, dissert. Gryphiswald. 1884, copiosius p. 49 de voce *ἀβρός*, quam Sappho quoque saepius fr. 5. 55. 60. 62 cf. 79 *ἀβροσύνα* usurpavit, egit eamque Ionibus tribui vult. Hanc sententiam suo iure refellit Ed. Hiller, Bursian. Jahresber. 1886 p. 69; *ἀβρός* enim etiam aliis dialectis proprium erat. Monendum mihi quidem videtur, iam Hesiod. fr. 232, Kinkel Epicor. Graecor. fragmenta (= Rzach fr. 242, Göttling Flach 255) *ἀβρός* legi *ὡς ἀκαλᾶ προρέων ὡς ἀβρὴ παρθένος εἶσιν*; atque ne Cypriis quidem aliena fuit haec stirps cf. Hesych.: *ἀβαριστάν· γυναικιζομένην. Κύπριοι* Meister II, p. 327. Addo ad exempla quae adhuc in lexicis laudantur, Herond. VI, 45 (Buecheler 1892 p. 41).

4. Fortasse etiam adverbia loci in -*θεν* exeuntia non ab initio Aeolensibus propria fuerunt; nam grammatici testantur apud Aeoles atque Dores talia adverbia in -*θα* exiisse atque exempla proferunt *πρόσθα* et *ἔμπροσθα, ἔνερθα, ὕπισθα* et *ἐξύπισθα* pro *ὄπισθεν, ὕπερθα, ἄτερθα, πάροιθα* cf. Ahrens G. D. I p. 153, Meister I p. 39. 40 cum adnotatione, ubi etiam testimonia laudata sunt. Sed suffixum -*θα* legitur uno loco fr. adesp. 67 Bergk,[1]) alibi semper -*θε*, -*θεν* invenimus cf. Alc. fr. 9, 3 *ναύω πάροιθεν ἀμφιβαίνεις*, fr. 15, 2 *κατύπερθεν ἴππιοι λόφοι νεύοισιν*, fr. 86 *ἄλλοθεν, κῆνοθεν*, fr. 18, 2. 3 *ἔνθεν* — *ἔνθεν*, accedit quod Apollonius *περὶ ἐπιῤῥημ*. 563, 19 Aeoles semper *οὐρανόθεν*,[2]) *ἄλλοθεν*, non *οὐρανόθα, ἄλλοθα* dixisse testatur. Etiam inscriptiones Aeolicae nusquam -*θα*, sed ubique -*θεν*, -*θε* praebent cf. Collitz D. J. 223, 19 *πρόσθε κόπτην*. 214, 2 *πρόσθε ἔοντος* cf. v. 22. 273, 3 *κάτωθεν* cf. Meister I p. 40, qui ibidem sic statuit, Aeolensibus ab initio utrumque suffixum et -*θα* et -*θεν* usitatum fuisse, quae quamquam primum non idem significarent, tamen postea promiscue posita essent; idem iudicavit G. Meyer Griech. Grammat.[2] p. 30. At Dittenberger me docuit prius suffixum esse -*θα*, -*θεν* recentiore demum aetate apud Graecos ortum esse. Quae res si vera est, sic statuerim, suffixum -*θεν* in dialecto Ionica prius quam apud Aeoles et Dores in usu fuisse: namque iam apud Homerum nullum indicium fluctuantis usus invenitur, sed solum -*θεν* in talibus adverbiis scriptum est. Aeoles autem atque Dores prius -*θα* diutius quam Iones servarunt et suffixum -*θεν* ex aliis dialectis receperunt. Atque primum quidem duo iuxta usurpaverunt, deinde -*θα* ex usu sermonis cessit. Atque iam Alcaei aetate suffixum -*θεν* usitatius fuisse videtur quam -*θα*, cum poeta — in fragmentis Sapphus deest exemplum — omnibus locis quae attuli usurpaverit -*θεν*. Ceterum duo quidem adverbia *πάροιθεν* et *κατύπερθεν* leguntur in carminibus, quae mea quidem opinione imitationem aliorum poetarum prae

---

1) Ahrens Alcaeo adscribit cf. Dial. I p. 255 (append. Alc. fr. 102); Bergk adnotat: „potest etiam Alcmanicum esse“.

2) rectius scribitur *ὀράνοθεν* vel *ὠράνοθεν* cf. *ὄρανος ὤρανος* Sa. 1, 11. 37. 64. Alc. 17. 34, 1. Herodian. II, 912, 18.

se ferunt:[1]) nam *πάροιθεν* scriptum videmus in hymno ad Minervam (fr. 9) et constat hoc in genere poesis, quod Alcaeus prius quam cetera coluisse videtur, multo minus proprietates et ingenii illius et dialecti inveniri; deinde *κατύπερθεν* Alc. 15, 2 usurpatur in sententia certe ex Homero desumpta: *καττᾶν λεῦκοι κατύπερθεν ἴππιοι λόφοι νεύοισιν* cf. *Γ* 337 *δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν*.

Haec Ionica vocabula ex epica poesi recepta ab Aeolicis poetis invenisse mihi videor. Sane perpauca sunt atque ipsa quoque docent parvam apud illos epicorum auctoritatem fuisse.

§ 3. Quoniam constat in Homeri carminibus inde ab antiquissimis temporibus residere dialecti Aeolicae vestigia, exspectamus etiam nonnulla vocabula, quae in Alcaei et Sapphus carminibus leguntur Aeolica, iam antea apud epicos usurpata inveniri. Haec spes nos non fallit. Duo enim vocabula Aeolica, quae Lesbiaci poetae servarunt, etiam in epicam elocutionem invaserunt: ἔρος et *κταίνω*.

1. *ἔρος* legitur ter in Sapphonis reliquiis fr. 79 *ἔρος ἀελίω*, fr. 40 *Ἔρος δαὖτε μ᾽ ὀ λυσιμέλης δόνει*, fr. 42 *Ἔρος ὡς ἄνεμος κατ ὄρος δρύσιν ἐμπέσων φρένας [ἀμμετέραις] ἐτίναξεν* (sic Hiller). De hoc vocabulo iam saepius egerunt viri docti: cf. Ahrens I p. 120 annot. 2, Hinrichs de Homericae elocutionis vestigiis Aeolicis Jena 1875 p. 97, Meister I p. 158, Kuehner-Blass, Griech. Grammat.[3] I p. 156.

2. *κταίνω* Eustath. Od. 1648, 5 (Alc. fr. 140 Bgk.) *καὶ ἐκ τοῦ κτείνω κταίνω Δωρικώτερον παρ᾽ Ἀλκαίῳ.* Ahrens I

---

1) Affero huius imitationis haec exempla: Alc. 5 *χαῖρε Κυλλάνας ὂ μέδεις* cf. hymn. in Merc. v. 1 *Ἑρμῆν Κυλλήνης μεδέοντα.* — *τὸν Μαῖα γέννατο Κρονίδᾳ μιγεῖσα* cf. hym. XVII, 3 *ὃν τέκε Μαῖα ... Διὸς ἐν φιλότητι μιγεῖσα.* Alc. 9 *ναύω πάροιθεν ἀμφιβαίνεις* cf. Il. *Α* 37 *Χρύσην ἀμφιβέβηκας.* v. 4 *ποτάμω πὰρ ὄχθαις* cf. *Σ* 583. *Δ* 487 *ποταμοῖο πάρ᾽ ὄχθας.* Alc. 13 A *θέων ἰότητ᾽* cf. *Τ* 9 *θεῶν ἰότητι* cf. *η* 24. *λ* 348. *μ* 390 etc. — Alc. 15, 1 *μαρμαίρει χάλκῳ* cf. *Ν* 801 *χαλκῷ μαρμαίροντες.* v. 2 *ἴππιοι λόφοι* cf. *Ο* 537 *ἵππειον λόφον.* v. 4 *ἄρκος ἰσχύρω βέλευς* cf. *Ε* 316 *ἕρκος ἔμμεν βελέων.* v. 7 *ἐπειδὴ πρώτιστ᾽* cf. *Κ* 462 *ὅτε πρώτιστα.* Neque minus epicam imitationem prae se fert v. 1 forma *Ἄρῃ* pro Aeolica *Ἄρευι* cf. Meister I, p. 156. — De *πάροιθεν* addendum est apud Alcaeum post genetivum, apud Homerum semper ante genetivum positum esse.

p. 52 errorem suspicatus mutavit in κτέννω (cf. Alc. fr. 33, 5 κτέννaις restitutum ex κτείναντα), sed nullam habemus causam, cur Heraclidis testimonio, quod servavit Eustathius l. l., diffidamus: namque etiam in Iliade legimus formas singulares Σ 309 κτανέοντα, Ζ 409 κατακτανέουσι, Ξ 481 κατακτανέεσθε (cf. Vogrintz, Grammatik des homerischen Dialekts p. 133).[1])

§ 4. Multa vocabula apud Lesbios leguntur quae ab epicorum usu recedunt, sive quod significatione mutata ab eis usurpata sunt sive quia sensu non diverso tamen alio modo ab Alcaeo et Sapphone ponuntur. Quo ex numero primum videamus, quae vocabula nova significatione instructa sint.

1. ἀβακής quaeque ad eandem stirpem referenda sunt vocabula ἄβαξ, ἀβακέω, ἀβακήμων, ἀβακίζομαι, primum exprimunt mutum esse, non loqui (rad. βακ- loqui). Ex his legitur primum ἀβακέω Od. δ 249, ubi Helena Telemacho et Menelao Ulixis facinus narrat, cum specie mutata Troiam speculandi causa venisset neque a quoquam Troianorum cognosceretur, quod sic descripsit poeta:

κατέδυ πόλιν· οἱ δ' ἀβάκησαν
πάντες, ἐγὼ δέ μιν οἴη ἀνέγνων τοῖον ἐόντα.

ἀβάκησαν i. e. non loquebantur vel eum non alloquebantur, muti erant, quia Ulixem non cognoverunt vel breviter: eum non cognoverunt. Postea haec verba etiam alias induerunt significationes: cf. Hesych. ἀβάκην· ἀφελῆ, ἀσύνετον, ἡσύχιον Bekk. anecd. 323 ἀβακήμων· ἀσύνετος, ἄλαλος. Sed notio placidi, tranquilli[2]) exprimitur adiectivo ἀβακής Sa. fr. 72:

ἄλλα τις οὐκ ἔμμι παλιγκότων
ὄργαν, ἀλλ' ἀβάκην τὰν φρέν' ἔχω.

---

1) Rectissime igitur Bergk in annot. ad Alc. l. l. refellit Cobetum, qui var. lect. I, p. 195, miscell. critic. p. 330 illas Homericas formas barbaras quas dicit mutavit in κτενέοντα, κατακτενέουσι, κατακτενέεσθε, id quod probant Curtius Das Griech. Verb.[2] II p. 328, Nauck, Christ.

2) Sic etiam Et. M., unde versus petiti sunt. Schneidewin ad hunc locum refert Cyrilli glossam Cramer. Anecd. Paris IV 178, 25: ἀβάκην· ἀφελῆ, εὐηθῆ (kindlich); illa interpretatio mihi quidem aptior videtur, cf. Koechly, akadem. Vorträge und Reden I Zürich 1859 p. 189, ubi transvertit: aber ich habe ein sanftes Gemüt.

Eodem sensu usurpavit verbum ἀβακίζεσθαι Anacreon fr. 74 μεμάθηκά σ' ὦ Μεγίστη, τῶν ἀβακιζομένων, ubi Et. M. 2, 45 ἀντὶ τοῦ τῶν ἡσυχίων καὶ μὴ θορυβωδῶν.

2. ἀγέρωχος[1]) apud Homerum est epitheton ornans Rhodiorum *B* 654, Troianorum *Γ* 36, Mysiorum *K* 430, Periclymeni λ 286, cf. Hesiod. fr. 45, 1 ed. Flach (= 33, 1 ed. Rzach); atque etiam apud Alcmanem honesto sensu pro σεμνός usurpatum legi testis est Eustathius 314, 43 (cf. Alcman. fr. 122 Bgk.), qui idem affirmat et Archilochum et Alcaeum adiectivum in malam partem = ἄκοσμος καὶ ἀλάζων vertisse: cf. Archil. fr. 154. Alc. 120. Sed honestus atque proprius, ut videtur sensus ne postea quidem obscuratus est. Nam apud Pindarum, praeter quem nullus ex veteribus poetis eo vocabulo usus est, semper invenitur, cf. Ol. 11, 82 χάριν νίκας ἀγερώχου, Pyth. 1, 50 πλούτου στεφάνωμ' ἀγέρωχον, Nem. 6, 34 ἀγερώχων ἐργμάτων ἕνεκεν. Alcaeum et Archilochum sequuntur recentiores scriptores, ut Plut. Symp. 3, 4, 1, Lucian. Asin. 40, Himer. Or. III, 3 (ἀγέρωχοι καὶ ὑψαύχενοι cf. Anacr. fr. 129).

3. ἀέλιος est semel a Sapphone fr. 79 ita positum, ut significet vitam:

> ἔγω δὲ φίλημ' ἀβροσύναν, καί μοι τὸ λάμπρον
> ἔρος ἀελίω καὶ τὸ κάλον λέλογχεν[2])

ex Athenaeo XV, 687 A, qui ἔρος ἀελίω interpretatur ἡ τοῦ ζῆν ἐπιθυμία. Atque facile intelleges, qui factum sit ut poetria hoc sensu vocem ornaverit, si memineris formulae illius Homericae ὁρᾶν φάος ἠελίοιο = ζῆν, cf. προσορᾶν φ. η. Mimn. 1, 9, Sa. 69, εἰσορᾶν Theogn. 426 (ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίοιο) βλέβειν φ. η. etc., — et alterius, qua contrarium exprimitur,

---

1) De etymologia vocabuli iam veteres dissentiebant atque certant etiam recentiores, quorum opiniones collegit Ebeling in lexico Homerico vol. I s. v. ἀγέρωχος, quibus addo illam quam Bergk PLG.[4] III p. 72 ad Alcman. fr. 122 protulit; putat enim ἀγέρωχος ex ἀγέλαυχος quod proprie dicatur de „tauro grege superbiente", ortum esse.

2) Varie critici verba in iustam metri formam revocare conati sunt; plerique post ἔρος lacunam esse volunt, sed Athenaei interpretatio, quam attuli neque licet neglegere, ἔρος et ἀελίω seiungi non posse docet (cf. etiam Wilamowitz, Isyll. Epidaur. p. 129 et p. 194 [Nachträge]).

λείπειν φάος ἠελίοιο = mori cf. *Σ* 11, 61, *δ* 540, Semon. Amorg. 1, 19.

4. *ἀμβροσία* apud epicos atque omnes fere scriptores Graecos est cibus deorum, quo qui vescuntur immortales fiunt cf. *ε* 93, Pind. Ol. I, 62 Bgk., deinde herba qua vescuntur deorum equi *E* 777, praeterea sic appellatur oleum deorum *Ξ* 170, *Π* 670. 680, *Τ* 38, *Ψ* 186, *δ* 445 (cf. Ameis ad h. l.), nusquam tamen apud epicos quidem poetas valet idem quod *οἶνος*; hoc autem sensu usurpavit Sappho fr. 51, 1 *κῆ δ' ἀμβροσίας μὲν κράτηρ ἐκέκρατο,* quamquam ne alterum quidem vocabulum *νέκταρ* ei ignotum fuisse apparet ex fr. 5. Praeter Sapphonem etiam Alcman et Anaxandridas duo vocabula inter se commutaverunt, cf. Alcman. fr. 100, Athen. II, 39 A. — Copiosius et sagacissime de hac voce egit Bergk Kleine Schriften II, p. 669 sqq. cf. maxime p. 673.

5. *ἀπάλαμνος* semel in Homeri Iliade legitur *E* 597, ubi Diomedes Marti irruenti cedens comparatur cum homine qui in itinere, cum subito ad flumen rapidum pervenerit, aquarum turbine atque impetu perterritus resultat *ἀπάλαμνος*. Haec sunt verba:

> *ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἀπάλαμνος, ἰὼν πόλεος πεδίοιο*
> *στήῃ ἐπ' ὠκυρόῳ ποταμῷ ἅλαδε προρέοντι,*
> *ἀφρῷ μορμύροντα ἰδὼν ἀνά τ' ἔδραμ' ὀπίσσω —*
> *ὡς τότε Τυδεΐδης ἀνεχάζετο.*

Vocem *ἀπάλαμνος* varie et derivant et interpretantur viri docti. Zacherus enim et de *ἀπάλαμνος* et de *παλαμναῖος* in dissertatione „de nominibus graecis in *-αιος, -αια, -αιον*" (dissertt. Halens. vol. III p. 233 sqq.) disputans derivat „de stirpe verbali *παλα-* quae pura contineatur latino verbo „palari", in Graeca lingua nobis non servata sit nisi addito *-να* (Curtius Gr. Verb. I, 251. 260) amplificata *πλανάω* (cf. *πάλης· πλάνης* Hesych.) unde *πάλαμνος* paragog. ionic. *παλαμναῖος, α* intensivo addito *ἀπάλαμνος* vel simplici suffixo *-μο*: *ἀπάλαμος*" (cf. Hesiod. Opp. 20, Pindar. Ol. I, 59) atque interpretatur *ἀπάλαμνος* apud Homerum (*E* 597) *πλαζόμενος*; postea dicit illatum esse vocibus *ἀπάλαμνος* et *παλαμναῖος* sensum scelesti, nefarii, foedi, impudici, denique inepti apud Solonem fr. 27 Bgk.

Sed idem vir doctus paulo post etiam alias etymologias protulit: nam p. 239 concedit haec vocabula derivari posse etiam „de *παλάσσω*, unde *παλαμναῖος* = sanguine aspersus, vel de *παλαίω*, unde *παλαμναῖος* = qui ferit, caedit, occisor et *ἀπάλαμνος* = insuperabilis *ἀκαταπολέμητος*, *δεινός* vel activa significatione qui pugnare non potest vel non audet, imbecillus, ignavus, cf. Eustath. p. 174, 2 *ἀπάλαμνος* = *ἄναλκις*." — Goebel Lexilog. II p. 268 a radice *σπαλ-* schwingen fictum esse vult *ἀσπάλαμνος*, *ἀπάλαμνος* et ab eadem stirpe *παλαμναῖος*. De aliis etymologiis (cf. Ebeling lexic. Homeric. vol. I s. v. *ἀπάλαμνος*) nihil dicam, assentior autem iis qui *ἀπάλαμνος* et *παλαμναῖος* de *παλάμη* derivant, in quo illud unum improbandum esse hoc loco mihi videtur, quod Goebel, Zacher, alii duo adiectiva proprie eadem fuisse volunt: nam ab initio diversas habuisse videntur significationes. Voci enim *παλαμναῖος* proprie inest notio scelesti atque foedi, *ἀπάλαμνος* autem et *ἀπάλαμος* primum idem quod *ἄχειρος* (*ἄχειρ*) sunt: homo qui manibus recte uti nescit (*μὴ ἔχων παλαμᾶσθαι* cf. Eustath. ad Homer. l. l.) vel recte uti non vult, i. e. iners, ut Hesiod. Opp. 20 *ἥτε καὶ ἀπάλαμόν περ ὁμῶς ἐπὶ ἔργον ἐγείρει*. Id unum nondum satis cognitum habemus, quomodo suffixum *μνο-* ortum sit.[1])

Propriam significationem servavit Simonides apud Platonem Protagor. 346 c *ἔμοιγ' ἐξαρκεῖ, ὃς ἂν μὴ κακὸς μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος*, ad quem locum Stallbaum (cf. edit. II curav. Kroschel 1882 p. 153) refert Hesychii glossam *ἀπάλ. ἀμήχανος* „inops consilii, ignavus, iners". Notio inepti, stulti invenitur primum apud Alcaeum fr. 49

ὢς γάρ δήποτ' Ἀριστόδαμόν φαισ' οὐκ ἀπάλαμνον ἐν
Σπάρτᾳ λόγον
εἴπην· χρήματ' ἄνηρ, πένιχρος δ' οὔδεις πέλετ' ἔσλος
οὐδὲ τίμιος.

post hunc apud Solonem fr. 27, 12 *οὐδ' ἔρδειν ἔθ' ὅμως ἔργ' ἀπάλαμνα θέλει* et apud Theognidem v. 481 *μυθεῖται δ' ἀπά-*

1) G. Curtius Etymol.[5] p. 678 „*ἀπάλαμνος* etwa für *ἀπάλαμ-ι-νος* weiss ich nicht nach deutlichen Analogieen zu erklären." — Tycho Mommsen ad Pind. Ol. I, 59 et hoc loco et Hesiod. Opp. 20 *ἀπάλαμνος* restitui vult, quod correptionum summa licentia usi essent Pindarus et Hesiodus.

λαμνα: cf. Bekk. Anecd. p. 418, 7 ἀπαλάμνως· ἀβούλως καὶ ὡς ἀσυνέτως. Praeterea autem coepit significare foedum, ὑβριστικόν et cum altero ab initio diverso παλαμναῖος confundebatur, ut Theogn. 281 δειλῷ γάρ τ' ἀπάλαμνα βροτῷ πάρα πολλ' ἀνελέσθαι, Pind. Ol. 2, 63 ἀπάλαμνοι φρένες (ubi malim scribere ἀπάλαμνοι φρένας sensu, opinor, faciliore ad intellegendum). Restat unus locus apud Pindarum Ol. I, 59 ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον τοῦτον ἐμπεδόμοχθον (scil. ὁ Τάνταλος) i. e. vitam cui nulla arte sive opera resisti potest, insuperabilem, ineluctabilem. — Posteriore aetate, quantum video, nusquam legitur, ab Atticis certe poetis et scriptoribus prorsus alienum est atque mox interiisse videtur.

6. ἄχαρις i. e. sine gratia, ingratus saepius in scholiis et apud recentiores scriptores idem esse apud Sapphonem dicitur, quod „χαρίζεσθαι μὴ δυναμένη" (Hesych.) cf. Plutarch. Erot. c. 5 atque laudatur Sapphon. fr. 34 „σμίκρα μοι πάϊς ἔμμεν ἐφαίνεο κἄχαρις". Nos aptissime vertimus cum Koechlyo, Akadem. Reden I p. 182: „unanmutig".

7. γάμβρον ab Aeolensibus appellatum esse τὸν νύμφιον testatur Servius in Vergil. Georg. I, 31 „generum vero pro marito positum multi accipiunt iuxta Sappho, quae in libro qui inscribitur Ἐπιθαλάμια ait, χαῖρε, νύμφα, χαῖρε, τίμιε γάμβρε, πόλλα" (cfr. fr. 105 Bgk.) ἀντὶ τοῦ νυμφίου cf. Polluc. III, 32, Sa. fr. 51. 91. 99. 103. 104. 106. — de voce egerunt Boeckh ad Pindar. Ol. VII, 4, Fritzsche ad Theocr. XV, 129, maxime M. Haupt opuscul. II p. 401.

8. δάκτυλος post Homerum significasse saepe mensuram minimam, qua Graeci utebantur constat, cf. Hultsch Griech. u. Roem. Metrologie[2] 1882 p. 28; transtulit Alcaeus in tempus brevissimum fr. 41, 1, quod imitatur A. P. XII, 50 (δάκτυλος ἀώς).

9. θέσις. verbum τίθημι semper propria significatione ab Homero usurpatum est: ponere, collocare, saepius scribitur pro composito κατατιθέναι, cf. υ 394, φ 3 = 81, ω 168, atque etiam substantivum θέσις hoc sensu positum est in vetere Odysseae

1) In Stephani Thesauro l. G. edt. Dindorf. transvertitur: „quae nondum per aetatem venereo obsequio est, quae nondum viro gratificari potest" inepte.

libri φ inscriptione *τόξου θέσις*. Sed testatur Etym. Magn. 319, 30 *θέσις* pro *ποίησις* inveniri apud Alcaeum (cf. fr. 133 Bgk.). At offendit nos quod *θέσις* per se positum esse dicitur pro *ποίησις*: nam alibi *θέσις* semper coniunctum est cum genetivo, ut Pind. Ol. 3, 8 *θέσις ἐπέων* (= *ποίησις* Boeckh, et Dissen: *θέσις* = *σύνθεσις*). Conferre licet etiam Platon. Theaet. 206 a *θέσις λεγομένων καὶ γραφομένων*. Fortasse igitur grammaticus, unde hausit Etymologicum, oblitus est genetivi, qui a *θέσις* illo Alcaei loco quem respicit verbo vel compluribus verbis interpositis seiunctus erat.[1]) Pro simplici autem verbo *τιθέναι* quarto saeculo a. Chr. n. de carminibus vel orationibus componendis usurpari solet *συντιθέναι*, cf. Bruhn ad Euripidem Bacch.[3] v. 297.

10. Medium *ἵστασθαι* aor. *στήσασθαι* primus Alcaeus videtur posuisse pro *αἱρεῖσθαι* cf. fr. 37 A *Πίττακον ἐστάσαντο τύραννον*.

11. De verbo *κελαδέω* iam ante me copiosius egit R. Holsten de Stesichori et Ibyci dialecto etc. p. 33, cuius verba adscribam: „*κελαδέω* et vocabula ei cognata in carminibus epicis quemvis strepitum" — maxime autem, quantum ego quidem vidi, magnum — „significant, iam vero Sapphon. fr. 4, 1 notione mutata *κελαδέω* de rivuli murmure dictum est; postea verbum persaepe de cantu avium aut hominum dicitur, ut Pind. Ol. I, 9, Stesich. 36 et saepius."

12. *λεπτός* proprie est folliculis detritus *Υ* 497, tum tenuis, tener (*Χ* 511, *η* 97 et saepius), imbecillus, tardus, infirmus (Hes. Opp. 499). Singulariter usurpavit Alcaeus fr. 39, 7, ubi haec: *νῦν δὲ γυναῖκες μιαρώταται, λέπτοι δ' ἄνδρες*, quod interpretatur Plinius Histor. Natur. XXII, 43 „viri in coitum pigerrimi" (cf. Bergk. annot.). *λεπτός* autem hoc loco posuit Alcaeus pro *ἀφαυρός* apud Hesiodum, quem Aeolicus poeta imitatus est, cf. Opp. 586 *μαχλόταται δὲ γυναῖκες ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες*. Variavit igitur Alcaeus etiam in mulierum libidine

---

1) Huic opinioni non adversatur Lucilius v. 303 Lachm. (= L. Mueller IX, 41), ubi codd. summa est una *θέσις*, Lachmann una *θέσις* sunt annales Enni: nam Franken et L. Mueller restituendum esse cognoverunt h. l.: *σύνθεσις* annalesque Enni.

describenda, nam pro *μαχλόταται* posuit *μιαρώταται*, atque hoc quoque adiectivum alibi aliam vim habet „contaminatus", ut *Ω* 420 (*μιαρός* hoc uno loco in Homeri carminibus legitur).

13. *μετρεῖν* ante Alcaeum semel invenitur apud Homerum *γ* 179 *πέλαγος μέγα μετρήσαντες* i. e. permensi, atque omnino plerumque verbo inest notio metiendi. Sed nonnullis locis valet idem quod *ἀριθμεῖν*, cuius usus primus auctor est Alcaeus, si recte ei critici verba *μετρῆσαι. ἐπὶ τοῦ ἀριθμῆσαι· Ἀλκαῖος* (Phot. 264, 13) adscribunt (cf. Welcker opusc. I p. 143, Bergk Alc. 142 annot., Meinecke ad Theocrit. 16, 60), quamquam quae Bergk l. l. de Alcaei imitatione apud Theocritum disputavit, argumentis firmari non possunt.

14. *πέλας* semper apud epicos adverbium loci est. Posteriore aetate articulo praeposito *οἱ πέλας* usurpabatur de omnibus quibuscum vitae ordine vel consuetudinis vinculo coniuncti sumus, non de cognatis vel affinibus (cf. Wilamowitz, commentar. ad Euripid. Herc. Fur. v. 590). Huius usus primus auctor est, quantum videmus, Alcaeus fr. 88 *μηδ' ὀνίαις τοῖς πέλας ἄμμεων παρέχην*.

15. *πολιός* in poesi epica significat semper colorem, albus, canus. epitheton est maris (sic etiam Alc. fr. 51 *τέκνον πολίας θαλάσσας*) tum ferri, *Ι* 366, *Ψ* 261, *φ* 3, 81, lyncis *Κ* 344 etc., neque non de crinibus senum usurpatur (*Χ* 77, hymn. in Ven. 288) et iam *ω* 317 caput capillo albo seniliter ornatum *πολιόν* dicitur. Hac igitur ratione factum est ut *πολιός* idem valere inciperet quod senilis, vetus, *πρεσβυτικός*. Hac significatione primus instruxisse videtur adiectivum Alcaeus fr. 42, ubi pectus *πολιόν* dicitur: *κατ τᾶς πόλλα παθοίσας κεφάλας καχχεάτω μύρον καὶ κατ τῶ πολίω στήθεος.*[1]) Alcaeum sequuntur recentiores, ut Dioscorides Anth. Pal. IX, 88 et alii.

16. Restat ex verbis quae propter significationem mutatam notabilia enumeranda sunt unum, de quo num recte se habeat

---

1) Wilamowitz in commentario ad Euripid. Hercul. Fur. v. 693 in verbis „*κύκνος ὥς γέρων ἀοιδὸς πολιᾶν ἐκ γενύων κελαδήσω*" adiectivum *πολιός* non per catachresin a poeta esse positum censet, hoc enim post Euripidem demum esse factum ut *πολιός* idem valeret quod *πρεσβυτικός*, namque Pind. Pyth. 4, 98 in „*πολιᾶς γαστρός*" adiectivum oppositum esse *τῷ φαίδιμος*; sed oblitus est vir doctus Alcaei l. l.

quod traditur, valde dubitandum est. Nam in scholiis in Aristoph. Av. v. 1648 ad vocem *διαβάλλεται,* quod hoc loco significat „decipit“ (cf. Kock ad h. l.), adnotatur etiam verbum *παραβάλλεσθαι* apud Alcaeum usurpatum legi pro *ἐξαπατᾶν* (cf. Bergk fr. 146). Dubium est utrum Alcaeum lyricum an comicum dixerit scholiasta (namque satis constat, utrumque persaepe inter se commutari) quam quaestionem hoc quidem loco difficillimam ego quidem disceptare nolim, Bergkius autem adscripsit lyrico. Quod si recte iudicaverit, statim oritur quaestio, num credendum sit Alcaeum verbum *παραβάλλεσθαι* hoc inusitato atque prorsus singulari sensu usurpasse. Primus enim Homerus hoc verbo usus est Il. *I* 322 *αἰὲν ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν,* ubi *παραβάλλεσθαι* est idem quod *παρατίθεσθαι,* in aleam dare (cf. *B* 237, *γ* 74 et Ameis ad prior. loc.), quod nos dicimus „daransetzen, einsetzen, aufs Spiel setzen“; atque haec significatio ne postea quidem interiit, cf. Thucyd. II, 44, 3. III, 65, 3. III, 14, 1 (ubi poetice *τὸν κίνδυνον τῶν σωμάτων παραβαλλόμενος*) atque apud eundem I, 133 *ᾔσθοντο (οἱ ἔφοροι) πάντα σαφῶς, αἰτιωμένου τοῦ ἀνθρώπου τά τε περὶ αὑτοῦ γραφέντα καὶ τἆλλ' ἀποφαίνοντος καθ' ἕκαστον, ὡς οὐδὲν πώποτε αὐτὸν ἐν ταῖς πρὸς βασιλέα διακονίαις παραβάλοιτο,* ubi scholiasta *παραβαλέσθαι· παραβόλως κατηγορῆσαι ἢ ὑπόπτως διακονῆσαι* interpretatur atque priores editores transvertebant „decipere“.[1] At hoc recentiorum plurimi refellunt suo iure, cum exempla alia huius significationis neque apud Thucydidem neque apud alios scriptores inveniantur, atque potius interpretantur „in discrimen sive periculum adducere“ (cf. Classen, Stahl, Boehme ad h. l.). Etiam duobus aliis locis Herodot. I, 108 (*Ἅρπαγε* — inquit Astyages — *πρῆγμα τὸ ἄν τοι προσθέω, μηδαμὰ παραχρήσῃ μηδὲ ἐμέ τε παραβάλῃ*)[2] et Euripid. Androm. v. 289 (*ἔβαν δὲ Πριαμίδαν ὑπερβολαῖς λόγων δυσφρόνων παραβαλλόμεναι*), nulla est causa cur interpretemur „decipere“.

---

1) „Krueger „neglegenter ministrare“, quam vim quomodo ex verbo eruat, minus perspicimus“ Stahl.

2) Schweighaeuser lexic. Herodot. falso: „circumvenire, decipere“.

Quae cum ita sint, facere non possumus quin etiam de Alcaei loco grammaticos errasse suspicemur.[1])

§ 5. Iam vero transeamus ad ea vocabula quae alio modo a Lesbiacis poetis quam ab epicis usurpata sunt. Atque primum quidem tractemus ea quae antea proprie, ab Alcaeo et Sapphone translate dicta sunt.

1. *ἀείρω* apud Homerum atque ceteros qui ante Lesbiacos floruerunt poetas semper proprie ponitur de rebus quae manibus teneri vel oculis aspici possunt, translate usurpavit primus Alcaeus fr. 78 *νόον δὲ ϝαύτω πάμπαν ἀέῤῥει* (Bekker *ἀέρρεται*), cf. Ion. fr. 9, 3 (Bergk PLG.[4] II p. 255) *ἀερσίνοος*.

2. *ἀναπετάννυμι* pandere ab Homero dicitur proprie de portis *M* 121, cf. Euripid. Phoen. 297, Herodot. 3, 146, vel de velis *Ι* 480, quod saepius legitur apud Homerum, de mari aperto Herodot. 8, 60 (*ἐν πελάγεϊ ἀναπεπταμένῳ*), de regionibus latis Plat. Phaedon. 111 c (*τόπους . . . ἀναπεπταμένους*), ut alia omittam. Atque Sappho quidem pervenusta et vere poetica metaphora adhibita *ἀναπετάννυμι* usurpavit de gratia puellae fr. 29 *τὰν ἐπ' ὄσσοις ὀμπέτασον χάριν*, quo spectare videtur Hesychiana glossa *ἀμπέτασον· ἀνακάλυψον*, quamquam negat Bergk. Eadem translatione usus est Plato, cum Phaedr. 240 E *παῤῥησίαν* appellat *κατακορῆν καὶ ἀναπεπταμένην* („unverhüllt" Mueller).

3. *δονεῖν* atque *δινεῖν* ab eadem stirpe derivata, sed diversa distincta sunt significatione. Nam *δινεῖν* nihil est nisi

1) Schol. Pindar. Ol. X, 15 dicit Alcaeum *ἀλέγω* pro *ὑμνῶ* posuisse et laudantur verba: *οὐκ ἔγω Λύκον ἐν Μοίσαις ἀλέγω* (fr. 58 Bgk.) quae quidem potius Alcmani tribuenda esse perspexit sagacitas Blassii, cf. Alcman. fr. 23, I v. 2, ubi haec: *οἷον οὐ Λύκαισον ἐν καμοῦσιν ἀλέγω*; ci assentiuntur Hillerus praef. ad Anth. Lyric.[4] p. XV alii, cf. Kiessling ad Horat. carm. I, 37, 11. — Praeterea Aeoles *αὔως* (vulgo *ἠώς*) pro *ἡμέρα* usurpavisse perhibent grammatici saepius, cf. Sa. 152. 153, Ahrens, Kl. Schriften 1890, I p. 497. De hac re optime Passow (Handwoerterb. d. griech. Spr.) „weil die Griechen ihre Tage nach Morgenröten zählten, wie die alten Deutschen umgekehrt nach Nächten, so bezeichnete *ἠώς* auch den Tag selbst als Zeitbestimmung, ohne dass der Begriff des Morgens verloren ginge, den nur erst spätere Dichter aufgaben, die *ἠώς* überhaupt für Tag, Tageslicht nahmen." Ahrensio non assentiendum est.

versare, cf. Sapphon. fr. 1, 11, ubi dicitur de passeribus alas versantibus: *πύκνα δινεῦντες πτέρ' ἀπ' ὠράνω.* Contra *δονεῖν* est semper vehementer agitare et dicitur apud Homerum de vento arbores quatiente (*P* 55) vel nubes confundente (*M* 155), de ape boves sollicitante (*χ* 300); in hymnis usurpatur de curribus qui per stadium aguntur, cf. hymn. Apoll. 270 = hymn. Apoll. Pyth. 92, uno loco *δονεῖν* intransitivam accepit significationem hymn. Mercur. 563 *ψεύδονται δὴ ἔπειτα δι' ἀλλήλων δονέουσαι,* codd. *δενέουσαι,* correxit Baumeister, qui interpretatur: promiscue tumultuantes. Prima autem Sappho verbum transtulit in affectus et perturbationes animi, cf. fr. 40 *Ἔρος δαὖτε μ' ὀ λυσιμέλης δόνει* [1]), quod imitari Aristophanem Eccles. 945 perspicuum est, atque ita saepenumero adhibent poetae erotici, ut Mosch. VI, 5 *νόον ἔρωτι δονεύμενος,* Theocr. XIII, 64 *Ἡρακλέης . . . παῖδα ποθῶν δεδόνητο* (nam Cobeto Mnemosyn. X p. 353 minime assentiendum est, qui offensus et plusquamperfecto (*δεδόνητο*) et verbo *δονεῖσθαι,* quati, concuti, agitari, coniecit *δινεῖτο,* comparans Odyss. *ι* 152 *νῆσον θαυμάζοντες ἐδινεόμεσθα κατ' αὐτήν.* Sed diversa est sententia: apud Homerum enim Ulixes eiusque comites per insulam vagantes describuntur, Hercules autem apud Theocritum ardore cupidinis agitatus errat, cf. Fritzsche ad h. l.).

4. *ἐκποτάομαι* semel legitur Hom. Il. *T* 357 *ὡς δ' ὅτε ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται,* [2]) i. e. „caelitus devolant" (Faesi). Sappho autem in fr. 69 fortasse imitata Il. *E* 472 *Ἕκτορ, πῇ δή τοι μένος οἴχεται ὃ πρὶν ἔχεσκες;* *Ψ* 880 *ὠκὺς δ' ἐκ μελέων θυμὸς πτάτο,* transtulit verbum *ἐκποτάομαι* in animam, quae post mortem e corpore hominis evolat:

κατθάνοισα δὲ κείσεαι, οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν
ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις βρόδων
τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφάνης κὴν Ἀΐδα δόμοις
φοιτάσεις πεδ' ἀμαύρων νεκύων ἐκπεποταμένα.

1) Assentior tamen Ahrensio, qui restituit *δύνει* (cf. Meister, Diall. I p. 55, neque refellit Kuehner-Blass, Griech. Grammat.[3] I p. 121). Bergk, Hiller scribunt *δόνει.*

2) H. Duentzer: *Διὸς ἔκ ποτέονται,* sine satis idonea causa, cf. Faesi-Franke ad h. l.

Ad *ἐκπεποταμένα* addendum est *τὸν νοῦν, τὴν ψυχήν*, ut *ἐκπεποταμένα τὴν ψυχὴν* idem sit quod *ἐστερημένη τὴν ψυχήν* i. e. „vecors" (cf. Hermann, opusc. vol. VI p. 118)[1]; *ἐκπεπόταμαι* igitur valet fere idem quod *ἐπτόημαι*, cf. Aesch. Prom. 856 *ἐπτοημένοι φρένας*. Posteriores poetae saepius imitati sunt hunc usum, cf. Eurip. El. 177 *οὐκ ἐπ' ἀγλαΐας, φίλαι, θυμὸν οὐδ' ἐπὶ χρυσέοις ὅρμοισιν πεπόταμαι τάλαιν'*... Theocr. 2, 19 *δειλαία, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπόταθαι*. 11, 72 *θυμὸν ἐκπεπόταμαι*, cf. Hesych. *ἐκπεπόταμαι, ἐκπέπληγμαι*.

5. *θάλαμος* omne aedium conclave vel cubiculum apud Homerum significare constat atque etiam pro aedibus ipsis positum est iam apud epicos. Post Homeri aetatem *θάλαμος* imprimis significabat cubiculum geniale, id quod docent multa exempla (Pind. Pyth. 2, 23, Soph. Trach. 909, Eurip. Troad. 854), vel omnino quodlibet domicilium. Sappho autem prima per euphemismum inferos appellavit *Φερσεφόνας κυάνεον θάλαμον*, cf. fr. 119:

Τιμάδος ἄδε κόνις, τὰν δὴ πρὸ γάμοιο θανοῦσαν
δέξατο Φερσεφόνας κυάνεος θάλαμος,

quod imitati sunt non semel posteriores, ut Simonides Ceus, cf. fr. 124 Bgk. (= Anthol. Pal. VII, 489 c, ubi cf. Jacobs)

οὐκ ἐπιδὼν νυμφεῖα λέχη κατέβην τὸν ἄφυκτον
Γόργιππος ξανθῆς Φερσεφόνης θάλαμον.

Euripid. Supplic. 1022 *χρῶτα χρωτὶ πέλας θεμένα Περσεφονείας ἥξω θαλάμους*, Sophocl. Antigon. 804 *τὸν παγκοίταν ὅθ' ὁρῶ θάλαμον τήνδ' Ἀντιγόνην ἀνύτουσαν*.

6. *καταβάλλω* Alc. 34, 3 *κάββαλε τὸν χείμων'* „prosterne frigus"; facile intellegitur metaphoram ex usu palaestrae translatam esse, quod imitatur Horat. carm. I, 9, 10 „permitte divis cetera qui simul stravere ventos" (cf. Kiessling ad h. l.).

7. *κυκάω* i. e. permiscere proprie usurpatur de liquoribus, saepissime de vino lacte melle inter se mixtis (cf. *E* 903), quem *κυκεῶνα* appellare solent Graeci, atque *λ* 638 *κυκᾶν* pro *κυ-*

1) Non enim Koechlyo (Akad. Vortraege u. Reden, Zürich 1859, vol. I p. 184) assentiri possum, qui transvertit „so bald einst du ins Land luftiger Schatten flogst", cum *ἐκπεποταμένα* tam graviter in versus fine positum sit, cf. Hermann l. l.

κεῶνα ποιεῖν invenitur, deinde κυκῶνται maris et fluminum fluctus Il. Φ 235. 240. 324, Od. μ 238 (de Charybdi) cf. v. 241 (πᾶσ' ἔντοσθε φάνεσκε κυκωμένη), translate Sophocl. Electr. 723 (κλυδῶν' ἔφιππον ἐν μέσῳ κυκώμενον), praeterea homines Σ 229, Λ 129. Posteriores κυκᾶν transtulerunt in animi perturbationes, ut Archilochus fr. 66 Θυμέ, θύμ' ἀμηχάνοισι κήδεσιν κυκώμενε. Id autem tenendum est κυκᾶν esse „ea quae antea pura atque clara fuerunt perturbare", est igitur κυκᾶν mixtio in malam partem, cf. Doederlein. Homer. Glossar. II p. 41 (Nr. 1069) „κυκᾶν enthält den Nebenbegriff der Verwirrung", atque Hesych. κυκῶν· ταράσσων, ἀναζέων, Eustath. 620, 5 ἀντὶ τοῦ ταράττειν καὶ στρέφειν. Inde intellegitur, cur Sappho fr. 28, 2 „αἰ δ' ἦχες ἔσλων ἴμερον ἢ κάλων καὶ μή τι ϝείπην γλῶσσ' ἐκύκα κάκον" linguam quasi aliquid turpe permiscentem inducat.

8. ὀπτάω i. e. torrere proprie semper ab Homero usurpatur de carne quae supra ignem torretur; posteriores transtulerunt in homines, qui solis aestu conficiuntur sive amoris vi vexantur, ut Theocritus Idyll. VII, 55 et alii erotici, quos quidem omnes praeiisse videtur Sappho fr. 115 ὄπταις ἄμμε, quae verba laudat Apollon. de pronom. 387 A; alloquitur, opinor, poetria Cupidinem vel Venerem.

9. ὀπώρα ab epicis semper dicitur de eo anni tempore quod sequitur aestatem (Χ 27, λ 192, μ 76, ξ 384), in quo maturescunt fructus arborum et agri, mala, vinum, frumentum; sed Alcaeus primus omnium transtulit vocem in hominum adulescentiam, namque fr. 61 τερένας ἄνθος ὀπώρας pro ἄνθος ἥβης, quod legitur Il. Ν 484, Theogn. 1070, Solon 25, Mimn. 5, 2 (ἄνθος ὁμηλικίης), dictum esse pro certo affirmaverim. Fortasse imitatur Alcaeum Aeschylus Supplic. 976 τέρειν' ὀπώρα δ' εὐφύλακτος οὐδαμῶς. Etiam simplex ὥρα, quod Attici quidem saepius usurpant quam ὀπώρα, translate de hominum iuventute ponitur.

10. Inter epica vocabula, quae translate usurpata sunt a Lesbiacis poetis, non vereor referre ὄρπετον, quamquam dubitant viri docti et de etymologia et de significatione vocis. Nam usque ad Ahrensium cum veteres tum posteriores omnes ὄρπετον aeolice dictum esse arbitrati sunt pro communi ἑρπετόν, atque

legitur Theocr. 29, 13 in codicibus quidem optimis ὄρπετον, cui certe notio inest ἑρπετόν. Sed offendit Ahrensium (I p. 76, II p. 504. 505), quod Sapph. fr. 40 Cupido „ineptissime ἑρπετόν vocaretur"

Ἔρος δαὖτε μ' ὁ λυσιμέλης δόνει
γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.

Idem quod Ahrens iudicavit G. Meyer (Griech. Grammat.[2] p. 31 § 25), Meister certius quidquam statuere non vult cf. I p. 52. Ahrens igitur priore loco l. ex Hesychii glossis: ἁρπετὸν ἀκόμιστον ἢ ἰκτῖνον· Κρῆτες et ἅρπην· εἶδος ὀρνέου etc. [cf. Eustath. 1188, 3, Etym. Magn. 148, 20] sibi ipse finxit ὄρπετον pro ἁρπετόν ab Aeolibus nominatum esse milvum vel omnem avem rapacem, et cum simul utitur Hesychiana glossa ἅρπυν· ἔρωτα· Αἰολεῖς (cf. M. Schmidt), suspicatur ἁρπετόν translatum esse in Amorem „scilicet deum alis praeditum", neque minus aptam esse avis rapacis mentionem apud Theocritum. Hanc opinionem suam fecit Hinrichs de Homericae elocutionis vestigiis Aeolicis p. 69. Altero autem loco (II p. 504) Ahrens sententiam flexit eo ut concederet Aeolicum ὄρπετον idem esse quod ἑρπετόν, sed ἑρπετόν ab initio non esse omne animal in terra incedens, sed solis de rapacibus feris dici, quapropter non derivat a verbo ἕρπειν, serpere, sed ὄρπετον et ἑρπετόν refert ad eandem stirpem atque Creticum ἁρπετόν, et interpretatur ἑρπετόν esse κακὸν θηρίον, quam significationem ex compluribus veterum poetarum locis docere vult; recentiores autem etymon vocis, quod apparere videbatur, secutos omnia animalia terrestria ἑρπετά vocasse.

Sed iam examinemus Ahrensii sententiam. Primum ε in ο apud Aeoles mutari grammatici tradunt, qui exempli causa proferunt unum στρόφω pro στρέφω, neque iniuria Meister aliique conferunt exempla ex aliis dialectis deprompta, ut Ἐρχόμενος pro Ὀρχόμενος; Ἐρχιεός, Ὀρχιεός; Τρεφία, Τροφία, alia; hoc ne Ahrens quidem infitiatur, sed quae de significatione et usu vocis ἑρπετόν (maxime II p. 505) protulit, minime probanda sunt. Contemplemur exempla quibus nititur. Od. δ 417 Minerva Proteum quamlibet speciem induere posse Menelao narrat his verbis: πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν ἑρπετὰ γίγνονται; postea ἅλιος γέρων se confert in

leonem, *πάρδαλιν,* draconem, aprum, cf. v. 456. Hinc tamen Ahrensio non licuit concludere, *ἑρπετά* semper esse beluas rapaces. Deinde si Pind. fr. 73, 2 Boeckh. (= 106 Bgk. Hyporchemat. 3 Mommsen.) Lacaena canis appellatur *πυκινώτατον ἑρπετόν,* hoc est „canis illa est prudentissimum animalium, bestiarum", neque tamen dicit poeta „beluam". Tum Ahrensio non offendendum fuit in eo quod Semonides Amorginus cantharum volantem dixit *ἑρπετόν,* nam *ἕρπειν* Aeschyl. Prometh. 1022 usurpatum est etiam de aquila ad Prometheum advolitante (*αἰετὸς διαρταμήσει — ἄκλητος ἕρπων δαιταλεὺς πανήμερος*). Postremo affert Ahrens, ut sententiam suam comprobet, Pindar. Pyth. I, 25, ubi Typhoeum appellatum esse videmus *ἑρπετόν* in verbis: *κεῖνο δ' Ἀφαίστοιο κρουνοὺς ἑρπετὸν δεινοτάτους ἀναπέμπει* i. e. „illud animal vel potius monstrum evomit igneos rivos", quo quidem loco vocabulum *ἑρπετόν* notionem immensi, immanis propter sententiae connexum accepisse elucet. Si autem Graeci bestiarum feritatem exprimere volunt, ad *ἑρπετόν* semper eiusmodi adiectivum apponunt, ut Euripides Androm. 269 *πέποιθα δεινὸς δ' ἑρπετῶν μὲν ἀγρίων ἄκη βροτοῖσι θεῶν καταστῆσαί τινα* et Theocritus l. l. *ἄγριον ὄρπετον.*

Exempla igitur, quibus nititur Ahrens, adeo non eius sententiam defendunt, ut potius contrarium doceant, *ἑρπετά* nominari omnia animalia iam apud veteres poetas. Redimus igitur ad priorem sententiam atque statuimus *ὄρπετον* esse idem quod *ἑρπετόν,* quod derivandum est de radice verbali *ἑρπ-,* quae proprie notionem serpendi habuit, postea vim se movendi accepit, cf. Il. *P* 447, Od. *σ* 130, Soph. Philoct. 1207. *ἑρπετόν* igitur est proprie omne humi serpens animal, sic etiam Aristoph. Av. 1069, deinde iam apud Homerum l. l. latius patet et significat omne animal quod vivit atque se movet. Sappho autem propriam serpendi notionem retinuit, cum l. l. Amorem translate dicit *ὄρπετον,* quae est aeolica forma nominis *ἑρπετόν,* atque ita describit poetria aptissime naturam Cupidinis, qui clam in amantium animos inrepit, neque quidquam in hac translatione inest, quod odiosum vel turpe vel deo doloso indignum sit. Cur autem putemus aptius Amorem dici „rapacem avem vel *κακὸν θηρίον*" — nam sic voluit Ahrens —, fateor me non intellegere atque id affirmaverim, quem Amor comparatus cum

angue offendit, eum quid Sappho hoc loco exprimere voluerit, minime perspexisse.

11. Unum vocabulum, quod apud Homerum nomen proprium est, apud Sapphonem substantivi appellativi vice fungitur: ἕκτωρ Sa. 157. Testatur enim hoc Hesychius: ἕκτορες· πάσσαλοι ἐν ῥυμῷ, Σαπφὼ δὲ τὸν Δία, Λεωνίδης τὸν κροκύφαντον. Apparet Iovem non ἕκτορας, sed ἕκτορα a poetria nominatum esse, atque hoc est idem quod nomen illud Homericum proprium Ἕκτωρ i. e. columen, defensor, cf. Platon. Cratyl. 393 A, Suid. s. v. ἕκτωρ (Ἕκτωρ· ἥρως· ἐχέτωρ τις ὤν), Etym. Magn. 23, 11, Curtius Etym.[5] p. 193.

12. Κῖκις: sic nominatum esse Alcaei fratrem perhibent Et. Gud. 322, 5, An. Par. IV, 36, 1, sed dubium est utrum nomen proprium an appellativum sit, cf. Welcker opusc. I p. 129 annot. 9, qui sic statuit: „Vielleicht hatte der Dichter einem seiner Brüder nur das Beiwort gegeben und dessen Name war nicht angemerkt worden. Der Name Κῖκις trifft mit Alkaios zusammen." Utut res se habet,[1]) Κῖκις derivandum esse ab eadem stirpe atque Homericum κῖκυς, quod nomen etiam Alcaeo tribuitur, iam pridem cognitum est, cf. H. Schmidt, Handbuch der Synonymik p. 358 „de stirpe κυ- schwellen, wogen", hinc κῖκυς „der Lebenssaft, dessen Mangel uns schwach und hinfällig macht" (cf. G. Curtius, Etymol.[5] p. 158). κῖκυς bis apud epicos in fine hexametri in eadem formula usurpatum est λ 393 οὐδέ τι κῖκυς = h. in Ven. 237, neque saepius adiectivum ex substantivo et α privativo compositum ἄκικυς, utroque loco etiam in versus fine ι 515 = φ 131 καὶ ἄκικυς. Duo vocabula a dialecto Attica aliena esse arbitror, nam solus ex Atticis scriptoribus Aeschylus neque amplius quam bis haec usurpavit: Prometh. 547 ὀλιγοδρανίην ἄκικυν in cantico, fr. 230 σοὶ δ' οὐκ ἔνεστι κῖκυς οὐδ' αἱμόρρυτοι φλέβες (cf. fr. 229 Nauck.). Itaque statuerim Aeschylum duas voces ex epicis carminibus cognovisse. κῖκυς autem posteriore aetate nunquam usurpatum est, saepius ἄκικυς:

---

1) A. Fick, Die homerische Ilias, 1886, p. 547 „ein Bruder des Alkaios hiess Κίκις (besser wohl Κίκκις) das ist die Koseform zu einem vollen Namen wie Κίκ-ερμος." — Idem antea in verbis „ὁ δὲ Ἀλκαῖος ὁμοίως Ὁμήρωι τὸν ἰσχυρὸν κίκυν καλεῖ" coniecit, opinor, recte: τὸ ἰσχυρόν.

Oppian. Hal. IV, 468, Athen. III p. 126 F (*ἀκικύς εἰμι κωλιγοδρανέω,* ubi Kaibel „poetam agnovit Meineke"), Lith. Orph. Prooem. v. 22 (*νοῦσος ἄκικυς* i. e. debilitans!), v. 140. Anth. Pal. VII, 661, v. 10 ubi si recte traditum est, dicitur „de homine opibus destituto" cf. Jacobs ad h. l. (D. Heinsius, Valckenaer, Toupius coniciunt *ἄοικος*).

13. Satis constat iam inde ab Homeri aetate (cf. Il. *K* 252, Od. *μ* 312 = § 483, hymn. in Mercur. 97, Welcker, Griechische Goetterlehre I p. 53) apud Graecos noctem divisam esse in tres partes. Quo factum est ut Graeci complures partes noctis respicientes, saepenumero etiam unam noctem *νύκτας* dicerent, cf. Platon. Protagor. 310 C *λίαν πόῤῥω ἔδοξε τῶν νυκτῶν εἶναι;* Sympos. 217 D, Aristoph. Eccl. 668 etc., eadem ratio eos permovit, ut mediam noctis partem exprimerent plurali forma. Cuius usus habemus permulta exempla, cf. Thuc. VIII, 101, 3 *πρφτερον μέσων νυκτῶν,* Xenoph. Anabas. I, 7, 1 *περὶ μέσας νύκτας,* ibid. VII, 8, 12, ubi Kruegerus articulum in hac formula nunquam legi bene observavit, Platon. Republ. X, 631 B *μέσας νύκτας γενέσθαι* etc.; sed primum invenitur apud Sapphonem fr. 52 *δέδυκε μὲν ἀ σελάννα καὶ Πληΐαδες, μέσαι δὲ νύκτες.* Antea enim semel singularem inveni Iliad. Parv. fr. 11, Kinkel, fragmenta epicor. Graecor. p. 43: „*νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη.*"

14. *ἀσινής* plerumque cum apud epicos tum apud posteriores passive poni solet „illaesus, incolumis" cf. *λ* 110, *μ* 137, Aeschyl. Choeph. 1018, Herodot. 2, 114. Active „non nocens" prima Sappho usurpavit fr. 80 *ὀ πλοῦτος ἄνευ τᾶς ἀρέτας οὐκ ἀσίνης πάροικος,* cf. Aeschyl. Eumenid. 316, Herodot. I, 105, 6.

15. Memorabile videtur esse hoc loco adiectivum *βασιλήϊος,* quod semel legitur apud Homerum *π* 401 *βασιλήϊον γένος.* Recentiore enim aetate adiectivum ad res pretiosas atque eximias significandas usurpari solebat, ut Sa. fr. 49 *βρενθείω βασιλήΐω;* deinde tribuitur voci *πῆχυς* Alc. 33 *βασιλήΐων παλαίσταν ἀπυλείποντα μόναν ἴαν πάχεων ἀπὺ πέμπων,* cf. Herodot. I, 178, VII, 117, Hultsch Griech. u. Roem. Metrologie[2] 1882 p. 387. 474 annot. 2.

16. *βληχρός* Alc. 16 apud schol. Il. *Θ* 178, ubi haec: *ἄλλως δὲ ἤδη αὐτὸ τὸ βληχρὸς σημαίνει ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον μᾶλλον*

τὸ ἀσθενές. Ἀλκαῖος θ': „*βλήχρων ἀνέμων ἀχείμαντοι πνόαι*" quae verba etiam ab aliis tradita sunt, cf. Bergk in annot. Vocabulum referendum est ad eandem stirpem atque *βλάξ, μαλακός,* cf. G. Curtius Etymol.[5] p. 326, sed offensioni est *η* in *βληχρός,* quod qua ratione ortum sit, non satis perspici potest, cf. R. Meister Diall. I p. 70 („auffallend wegen der offenbaren Verwandtschaft mit *βλάξ, μαλακός*"). Vocabulum iam Homero cognitum est, qui *α* intensivo semper proposito Il. *E* 337 de manu Veneris, *Θ* 178 de muris infirmis, Od. *λ* 135 cf. *ψ* 282 de morte, qua Ulixes periturus sit, usurpavit. *βληχρός* et *ἀβληχρός* posteriore aetate non raro et apud poetas et apud scriptores prosaicos inveniuntur. Persaepe enim *βληχρός* posuit Hippocrates de leni febri (*βληχροὶ πυρετοί*), de pulsu debili (*βληχροὶ σφυγμοί*), de morbo remissiore (*βληχροτέρη νοῦσος*), de lenta nausea (*βληχρὴ ναυτία*), cf. Aretae. I, 18, atque adiectiva frequentantur Alexandrinorum aetate, cf. Nicandr. Ther. 446, Apoll. Rhod. 2, 201. 4, 152, Aelian. H. A. 4, 41. 9, 11 (*ἀβληχρός* utroque loco propter Homeri imitationem), Diodor. Sicul. 3, 51 (de vento), cf. 1, 41, Plutarch. Pericl. c. 28, Sertor. c. 8. Apud Atticos autem neque *βληχρός* neque *ἀβληχρός* legitur, cf. Valckenaer ad Theocr. Adoniaz. p. 218, bis tamen ex lyricis poetis praeter Alcaeum usurpavit Pindarus *βληχρός*: fr. 95 Boeckh (= fr. 130 Bgk.) *βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί,* ubi perapte critici conferunt Vergil. Aeneid. X, 289 „languentis pelagi" et Horat. carm. II, 14, 17 „ater flumine languido Cocytus errans" et interpretantur „lente fluentes, languidi fluvii". Altero autem loco *βληχρός* mutata significatione usurpatum legimus fr. 245 Bgk. (= 194 T. Mommsen, 108 Christ), quod petitum est ex Cram. Anecd. Oxon. I, 95, 5, ubi haec: *Βληχρόν· Πίνδαρος μὲν βληχρὸν τὸ ἰσχυρόν· „πρόφασις βληχροῦ γίνεται νείκεος" φησίν.* Ad hunc locum respicere videntur Etym. Magn. 200, 13 et Suidas: „*βληχρὸν, τὸ ἀσθενὲς παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἀλκαίῳ καὶ ἄλλοις· Πίνδαρος δὲ ἐπὶ τοῦ ἰσχυροῦ αὐτὸ λέγει*" cf. Orion. Etym. p. 7, 6. — Eadem, qua Pindarus hoc loco, significatione usurpavit Apollonius Rhodius Argon. IV v. 621 *περιβληχρόν*: *ἤματα μὲν στρεύγοντο περιβληχρὸν βαρύθοντες ὀδμῇ λευγαλέῃ,* ubi Merkel mea quidem opinione recte inter-

pretatur „graviter".[1]) — Iam Valckenaer ad Theocrit. Adoniaz. p. 218 vocabulum *βληχρός*, cum tam saepe apud Iones, maxime Homerum et Hippocratem, inveniatur, Ionicae dialecto proprium fuisse statuerat; hoc mihi quidem probatur maxime propterea quod *η* (cf. Meister l. l.) apud Aeolicum quidem poetam, si adiectivum ex Ionica dialecto receperit, facilius ferri potest.

— Satis multa adiectiva ab Alcaeo et Sapphone ad alia nomina quam a poetis qui antea floruerunt apposita sunt. Ut pauca exempla proferam, *ἀνθεμόεις* in carminibus epicis epitheton ornans est camporum, hortorum, terrae, Alc. fr. 45 epitheton veris (*ἦρος ἀνθεμόεντος ἐπάϊον ἐρχομένοιο*), cf. hymn. in Pan. XIX v. 17 *ἔαρος* — *πολυάνθεος*, Mimn. 2, 1. *ἀργυροῦς* in epica poesi apponi solet ad res ex argento factas, maxime deorum, deinde heroum, Sapphonem autem dicit Iulian. Epp. XIX lunam sic appellavisse (*Σαπφὼ ἡ καλὴ τὴν σελήνην ἀργυρέαν φησὶ καὶ διὰ τοῦτο τῶν ἄλλων ἀστέρων ἀποκρύπτειν τὴν ὄψιν* cf. Bergk fr. 3 annot.). *ἱερός* singulariter est epitheton vocis *γραμμή* (Alc. 82, 2 *κινήσαις τὸν ἀπ' ἴρας πύματον* (Hill. *πυκίνως*) *λίθον*, cf. Theocr. 6, 18 et Eustath. p. 653 extr.). *κυάνεος* usurpatur apud epicos de nubibus, de fossa (*Σ* 564), de Troianorum acie (translate *Δ* 282, *Π* 66), de terra (*μ* 243), de tauro (h. Merc. 194) etc., Sappho fr. 119 posuit de inferis pro Homerico *ἠεροειδής*: *Φερσεφόνας κυάνεος θάλαμος*. *λυσιμελής* Sa. 40 est epitheton Amoris, Od. *υ* 57 et *ψ* 343 somni, apud Archilochum fr. 85 *ὁ πόθος* sic appellatur. *νιφόεις* Alcaeus fr. 17 singulariter dixit de caelo (*γαίας καὶ νιφόεντος ὠράνω μέσυι*). Omnia autem enumerare nihil opus est.

---

1) Frustra Seaton American Journal of Philology vol. X 1889 p. 468 docere conatus est ea quae veteres lexicographi de adiectivi *βληχρός* duplici apud Pindarum significatione tradunt, sine satis idonea causa prolata esse, nam et Apollon. Rhod. Argon. IV, 621 falso interpretatur cum Beckio „languide gravati odore tristi", et Pindar. fr. 245 Bgk. („*πρόφασις βληχροῦ γίνεται νείκεος*") silentio praeteriit. Quamquam quo factum sit, ut *βληχρός* apud Pindarum significaret „*ἰσχυρόν*", mihi non perspicitur; fortasse hic singularis vocis usus excusatur eo, quod Pindarus adiectivum a sua dialecto alienum ab Ionibus sibi desumpsit.

Postquam adhuc de epicis vocabulis disseruimus atque maxime de eis quae aut significatione mutata aut alio modo quam ab epicis poetis usurpata sunt ab Alcaeo atque Sapphone, restant ea quae ante eos nondum apud priores leguntur. Ut iam initio dissertationis dixi, horum magnus numerus est, continent enim tertiam fere partem verborum omnium, quae Lesbiaci poetae usurpaverunt. His in enumerandis hac ratione utar, ut primum afferam vocabula Aeolica, deinde ea quae nulli certae genti attribuenda sunt, atque ita ut primum omnia substantiva complectar, ex quibus priore loco ponam ea quae nullo necessitatis vinculo cum epicis coniuncta sunt, deinde ea quae cum epicis aliquo modo cohaerent, sive quod ex eis nova terminatione derivata, sive quod ex epicis vocibus composita sunt sive alio modo cum illis cognata sunt. Substantiva sequantur adiectiva et verba, quae eodem ordine enumerabo.

§ 6. Incipiam igitur a vocabulis Aeolicis.

1. *ἀΐτας* [1]) apud Dores imprimisque apud Lacedaemonios viguisse atque idem esse quod apud Atticos *τὸν ἑταῖρον, τὸν ἐρώμενον* testantur Etym. M. 43, 31, Etym. Gud. 22 fin., Orion. Theb. 617, 47 maxime Argum. Theocr. XII et Theocrit. Id. XII v. 14, 15:

δίω δή τινε τῶδε μετὰ προτέροισι γενέσθην
φῶθ' ὁ μὲν εἴσπνηλος, φαίη χὡμυκλαϊάζων
τὸν δ' ἕτερον πάλιν ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι ἀΐτην.

quae verba non a Theocrito, sed ab interpolatore quodam scripta esse ostenderunt Buecheler et Hiller (cf. Theocrits Gedichte v. A. T. H. Fritzsche, 3. Aufl. v. E. Hiller). Ex hoc autem loco id apparet, vocem *ἀΐτης* etiam a Thessalis usurpatam esse atque apud eos etiam satis recenti aetate viguisse (cf. Mueller, Dorier 4, 46).

Ex poetis Graecis praeterea vocabulum usurpavisse Alcaeum nunc quidem satis constat cf. fr. 41, 2 *καδ δ' ἄεῤῥε κυλίχναις μεγάλαις ἀΐτα ποικίλαις* (namque hunc versum sic resti-

1) *ἀΐτας* (*ἀΐτης*) derivandum est de verbo *ἀΐω* cf. Welcker opusc. II, 93 cum annot. 36, Bachmann ad Lycophron. p. 116, Fritzsche ad Theocrit. Id. XII v. 14, Hermann opusc. V p. 109, G. Curtius Etymol.[5] p. 386. *ἀΐτης* est igitur proprie „der Hörer“.

tuendum esse denuo apte docuit Hiller Bursian. Jahresber. 1888 p. 174); deinde nusquam alibi legitur quam Dosiad. Arae 2, 5 (*Χρύσας δ' ἀΐτας*). Ex Alcaei autem loco manifestum est, vocabulum non minus quam Doriensibus et Thessalis etiam Aeolibus proprium fuisse, neque dubitaverim quin Lesbiacus poeta eo saepius in carminibus symposiacis aut eroticis usus sit; Atticis fuit ignotum. Id unum addiderim eo, quod cum Aeoles tum Thessali hoc vocabulum usurpabant, etiam illustrari, quam arcte duae dialecti inter se cognatae fuerint (cf. Meister Diall. I p. 7, Collitz, Die Verwandtschaftsverhältnisse der Griech. Dialekte mit besonderer Rücksicht auf die Thessalische Mundart, Göttingen 1885, p. 4. 9).

2. *ἀσυνέτημι* Alc. 18, 1 *ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν*; ionice *ἀσυνετέω*, quod saepius usurpavit Hippocrates, semel Heraclit. Epist. 4 p. 147, Atticis ignotum fuit.

3. *ἀχνάσδημι* idem quod *ἀχνάζω*, legitur Alc. 124. *ἅπαξ εἰρημ.* — Homericis in carminibus videmus *ἄχνυμαι*.

4. *αὔδω* Sa. 1, 16, vulgo *αὐδῆ*.

5. *ἄωρος* sive *ὦρος* cf. Sa. fr. 57 *ὀφθάλμοις δὲ μέλαις νύκτος ἄωρος*. Vocabulum accipiendum esse pro communi *ὕπνος* docet Epaphroditus in Et. M. 117, 14, sed cf. Wilamowitz, Isyll. Epidaur. p. 128, annot. 6.

6. *δαύω* Et. M. 250, 10 (Herodian I, 453, 16 Lentz) *τὸ κοιμῶμαι*, idem quod *ἰαύω* (cf. Curtius, Etym.[5] p. 387. 637. 660) Sa. fr. 83 *δαύοις ἀπάλας ἑτάρας ἐν στήθεσιν*.

7. *δοκίμοιμι* Sa. 69, *δοκίμοιμ'* Sa. 37 (cf. Bergk ad prius fragmentum) utroque loco dicitur pro *δοκῶ, οἴομαι* (Hesych.), non pro *δοκιμάζειν* (Hesych.), neque conferri licet Diogen. Laert. I, 122 *σὺ δὲ ἢν δοκιμώσῃς, σὺν τοῖς ἄλλοις σοφοῖς, οὕτω μὲν φῆνον. ἢν δὲ οὐ δοκιμώσητε, μὴ φήνῃς*, nam hoc loco *δοκιμοῦν* est probare, *οὐ δοκιμοῦν* improbare.

8. *ἦνθον* Alc. 84, 2 pro *ἦλθον* Bergk in codice Ravennate schol. Arist. Av. 1410 legerat atque in textum restitui vult,[1]) quod probat Meister I p. 125. Nitebantur enim etiam eo, quod in Balbillae epigrammatis 988, 3 *ἦνθον* 989, 4 *ἐνθοίσᾳ*

1) Non recte tamen *ἦνθον* a Bergkio (annot. ad Alc. l. l.) ad eandem stirpem refertur atque Homericum *ἀνήνοθεν*, namque hoc potius cohaeret cum *ἄνθος, ἀνθεῖν* cf. Curtius Etym.[5] p. 251.

(Kaibel Epigr. Graec. = Collitz D. J. 323, 3. 322, 4) legebatur; sed nunc quidem Puchstein, Bechtel potius scribunt ἦλθον, ἐλθοίσᾳ. Itaque cautius faciemus, si etiam Alc. 84, 2 retinebimus vulgarem formam ἦλθον. — Cur Meister l. l. Sa. 1, 8 scribi velit ἦνθες pro ἦλθες, aliis locis autem Sa. 1, 5, 25. 64. Alc. 33, 1. 86. non, me fateor non intellegere.

9. ζάβατος i. e. διάβατος Sa. 158.

10. ζάδηλος Alc. 18, 7, ἅπαξ εἰρημένον, est idem quod διάδηλος laceratus. Hoc vocabulo cum alii offenderunt tum Unger Fleckeis. Annal. 1877 „Horatius und Alkaios" p. 763 sq.; itaque coniecit λαῖφος δὲ παῖγμα δῆλον ἤδη, quae quidem verba, maxime δῆλον, redolent pedestrem orationem. Ahrensius secutus Schneidewinum proposuerat ζάδαλος, sed cf. Meister I p. 66.

11. κίνδυν aeolice pro κίνδυνος Sa. fr. 161, Alc. 138.

12. ματεῖν pro πατεῖν Aeoles dixisse testatur Iohannes Graecus (ἀντὶ τοῦ π τὸ μ· πατεῖς· ματεῖς, πατοῦσα· ματοῦσα) cf. Meister I, 125 annot. 2. Hoc retulerunt ad Sapph. fr. 54, 3 πόας τέρεν ἄνθος μάλακον μάτεισαι complures critici atque versum cum duobus qui antecedunt versibus Κρῆσσαι . . . βῶμον coniunxerunt. Cum autem mutatio consonae π in μ in vocabulorum initio singularis sit (Herwerden, Mnemosyn. n. s. 14 p. 54 „prorsus inaudita"), cautius agemus, si versum seiungemus atque μάτεισαι idem esse quod ζητοῦσαι statuemus[1]) (cf. Meister l. l., Hiller Bursian Jahresber. 1886 p. 68) cf. Theocr. 29, 15 ἐξ ἑτέρω δ' ἕτερον μάτης; pro ματεῖν ceteri Graeci inde ab Homero ματεύειν usurpabant.

13. μύνεσθαι apud Aeoles significasse idem quod προφασίζεσθαι testantur schol. Od. φ 71, Eustath. 1901, 52, qui afferunt fr. 89 Alcaei: οὐδέ τι μυνάμενος ἄλλυι τὸ νόημα cf. Etym. Mgn. 594, 55 in Bgk. annot. Itaque sustantivum μύνη, quod Od. φ 71 legitur, inter Aeolica poesis Homericae elementa referendum est. μύνη autem et μύνεσθαι cohaerent cum ἀμύνω, ἀμύνεσθαι, ἀμύντωρ, ἄμυνα, cf. G. Curtius, Etym.[5] p. 324.

---

1) Quamquam Blass (Kuehner, Griech. Grammat.[3] I p. 155) non refelli vult grammaticum.

14. *πεδάορος* = *μετέωρος* Alc. 100 *ἄμμεσιν πεδάορον,* quae verba quam sententiam expresserint, perspicere iam non possumus. *πεδάορος* autem atque tales formae (*πεδαίχμιος, πεδάρσιος, πέδοικος*) non solum Aeolicae dialecto, sed etiam Doricae propriae erant (cf. Ahrens Diall. II p. 360, Blass-Kaehner Griech. Gramm.[3] p. 154) atque ex chorica lyrica poesi receptae sunt a tragicis, maxime ab Aeschylo, cf. Cho. 575 (*πεδαίχμιος*), Prom. 369 (*πρὸς πέτραις πεδαρσίοις*), Cho. 846 (*λόγοι πεδάρσιοι*), Choeph. 582 (*λαμπάδες πεδάοροι*).

15. *πεδέχω* Sa. 68, 2, Alc. 59 traditum est, uno loco legitur *μετέχων* Alc. 101. Hanc formam (*μετέχειν*) omnibus Graecis communem recentiore quidem aetate etiam ab Aeolensibus usurpatam esse docent inscriptiones, quae cum *πεδά* tum *μετά* praebent (cf. Collitz Dial. Inschriften vol. I no. 213, 20 *πεδὰ Ἀρίσταρχον*; alibi semper *μετά*). Hinc tamen nequaquam concludere possumus iam Alcaei et Sapphonis temporibus utramque formam apud Aeoles usitatam fuisse. Nam illo uno loco excepto (Alc. 101) semper scriptum videmus in Lesbiorum fragmentis *πεδά* atque id sine ulla codicum varietate, cf. Alc. 38 *Αἴαν τὸν ἄριστον πεδ' Ἀχίλλεα,* Sa. 38 *ὡς δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπτερύγωμαι,* Alc. 100 *ἄμμεσιν πεδάορον,* Sa. 68, 4 *πεδ' ἀμαύρων νεκύων,* Sa. 68, 2 *πεδέχεις βρόδων τῶν ἐκ Πιερίας,* Alc. 59 *ἔμε … πεδέχοισαν.*[1]) Itaque non recte Bergk, Hiller, Meister I, 117 tuentur Alc. 101 vulgarem formam, atque potius assentior Ahrensio, qui formam Aeolicam, qua sola Alcaeum et Sapphonem usos esse exempla satis ostendunt, restituit.

16. *περί* apud Aeoles usurpabatur pro *ὑπέρ,* quod eis paene ignotum erat illa quidem aetate, qua Alcaeus et Sappho florebant, nam *ὑπέρ* solum apud grammaticos et semel Theocrit. 30, 26 (*ὑπέρ ἄμμεων*), nusquam alibi legitur cf. Sa. 1, 10 *περὶ γᾶς μελαίνας* = *ὑπὲρ γ. μ.,* Alc. 93 *κεῖσθαι περ κεφάλας μέγας, ὦ Αἰσιμίδα, λίθος* (cf. Archil. fr. 55 *μηδ' ὁ Ταντάλου λίθος τῆσδ' ὑπὲρ νήσου κρεμάσθω*), Alc. 18, 6 *πὲρ μὲν γὰρ ἄντλος ἰστοπέδαν ἔχει* pro *ὑπερέχει,* Alc. 15, 4 *περικείμεναι*

1) In verbis enim, quae Alcaeo fr. 106 ascribuntur, „*τὸν λάβρακα μετέωρον νήχεσθαι*", *μετέωρον* grammatico deberi elucet.

pro ὑπερκείμεναι. Deinde pro Homerico composito ὑπέροχος Sa. 92 usurpatum est πέρροχος (ex περίοχος cf. Meister I p. 142) atque pro ὑπερέχειν Theocr. 30, 3 περρέχειν (cf. Hesychium: περρέχειν· ὑπερέχειν).

17. πτάζω aeolicum verbum esse pro vulgari πτήσσω perhibent grammatici (cf. Ahrens I, 46, Meister I, 132 annot.) atque laudant Alc. fr. 27 ἔπταζον ὤστ' ὄρνιθες ὤκυν αἴετον ἐξαπίνας φανέντα. πτάζω et πτήσσω quibus accedit πτώσσω,[1]) proprie usurpantur de pavidis avibus qui se occultant vel delitescunt, id quod nos dicimus „sich ducken". — una cum πτάζω Aeolensibus tribuitur πλάζω pro πλήσσω, cf. Sa. fr. 17 τὸν ἐπιπλάζοντες ἄνεμοι φέροιεν καὶ μελεδῶναι. πλάζω autem ne a ceteris quidem Graecis alienum fuit, sed inde ab Homero omnibus commune; id autem interest inter duo verba quae ab eadem stirpe πλακ- derivanda sunt (cf. Hinrichs l. l. p. 41), quod πλάζω significat „verschlagen", πλήσσω (πλήγνυμι) „schlagen", cf. Curtius Philol. III p. 3, Lobeck ad Soph. Ai. v. 598 p. 241. Ex grammaticorum verbis concludere potes Aeoles unam formam πλάζω usurpavisse utraque significatione, sed Sapph. l. l. ἐπιπλάζοντες non adversus communem usum significat „depellentes", aliud autem exemplum deest (ἐπιπλάζω cf. ϑ 14 ἐπιπλαγχϑείς).

18. Praeter vulgarem formam πίνω (Alc. 40. 41, 1) Aeoles habebant dialecticam πώνω, cf. Alc. 20 πώνην, 52 πώνης, 54 χαῖρε καὶ πῶ. δεῦρο ... σύμπωϑι (cf. Meister I p. 73).

19. σπολέω Sa. 50, κασπολέω Sa. 80, σπόλα Sa. 55 pro στέλλω, καταστέλλω, στολή (cf. Hesych. σπελλάμεναι, στειλάμεναι; σπολεῖσα, σταλεῖσα; κασπολέω, ὑποστρέφω) cf. Ahrens I p. 41, Meister I 115.

20. σταλαγμός = ὀδύνη in Et. M. 576, 22 Aeolibus tribuitur cf. Sa. 17 ex cod. Flor. Mill. Miscell. 213 κατ' ἐμὸν στελεγμόν (Bergk, Hiller: σταλαγμόν). Vocabulum, hac quidem significatione ornatum, est ἅπαξ εἰρημένον.

21. τέκτυν pro τέκτων cf. Meister I p. 76, G. Meyer Griech. Gramm.[2] § 79, Lobeck parall. p. 200.

---

1) πτώσσω Archiloch. fr. 106 πτώσσουσιν ὥστε πέρδικα, cf. Wilamowitz ad Euripid. Hercul. Fur. 974.

22. ὕσδος aeolice pro vulgari ὄζος Sa. 4 (Meister p. 53). Neque tamen hoc uno vocabulo de ramo usi sunt Aeoles, sed etiam ὄρπαξ Sa. 78. 104 et κλῶν leguntur. κλᾶν enim invenitur in schol. Nicandr. Ther. 613 (Alc. fr. 119 Bgk.), ubi verba κατὰ (sic restituit Welcker pro corrupto καί) τὸν πρὸς Ἐρυθραίους πόλεμον φανῆναι Ἀπόλλωνα καθ' ὕπνους ἔχοντα μυρίκης κλῶνα ex Alcaei aliquo carmine deprompta esse apparet.

23. χέλυννα Sa. 169 ex χέλυς, cf. Sa. fr. 45 χέλυ δῖα, non ex χελώνη ortum est, cf. G. Meyer Griech. Gramm.[2] § 79, Meister I p. 75.

24. Aeolensibus tribuerim ψέφος, quod valet idem quod σκότος. Perraro legitur apud scriptores atque etiam in inscriptionibus desunt exempla, multo autem frequentiora atque plerisque dialectis communia sunt vocabuli synonyma,[1]) maxime σκότος — hoc unum etiam apud Atticos scriptores legitur — deinde ζόφος — cf. ζοφοδορπίδας Alc. 37 B — κνέφας, δνόφος. ψέφος autem vel ψέφας — Hesychio enim, qui distinguit inter ψέφος, κάπνος et ψέφας, σκότος, fides habenda non est, cf. Pind. fr. 324 Bgk. — legitur non saepius quam bis, primum apud Alcaeum, quem Aristides T. II, 155 haec dixisse auctor est ἐκ τοῦ ψέφους τοξεύοντες (fr. 112 Bgk.), deinde apud Pindarum fr. 324 Bgk. τὸ γὰρ σκότος εἰρῆσθαι ψέφας καὶ παρὰ Πινδάρῳ. Tum semel adiectivum ψεφεννός Nem. III, 41 ψεφεννός (vel ψεφεινός) ἀνήρ. Praeterea nonnulla adiectiva eiusdem stirpis atque significationis servata sunt in Hesychii lexico, quae unde desumpta sint nusquam adnotatur: ψεφαῖος, ψεφαίας· σκοτεινῆς νυκτός, ψεφαυγής, ψεφάριος, ψέφαρος, sed desumpta esse videntur ex lyrica poesi, atque etiam Pindarus ψέφας et ψεφεννός ex Aeolum poesi, opinor, in suum usum transtulit.

25. Addo his vocabulis, quae antea non inveniuntur, Aeolicis compositum ῥεθομαλίδας Alc. fr. 150.[2]) Prius huius hypo-

1) Curtius Etymol.[5] p. 706, qi multitudinem et diversitatem formarum inde ortam esse iudicat, quod singulae voces diversis dialectis ascribendae sint. — De ψέφας et ψέφος cf. Lobeck Rhem. p. 314.

2) Eidem Alcaeo tribuitur synonymum huius hypocoristici: εἰδομαλίδας. Bergk et alii critici (Kock, comic. Atticor. fragmenta vol. II

coristici (cf. Ahrens Kl. Schriften edid. Haeberlin I p. 394 Anm. 5) elementum est aeolicum vocabulum *ῥέθος*, quod iam apud Homerum saepius legitur, significans idem quod commune *μέλος*, membrum, interdum autem usurpatur pro *εἶδος* facies. Priorem significationem legimus Hom. Il. *X* 362 *ψυχὴ δ' ἐκ ῥεθέων πταμένη*, ubi in schol. Aristonicus: *πάντα τὰ μέλη ῥέθη Ὅμηρος προσαγορεύει, οἱ δὲ Αἰολεῖς μόνον τὸ πρόσωπον*, cf. *X* 68 et *Π* 856. Alteram significationem *εἶδος*, quae ab Aristonico Aeolibus tribuitur, praeter Alc. 150 legimus Soph. Antig. 529 *νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει* Eurip. Hercul. F. 1204 *ῥέθος ἀελίῳ δεῖξον*, cf. Wilamowitz in comment. ad h. l., apud posteriores: Apoll. Rhod. Argon. 2, 68 (*ῥεθέων*), Theocr. 23, 29. 29, 16, Lycophr. 173, Philodem. A. P. VII, 222.

Haec sunt, opinor, omnia vocabula, quae genti Aeolicae aut soli aut eximie propria fuisse putanda sunt, atque nonnulla, si inveniuntur apud scriptores, qui alius dialecti leges sequuntur, ab iis ex lyrica poesi Aeolica recepta esse statuendum est. Omisi alia vocabula, quae sola dialectica forma a vulgari usu diversa sunt, ut adverbia loci *πήλυι* (Sa. 1, 6), *τυΐδ'* (Sa. 1, 5), *μέσυι* (Alc. 17), temporis *πότα* (Sa. 5b. 88), pronomina *τῶνδεων* (Alc. 126), *ἄσφι* (Sa. 43), numeralia *ἴαν* (Sa. 69, Alc. 33, 6), *ἐκ δένος* (Alc. 76), cf. Democrit. apud Plutarchum adv. Colot. 4, 2 (Ritter-Preller, Historia philosophiae Graecae[7] 1888 p. 158), Meister Dial. I, 170; *κε* pro *ἄν* et alia.

Iam vero transeamus ad cetera vocabula quae primum apud Lesbiacos poetas leguntur, atque agamus de **substantivis**.

§ 7. Ut nobis proposuimus, e substantivis ea primum enumeremus, quae nullo necessitatis vinculo cum epicis vocabulis coniuncta sunt. Huc pertinent satis multa nomina animalium, plantarum atque rerum aut natura aut hominum manibus factarum, quae epicis nondum cognita erant aut aliam propter causam ab eis qui antea floruerunt poetis non commemorantur. Haec autem nomina neque usu neque significatione diversa sunt apud Aeoles ab omnium consuetudine, nonnulla tamen Aeolica forma distinguuntur; hoc in singulis enumerandis adnotabimus.

---

p. 756) et hoc et *ῥεθομαλίδας* ab Alcaeo usurpata esse censent; melius sic statuendum videtur *εἰδομαλίδας* ad *ῥεθομ.* explicandum a grammatico, unde hausit Eustathius, appositum esse.

1. Nomina animalium.

αλίβαπτος, aeol. *ἀλίβ.*, Alc. 122 (cf. Hesych.: *ἁ. πορφυροῦς ὄρνις*) Alcman 126.

λάβραξ Alc. 107.[1])

λέπας Alc. 51.

πανέλοπες Alc. 84, 2 = *πηνέλοπες* Stesich. 91. Ibyc. 8.

τετράδων Alc. 154, cf. V. Hehn, Haustiere und Kulturpflanzen etc.[2] p. 318.

2. Nomina plantarum.

ἀμάμαξυς, gen. aeol. *-δος*, vulgo *-ξυος*, cf. Meister I p. 154. Hermann-Bluemner Antiquitt.[3] vol. IV p. 108 annot. 6, ubi tamen Sappho non laudata est, Hehn l. l. p. 71. Sa. 150.

ἄννητον (cf. Meister I p. 70) Alc. 36. Sa. 76. Anacr. fr. 123.

μύῤῥα Sa. 103, ion. *σμύρνα* Herodot. 2, 40. 86. 7, 181.

μύρον Alc. 36. 42. Archil. 11.

νίτρον Sa. 165 (*λίτρον* Herodot. 2, 86. 87), cf. Meister I p. 125. Kuehner-Blass Griech. Gramm.[3] I p. 146. Lobeck ad Phryn. p. 305. Curtius Etym.[5] p. 450.

τρίβολος Alc. 47.

3. Nomina rerum natura procreatarum.

χάλιννος Alc. 87, cf. Curtius Etym.[5] p. 374.

ὤϊον Sa. 56, 2. 112. Dores atque Iones: *ὤεον*, cf. Holsten de Stesichor. et Ibyc. dialecto p. 12. 48; de *ι* ex *Ϝ* orto (*ὤϜιον, ὤιον*, vulgo *ᾠον*) cf. Meister I p. 112.

4. Nomina rerum hominum manibus factarum.

ἄβροις λασίοις Sa. 89 (*σινδόνια κατεστραμμένα*).

ἄγκυρα Alc. 18, 9.[2]) Theogn. 459 et saepius, Pind. Isthm. 5, 13. Pyth. 10, 51 et saepius.

---

1) Welcker opusc. I p. 135 eleganter suspicatus est hoc referendum esse inter convicia, quibus Alcaeus Pittacum affecerit.

2) *χόλαισι δ' ἄγκυραι*: Unger, Fleckeis. annal. 1877 Horatius und Alkaios p. 763 sqq. proposuit scribendum *χόλαισι δ' ἄγκοιναι*, atque eum sequitur Bergk; Hiller retinuit *ἄγκυραι*, cf. Kiessling ad Horat. carm. I, 14, 6 („sine funibus" dem alkäischen *χόλαισι δ' ἄγκυραι* entsprechend „mit gekappten Ankertauen").

βάρωμος, βάρμος Sa. 154, cf. Anacr. 143. Meister I p. 125.

βεῦδος Sa. 155.

βρένθειον Sa. 49.

γνόφαλλον Alc. 34, 6 ex *γνάφαλλον* pro *κνέφαλλον*, cf. Hinrichs de Hom. eloc. vest. Aeol. p. 49. Hermann-Bluemner Antiquitt.[3] IV p. 160. Curtius Etym.[5] p. 535.

γρύτη Sa. 156.

δακτύλιος Sa. 35. Bluemner l. c. p. 197, cf. Diogen. Laert. I, 2, 57, qui usum *τοῦ δακτυλίου* post Homerum, sed ante Solonem ortum esse docet.

ἡμιτύβιον Sa. 116.

καρχήσιον Sa. 51, 3 (Meister I p. 70).

κύλιξ Alc. 41, 5.

κυλίχνη Alc. 41, 2. 43.

κύπαττις Alc. 15, 6, cf. Hippon. fr. 18 *κυπάσσισκος*.

κύπρος Alc. 141, cf. Hippon. fr. 24 *ἡμίκυπρον*, Hultsch, Griech. u. roem. Metrologie[2] 1882 p. 561.

κύρτος Sa. 120. Insulani Graeci videntur dixisse *κύρτη*, cf. Archiloch. fr. 177 *κύρτῃ σιδηρᾶ*.

μάσλη Sa. 19.

ὄλπις Sa. 51, cf. *ὄλπα· λήκυθος* Hesych., Meister II p. 311, vox est adventicia, cf. Ad. Solms in Philol. 1889 p. 561.

πᾶκτις, vulgo *πηκτίς* Sa. 122, cf. Anacr. 17. 22.

ποτήριον Sa. 67.

σάμβαλα Sa. 98, 2, vulgo *σάνδαλα* primum hymn. in Mercur. 79. 83 — hunc hymnum paulo ante Alcaeum compositum esse satis recenti aetate multa docent, cf. Gemoll comm. p. 193. — cf. ad *σάμβαλα* Anacr. 14, 3 *νῆνι ποικιλοσαμβάλῳ* (cf. Ahrens II, 503). Hippon. fr. 18 *σαμβάλισκα*. — De origine vocabuli cf. Lobeck Prolegg. p. 92, qui „Graecum“ esse vult, alii verisimilius inter adventicia et peregrina referunt, cf. G. Curtius Etym.[5] p. 484.

Σκυθικαί Alc. 103 *εἶδος ὑποδήματος*.

Σκυθικὸν ξύλον Sa. 167.

Χαλκίδικαι σπάθαι Alc. 15, 6, cf. Boeckh Oecon. Athen. II 284.

τύλα Sa. 50. 81, attice *τυλία* vel *τυλεῖον* cf. Lobeck ad Phryn. p. 173 (Herodian. *περὶ μονηρ. λέξ.* 39, 27 *τύλη, ὅπερ οὐκ ἦν παρ' Ἀττικοῖς*).

πλεκταὶ ὑποθύμιδες Alc. 36. Sa. 46. Anacr. 39.

χερρόμακτρον, vulgo χειρόμακτρον Sa. 44 (mantelia), cf. Hermann-Bluemner Antiquitt. IV p. 245 annot. 2.

χλαμύς Sa. 64, cf. Ammon. 147 Σαπφὼ πρώτη γὰρ μέμνηται τῆς χλαμύδος. Hermann-Bluemner l. l. p. 177 sq.

§ 8. Iam vero transeamus ad alia substantiva, quae aut Alcaeus aut Sappho primi e Graecis poetis usurpasse videntur. Huc pertinent:

1. ἀγάσυρτος Alc. 37 B, quod interpretatur Diogenes Laertius I, 81 ὡς ἐπισεσυρμένος καὶ ῥυπαρός, est ἅπαξ εἰρημένον et, ut videtur, ab Alcaeo ipso inventum.

2. ἄσα, ionice ἄση, fastidium, deinde nausea, ut saepe apud Hippocratem. Sed prima Sappho et usurpavit vocem et transtulit in animi anxietatem, molestiam, aerumnam fr. 1, 3 μή μ' ἄσαισι μήτ' ὀνίαισι δάμνα, cf. ad h. l. Bekk. anecd. p. 208, 24 ἄσας, τὰς ἀνίας. Idem significat ἄσα Herodot. I, 136. Eurip. Med. 245. Platon. Tim. 71 C, saepius etiam apud posteriores.

3. γαύρηξ Alc. 37 B, cf. Hesych. γαύρηξ· ὁ γαυριῶν.1) Haec stirps primum legitur Archiloch. fr. 58 βοστρύχοισι γαῦρος, hoc atque alia de γαυρ- derivata vocabula γαυρότης, γαυρόω, γαυριάω, γαύρωμα, γαύρηξ primum a poetis usurpantur, deinde in oratione soluta apud Plutarchum demum ceterosque extremae aetatis scriptores leguntur, a dialecto Attica omnino aliena fuisse videntur: nam ex scriptoribus pedestris orationis Atticae unus semel usus est Xenophon verbo γαυριᾶσθαι de re equ. 10, 16, cf. G. Sauppe, lexilog. Xenophont. s. v. γαυριᾶσθαι.

4. γριπεύς Sa. 120.

5. λακίς cohaeret cum epico neutro ῥάκος, nam ρ et λ in nonnullis Graecis vocibus fluctuant, cf. Kuehner-Blass Griech. Gramm.3 I p. 73 (§ 13), ubi alia huius consonarum mutationis exempla composita sunt. λακίς primum apud Alcaeum 18, 8 καὶ λάκιδες μέγαλαι κατ αὖτο). Blass censet λακίς etiam Atticis proprium fuisse, cf. l. l. I p. 145 (§ 29 a), sed λακίς solum apud

1) cod. γαύριξα, Menage ex Hesych. l. l. γαύρηκα, sed fortasse scribendum est γαύρακα.

tragicos invenitur, maxime apud Aeschylum, semel apud Aristophanem Acharn. 423, ubi cf. Albert Mueller in editione 1863.

6. *παλαιστή*, aeol. *πάλαιστα* Alc. 33, 6 (postea *παλαιστής*), cf. Hultsch, Griech. u. roem. Metrologie² 1882 p. 29.

7. *πίσυγγοι* Sa. 98 interpretatur Pollux 7, 82 *οἱ τὰ ὑποδήματα ῥάπτοντες*, sed manifestum est hoc nomen derivandum esse de *πίσσα*, unde *πίσσυγγος* et simplici *σ* pro *σσ* posito *πίσυγγος*.

8. *σαράπους* Alc. 37 B cum accusativo aeolico *σάραπον*, cf. Ahrens II p. 175, Hinrichs de Hom. eloc. vest. Aeol. p. 105. Sic tradit Diogenes Laertius nominatum esse Pittacum *διὰ τὸ πλατύπουν εἶναι καὶ ἐπισύρειν τὼ πόδε*, sed melius videtur Galenus lexic. Hippocr. etymon vocis perspexisse, quo teste *σαράπους* est *ἡ διασεσηρότας καὶ διεστῶτας ἔχουσα τοὺς δακτύλους τῶν ποδῶν*.

9. *στέγα* Alc. 15, 1.

10. *τριβώλετερ* Alc. 38 de *τριβολολέτηρ*, cf. Bergk Krit. Analect. in Philolog. vol. XVI p. 592 („Wassernussvertilger"), Wilamowitz Isyll. Epidaur. p. 125 annot. 4. Meister I p. 33.

11. *τύραννος* Alc. 37 A, cf. Welcker opusc. I p. 132. Ante Alcaeum vocem iam usurpaverunt Archilochus fr. 25 *μεγάλης δ' οὐκ ἐρέω τυραννίδος*, Semonides Amorg. 7, 69 *ἢν μή τις ἢ τύραννος ἢ σκηπτοῦχος ᾖ*, cf. Busolt Handbuch der griech. Geschichte I p. 440 cum adnot. 3.

12. *φόβα* Sa. 78.

13. *φύσκων* Alc. 37 B, cf. Hesych. *φύσκων· γάστρων, παχύς*.

§ 9. Omnia alia substantiva aut ab epicis vocabulis nova terminatione derivata sunt aut ex his epicis composita aut alio modo cum iis cohaerent.

I. Nova terminatione derivantur de epicis vocabulis atque stirpibus:

suffixo *ᾱ*, ion. *η*, de stirpe *λαβ-* femininum *λάβα* Alc. 33, 2 *λάβαν ξίφεος*.

de stirpe *ῥεπ-*, cf. *Θ* 172 *ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ Ἀχαιῶν*, cf. *X* 212, *ῥόπα* Alc. 25 *ἀ δ' ἔχεται ῥόπας*.

suffixo -ια de epico adiectivo εὐανθής (λ 320 ἅπ. εἰρημ. apud Homer.) εὐανθεῖα Sa. 78, 3.[1])

de παρθένος: ἡ παρθενία Sa. 109 bis (ion. παρθενεία).

suffixo -μα de stirpe μελ-: μέλημα Sa. 126 ex Iulian. Epist. XVIII ἵνα σε, τὸ μέλημα τοὐμόν, ὥς φησιν ἡ Σαπφώ, περιπτύξωμαι, cf. Pind. Pyth. X 59 νέαισίν τε παρθένοισι μέλημα, Aesch. Choeph. 235 ὦ φίλτατον μέλημα δώμασιν πατρός, Aristoph. Eccles. 972 ὦ χρυσοδαίδαλον ἐμὸν μέλημα.

suffixo -ος de stirpe παλ-: ὁ πάλος Sa. 9, 2.

quattuor neutra: ἄρκος Alc. 15, 4. 67, γάνος Sa. fr. 127, μάθος (Alc. 104), πᾶρος Alc. 98.

1. ἄρκος Alc. 15, 4 ἄρκος ἰσχύρω βέλευς, quae verba ad imitationem Homeri facta esse videntur, cf. *E* 316 ἕρκος ἔμεν βελέων. Sed cave ne credas ἕρκος atque ἄρκος esse idem, nam ἕρκος est proprie saepimentum, saeptum, quod praesidium vel tutamentum ab aggrediente hoste praebet, ἄρκος, quod cohaeret cum verbo ἀρκεῖν (Il. *K* 16. *N* 440), continet notionem arcendi, cf. Curtius Etymol.[5] p. 132 „vorhalten, sich bewehren". Deinde ἄρκος, ἀρκεῖν etiam vim patrocinandi, auxiliandi accepit, cf. ἀρκεῖν τινι *Φ* 131. π 261, cf. Hesych. ἄρκος· ἄρκεσμα, βοήθεια, atque ἄρκος etiam usurpatur de remediis, cf. Alc. fr. 67 τῶν χαλίννων ἄρκος ἔσται (sic Schneidewin, alii; Bergk coniecerat τῶν χάλιν ἄρκος ἔθηκεν). Imitatur Alcaeum Oppianus Hal. 3, 148 ἄρκος ὀδόντων. Vocabulum aut Aeolensibus solis proprium[2]) aut, quod verisimilius est, omnibus Graecis commune fuit, sed mox e sermone vulgari cessit.

2. γάνος cohaeret cum Homericis verbis γανάω (*N* 265. *T* 359. η 128 et saepius) et γάνυμαι (*N* 493. *Ξ* 504 etc.) atque est proprie splendor, deinde usurpatur de animi oblectatione,

1) εὐανθεῖα γὰρ πέλεται καὶ χάριτες μακαίρᾳ μᾶλλον προσορῆν Hiller; εὐανθεῖα etiam Blass. — Si recte Alc. 39, 5 coniecimus, cf. p. 182 annot. 1, huc pertinet etiam φλογία, quod saepius apud Nicandrum invenitur.

2) Ahrens Kleine Schriften I p. 208 ἄρκος esse vult aeolicam formam atque idem quod ἕρκος. Sed ἕρκος rectius derivatur, opinor, de stirpe verbali ἐρύκω atque cohaeret etiam cum ϝερύομαι „wehren, wahren" servare (ϝ nondum prorsus interiit in nomine apud Homerum, cf. *E* 90, σ 102), ἄρκος non diversum est ab ἀλκή (ἀλαλκεῖν).

cf. Hesych. *γάνος· χάρμα, ηδονή, φῶς, αὐγή, λαμπηδών, λευκότης* (Etym. Magn. p. 223, 47). Vocabulum est poeticum, cuius prima testis est Sappho fr. 127.

3. *μάθος* de stirpe *μαθ-*, cf. *μάθον* Il. *Z* 144, primum Alc. 104 legitur: *ἀπ πατέρων μάθος*. Vocabulum praeterea solum in vetere proverbio *πάθει μάθος*, cf. Aesch. Ag. 185 atque bis apud Hippocratem (= consuetudo) p. 592, 50. 612, 49 occurrit, recentior atque usitatior est *μάθησις*.

4. *πᾶρος*, ion. *πῆρος* cohaeret cum epico adiectivo *πηρός* Il. *B* 599 *αἱ δὲ χολωσάμεναι πηρὸν θέσαν, αὐτὰρ ἀοιδὴν θεσπεσίην ἀφέλοντο καὶ ἐκλέλαθον κιθαριστύν*.[1]) Substantivum *πᾶρος* semel invenitur Alc. 98 *ἐπὶ γὰρ πᾶρος ὀνίαρον ἴκνηται*, alias semper *πηρότης, πήρωσις*.

suffixo *-σις* duo feminina: *ϝρῆξις* Alc. 149 et *στάσις* Alc. 18, 1. *στάσις* proprie de hominum tumultu atque seditione dicitur, ut Xenophan. 8. Bacchylid. 36. Theogn. 51. 779. Alcaeus autem vocem transtulit in ventos inter se luctantes: *ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν*, atque eadem translatione saepius usi sunt posteriores, ut Aeschyl. Prometh. 1085 *σκιρτᾷ δ' ἀνέμων πνεύματα πάντων, εἰς ἄλληλα στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα*, cf. Eumenid. 977 (de malis).

suffixo *-τηρ*: *δαΐκτηρ* Alc. 28 *Ἄρευ, δι' ὃν φόβος δαΐκτηρ* (sic Blass, Hiller; Bergk: *Ἄρ. δαΐφοβος δ.*). Vocabulum praeterea semel legitur apud Aeschylum Sept. 916 *δαϊκτὴρ γόος* in cantico, ex lyrica poesi desumptum, nam suffixum *-τηρ* ab Ionica et Attica dialecto alienum est, postea semel Anacreont. 42, 10.

suffixo *-τρον*: *δίοπτρον ἅπ. εἰρημ.* Alc. 53 *οἶνος γὰρ ἀνθρώποισι δίοπτρον* (cf. *διοπτήρ* Il. *K* 562 = *σκοπός*).

---

1) Hoc loco utrum *πηρός* valeat idem quod *τυφλός*, an quod *πηρὸς τῆς φωνῆς*, inde ab Alexandrinorum aetate certant viri docti. Illud e recentiorum numero defendit Ameis, hoc tuentur Aristarchus atque eum secuti Faesi, Doederlein Hom. Glossar. 812, alii, qui nituntur maxime eo, quod vati non sit poena oculis privari; at hoc nullius momenti esse facile perspicies, nam privationem oculorum, ut unum afferam exemplum, quantopere doluisse narratur vates Stesichorus? Sed id tenendum est, *πηρός* significare nihil nisi „mutilatus“, partem autem corporis, quae mutilata sit, non dicere. — *τὸ πᾶρος* est senum debilitatio Alc. l. l.

De γαστήρ derivatur γάστρων Alc. 37 A, cf. Aristoph. Ran. 210 atque Polyaen. II, 16, ubi Γάστρων nomen proprium apud Lacedaemonios esse traditur.

Suffixo -ω: Πειθώ Sa. 1, 18. Haec dea primum hoc loco commemoratur, cf. Preller Griech. Mythologie[2] p. 398.

§ 10. Substantiva ex epicis nominibus composita sunt haec:

αἰπάρθενος Sa. 96 (ἄϊ pro ἀεί cf. Meister Dial. I, 72) — nisi potius seiungenda sunt duo elementa compositi — ἀεὶ ... παρθένοι Furiae appellantur Soph. Ai. 835. Saepius compositum usurpatur recentiore aetate.

γλυκύμαλον Sa. 93, 1 ἅπ. εἰρ.

ζοφοδορπίδας Diog. Laert. I, 87, cf. Alc. 37 B. Hoc vocabulum ab Alcaeo ipso inventum a Plutarcho quaest. symposiac. cap. 6 duplici modo explicatur: 1) σκοτόδειπνος cf. Hesych.: ζοφοδορπίας· σκοτόδειπνος, λαθροφάγος et Diogen. Laert. l. l. ὡς ἄλυχνος. 2) ὡς ἀδόξως τὰ πολλὰ καὶ φαύλοις ἡδόμενος συμπόταις. Utraque interpretatio aliquid veri habet, namque si etymologiam vocis spectes, idem valet quod σκοτόδειπνος, altera tamen interpretatione causa, cur Pittacus lucem in conviviis fugerit, exponitur.

κακοζοΐα Sa. 120, 2. Tenendum est apud Homerum et alios veterrimos poetas ζωή (aeolice ζοΐα) significare solum victum hominum, postea autem — primum apud Ibycum fr. 27, cf. Holsten de Stesich. et Ibyc. dial. et cop. verbor. p. 25 — usurpatum esse et de victu et de vita. Compositum κακοζοΐα optime illustrat, qua ratione prior significatio (victus) in posteriorem atque amplificatam (vita) transierit; κακοζοΐα enim est et vilis piscatoris victus et misera vita, cuius signa, κώπην et κύρτον, pater Pelagoni filio in sepulcri monumento inscripsit.

κακόπατρις Alc. fr. 37 A. Schneidewin adnotat „qui e Thracia oriundus esset" (scil. Pittacus), sed rectius Lobeck Paralipp. p. 215: κακόπατρις et εὔπατρις significant bono et malo patre natum, cf. Theogn. 193 αὐτός τοι ταύτην εἰδὼς κακόπατριν ἐοῦσαν εἰς οἴκους ἄγεται.

μαλοδροπεύς Sa. fr. 93, 2.

μαψυλάκας Sa. fr. 27, praeterea semel apud Pindarum Nem. VII, 105, qui a poetria vocem recepisse videtur.

παμβασιλευς Alc. 5, 4.

σύμμαχος Sa. 1, 28, iam antea Archiloch. 75.

συμποσία, ἡ Alc. 46, 2 *αἰ χρὴ συμποσίας ἐπόνασιν ἔμοι γεγένησθαι,* cf. Pind. Pyth. IV, 294. — Usitatius est neutrum *συμπόσιον,* quod Bacchyl. fr. 13 primum legitur, sed iam Archilochus usurpasse videtur, cf. Bergk annot. ad fr. 78.

χειροπόδας et *χειρόπους* Pittacus dicitur fuisse *διὰ τὰς ἐν τοῖς ποσὶ ῥαγάδας, ἃς χειράδας ἐκάλουν* (Alc. fr. 37 B), cf. Hesych. *χειράδας· τὰς ἐν τοῖς ποσὶ ῥαγάδας.*

§ 11. Praeter haec substantiva, aut nova terminatione derivata aut composita ex epicis, nonnulla inveniuntur, quae vocantur metaplasmata.

ἄγωνος Alc. 121 pro *ἀγών* ex Phot. 7, 15 *ἄγωνος κατὰ σχηματισμὸν ἀντὶ τοῦ ἀγών· ἀπὸ δὲ γενικῆς ἐσχηματίσθη· οὕτως Ἀλκαῖος ὁ λυρικὸς πολλάκις ἐχρήσατο,* cf. Hesych.: *ἄγωνον· τὸν ἀγῶνα. Αἰολεῖς.* Ne aliis quidem dialectis haec forma deest, cf. Collitz D. J. 1172, 26 in inscriptione Eliaca (*ἐν τοῖρ Διονυσιακοῖρ ἀγώροιρ*), *ἀγωνοθέτης, ἀγωνοθεσία,* cf. Kuehner-Blass Griech. Gramm.[3] I p. 519. Welcker opusc. I p. 147.

κότυλος Alc. 139 ex Athen. XI, 478 B *τὰ μονωτὰ ποτήρια κότυλοι, ὧν καὶ Ἀλκαῖος μνημονεύει,* Homerus semper femininum *κοτύλη* usurpavit, cf. *X* 494. *φ* 72. *ο* 312 et saepius; *κότυλος* rarissimum est, *κοτύλη* etiam postea frequenter usurpabatur.

τὸ λύχνον, usitatior est masculini forma *ὁ λύχνος,* quam *τ* 37 legimus, ubi *ἅπ. εἰρημ.* apud Homerum, sed cf. Hippon. fr. 125 ex Et. M. 572, 16: *λύχνος ἀρσενικῶς. λέγεται καὶ τὸ λύχνον οὐδέτερον, ὡς παρὰ Ἱππώνακτι.* Sed apud posteriores neutrius formae semper plurali numero usurpatae sunt, ut Herodot. 2, 62. 133. Eurip. Cycl. 512 et saepius, itaque recte, opinor, Porson Adversar. eddt. Monk et Blomfield 1814 p. 104 etiam Alc. 41, 1 pluralis formam restituit, quod probant Ahrens, Hiller, Kaibel ad Athen. X, 430 D (codd. et vulg. *τὸν λύχνον*; Bergk *τὸ λύχνον*), atque cum Ahrensio scribo: *τί τὰ λύχν' ὀμμένομεν.*

ἡ οἰκία Sa. 136 (*ἐν μοισοπόλων οἰκίᾳ*), recentior est forma quam duae epicae *ὁ οἶκος* et *τὰ οἰκία,* et primum hoc loco legitur.

χεράς. Neutrum *τὸ χέραδος* semel legitur apud Homerum Il. *Φ* 319: *κὰδ δέ μιν αὐτὸν εἰλύσω ψαμάθοισιν ἅλις χέραδος περιχεύας μύριον*; nam accusativum esse *χέραδος*, non genetivum nunc quidem omnes fere editores consentiunt cum Aristarcho, quia *ἅλις* nusquam apud Homerum cum genetivo positum est. Pro *χέραδος* dixerunt Dores *χάραδος*: Tab. Heracl. I, 12. 25, cf. Ahrens G. D. II p. 118 et R. Meister de dialecto tabularum Heracleensium, Curt. Stud. IV p. 367. Significant autem *χέραδος* et *χάραδος* „arenam calculosque relictos torridi fluminis, quod nos dicimus 'Flussgeröll'" (Meister l. l.). Inter scriptores, qui post Homerum floruerunt, prima Sappho voce ab eadem stirpe atque *χέραδος* derivata *χεράς*[1]) usa est, cf. fr. 114 *μὴ κίνη χέραδας*, tum Pindarus Pyth. 6, 13 *παμφόρῳ χεράδι τυπτόμενον* (scil. *τὸν θησαυρόν*), Apollonius Rhodius I, 1123 *βωμὸν χεράδος περιενήνεον*, ubi in scholio Sappho laudatur atque additur testimonium Demetrii *τοῦ Σκηψίου*, quo auctore vocabulum *χεράς* etiam illa aetate — Demetrius floruit ca. 150 a. Chr. n. — apud Apolloniatas Ponticos in usu erat (*φησὶ Δημήτριος ὁ Σκήψιος τὴν διάλεκτον Ἀπολλωνιατῶν εἶναι τῶν ἐν Πόντῳ*).

§ 12. Transeamus ad adiectiva, quae primum a Lesbiacis poetis usurpata sunt.

ἀμάνδαλος, per transpositionem litterarum ex *ἀμάλδανος** ortum, est deletus, oblitteratus, obscurus; pro *ἀφανές* adiectivo usum esse Alcaeum testatur Etym. Mgn. 76, 52 (Alc. fr. 123). *ἅπαξ εἰρημ.*

ἀσαρός, aeol. *ἄσαρος*, Sa. 77, 1 est *ἅπ. εἰρημ.* de voce *ἄσα*, de qua dixi p. 217, cf. *ἀσάομαι* Alc. 35, 2.

---

1) M. Schmidt ad Hesychii glossam *χειράδες* ... adnotat „unice probandum esse *τὸ χέραδος* Homericum, feminina autem *χεράς* et *χεράδες* ex Hom. *Φ* 319 male intellecto ficta esse"; idem iam antea iudicaverat Dawesius miscell. critic. p. 45 (ed. Burgess.). Duentzer autem ad Homer. l. l. *χεράς* solam formam esse adnotat, *χέραδος* ab Aristarcho fictum suspicatur. Bergk Pind. Pyth. VI, 13 insignem scripturae varietatem, *χεράδει* et *χεράδι* invenisse sibi videtur. — Cautius faciemus si duas formas *χεράς* et *χέραδος* in Graecorum sermone viguisse statuemus; hoc iam iudicaverunt Heynius et Spitznerus ad Iliad. excurs. XXXII (cf. Ebeling Lexic. Homer. s. v. *χέραδος*).

Ex epicis nominibus derivantur:

suffixo -ινος duo adiectiva: ἐλεφάντινος Alc. 33, μάλινος Sa. 4, 2, cetera in eandem terminationem exeuntia adiectiva ex lyricorum poetarum fragmentis contulit Holsten de Stesich. et Ibyc. dial. etc. p. 61 sq.

suffixo -νο a stirpe τερπ-: τερπνός, cuius prima testis est Sappho fr. 11 τάδε νῦν ἑταίραις ταῖς ἔμαισι τέρπνα κάλως ἀείσω. Nam uno quidem Homeri loco, ubi libri manuscripti deteriores τερπνῶς praebent, editores omnes tuentur lectionem optimorum codicum τέρπειν Od. ϑ 14. τερπνός saepe a lyricis usurpatur, ut Mimnerm. 1. Pind. Ol. VI, 57. Pyth. IX, 66 et saepe, sed omnia afferre exempla inutile est.

suffixo perraro -ολης, aeol. -ολας terminantur: μαινόλας Sa. 1, 18 μαινόλᾳ ϑύμῳ et φαινόλας, femin. φαίνολις Sa. 95 φαίνολις αὔως, cf. hymn. in Cer. 51 φαινολὶς ἠώς (e coniectura Ruhnkenii). φαινόλης praeterea nusquam usurpatum videmus, sed paulo saepius legitur μαινόλης, ut Aeschyl. Supplic. 101 διάνοιαν μαινόλιν, Euripid. Orest. 823 ἀσέβεια μ., utroque loco in cantico, frg. adesp. 79 A Bgk.: κάπρος ἡνίχ᾽ ὁ μαινόλης ὀδόντι σκυλακοκτόνῳ Κύπριδος ϑάλος ὤλεσεν, quae verba Bergkius Glyconi tribuit, et fortasse ex imitatione Sapphonis composita sunt, quam saepius Adonidis mortem celebravisse constat, cf. fr. 62. 63. 107. Praeterea μαινόλης cognomen datum esse Baccho testes sunt Clemens Alexandr. protrept. 11. Plutarchus de cohib. ira 13.

suffixo -ρης: πλήρης Sa. 53, 1 πλήρης μὲν ἐφαίνετο ἀ σελάννα (cf. fr. 3, 3 σελάννα πλήϑοισα).

suffixo -ρος: ἰσχυρός Alc. 15, 1.

φοβερός Alc. 97 idem est quod περίφοβος, cf. Schol. Sophocl. Oedip. R. 156 φοβερὰν φρένα ... τὴν περίφοβον. καὶ Ἀλκαῖος· „ἐλάφω δὲ βρόμος ἐν στήϑεσι φύει φόβερος“. ἀντὶ τοῦ περίφοβος. Frequentior est passiva significatio, sed etiam activa non semel et a poetis (Soph. O. R. 156. Aeschyl. Prom. 881. Suppl. 566) et a prosaicis scriptoribus usurpatur, cf. Thucyd. 4, 128. 6, 55, 3. Platon. Reipublic. III, 413 d. Xenoph. Oecon. 7, 25, cf. Hertlein ad h. l.

Permagna est copia adiectivorum, quae aut ex epicis ipsis composita sunt aut epicorum analogia ficta. Huc per-

tinent adiectiva, quae ex *α* privativo et nomine constant: *ἄκακος* Sa. 149, *ἀνάριθμος* Sa. 67 (cf. Archiloch. fr. 63 *ἀναρίθμιος*), *ἀστεφάνωτος* Sa. 78, *ἀφάνης* Sa. 68, *ἀφειδής* Alc. 34, 4, ubi adverbium *ἀφειδέως*, *ἄφωνος* Sa. 118, 1, *ἀχείμαντος* Alc. 16 (cf. Bacchyl. 39 *τὰν ἀχείμαντον Μέμφιν*). Hoc ex numero memorabile est propter singularem significationem *ἄκακος*, quod interpretatur Bekk. Anecd. I, 370, 14 *ἄκακος ὁ κακοῦ μὴ πεπειραμένος, οὐχ ὁ χρηστοήθης, οὕτω Σαπφώ.* Cetera adiectiva saepius leguntur neque singulare quidquam eis inest.

Sed etiam multa alia composita adiectiva in Alcaei et Sapphus fragmentis inveniuntur, quae horum poetarum eximiam artem et ingenium optime illustrant. Haec enim omnia contuli: *ἀδυμέλης* Sa. 122. *ἀδύφωνος* Sa. 61. *ἀλγεσίδωρος* Sa. 125. *βαρυδαίμων* Alc. 37 A. *γλυκύπικρος* Sa. 40. 125. *διάμειπτος* Sa. 14. *δίχολος* Alc. 37 A. *δολόπλοκος* Sa. 125. *ἐμμελής* Sa. 54 (*ἐμμελέως*).[1]) *ἐμφέρης* Sa. 85. *ἐννεακέφαλος* Alc. 118. *ἐπτορόγυιος* Sa. 98. *εὐπέδιλλος* Alc. 14. *ζάβατος* Sa. 158. *ζάδηλος* Alc. 18, 7. *ἰμερόφωνος* Sa. 39. *ἰόκολπος* Alc. 63. *κατάρης*[2]) Sa. 160, cf. Alc. 135. *μελίφωνος* (an *μελλιχόφωνος*?) Sa. 129. *μελλιχόμειδε* Alc. 55. *μονσοπόλος* Sa. 136. *μυθοπλόκος* Sa. 125. *νεόθηξ* Sa. 119, 3. *παιδόφιλος* Sa. 47. *παλίγκοτος* Sa. 72. *πάροικος* Sa. 80.[3]) *πεμπεβόηα* Sa. 98. *ποικιλόθρονος* Sa. 1, 1. *πολύολβος* S. 59. *πολεμαδόκος* Alc. 9. *ῥοδόσφυρος* Sa. 93.[4]) *τανυσίδρομος* Sa. 71. *χρυσαστράγαλος* Sa. 174. *χρυσόδετος* Alc. 33, 2. *χρυσοφαής* Sa. 141.[5])

---

1) *ἐμμελής* Sa. l. l. proprie; Anacr. 40 *ἐμμελέως διοκεῖν*, sollerter (Hecker sine causa idonea *ἐμμενέως*).

2) *κατάρης* ex Eustath. II, 603, 39 petitum derivandum est de *καταίρω*. Lobeck confert Hesych. *κατώρης· κάτω ῥέπων*. Nauck hoc ipsum restitui voluit supra fr. 42. 2 pro *κατ ὄρος*. Pro *καταρέκτης· ὁρμητικός* Hesych. M. Schmidt *κατάρης* scribendum proposuit.

3) Frequentius quam *πάροικος* est eius synonymum *σύνοικος* talibus in sententiis, cf. Soph. Antig. 447. Bacchyl. 29. Aeschyl. Agam. 1626; sed codicum auctoritas tuetur Sa. l. l. *πάροικος*.

4) *ῥοδόσφυρος* enim inter Sapphica vocabula referendum esse pro certo affirmaverim, cf. Bergk annot. ad fr. 93.

5) Omisi in compositis enumerandis *βαλανήφαγος*, quia assentiendum esse mihi videtur iis, qui Alc. 91 interpolatoris ingenio de-

Ex hoc tanto numero — sunt enim triginta unum, quae omnia excepto uno *παλίγκοτος*, quod iam Archilochus usurpaverat fr. 87 *ὁρᾷς ἵν᾽ ἔστ᾽ ἐκεῖνος ὑψηλὸς πάγος τρηχύς τε καὶ παλίγκοτος*; cf. Pind. Ol. II, 20, ubi Dissen: recrudescens, primi inter poetas Lesbiaci adhibuerunt — enumero

1. decem *ἅπαξ εἰρημένα* (*ἐννεακέφαλος, εὐπέδιλλος, ζάδηλος* — *ζάβατος* id est *διάβατος* h. l. commemorare non licet —, *ἰόκολπος* (cf. *ῥοδόκολπος* frg. adesp. 140), *κατάρης, μελλιχόμειδε, μυθοπλόκος, πεμπεβόηα, ποικιλόθρονος*[1]), *χρυσαστράγαλος*).

2. apud alios vetustiores scriptores non leguntur *ἀδύφωνος, ἀλγεσίδωρος* (semel apud Oppianum Hal. 2, 668), *γλυκύπικρος*[2]), *δίχολος, ἱμερόφωνος* (Theocr. 28, 7), *μελίφωνος* (Antip. Sidon. 46. A. P. IX, 66. Philostrat. imagg. 2, 1), *παιδόφιλος* (Orph. Argon. 39, 13, ubi *παιδοφίλη* dicitur Ceres, cf. *παιδοφιλέω* Theogn. 1318. 1345), *πολύολβος* (Dion. Per. 934. Agath. IX, 642. Coluth. 280. Maneth. saepius), *ῥοδόσφυρος*.

3. Cetera etiam apud alios scriptores veteres non semel inveniuntur, atque ex his quoque quaedam non minus quam *ἅπαξ εἰρημένα* et secundae classis fere omnia a poetis ipsis inventa esse puto. Ut *βαρυδαίμων* (Alc. 37 A), quod recepit Euripides Alcest. 865. Troad. 112, *δολόπλοκος* (Sa. 1, 2), quod

---

beri statuunt, ut Hiller Anth. Lyric.[4] praef. p. XV. Nauck Mélanges IV p. 18 annot. — Offendit nos in adiectivo maxime *η* (*βαλανηφ.*), cf. Meister Dial. I p. 70.

1) *ποικιλόθρονος* Wuestemannus Rh. Mus. XXIII p. 238 compositum esse putat ex *ποικιλο-* et *θρόνα* = *ἄνθη*, cum confert Il. *X* 441 (Curtius Etym.[5] p. 500) et interpretatur *Ἄνθεια*, quod quidem Veneris cognomen in nonnullis Graeciae regionibus erat (cf. Roscher, Mythol. Lexicon s. v. *Ἀφροδίτη* vol. I p. 398). — Quamquam *θρόνα* saepius legitur, cf. schol. Theocr. II, 59. O. Hoffmann, Griech. Dial. I p. 115, tamen aptior esse videtur interpretatio „in throno pictis stragulis ornato sedens", quam plurimi nunc acceperunt viri docti.

2) Vim huius oxymori optime exponit pluribus versibus Theogn. 1353 sqq.:

πικρὸς καὶ γλυκύς ἐστι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής,
ὄφρα τέλειος ἔῃ, Κύρνε, νέοισιν ἔρως.
ἢν μὲν γὰρ τελέσῃ, γλυκὺ γίνεται· ἢν δὲ διώκων
μὴ τελέσῃ, πάντων τοῦτ᾽ ἀνιηρότατον.

receperunt Theognis 1366 et alii, cf. frg. adesp. 129 Bgk., Tryphiod. 264, cf. *δολοπλοκίαι* Theogn. 226, deinde *μουσοπόλος* (*ἐν μοισοπόλων οἰκίᾳ* Sa. 136), quod saepius invenitur apud Euripidem, cf. Alcest. 447 *πολλά σε μουσοπόλοι μέλψουσι*, Phoen. 1505.[1]) Sed haec hactenus.

§ 13. Adiectivis addo duo adverbia:

ἄγαν Sa. 121 (*παῖδ' ἄγαν ἀπάλαν*). *ἄγαν* iam antea in illo Chilonis *μηδὲν ἄγαν*.

ἀρτίως Sa. 18 ex Ammon. 23 *ἁμαρτάνει Σαπφὼ λέγουσα· „ἀρτίως μ' ἁ χρυσοπέδιλλος Αὔως" ἀντὶ χρονικοῦ ἐπιῤῥήματος.* — Usitatius quam *ἀρτίως* est *ἄρτι* inde ab Homeri temporibus, sed *ἀρτίως* et *ἄρτι* promiscue a Graecorum scriptoribus usurpantur,[2]) regulam enim, quam statuerunt Atticistae, *ἄρτι* ponendum esse de actionibus, quae vix praeterierunt, *ἀρτίως* de praesentibus solum, nullius esse momenti docuit Lobeck Phryn. p. 18, cf. Ellendt, Lexic. Sophocl. s. v. *ἀρτίως*. — Ceterum falso adhuc in omnibus lexicis primus vocis auctor esse dicitur Sophocles.

§ 14. Restant e tota vocabulorum copia verba omnia, quae propter aliquam causam a scriptoribus ante Alcaeum et Sapphonem nusquam commemorantur. In his primum pauca sunt, quae cum epicis non cognata sunt.

ἀμέργω ab initio omnibus Graecis commune fuit — stirps *μεργ-* indogermanica est, cf. Curtius Etym.[5] p. 184 —, sed quantum videre licet, mox verbum e sermone vulgari evanescere coepit, atque iam in Homeri carminibus ceterosque apud epicos nullum vocis vestigium deprehenditur.[3]) Censeat quispiam poe-

---

1) Addo ad alia, quae vulgo afferuntur exempla, Inscript. aetat. Roman. ed. Dittenberger 743 *μουσοπόλων φιλότειμον*.

2) R. Kuehner Griech. Gramm.[2] p. 674: „*ἄρτι* und *ἀρτίως*, die von $\sqrt{}$*αρ-* (*ἈΡ-ω*) stammen, bezeichnen eine eng verbundene Zeit, werden aber in der klassischen Zeit nur von der Gegenwart und Vergangenheit gebraucht. Erst bei Späteren findet sich die Verbindung mit dem Futurum."

3) Multo frequentius erat *ἀμέλγειν, ἀμέλγεσθαι*, quod ipsum quoque de illa radice *μεργ-* derivandum est (cf. Curtius l. l.) atque mox significare coepit „mulcere".

tis occasionem defuisse verbi usurpandi, sed ne hoc credamus, impedit Od. μ 357 et hymn. in Cerer. 425: utroque enim loco positum est synonymum *δρέπειν, δρέπεσθαι* (Od. l. l.). Atque etiam apud posteriores hoc verbum praevaluit, legitur apud Herodotum (III, 110), saepe apud Pindarum (Ol. 1, 13. Pyth. 1, 49. Nem. II, 9. Pyth. VI, 48 etc.), apud Atticos et poetas et prosaicos scriptores (Eurip. Hel. 250, Aristoph. Ran. 1300, Platon. Reipublic. III, 401 C), neque ab Aeolensibus alienum est, cf. *μαλοδροπῆες* Sa. 93, 2. *ἀμέργω* autem ex veteribus poetis sola usurpavisse videtur Sappho fr. 121 (Athen. XII, 554 B) *Σαπφώ φησιν „ἴδεῖν ἄνθε᾽ ἀμέργουσαν παῖδ᾽ ἄγαν ἀπάλαν“*. Ex lyrica poesi, ut videtur, Euripides recepit, quem alia quoque vocabula inde desumpsisse constat, ut *ῥέθος, χρυσοφάεννος* Hippol. 1276 ex Anacr. 25, *μουσοπόλος* et al., et semel usurpavit Herc. F. 397 *χερὶ καρπὸν ἀμέρξας*; comice posuit Aristophanes Equit. 326 verbum a vulgari sermone alienum *ἧ σὺ πιστεύων ἀμέργει* (cod. Rav. *ἀμέλγει*, Bothe correx. ex schol.) *τῶν ξένων τοὺς καρπίμους*. Sed deinde vocabulum per longum tempus nusquam usurpabatur et paene emortuum esse videbatur, dum demum reviviscebat Alexandrinorum aetate, atque saepenumero praecipue in poesi altiore, quam undique vocabula rara et vetusta quaesivisse constat, poni solebat (cf. Naek. Choeril. p. 154), ut Theocr. 26, 3. Apoll. Rhod. 1, 882. 1, 212. 4, 1143. Nicand. Ther. 686. 864. 910. Leonid. Tarent. in Anth. Pal. VI, 57, ubi Lobeck, cui assentior, scripsit *ἀμέρξας*, Iacobs retinet *ἀμέρσας*. Agath. A. P. VI, 72. Nonn. Dionys. 26, 103. 31, 206. 33, 5. *ἀπαμέρξας* praeterea restituit Lobeck (Rhem. p. 54, 6) apud Agamestor. Pharsal. in schol. Lycophr. 178 p. 460; adde ex veteribus lexicis Polluc. I, 225 *τρίβειν τὰς ἐλαίας ἀμέργειν, καταμέργειν*. Hesych. *ἀμεργομένη· καρπὸν ἀμέρξων* quod ex poeta desumptum, esse cognovit Naekius l. l.[1])

ἀσάομαι Alc. 35, 2. de nomine *ἄσα* est angi, desperare; saepius etiam apud Theognidem v. 593. 657. 989.

ἐπιρρομβέω (de stirpe *ῥεμβ-*) dictum est Sa. 2, 13 de auribus sonantibus, cf. Catull. 51, 11 „tintinant aures“.

---

1) Dionys. Per. 293 codd. *ἀμέργονται*, sed scribendum est *ἀμέλγονται*.

ἐκχαυνόω Alc. 51. *ἐκ δὲ παίδων χαύνοις φρένας.* *χαυνόω* ab epicis alienum; compositum *ἐκχαυνόω* semel legimus Eurip. Suppl. 412. adde Hesych. *ἐκχαυνῶν, μεταίρων.*

κωλύω Alc. 55, 2. numquam in lexicis commemoratur, hoc loco primum legi.

τέγγω Alc. 39, 1 *τέγγε πλεύμονα Ϝοίνῳ* (Hill.)

Sed cetera verba omnia aliquo modo cum epicis cohaerent:

αἰθύσσω, quod saepius apud Graecorum scriptores et veteres et recentiores legitur, primum invenitur Sapphon. fr. 4, 2. *αἰθυσσομένων δὲ φύλλων κῶμα καταῤῥεῖ.* Videntur haec verba una cum eis, quae praecedunt, describere Nympharum hortos, cf. Demetr. de Eloc. CXXXII in Bergkii annotat. ad h. l. Verba autem imitatus est Horatius epod. 2, 27: frondesque lymphis obstrepunt manantibus, somnos quod invitet leves. Hinc qua significatione Lesbiaca poetria verbo usus sit, optime perspicimus: nam *αἰθύσσομαι* est in illis verbis idem, quod apud Horatium „obstrepo". Sed manifestum est non ab initio in hoc verbo notionem se movendi et obstrependi fuisse, cum derivandum sit de stirpe *αἰθ-*, quae habet notionem splendendi, fulgendi, cf. *αἴθω* (homer. *αἰθόμενον πῦρ*) *αἰθήρ, αἴθοψ*, itaque *αἰθύσσω* proprie significat coruscare, nitere, micare. Hoc confirmatur Pindar. Pyth. V, 11. *εὐδίαν, ὃς* (scil. *Κάστωρ*) *μετὰ χειμέριον ὄμβρον τεὰν καταιθύσσει μάκαιραν ἑστίαν*, atque vestigium propriae significationis deprehenditur Pyth. I, 87 *εἴ τι δὲ καὶ φλαῦρον παραιθύσσει* metaphorice „de scintillis, quae inter ferrum cudendum emicant" (Dissen ad h. l.) et Pyth. IV, 83 *κομᾶν πλόκαμοι ... ἅπαν νῶτον καταίθυσσον*, ubi Dissen: replebant radiorum instar. Praeterea substantivum *αἴθυγμα* semper significat splendorem, cf. Eurip. Alc. 1084. Polyb. 20, 5, 4 et saepius, atque *αἰθύσσω* ne apud recentiores quidem vim splendendi amisit, cf. Arat. 1033. Nonn. Dionys. I, 236. IV, 2. VIII, 305. Maneth. 2, 4. Orph. Arg. 967 et all. Sed mox verbum *αἰθύσσω* aliam induit significationem. Namque cum interdum significaret coruscare, cf. Pind. Pyth. I, 87, atque in coruscando etiam notio inquietae motionis sit, *αἰθύσσω* coepit esse „movere, agitare", atque Sappho prima verbo hanc vim dedisse videtur. Utraque significatione postea Pindarus usus est cum propria, tum posteriore, quam videmus Ol. XI, 73 *θόρυβον παραίθυξε μέγαν,*

Ol. VII, 95 *ἄλλοτ' ἀλλοῖαι διαιθύσσουσιν* (intransit.) *αὖραι*. In perturbationem atque commotionem animi transtulit Bacchylides fr. 27, 3 *ἐλπὶς γὰρ αἰθύσσει φρένας* (nonnulli scribunt *διαιθύσσει*). Deinde Soph. fr. 499, Nauck frg. Tragicor.[2] *αἰθύσσειν· ἀνασείειν· Σίνωνι Σοφοκλῆς*, cf. *ἀναιθύσσω· ἀνασείω· Σοφοκλῆς Σίνωνι*. Hesych. cf. Anecd. Bekk. p. 360, 31. Euripid. Troad. 344. *ἀτὰρ λυγράν γε τήνδ' ἀναιθύσσεις φλόγα*. Neque interiit haec significatio apud recentiores, cf. Apoll. Rhod. 2, 1253. Oppian. Cyn. 4, 159. Nonn. Dionys. 4, 2. 44, 10, adde Lentz Herodian I, 44, 11 *αἶθυξ· ὁ εὐκίνητος παρὰ τὸ αἰθύσσω* et *αἰθυκτήρ*, quod usurpatur de sagitta per auras magno impetu volante. — A sermone autem vulgari verbum *αἰθύσσω* semper alienum fuit.

εἰκάζω aeolice *εἰκάσδω*, per diaeresin *ἐικάσδω* Sa. 104 bis, cf. Meister I, 87.

κρέκω Sa 90: *γλυκεῖα μᾶτερ, οὔτοι δύναμαι κρέκην τὸν ἴστον*, cohaeret cum homerico *κερκίς*, cf. Il. *X* 448. Od. *ε* 62.

μεγαλύνω ex *μεγαλο-* per analogiam multorum verborum, quae in *-υνω* exeunt, derivatum est, quamquam potius exspectes stirpem *μεγαλυ-*. *μεγαλύνω* post veterum epicorum aetatem ortum esse elucet eo, quod ante Sapphonem non legitur, cf. fr. 35 *ἄλλα, μὴ μεγαλύνεο δακτυλίω πέρι*, Homerus autem eodem sensu usurpavit verbum *μεγαλίζομαι* *K* 69. *ψ* 174. — Verba in *-υνω* exeuntia, quibus quidem deest stirps in *ῡ*, apud lyricos poetas veteres perraro inveniuntur; saepius usurpavit Pindarus talia verba, quae quidem iam inde ab Homero usurpata erant, *αἰσχύνω, ἐντύνω, ὀτρύνω, πορσύνω*; ex eis autem, quae post Homerum orta sunt, praeter *μεγαλύνω* unum *μηκύνω* Pind. Pyth. 4, 280 *οὐδὲ μακύνων τέλος οὐδέν* inveni; cetera omnia posterioris aetatis sunt.

μαρτυρέω Alc. 102 *ἔγω μὲν οὐ δέω ταῦτα μαρτυρεῦντας*.

παλαμάομαι Alc. 72 *ἐμαύτῳ παλαμάσομαι*.

πτερυγόομαι Sa. 38 *ὡς δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπτερύγωμαι* (Bergk: „nescio an *πεπτέρυγμαι* sit praeoptandum"; Neue Catull. 3, 6 comparans coniecit *πεπτερύγωται*, sine satis idonea causa).

σταλάσσω Sa. 116 *ἡμιτύβιον σταλάσσον*. Hoc est unicum exemplum apud vetustiores poetas, qui *στάζω* frequentant (Homer.

Pindar. saepe, Hippon. 57, etiam apud tragicos). σταλάσσω usitatius fit non ante Euripidem (Hippol. 738. Helen. 633. Andr. 1046.)

τυφόω Alc. 68 πάμπαν δ' ἐτύφωσ' ἐκ δ' ἕλετο φρένας, idem valet, quod ἐμβροντᾶν, cf. Harpocrat. 175, 15 τετύφωμαι· ἀντὶ τοῦ ἐμβεβρόντημαι, unde Alcaei fragmentum petitum est. τυφόω cohaeret cum epicis nominibus Τυφωεύς *B* 782, Hes. Theog. 386 et Τυφάων hymn. Apoll. 306. 352, atque ad eandem stirpem referendum est τυφλός (τυφ- rauchen, brennen, cf. Curtius Etym.[5] p. 238). τυφόω semper translate ponitur de animo perturbato, proprie autem de flamma et fumo usurpabant Graeci τύφω, atque satis recenti demum aetate τύφω pro τυφόω translate positum est a poetis Anthologiae, qui saepius dicebant de amore mentem hominis perturbante, cf. Philodem. A. P. V, 124, 3. XI, 41, 6. Meleag. XII, 63, 6 et saepius. Ceterum conferre licet Archiloch. fr. 77 v. 2, ubi pro τυφοῦν legitur συγκεραυνοῦν: οἶδα διθύραμβον, οἴνῳ συγκεραυνωθεὶς φρένας.

φροντίζω Sa. 41 Ἄτθι, σοὶ δ' ἔμεθεν μὲν ἀπήχθετο φροντίσδην.

Iam vero enumeremus, quae nova ad priora accesserunt verba composita:

ἐκδιδάσκω Sa. 71 Ἥρων ἐξεδίδαξ' ἐκ Γυάρων τὰν τανυσίδρομον.

ἐκπονέω Sa. 98 πίσυγγοι δὲ δέκ' ἐξεπόνασαν scil. σάμβαλα.

ἐπαΐω Alc. 45 ἦρος ἀνθεμόεντος ἐπάϊον ἐρχομένοιο.

εὐκλεΐζω Sa. 118, 6 εὐκλέϊσον, cf. Tyrt. 12, 24 εὐκλεΐσας, Pindar. Pyth. 9, 91 εὐκλεΐξαι.

καταγρέω Sa. 43 ὄτα πάννυχος ἄσφι κατάγρει. ἀγρεῖν non solum apud Aeoles, sed omnibus in dialectis praeter usitatius αἱρεῖν vetere aetate usurpatum esse iam pridem cognitum est, cf. Hinrichs de Hom. eloc. vestig. Aeol. p. 36 sq. Bergk, Griech. Litteraturgesch. I p. 58 ann. 20.[1]) Meister I, 182. καταγρέω

---

[1]) Addo ad exempla ibid. laudata: Semon. Amorg. 1, 19 καὐτάγρετοι λείπουσιν ἡλίου φάος; recentius est αὐθαίρετος, quod primus usurpavit Bacchylides 36, 1 θνητοῖσι δ' οὐκ αὐθαίρετοι οὔτ' ὄλβος οὔτ' — Ἄρης.

legitur praeter Sapphon. l. l. etiam Collitz D. I. 214, 5 *κατάγρεντον* 213, 3 *καταγρέθῃ* (sic Ahrens, cf. Meister l. l., Blass *καταγνώθῃ*) Hesych. *καταγρεῖ· καθαιρεῖ. καταλαμβάνει.* — *κατάγρει* autem non recte a Bergkio et Meistero scribi Sa. 4, 3 satis ostendisse mihi videor p. 182.

καταείρω, aeol. *καταέῤῥω* per tmesin Alc. 41, 2 *καδ δ' ἄεῤῥε κυλίχναις μεγάλαις αἶτα ποικίλαις.* Verbum hoc uno loco transitive positum est „deprome", cf. Horat. carm. I, 9, 6, postea semper intransitive usurpabant Graeci de adveniendo, desiliendo, navem appellendo.

κατερείκομαι ter apud Graecorum scriptores invenimus; primum Sa. 62 *κατερείκεσθε χίτωνας*, deinde Herodot. 3, 66 *τά τε ἐσθῆτος . . . εἶχον, ταῦτα κατηρείκοντο* Aeschyl. Pers. 530 *κατερεικόμενοι*, ubi schol. *κατασχίζουσαι, ἐνεργητικῶς.* — Etiam activum *κατερείκω* raro scriptum videmus.

καττύπτω Sa. 62 *καττύπτεσθε κόραι*, est *ἅπαξ εἰρημένον.*

μετέχω Alc. 101 *ἀλλὰ σαύτῳ μετέχων ἄβας πρὸς πόσιν* scribunt Bergk, Meister, Hiller, sed cf. quae supra p. 207 de *μετέχω* et *πεδέχω* dixi.

ξυνοικεῖν Sa. 75 *οὐ γὰρ τλάσομ' ἔγω ξυνοίκην νέῳ γ' ἔοισα γεραιτέρα* (sic scribunt Wilamowitz, Isyll. p. 129, Hiller A. L.[4] Sa. fr. 47, 2).

παρορίννω Alc. 99 *πάλιν (ἃ)*[1]) *ὗς παρορίννει*, aeol. pro *παρορίνει*, cf. Meister Dial. I p. 141, annot. 5. Haec verba proverbialiter dicta esse apparet ex Paroemiograph. Graec. T. II, 765 ed. Gott. *ἐπὶ τῶν παρακινούντων τινὰ εἰπεῖν ἄκοντα, ἃ οὐ βούλεται.*

προκόπτω Alc. 35, 2 *προκόψομεν γὰρ οὖδεν ἀσάμενοι.*

προσορᾶν bis apud Saphonem fr. 78, 4. fr. 69. (priore loco sequor Hillerum, qui scripsit *προσορῆν*, nisi malis *προσόρην*; cod. *προτερήν*).

στεφανηπλοκέω Sa. 73 *αὖτα ὠράα στεφαναπλόκευν* (Hill.) ex schol. Aristoph. Thesm. 401. Suo iure offenditur Meister I p. 64 littera *η* in fine prioris elementi compositi verbi, itaque cum Hillero (A. L. 54) restituendum est *στεφαναπλόκευν.*

1) cf. Wilamowitz, Isyllos Epidaur. p. 127. *παρορίννει* primus recte Hillerus scripsit.

συμμαχέω Alc. 33, 4 *συμμάχεις*, cf. Sa. 128 *σύμμαχος ἔσσο.*

συνείρω (*εἴρω* de stirpe *σερ-*, lat. sero: ο 460 *ἔερτο*, σ 296 *ἐερμένον*, cf. Ameis ad prior. l.) primum Sa. 78 *ὄρπακας ἀνήτοιο συνέῤῥαισ' ἀπάλαισι χέρσιν* (cf. Meister I p. 79.)

συνόϊδα Sa. 15 per diaeresin, cf. Meister I p. 86.

ὑποδέω Alc. 103 *καὶ Σκυθίκαις ὑποδησάμενος* (sic Bgk., Hiller; ego scripserim *ὑπαδ.*) Homerus nondum hoc composito usus verbum simplex cum adverbio adhibet, cf. B 44 *ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.*

---

§ 15. Postquam omnia, quae memoratu digna esse videbantur, vocabula percensuimus, iam contemplemur, quid ex hac quaestione de arte atque auctoritate Alcaei et Sapphonis sequatur. Primum pleraque, quae usurpaverunt, vocabula iis communia sunt cum epicis. Sed plurima ita comparata sunt, ut non minus quam ex epica poesi ex sermone vulgari desumpta esse possint. Perpauca invenimus, quae epicorum auctoritate ex Ionica dialecto desumpta esse putanda sunt, duo ex Aeolica dialecto iam antea ab epicis poetis recepta erant (*ἔρος*, *κταίνω*). Multa alia aut significatione mutata aut translate aut alio modo ab Aeolicis poetis usurpata sunt, unum (*γάμβρος* significans idem quod *νύμφιος*) Aeolicum est, unum, diversum una littera ab epico (*βληχρός*, *ἀβληχρός*), ex Ionica dialecto haustum esse videtur. Quae cum ita sint, apparet etiam ex copia vocabulorum verum esse, quod viri docti de auctoritate epicorum poetarum in Alcaei et Sapphus arte poetica et elocutione iudicaverunt, cum parvam eam fuisse statuunt.

Ex numero ceterorum vocabulorum, quae ante Lesbiacos poetas nondum leguntur, invenimus viginti quinque, quae Aeolicae dialecto aut soli aut eximie propria erant, cetera certae dialecto ascribere non ausim. Permulta invenimus *ἅπαξ εἰρημένα* neque pauca vocabula composita, quae ab Alcaeo et Sapphone ipsis inventa esse censeo; alia veteri linguae Graecorum propria sunt aut apud poetas et eos, qui poeticam orationem imitantur, inveniuntur.

Si quaeris, quid de Alcaei et Sapphus auctoritate apud eos,

qui postea floruerunt, poetas ex copia vocabulorum concludendum sit, apparet eam non magnam fuisse (cf. quae Wilamowitz, Euripid. Heracl. vol. I cap. I annot. 69 de Alcaei et Sapphonis apud Athenienses auctoritate docet). Quantum quidem ex eorum fragmentis intellegere possumus, non multa ex Aeolica poesi vocabula ad tragicos pervenerunt (*ῥέθος* = *πρόσωπον*, *πεδάορος*, *μέλημα*), nonnulla fortasse composita, ut *βαρυδαίμων*, *μουσοπόλος*; complura rursus apud choricos et elegiacos lyricos reperiuntur (*μαψυλάκας* Pind. Nem. VII, 105 — *δολόπλοκος* Theogn. 1366; fr. adesp. 129, cf. *δολοπλοκίαι* Theogn. 226; — *ψέφος* Pind. fr. 324 Bgk., cf. *ψεφεννός* Nem. III, 41), alia non pauca apud recentiores demum scriptores rursus leguntur.

Index vocabulorum

ab Alcaeo et Sapphone usurpatorum.

A.

B.

E.

Ϝ.

ϝέ Sa. 89. ϝέθεν Alc. 11. ϝοί Sa. 111.
ϝέαγε Sa. 2, 9.
ϝείπην Sa. 28, 2. Alc. 55, 2.
ϝέργον Alc. 15, 7.
ϝέσπερε Sa. 95.
ἰσϝίδω Sa. 2, 7.
ϝοίνῳ (Hill.) Alc. 39, 1.
τὸν ϝὸν παῖδα κάλει Sa. 117.
ϝρῆξις Alc. 149.

Z.

ζὰ δ' ἐλεξάμαν Sa. 87.
ζάβατον Sa. 158.
λαῖφος δὲ πὰν ζάδηλον Alc. 18, 7.
Ζεφύρῳ μιγεῖσα (scil. Ἶρις) Alc. 13 *B*.
ὔει μὲν ὀ Ζεύς Alc. 3, 41. αἰ δέ κ' ἄμμι Ζεὺς τελέσῃ νόημα Alc. 77. Σεμέλας καὶ Δίος υἶος Alc. 41, 3. παῖ Δίος (Ἄπολλον) Alc. 1. παῖ Δίος (Ἀφρόδιτα) Sa. 1, 2. Χάριτες ... Δίος κόραι Sa. 65. Νύμφαις, ταὶς Δίος ἐξ αἰγιόχω φαῖσι τετυγμέναις Alc. 85.
ζοφοδορπίδαν esse Pittacum dicit Alcaeus 37 *B*.
ζώματα πόλλα Alc. 15, 6.

H.

ἤ Sa. 6 bis. 22, 1. 28, 1.
ἤ που Alc. 66.
ἤδη Alc. 18, 7.
ἠμιτύβιον σταλάσσον Sa. 116.
ἦνθον (= ἦλθον)? Alc. 84, 2.
ἦρα Alc. 94, 1. Sa. 102.
ἦρος ἄγγελος Sa. 39. ἦρος ἀνθεμόεντος ἐπάϊον Alc. 45.
Ἤρων ἐξεδίδαξ' Sa. 71.
ἦσι πάτηρ Sa. 97.

Θ.

Φερσεφόνας ... θάλαμος Sa. 119, 2.
πολίας θαλάσσας τέκνον Alc. 51, 1.
ἀ θαλασσία λέπας Alc. 51, 2.
ἄβροις συμμεμιγμένον θαλίαισι Sa. 5, 3.
θέω etc. cf. τίθημι.
τίς δ' ἀγροιῶτις ... θέλγει νόον Sa. 70, 1.
θέλω Sa. 1, 17. Alc. 55, 2. ἄς θέλετ' ὔμμες Sa. 25. τὰ θέλεις ..., τά κ' οὐ θέλοις Alc. 83.
οὐ γὰρ θέμις Sa. 136.
θέος ὄπποτα φλογίαν ... θῇ Alc. 39, 4, ἀθάνατοι θέοι Alc. 80. θέων μηδέν' Alc. 11. δεινότατον θέων Alc. 13 *B*. θέων ἰότητ' Alc. 13 *A*. ἴσσος θέοισιν Sa. 2, 1. θέοις Sa. 51, 2.
θεράπων Sa. 74.
χρυσοφαῆ θεράπαιναν Ἀφροδίτας Sa. 141.
θέσις (= ποίησις) Alc. 133.
τεθνάκην Sa. 2, 15.
θρῆνον Sa. 136.
θῦμος ἰμέρρει Sa. 1, 27. ψῦχρος ἔγεντο θῦμος Sa. 16.

N.

Π.

Ρ.

Σ.

Corrigenda.

p. 211. lin. 1. ἀλίβαπτος pro αλίβαπτος.
p. 213. lin. 1. ὑποθύμιδες pro υποθύμιδες.
lin. 32. post κατ αὔτο uncus delendus est.

HENRICUS ANZ:

SUBSIDIA
AD
COGNOSCENDUM GRAECORUM SERMONEM VULGAREM E PENTATEUCHI VERSIONE ALEXANDRINA REPETITA.

Notum est inde ab Alexandri Macedonis fere temporibus mutatam existere sermonis Attici naturam in litteris Graecis, variatas magna e parte formas, variatam syntaxin, variatam ipsam verborum copiam.[1]) Ac pauca quidem de ea re satis cognita sunt[2]), plurima adhuc in dubio manserunt. Neque illa quae vocatur *κοινὴ διάλεκτος* prius videtur penitus perspici posse, quam historia linguae Graecae excussa erit. Interdum hinc illinc licet parvam lucem addere et materiem ad praeclarum illud aedificium extruendum supportare. Sed in hoc ipso supportandi opere cavendum est, ne inutilia vel adeo ad rem clare ac distincte pernoscendam obnoxia inseramus, quod facillime fieri posse existimo in perquirendis illorum temporum litteris doctis et artificiosis. Alius enim fuit tum quidem sermo litterarum, alius is quo omnes fere sive docti sive indocti in cotidiana consuetudine uti solebant.[3]) Itaque cum difficillimum sit, ubinam utriusque sermonis fines sint constituendi cognoscere, fontem mihi delegi, unde non solum tutius hauriri posse mihi persuaserim, sed etiam fortasse inveniri posse quaedam argumenta, quibus fines illos adumbrare liceat.

Pentateuchi versio Alexandrina cum origine tum ipsa natura docet, quemnam illinc sermonem Graecum cognosci posse speremus. Exorta enim est tertio a. Chr. n. saeculo Alexandriae,

[1]) Exempli causa conf. Ausführl. Gramm. d. griech. Spr. v. Kühner I[3] ed. Blass. vol. I p. 22. — W. G. Rutherford, Babrius p. LVI sqq. — Meyer, Griech. Gr[2] p. XXXIV.

[2]) Conf. inprimis G. N. Hatzidakis, Einleitung in die neugriech. Gramm. Leipzig 1892. p. 172—229.

[3]) Vid. Hatzidakis l. l. passim; imprimis p. 2 sq. et 246 sqq. — U. de Wilamowitz-Moellendorff, Über die Entstehung der griech. Schriftsprachen [Verh. d. XXXII. Vers. deutscher Philol. u. Schulm. in Wiesbaden 1877] p. 40.

in Hebraeorum regione[1]); non, ut Iudaeus quidam ad augendam illius versionis totiusque gentis auctoritatem postea effinxit[2]), ut sacri Iudaeorum libri in bibliotheca Ptolemaeorum poni possent, sed in usum synagogarum.[3]) Utendum igitur erat interpretibus non artificioso litterarum Atticarum sermone, sed eo quo Iudaei Alexandrini tum temporis utebantur i. e. sermone Alexandrinorum urbano.[4]) Sed video eam quam evitare volui difficultatem in deligenda materie alia me difficultate mutasse: de dialecto Alexandrina adhuc sub iudice lis est. Nec quae Apostolides homo doctus Alexandrinus nuperrime protulit omnes caligines propulsaverunt. Certe nemo iam existet, qui cum Sturzio[5]) Macedonicam dialectum ibi quaerat, sed altera e parte neminem puto indicare illam quae vulgo appellatur dialectum Alexandrinam solis vindicandam esse Alexandrinis.

Minime in animo est soloecismos Alexandrinos[6]) tollere, sed

---

[1]) Vid. Schürer, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter Jesu Christi Bd. II² p. 699: 'So dunkel aber der Ursprung der Uebersetzung auch ist, so darf doch schon aus inneren Gründen als sicher angenommen werden, dass sie in Alexandrien entstanden ist und zwar noch im III. Jh. v. Chr., denn der zur Zeit des Ptolemaeus IV. [222—205] schreibende Hellenist Demetrius hat dieselbe sicher bereits benützt.' — Conf. etiam Z. Frankel, Vorstudien zu der Septuaginta. Leipzig 1841.

[2]) Ita primum ostendit Humphr. Hody, Contra hist. Aristeae de LXX interpp. diss. London 1685. 8°.

[3]) Vid. Schürer l. l. p. 698. — Frankel l. l. p. 8 al.

[4]) Peritia linguae Hebraicae apud Iudaeos Alexandrinos magis magisque evanescebat, vid. Schürer l. l. p. 543: 'Die Sprache des Gottesdienstes war in der Regel ohne Zweifel die griechische. Das Hebräische war ja den Juden in der Diaspora so wenig geläufig, dass sie es nicht einmal bei Grabschriften anwandten.' — Frankel p. 191 sqq. — Apostolides, Du Grec Alexandrin et de ses rapports avec le grec ancien et le grec moderne [Extrait de la Rivista Quindicinale] Alexandrie 1892 p. 16: 'Tous le Juifs installés dans la Basse-Egypte parlaient à l'arrivée des Macédoniens le grec, et cela à tel point, que la seule faveur qu'ils se sont permis de demander à leurs nouveaux maîtres, les Ptolémées, fut de leur faire avoir une traduction exacte de leur Bible dans l'idiome grec, le seul que le peuple comprenait.'

[5]) Frid. Guil. Sturzii de dialecto Macedonica et Alexandrina liber. Lipsiae 1808.

[6]) Iam Irenaeus grammaticus Alexandrinus 7 libros conscripsit *περὶ τῆς Ἀλεξανδρέων διαλέκτου* [Et. M. s. v. *πυδαρίζειν*. Suid. s. v.

quae res naturam illius dialecti efficiunt, multo latius pertinent.[1]) — Hoc pono: illam dialectum esse eundem fere illum de quo quaerimus Graecorum sermonem vulgarem[2]), Atticae maxima e parte originis, ita tamen ut Ionica natura in eo magis invaluerit Ionismis hinc illinc irruentibus.[3]) Quod ita comprobari posse existimo: Alexandrinorum sermo Graecus cognoscitur primum e LXX interpretibus; sed duae hic res admonendae sunt: primum cavendum esse maximum Hebraismorum numerum[4]), deinde ipsorum interpretum haud parvam sermonis Graeci inscientiam.[5]) Accedit alterum dialecti Alexandrinae documentum: papyri Aegyptii multi quidem sed non ita uberes[6]); tituli

---

Εἰρηναῖος et *Πάκατος*] item Demetrius Ixion Adramyttenus [ap. Athen. IX p. 393 B]. — Conf. etiam Sturz. p. 65—82. 86—96. 97—113.

[1]) Vid. Kühner-Blass l. l. p. 24 [Unter der alexandrin. Mundart ist zu verstehen] 'die damals in Alexandrien herrschende Volkssprache, deren Eigentümlichkeiten indess grösstenteils eine viel weitere Verbreitung auch in den andern hellenischen und hellenisirten Ländern hatten.'

[2]) Similiter Hatzidakis l. l. p. 169, saepius.

[3]) Ita potius videtur dicendum, etsi non ignoro, quid vir doctissimus ac magister mihi dilectissimus de Wilamowitz l. l. p. 40 iudicaverit: 'Denn ganz gedankenlos ist die Annahme, dass die *Κοινὴ* corrumpirtes Attisch sei. Noch in den byzantinischen Volksbüchern springen uns Ionismen aller Art entgegen, und sie fehlen nirgend: oder wären *λῄζεσθαι* und *ἤεσαν* und *τιθεῖ* und die *ψίλωσις* aus Athen gekommen? Ionier waren die Colonisten des Orients, sie schufen die *Κοινή*, eine Revanche dafür, dass Athens Literatur die ältere ionische Entwicklung durchbrochen hatte.' — Conf. Kaibel, Stil und Text der *πολ. Ἀθην.* des Aristoteles p. 36: 'Ionischer Handel und Wandel, ionische Wissenschaft und Poesie hat die attische Sprache von der Gründung des Bundesreichs an beeinflusst.' — p. 57: 'Die Mischung der Atthis mit fremden, vor allem ionischen Elementen hat den Grund zur *Κοινή* gelegt.'

[4]) Conf. Grammatik des neutestam. Sprachidioms v. G. B. Winer.[6] Leipzig 1855 § 3 p. 26 sqq. — H. G. J. Thiersch, De Pentateuchi versione Alexandrina libri tres. Erlangae 1840: lib. III. Hebraismi in versione Pentat. Alexandrina admissi p. 111—188.

[5]) Conf. Schürer l. l. p. 700.

[6]) Notices et textes des papyrus grecs du musée du Louvre et de la Bibliothèque impériale [Notices et textes de la bibl. impér. t. XVIII Paris 1845] (PL.). — Papyri graeci musei antiquarii publici Lugduni-Batavi ed. C. Leemans t. I 1843, II 1885 (PLeem.). — Pap. Graeci Regii

denique in Aegypto reperti tertium praebent subsidium.[1]) Itaque si horum trium testium testimonio Alexandrinam nacti erimus dialectum oportebit reliquae Graeciae titulos conferre ac tum denique eum qui in litteris illorum temporum extat sermonem Graecum cum illa comparare.[2]) Ita tres simul quaestiones stringuntur: prima de dialecto Alexandrina, altera de origine et natura sermonis Graecorum vulgaris, tertia de ea ratione, quae intercedit inter hunc sermonem vulgarem et eum qui in litteris extat sermonem Graecum. At ne novis obstringamur difficultatibus in adhibenda Pentateuchi versione Alexandrina, monendum est primum syntaxeos Graecae argumenta minime illinc promi debere, cum hac e parte Hebraismi plurimum valeant, deinde propter corruptissimam textus naturam[3]) de formis nominum ac

Taurinensis musei Aegyptii ed. Peyron 1826/7. — Papiri Greco-Egizy ill. da Petrettini 1826. — Magirus, Griech. Papyri im egypt. Museum in Berlin [Wien. Studien VIII 1886 p. 92—108. 109—115].

[1]) CIG. III cap. XXIX. — M. G. Deville, Inscriptions grecques d'Egypte recueillies en 1861 [Archives des miss. scientif. et littér. sér. II t. II 1866 p. 457—92]. — M. Letronne, Recueil des inscriptions grecques et latines de l'Egypte. Paris 1842—68. — Revue des études grecques tom. IV (1891) p. 46—57. — Accedunt: Egypt exploration fund. III Naukratis by Flinders Petrie p. 54 sqq.: the inscriptions, by Gardner VI Cap. VIII p. 62 sqq.

[2]) Conf. quae pauca sed utilia collegit W. Jerusalem, Die Inschrift von Sestos und Polybios [Wien. Stud. I. Jahrg. 1879, I p. 32—58]. — Huc spectat quoque P. Viereck, Sermo Graecus quo senatus populusque Romanus magistratusque populi Romani usque ad Tiberii Caesaris aetatem in scriptis publicis usi sunt examinatur. Gottingae 1888. — Consentaneum est ex his recentioris temporis litteris omnes eas fuisse secludendas, quae aliqua e parte ab Alexandrina versione penderent, ut Philonis et Iosephi scripta, libros sacros et ecclesiasticos.

[3]) Conf. Herzog, Real-Encycl. I² p. 284. — Difficultates quae hic occurrunt simulque optima rationis criticae in recensendo textu adhibendae subsidia praebet Edw. Hatchii eximius liber Essays in Biblical Greek. Oxford 1889, ubi imprimis conferas eam partem, quae inscripta est 'On early quotations from the Septuagint' [conf. recens. Theol. Lit.-Z. 1890 nr. 12 p. 297—301 Harnack]. — In insequenti quaestione adhibui textum et apparatum criticum editionis Cantabrigensis [The old Testament in Greek according to the Septuagint by H. B. Swete. Cambridge 1887] e codicibus uncialibus excussum, sed ita ut P. Lagardii textum recensionis quae vulgo fertur Luciani [Librorum V. T. canonicorum pars prior Graece. Gottingae 1883] ubique conferrem.

verborum, quae initio fuerint perscriptae, pauca pro certo posse adfirmari; itaque maxime arbitrabar ex usu esse de copia verborum, quae exquirere potui in unum conferre. Excussi igitur exempli causa e libris Genesi et Exodo ea verba quae ab optimorum prosae orationis Atticae scriptorum usu discedunt aut in illis omnino non extant, deinde collato reliquorum poetarum et prosae orationis scriptorum usu uniuscuiusque verbi historiam quandam constituere conatus sum[1]), eius rei minime ignarus facillime hic propter singulorum librorum indicum penuriam errores potuisse irruere. Deinde haec verba ita instructa disposui, ut quae eadem fere aetate vel apud eundem scriptorem primum extiterint, in unum caput cogerem; ita per singulos gradus cognoscere licet, cum quomodo novus ille sermonis Graeci status succreverit, tum saepius quoque quonam e fonte profluxerit. Iam ipsum opus aggrediar.

Caput I.

Agmen ducant ea verba quae mirum in modum etsi initio litterarum Graecarum apud Homerum pleraque etiam apud alios poetas leguntur, tamen postea aliquamdiu in litteris Atticis aut omnino evanescunt aut raro inveniuntur, quoad initiis recentiorum temporum rursus emergunt ac magis magisque increbrescunt.

1. *ἀνατέλλειν* transitive usurpatum] primum invenitur Hom. *E* 777 *τοῖσιν δ' ἀμβροσίην Σιμόεις ἀνέτειλε,* deinde

---

[1]) Haec verborum historia saepe optime illustratur et cumulatur testimoniis ex hodierna Graecorum lingua repetitis; quam arte enim inter se cohaereant sermo Alexandrinorum vulgaris et ἡ Ῥωμαΐκη γλώττη cum ex insignis viri Hatzidakis libro passim eluceat, iam pridem satis ostensum est; conf. Petrettini l. l. p. 42: 'Questo dialetto [il Greco Alessandrino] cui il Greco moderno molto assomiglia'; item Brunet de Presle, Notices et extraits XVIII p. 12. al. — Sed dolendum est, quod subsidia harum quaestionum adhuc desunt; adhibui Legrand, Nouveau dictionnaire grec moderne-français. Paris 1882; saepius quoque nisi alios libros laudavi, A. Jeannarakis, Neugriech. Gamm. Hannover 1877.

Pind. Isthm. 6, 5. Aesch. frg. 304, 6. Apoll. Rh. 2, 44. 3, 520. Crinag. Anth. Pal. 9, 289. Lucill. Anth. Pal. 11, 183, 6.

In prosa oratione non prius videtur extare quam apud Nicephorum, Walz Rhett. vol. I p. 500, 2 *μετὰ τόκον ἀστέρα καινὸν ἀνέτελλε*.

At conferas Gen. 3, 18 *ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι* [sc. ἡ γῆ].

2. *βαρέειν* pro *βαρύνειν* dictum] Hom. γ 139 *βεβαρηότες οἴνῳ* [inde Aristid. 26, 329 *οἴνῳ βεβαρηότες οἱ ναῦται*]. τ 122 *βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ* [at conf. Arist. probl. XXX 1, 953^b, 12 *διὸ καὶ Ὅμηρος ἐποίησε καί μέ φησι δάκρυ πλώειν βεβαρημένον οἴνῳ*]. ab Homero *βεβαρηότα* sibi assumpsit Ap. Rh. 4, 1526. — Reliqui *βεβαρημένος* exhibent, quod iam Aristotelis temporibus in Homeri quoque textum irrepsisse locus supra allatus docet; conf. Anth. Pal. VII 290 *κυμάτῳ βεβαρημένου ὕπνῳ*. Theocr. 17, 61. Kaibel epigr. gr. e lapid. coll. nr. 335, 3 [*θνήσκω*] *δ' οὐχὶ ν[ό]σῳ βεβαρημένος*. 608, 6.

Loco mere poetico extat ap. Platonem Symp. p. 203 B *εἰς τὸν τοῦ Διὸς κῆπον εἰσελθὼν βεβαρημένος ηὗδεν*. Tum vero aliae quoque huius verbi formae existunt; ac primum quidem, ut videtur, apud Hippocratem; ita 7, 578 *βαρέεται*. Dion. Hal. 1, 14 *ἐβαρήθην*. Dio 46, 32 *βαρούμενος*. 78, 17 *βεβαρηκέναι*. Luc. dial. mort. 10, 4 *βαρήσει*. id. Herod. 5 *βαροῖντο*. — Sed eodem tempore iam in offensionem venisse hoc verbum Atticistis testis est Luc. Pseudosoph. 7 *βαρεῖν δέ τινος εἰπόντος οὐκ ἔστιν ἔφη τὸ βαρύνειν ὡς νενόμικας*; fusius hanc rem tractant schol. ad Thuc. 2, 16 et Thom. Mag. [ed. Ritschl p. 62, 15 sqq.]. Attamen improbantibus Atticistis evaluisse hoc verbum docent titulus anno 174 p. Chr. n. scriptus CJG 5853, 15 *ἵνα μὴ τὴν πόλιν βαρῶμεν* et usus nostri temporis, vid. Hatzidakis l. l. p. 396 'heute ebenfalls *βαρῶ, βαρεῖς, βαρεῖ* auf den Inseln, *βαράω, βαρᾷς, βαράει* etc. im Peloponnes'.

Ex. 7, 14 *βεβάρηται ἡ καρδία* BA [Lag. F *βεβάρυνται*]. In hac codicum dissensione certum constituere non audeo[1]),

[1]) Cum adhuc de codicum auctoritate nihil fere pro certo dici possit, maxima vero codicum sit plerumque dissensio, plurimis locis, quid primitus fuerit perscriptum, cognosci non potest.

tamen apparet in recentioribus codicibus Atticam formam extare; cum vero Lagardii recensio[1]) passim vestigia exhibeat recentioris correctoris[2]), ac porro Lag. et F. artiore quodam inter

---

[1]) Ne quis in hoc nomine offendat; ita potius nominari placuit eam versionis Alexandrinae recensionem, quam e codd. min. dfhmpz excussam Lagardius Luciani esse voluit; utcumque res se habet, iure id quidem videtur dubitari posse, utrum illas emendationes et interpolationes ipsi Luciano an recentioribus scribis vindicandas esse iudicemus; pace igitur Lagardii illo nomine mihi liceat uti.

[2]) Paucis exemplis hanc rem illustrare sufficiat, a certissimis ad dubia descendam: Ex. 11, 1B exhibet: *ὅταν δὲ ἐξαποστέλλῃ ὑμᾶς συνπαντὶ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς ἐκβολῇ* כשלחו כלה גרש יגרש אתכם quam rectam et ad textum Hebraicum aptam versionem cod. A non minus recte commutato verborum ordine ita habet *συνπαντὶ ἐκβολῇ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς*. Iam vero vereor ne cui non mirum videatur quod recentior scriba in verbis *συνπαντιεκβοληι* offendit emendavitque *σὺν πάσῃ ἐκβολῇ*, videas Lag.! — Ex. 12, 49B *νόμος εἷς ἔσται τῷ ἐνχωρίῳ καὶ τῷ προσελθόντι προσηλύτῳ ἐν ὑμῖν* ולגר הגר בתוככם, ubi Lag. *τῷ προσελθόντι ἐν ὑμῖν προσηλύτῳ*, inde Lag. 12, 48 *ἐὰν δέ τις προσέλθῃ ἐν ὑμῖν προσήλυτος*, ubi recte BAF *πρὸς ὑμᾶς*. — Ex 7, 19 *ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου ἐπὶ τὰ ὕδατα Αἰγύπτου καὶ ἐπὶ τοὺς ποταμοὺς αὐτῶν καὶ ἐπὶ τὰς διώρυγας αὐτῶν καὶ ἐπὶ τὰ ἕλη αὐτῶν .. καὶ ἔσται αἷμα· καὶ ἐγένετο αἷμα ἐν πάσῃ γῇ Αἰγύπτου ἔν τε τοῖς ξύλοις καὶ ἐν τοῖς λίθοις* BAF; quaero num sit qui non offendat in his extremis *ἔν τε τοῖς ξ. κτλ.* at videas textum hebraicum ובעצים ובאבנים i. e. 'in vasis ligneis et lapideis'; secuti igitur sunt interpretes accuratissime verba hebraica sed obscurius ac minime Graece; iam videas quam facile invenerit loco medicinam Lag. ex iis quae paulo ante leguntur repetitam, exhibet enim *ἔν τε τοῖς ποταμοῖς καὶ ἐν τοῖς ἕλεσιν αὐτῶν*. — Ex. 12, 7BA *καὶ θήσουσιν ἐπὶ τῶν δύο σταθμῶν καὶ ἐπὶ τὴν φλιὰν ἐν τοῖς οἴκοις* על־שתי המזוזת ועל המשקוף על הבתים אשר. Vulg. recte 'ac ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum, in quibus etc.' Lag. vero ut membra sententiae exaequaret et hebraicam particulam על ter positam ter eadem particula redderet, verba hunc in modum corrupit: *καὶ ἐπὶ τὴν φλιὰν καὶ ἐπὶ τοῖς οἴκοις*! — Pauca deinde exempla eiusdem studii exaequandi breviter apponam: Ex. 28, 37BAF *καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας καὶ ἁγιάσεις αὐτούς*. ומלאת את ידם וקדשת אתם Lag.: *καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας καὶ ἁγιάσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας*. — Ex. 10, 3 *ἵνα λατρεύσωσίν μοι*, Lag. add. *ἐν τῇ ἐρήμῳ* e similibus locis 7, 16. 8, 20. hoc vero loco contra textum hebraicum. — Ex. 5, 11 *συλλέγετε ἑαυτοῖς ἄχυρα* BAF. Lag. vero e versibus 7 et 12 huc transtulit *συνάγετε*, item 16, 4 conf. 5. Similia exempla passim inveniuntur. Iam vero ipsine Luciano illas interpolationes et mutationes vindicemus an recentioribus librariis, pro certo

se vinculo videantur cohaerere, formam Hellenisticam codicibus B et A comprobatam potius praeferendam esse iudico.

3. *βιβρώσκειν*] Hom. *X* 94. *χ* 403. *β* 203. — Aesch. Ag. 1097. Soph. Ant. 1022. Tr. 1054. — Ar. Vesp. 462. Eupolis com. [Mein. 2, 447]. Axionic. [Mein. 3, 534]. — Callim. H. in Iov. 49. Theocr. 25, 224.

In prosa oratione primum ap. Herod. 1, 119; deinde saepissime ut videtur ap. Hippocr., ita 2, 300. 5, 156. 192. 322. 6, 12. 268. 7, 110. 236. 8, 350. — Xen. Hier. 1, 24. — Arist. saepius, ita Probl. V 7, 881^a, 21. XXII 1, 930^a, 9. — Pol. 3, 72, 6. — Plut. — Luc. Atticistarum vituperationes futurum tempus *βρώσομαι* magis spectare videntur quam totum verbum; conf. Phryn. [Lob. p. 347] *βρώσομαι· κακῶς ὁ Φαβωρῖνος· οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἀντ' αὐτοῦ τῷ ἔδομαι καὶ κατέδομαι χρῶνται· ἄκριτον οὖν καὶ ἀπόβλητον τῶν Ἀττικῶν φωνῶν τὸ βρώσομαι ῥῆμα.* conf. Phryn. *σοφιστ. προπαρ.* [Bekkeri Anecdota p. 37, 30 sqq.]. Thom. Mag. 126, 13.

Quater hoc verbum in Exodo legitur: Ex. 12, 45. 13, 3. 21, 28. 29, 34.

4. *ἐκτινάσσειν*] Hom. *Π* 348 *ἐκ δ' ἐτίναχθεν ὀδόντες.* — Diphil. ap. Athen. II p. 51 F.

---

diiudicare non audeo; at fortasse via quaedam demonstratur Suidae verbis s. v. *Λουκιανός* allatis; ibi legitur: *οὗτος τὰς ἱερὰς βίβλους θεασάμενος πολὺ τὸ νόθον εἰσδεξαμένας τοῦ τε χρόνου λυμηναμένου πολλὰ τῶν ἐν αὐταῖς, καὶ τῆς συνεχοῦς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταθέσεως, καὶ μέντοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἳ τοῦ ἑλληνισμοῦ προειστήκεσαν, παρατρέψαι τὸν ἐν αὐταῖς θελησάντων νοῦν, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐνσκευασαμένων, αὐτὰς ἁπάσας ἀναλαβὼν ἐκ τῆς Ἑβραΐδος αὐτὰς ἐπανενεώσατο γλώττης, ἣν καὶ αὐτὴν ἠκριβωκὼς ἐς τὰ μάλιστα ἦν, πόνον τῇ ἐπανορθώσει πλεῖστον εἰσενεγκάμενος.* — Iam conferas quantum recedant illae quas adtuli mutationes a textu hebraico in reliquis codicibus plerumque conservato. Mihi quidem non potui persuadere integrum Luciani textum apud Lagardium extare, immo passim hic apparent vestigia textus e recentioribus codicibus excussi. Horum in numero habendi quoque sunt Atticismi pro Hellenismis substituti; ita supra attuli Ex. 7, 14 *βεβάρυνται* pro *βεβάρηται* — Ex. 15, 10 BAF *μόλιβος*, Lag. *μόλιβδος* conf. Lob. ad Phryn. p. 148. Zonar. Lex. p. 1366 — Ex 9, 33 BA *ἐξῆλθεν ἐκτὸς τῆς πόλεως* Lag.: *ἔξω* conf. Phryn. [Lob. p. 128]; ita Lag. pro *λήμψομαι* reliquorum codd. exhibet *λήψομαι*, pro *εἶπαν*: *εἶπον*, pro imper. *ἔνεγκον*: *ἔνεγκε*, pro *εἴδοσαν*: *εἶδον*, al.

In prosa oratione Hippocr. 5, 288 absolute dictum *ἡ κοιλίη αὐτῷ ἐξετίναξεν* il y eut des évacuations alvines. L. — Plut. Cato 14 *ἐκτιναχθέντων αὐτοῦ τῶν ὀδόντων*. — Diosc. 2, 98. Geopon. 3, 12, 3.

Ex. 14, 27 praepositionis vi paene omnino neglecta: *ἐξετίναξεν κύριος τοὺς Αἰγυπτίους μέσον τῆς θαλάσσης* [hebr. וַיְנַעֵר incutere].

5. *ἐντρέπεσθαι*] Hom. *O* 554. *α* 60 *οὐδέ νυ σοί περ ἐντρέπεται φίλον ἦτορ* i. e. permovetur. Deinde sensu magis proprio ap. Soph. Oed. Col. 1541 legitur *στείχωμεν ἤδη μηδ' ἔτ' ἐντρεπώμεθα* [ubi schol. *ἀντὶ τοῦ ἐπιστρεφώμεθα. Ὅμηρος ἐντροπαλίζεσθαι*]; sensu translato: curare *τινός*, ita Oed. R. 724. 1226. Ai. 90. — El. 519 *νῦν δ' ὡς ἄπεστ' ἐκεῖνος, οὐδὲν ἐντρέπει ἐμοῦ γε*, subest notio obsequendi, morem gerendi. — Eurip. fr. Alcmaeonis ap. Prisc. inst. 18, 211 [Nauck² nr. 83] *εἰ τοῦ τεκόντος οὐδὲν ἐντρέπῃ πατρός*, idem fere ac *αἰδεῖσθαι*. Eadem verbi notio extat ap. Alexid. com. ap. Prisc. 18, 211 [Kock II 320 nr. 71] *ἀκόλαστός ἐστι τὴν δὲ πολιὰν οὐκ ἐντρέπεται* [ubi K. probabilius *τὴν δὲ πολιὰν μητέρα οὐκ ἐντρέπεται* emendavit], notanda hic est verbi rectio transitiva.

In prosa oratione primum extat ap. Pl. cum negatione positum significatione nihil curandi, *τινός*: Crit. 52 C. Phaedr. 254 A, item Xen. Hell. II 3, 33. Similiter etiam apud Polybium invenitur 9, 31, 6. Saepius vero [vid. Schweighaeuseri indicem Pol.] cum acc. pers. vel rei: revereri aliquem: 9, 36, 10. 2, 49, 7. 22, 27, 6. 30, 9, 2. 33, 15, 3. — moveri, cedere dictis, precibus: 3, 10, 3. 4, 47, 4. 10, 38, 3. 11, 5, 6. 22, 14, 5. 31, 12, 6. Item ap. Diod. c. acc. 8, 5, 5. 11, 92, 3. 13, 26, 3. 19, 11, 2. 33, 17, 2. 29, 21 al. — Dion. Hal. Ant. Rom. 3, 28. 8, 50. 57. — Plut. inst. Lac. p. 237 D. 253 C.

Ex. 10, 3 *ἕως τίνος οὐ βούλει ἐντραπῆναί με* [לֵעָנֹת humilem fieri, se submittere].

Hoc verbum igitur etsi apud Homerum tragicosque poetas nec non apud Platonem et Xenophontem aliquotiens invenitur, tamen ea qua postea usitatissimum fuit notione in Electrae Sophocleae loco modo dispicitur, aperte cognoscitur in illo Euripidis fragmento; rectio vero illius verbi hellenistica [de qua videas Krebs, Zur Rection der Casus in der späteren historischen

Gräcität. Progr. Regensburg 1884/5 p. 12] primum apud Alexidem comicum existit, Attici igitur sermonis cotidiani videtur tum propria fuisse. Reliquis deinde litterarum testimoniis priores sunt nonnulli papyrorum loci: PL 47, 3/4 *εἰ μὴ μικρόν τι ἐντρέπομαι* [ao. 153 a. Chr.], similiter fortasse 37, 24/5 *ἐντρεπέντος δὲ τοῦ Ἀμώσιος* [ao. 163 a. Chr.], 49, 29/30 *γίνεται γὰρ ἐντραπῆναι,* tribus his locis idem fere quod *αἰσχύνεσθαι,* quam notionem etiam hodie verbo subesse testis est Legrand l. l. '*ἐντρέπομαι* avoir honte'.

Atticistas quoque in eo offendisse comprobat Antatticistae defensio B. A. 94, 12 *ἐντρέπεσθαι· ἐπιστροφὴν ποιεῖσθαι· Ὅμηρος ἐντρέπεται φίλον ἦτορ* [quae sequuntur verba *Δημοσθένης περὶ παραπρεσβείας* errore librarii huc videntur delata esse].

6. *ἐξαίρειν*] Hom. auferre ε 33 med. ita etiam υ 137 similiter Pind. Ol. 9, 11. Theocr. 24, 10. Apud tragicos et comicos poetas i. q. levare, sublevare, et proprio sensu et translato; Alexis vero com. ap. Diog. L. 3, 28 neutrali sensu: *τὸ δ' ἀθάνατον ἐξῆρε πρὸς τὸν ἀέρα.*

In prosa oratione primum invenitur ap. Herod. IX 7 et translate VI 126. IX 79. — Apud Platonem legitur Prot. p. 319C [*ἕως ἂν*] *οἱ τοξόται αὐτὸν . . . ἐξάρωνται κελευόντων τῶν πρυτάνεων* vi abducere; activum deinde metaphorice usurpatum extat: Pol. VI 494D *ἐπὶ τούτοις ὑψηλὸν ἐξαίρειν αὐτόν.* legg. IV 716A *ἐξαρθεὶς ὑπὸ μεγαλαυχίας.* — Ap. Xen. bis sensu proprio: in altum tollere Cyrop. 2, 4, 19. Cyneg. 2, 7. — Aeschin. 2, 10 i. q. augere. Saepius deinde proprie dicitur ap. Arist. de anim. hist. V 15, 547^b, 5. VI 3, 561^a, 30. de mundo 6, 388^b, 34. al. Theophr. fr. IX 13. — Pol. 3, 62, 8. 84, 10. 1, 22, 8. 8, 6, 11. 8, 7, 8. al. tum vero neutr. de exercitu dictum: movere castra, proficisci: 2. 23, 4. 18, 2, 3. 21, 8, 2. Diod. 2, 50. i. fere q. *πέτεσθαι* se sublevare, in altum tolli. — Saepissime ap. Strab. Plut. Dion. al. intransitive usurpatum invenitur.

Gen. 49, 33 *τοὺς πόδας ἐπὶ τὴν κλίνην.* transl. 29, 1 *καὶ ἐξάρας Ἰακὼβ τοὺς πόδας ἐπορεύθη.* — 41, 44 *τὴν χεῖρα,* deinde e ratione verbi hebraici נשׂא suscipere, subire Ex. 28, 34 *ἐξαρεῖ Ἀαρὼν τὰ ἁμαρτήματα τῶν ἁγίων* — notione neutrali Gen. 35, 5 *καὶ ἐξῆρεν Ἰσραὴλ ἐκ Σικίμων* castra movere, proficisci. Ex. 13, 20. 19, 2 Lag. AF [B hic exhibet vocem Atticam

ἀπαίρειν eadem notione neutrali saepissime in Exodo quoque usurpatam]. 14, 19 abs. — Inde per Hebraismum legitur Ex. 15, 22 ἐξῆρεν Μωϋσῆς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἀπὸ θαλάσσης, hebr. וַיַּסַּע, ita saepius a LXX interpretibus genus Hiphil item vertitur ac genus Qal notione tantum transitiva addita.[1])

Notandum est quod hic quoque etsi verbum ipsum iam prius invenitur, tamen recentioris temporis usus primum in comica dictione apparet.

7. ἐρείδειν neutrali sensu usurpatum] Hom. χ 450 ἀλλήλῃσιν ἐρείδουσαι se applicare ad, inniti; inde Aesch. Ag. 976: 'instare'. et Ar. Nub. 558. 1375. Eq. 627: 'invehi in aliquem'. Pax. 25 vero itemque 31: 'operi instare'.

In prosa oratione praeter LXX interpp. non prius videtur existere quam Plut. Num. 2 νέφους ἐπὶ τὴν γῆν ἐρείσαντος ἅμα ζάλῃ incumbere in. conf. Crass. 19. — Galen. al.

Gen. 49, 6 καὶ ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρεῖσαι τὰ ἥπατά μου [hebr. יחד coniunctum esse, se applicare]. — Hic quoque comicorum usus indicat illam quae in litteris Atticorum prosaicis non invenitur notionem neutralem in Attico tamen sermone durasse.

8. ζωννύναι] Apud Homerum saepius, conf. § 72. *K* 77 al. Ap. Rh. 1, 368 al.

In prosa oratione primum, ut videtur, ap. Hippocr. 4, 122. 134 al., deinde ap. Plut. Ant. 4 ἔζωστο χιτῶνα εἰς μηρόν. Strab. XI p. 530 al. Athen. X p. 444 B al.

Ex. 29, 9.

9. καλύπτειν] Saepissime ap. Homerum poetasque deinceps omnis generis.

Rarius vero hoc verbum simplex in prosa oratione legitur, ita Her. II 47. — Hippocr. 8, 322. — item in titulo quodam Ionicae dialecti ap. Bechtel, Die Inschriften des ion. Dial. [Abh. d. kgl. Ges. d. Wiss. zu Gött. XXXIV 1887] nr. 43 [ao. c. 420 a. Chr. n.] 6/7

---

[1]) De quo usu vel potius abusu vid. Thiersch, De Pentateuchi vers. Alex. lib. III § 9 p. 149—153, alia exempla infra addentur. — Sed ne gravius de illo barbarismo ac severius feramus iudicium monendum est tum quidem temporis in vulgari sermone terminos intransitivi et transitivi usus saepius conturbatos esse, vid. Hatzid. p. 200. Conf. Kaelker, Quaestiones de eloc. Pol. p. 294.

ἐχφέρειν δὲ ἐγ κλίνης σφ[η]νοπ(ο)[δικ]||αὶ μὴ καλύπτειν (at paulo infra rursus verb. comp. legitur κατακεκαλυμμένον). — Xen. Cyr. 5, 1, 4. Equ. 12, 5. — Arist. de an. hist. II 13, 505^{a}, 6. — Plut. Nic. 1. — Paus. 8, 11, 6. — Aristid. 13, 130 al.

Ex. 8, 6 ἐκάλυψεν (ὁ βάτραχος) τὴν γῆν Αἰγύπτου tegere. 24, 15. 40, 28. — 15, 5 obruere, conf. 10. — 27, 2 καλύψεις αὐτὰ χαλκῷ superinducere. — 21, 33 operire.

10. καπνίζειν] Hom. *B* 299 κάπνισσάν τε κατὰ κλισίας καὶ δεῖπνον ἕλοντο. — Demetr. com. ap. Athen. IX 405 E καπνιζομένη τυραννὶς ἡ μαγειρική ἐστιν. Sopat. com. ap. Athen. IV 160 F.

In prosa oratione primum invenitur ap. Demosthenem 54, 4 φήσαντες γὰρ καπνίζειν αὐτοὺς ὀψοποιουμένους τοὺς παῖδας ἢ κακῶς λέγειν. Deinde Arist. de an. hist. VIII 27, 605^{b}, 16 ὁ ἠπίολος φεύγει καπνιζόμενος. probl. X 51, 896^{b}, 8. XXXI 6, 957^{b}, 33. — Theophr. fr. 3, 70.

Ex. 20, 18 τὸ ὄρος [τὸ] καπνίζον. med. Gen. 15, 17 κλίβανος καπνιζόμενος. 19, 18 τὸ ὄρος ἐκαπνίζετο.

Demosthenis ille locus per vulgarismum [conf. comicorum locos laudatos] quendam potissimum videtur intellegi posse; neutralis notio activi generis in Ex. 20, 18 etsi nullis profanorum scriptorum exemplis firmatur, tamen satis comprobatur hodierno usu, conf. Legrand: καπνίζω enfumer || fumer || parfumer.

11. καταλεῖν] Hom. υ 109 ἐπεὶ κατὰ πυρὸν ἄλεσσαν. — Ar. fr. 267. ap. Poll. 7, 24 τῶν δὲ περὶ ἀρτοπωλίαν ἀθρόα ἐν Ἀριστοφάνους Δράμασιν ἢ Κενταύρῳ· πτίττω, βράττω, μάττω, δεύω, πέττω, καταλῶ.

In prosa oratione primum extat ap. Herod. IV 172 τοὺς δὲ ἀττελέβους ἐπεὰν θηρεύσωσιν, αὐήναντες πρὸς τὸν ἥλιον καταλέουσι καὶ ἔπειτα ἐπὶ γάλα ἐπιπάσσοντες πίνουσιν. Hecat. ap. Athen. X p. 418 E [FHG I 20]. — Hippocr. — Clearch. hist. ap. Athen. XII 541 E [FHG II 307]. — Strab. VI p. 260. — Arr. Ind. 29, 12.

Ex. 32, 20 κατέκαυσεν αὐτὸν ἐν πυρὶ καὶ κατήλεσεν [ita cum BLag. legendum; AF: κατήλασεν].

Haec Ionica vox ut Aristophanis ille locus docet, Athenis quoque in usu fuit, artis pistoriae et culinariae propria.

12. *νίζειν*] Saepius ap. Hom. τ 505. 376. *K* 575. π 229. ita etiam Eur. Iph. T. 1230. 255. 1191. Andr. 284. — Orac. ap. Herod. 6, 19. — Frequentior est usus generis medii, ita Hom. β 261. 137. Eur. Bacch. 766. Ap. Rh. 4, 541 al.

In prosa oratione: Her. 2, 111 *γυναικὸς οὔρῳ νιψάμενος τοὺς ὀφθαλμούς*. — Hippocr. 8, 116. 130. 218. — [Pl.] Ax. 366 C de Epicharmo laudatum *ἁ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει*. — Plut. Mor. 142 A. Thes. 10 al. — Paus. 9, 18, 4.

Gen. 18, 4 *νιψάτωσαν τοὺς πόδας ὑμῶν*. 19, 2 [D[sil] Lag. med.]. 43, 23 *ἤνεγκεν ὕδωρ νίψαι* [Lag. *νίψασθαι*] *τοὺς πόδας αὐτῶν*. med. 43, 30. Ex. 30, 18. 19. 20. 21. 38, 27. 27.

Videas Atticistarum offensiones ap. Thom. Mag. 3, 16 *ἀπόνιπτρον καὶ ἀπονίψασθαι, οὐ νίμμα οὐδὲ νίψασθαι, ὡς ὁ πολὺς λέγει*. In vulgari igitur usu fuit, quod in litteris incassum quaeritur.

13. *οἰνοχοεῖν*] Hom. *A* 598 *θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν ᾠνοχόει γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων*. ο 322. — Sappho 5 [Bergk] *νέκταρ οἰνοχοεῦσα*. 51. — Pher. com. fr. 2, 282.

In prosa oratione primum, ut videtur, occurrit ap. Xen. Cyrop. 1, 3, 8 *ὡς καλῶς οἰνοχοεῖ*. ibid. *κομψῶς δὲ οἰνοχοοῦσιν καὶ καθαρείως ἐγχέουσιν*. — Theophr. *περὶ μέθης* ap. Athen. X 424 E *πυνθάνομαι δ' ἔγωγε καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις*. — Plut. Pericl. 7 *πολλὴν καὶ ἄκρατον τοῖς πολίταις ἐλευθερίαν οἰνοχοῶν* [cf. Pl. pol. p. 562 CD]. — Luc. dial. deor. 4, 5. Char. 1. V. H. 2, 14. Icar. 2. Lexiph. 1 p. 319. — Saepius ap. Athen. cf. XIII p. 576 F. X 424 E. 425 A. C. E. al.

Gen. 40, 3 *ὡς ἦσθα οἰνοχοῶν*.

Hic mihi liceat nonnulla addere, quae ad alia quoque verba infra afferenda spectent. Non est in animo huius verbi usum Atticum omnino negare. Immo potius censeam uno tenore ab Homeri temporibus usque ad recentissimam aetatem illud verbum durasse. Notavi modo quos indagare potui locos omnes, quibus litterarum usum circumscriberem. Qua in re aliquotiens fieri potuit, ut loci in lexicis non laudati neglegerentur, aut ut casu quodam, quae in omnium usu fuissent verba, in litteris non servarentur. In horum numerum fortasse potius referas verbum *οἰνοχοεῖν*, quod mihi quidem persuadere non

possum. Res haec est: plurimis locis occasio illius verbi adhibendi in litteris Atticis data est: ut Aristophanem praetermittam in Platonis nec minus Xenophontis 'convivio' illi verbo locus fuisset, apud neutrum invenitur, 'vinum infundere' est [οἶνον] ἐγχέειν, ita Pl. Conv. 214 A. legg. VI 773 D. Xen. Symp. 2, 26. — Nomen οἰνοχόος utrique notum est, sed pincernae munus non est οἰνοχοεῖν sed ἐγχέειν ac praecipue περιάγειν et περιελαύνειν τὰς κύλικας; iocose Xenophon Symp. II 26: ἢν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψακάζωσιν, ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω. vel Diphil. ap. Stob. fl. 104, 16. item Pol. 8, 6, 6 κυαθίζειν. Verbum οἰνοχοεῖν in ipso Pollucis verborum huc pertinentium uberrimo catalogo Onom. VI 7—31. X 66—79 non videtur extare. Potuerunt igitur scriptores illo verbo carere, et, ut mihi quidem videtur, evitaverunt quoque de industria tamquam poeticum. Sed sufficiat demonstrasse, quam sit difficile saepius diiudicare, casune an de industria verba quaedam in litteris non extent.

14. πάσσειν] Hom. *I* 214 πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο. Ap. Rh. 4, 442. — Ar. Nub. 912 χρυσῷ πάττων μ' οὐ γιγνώσκεις. 1330. — Crates com. [Mein. 2, 237. Kock I 933].

In prosa oratione: Arist. de an. hist. VIII 10, 596ᵃ, 21 τὴν κολοκύντην ἅλι πάττοντες. — Luc. de luctu 12 κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. Anach. 2, 31.

Ex. 9, 8. 10.

15. πειράζειν] Hom. ι 281 ὣς φάτο πειράζων, ἐμὲ δ' οὐ λάθεν εἰδότα πολλά. ψ 114. — Ap. Rh. 1, 495. — Anth. Pal. 11, 417, 4. — Luc. Tragod. 149.

In prosa oratione: [Pl. Lach. p. 188 E legendum est ἐπειράθην pro ἐπειράσθην]. — Hippocr. 7, 546. 2, 327 al. — Suid. s. v. πειράζειν· κατάρχεσθαι· Σκιπίων ὁ Ῥωμαῖος συνεβούλευσεν οὕτως ἢ μὴ πειράζειν ἢ οὕτως ὥστε ἐκ παντὸς τρόπου τέλος ἐπιθεῖναι τῇ πράξει. τὸ γὰρ δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν ⟨πειράζειν⟩[1]) ἅμα μὲν ἐπισφαλές κτἑ. [Polyb. fr. nr. 151 Dind.]. Plut. Mor. 230 A. Cleom. 7 tentare.

---

[1]) Auctore Bernhardy ad Suidae l. l. hoc alterum πειράζειν potius delendum videtur; Casaub. προσκόπτειν vel πταίειν emendandum censuit.

Legrand: πειράζω importuner, taquiner | tenter || provoquer. Gen. 22, 1 ὁ θεὸς ἐπείραζεν τὸν Ἀβραάμ. Ex. 15, 25. 16, 4. 20, 20. 17, 2. 7 [hebr. נסה Pi. tentare].

16. ῥαίνειν] Hom. Λ 282 ῥαίνοντο δὲ νέρθε κονίῃ. Μ 431. υ 354. 150. item Pind. Isthm. 8, 109. 6, 30 al. Eur. Rhes. 73. — Ar. Ran. 1441 κᾆτ' ἔχοντες ὀξίδας | ῥαίνοιεν ἐς τὰ βλέφαρα τῶν ἐναντίων spargere. Com. fr. [Xenarch.] 3, 621. [Alex.] 3, 410. [Arched.] 4, 435. — Posidipp. Anth. Pal. 5, 134. — Oppian. Hal. 2, 106.

In prosa oratione primum ut videtur ap. Hippocr. 3, 99 al. — Arist. meteor. III 4, 374[b], 1, 3 ἄν τις λεπταῖς ῥανίσι ῥαίνῃ εἴς τι τοιοῦτον χωρίον φαίνεται Ἶρις. de an. hist. IX 34, 620[a], 12. pass. VI 29, 579[a], 2. probl. XXV 5, 938[a], 35. de mir. ausc. 115, 841[a], 31. — Theophr. fr. 10, 6. de caus. pl. 4, 3, 3. — Pol. 6, 33, 4. 31, 3, 17. — Plut. Mor. 614 B. 919 C. 950 A. — Luc. Anach. 11. Scyth. 2. — Sext. Emp. p. 494.

Ex. 29, 21 καὶ ῥανεῖς [sc. τὸ αἷμα] ἐπὶ Ἀαρών.

17. ῥύεσθαι] Hom. tegere, tueri. Π 799. Ο 290. Ρ 223. conf. Hes. Th. 662. Sc. 105. deinde Hom. μ 107 i. q. liberare: οὐ γάρ κεν ῥύσαιτό σ' ὑπὲκ κακοῦ οὐδ' Ἐνοσίχθων conf. Ap. Rh. 2, 218. Deinde apud tragicos poetas Aesch. Sept. 90. Eum. 232. Sept. 303. Suppl. 509. — Soph. Oed. Col. 285. Oed. R. 312. Ai. 1275. — Eur. Alc. 773. Ion 165. Or. 1563. — Ar. Lys. 342. — Pind. Pyth. 12, 19. Isthm. 7, 53.

In prosa oratione saepius ap. Herod. 3, 119 ἕνα τῶν δεδεμένων ῥύσασθαι. 4, 125. 187. 6, 7. 7, 217. 8, 114; nec minus ap. Hippocr. cf. 4, 538. 528 al. Deinde, ut videtur[1]), ap. Plut.

[1]) Vulgo hic affertur Thuc. 5, 63 ἔργῳ γὰρ ἀγαθῷ ῥύσεσθαι τὰς αἰτίας στρατευόμενος i. q. sanare, sarcire 'wieder gut machen', ubi Poppo-Stahl: 'ῥύσεσθαι· ἀπολύσειν schol. hoc verbum quia prosae Atticae scriptoribus non ita usitatum est, λύσεσθαι Dobree, ἀπολύσεσθαι Herwerd. Stud. Thuc. p. 76 coni. Sed verbum Agidis non Th. est.' — At ῥύεσθαι nusquam illam notionem exhibet, nec tegendi notio, quod Pape vult, huc cadit; itaque cum praeter Ionicae dialecti scriptores hoc vorbum in prosa quidem oratione nisi apud recentiores non inveniatur, deinde cum 75, 3 [καὶ τὴν ... ἐπιφερομένην αἰτίαν ... ἑνὶ ἔργῳ τούτῳ ἀπελύσαντο] eodem sensu ἀπολύεσθαι legatur, ἀπολύσεσθαι vel potius λύσεσθαι restituam. Eadem corruptela extat in Hyperidis fragm. 79 [Blass], ubi codicum scriptura ἐῤῥύσατο bene a Spengelio in

Mor. p. 834 D καὶ τοὺς μὲν ἄλλους πάντας ἐλέγξας ἐποίησεν ἀπολέσθαι τὸν δὲ πατέρα ἐῤῥύσατο. — Luc. Asin. 33 τινὰ ἐκ τοῦ θανάτου. — Hdn. 6, 7, 11. 6, 5, 21. Videtur igitur hoc verbum praeter poetas et Ionicae dialecti scriptores non extare nisi apud recentiores scriptores.

Gen. 48, 16 ὁ ἄγγελος ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν. Ex. 6, 6. 14, 30 conf. Ex. 4, 22 Lag. F. — Ex. 2, 19 ἐῤῥύσατο ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ποιμένων prope attingens notionem adiuvandi, ut Ex. 2, 7. 5, 23. 12, 27.

18. σκιάζειν] Hom. Φ 232 εἰσόκεν ἔλθῃ δείελος ὀψὲ δύων σκιάσῃ δ' ἐρίβωλον ἄρουραν. — Soph. Lemn. fr. 348 [E. M. p. 26, 16]. — Eur. Hipp. 134. Phoen. 309. Iph. T. 1151. Phoen. 63. — Callim. ep. 49, 4.

In prosa oratione Her. 6, 117 τοῦ τὸ γένειον τὴν ἀσπίδα πᾶσαν σκιάζειν. — Hippocr. 2, 210. — Xen. Oec. 19, 18. — Arist. meteor. III 4, 374^b, 3. de col. 2, 792^a, 22. — Theophr. fr. 1, 74. — Plut. Rom. 29. Cam. 33 al. — Luc. Lexiph. 4.

Ex. 38, 8 (χερούβ) σκιάζοντα ταῖς πτέρυξιν αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἱλαστήριον.

19. στάζειν] Apud Hom. trans. T 39. 348. 354. — App. Rh. 1, 1215. — Opp. Cyneg. 3, 107. — Aesch. Cho. 1058. — Soph. Phil. 783. — Eur. Phoen. 230. notione neutrali extat: Aesch. Eum. 42. Soph. Ai. 10. — Eur. Iph. T. 308. Andr. 533. Bacch. 1164 al. — trans.: Pind. Pyth. 9, 65. Nem. 10, 82. Theocr. 18, 46.

In prosa oratione primum legitur ap. Her. 6, 74 ὕδωρ ὀλίγον φαινόμενον ἐκ πέτρης στάζει ἐς ἄγκος. — Hipp. 8, 278. 2, 654. 3, 82. — Pl. Tim. p. 82 D. Deinde Xen. Cyrop. 5, 1, 5. — Aen. Tact. 11 de aedificiis labantibus. — Arist. meteor. IV 6, 383^b, 5 τήκεται ὁ λίθος ὁ πυρίμαχος ὥστε στάζειν καὶ ῥεῖν. conf. de an. gen. V 5, 782^b, 32. de pl. I 3, 818^b, 35. II 2, 829^a, 16.

Ex. 9, 33 ὁ ὑετὸς οὐκ ἔσταξεν ἔτι ἐπὶ τὴν γῆν.

20. στηρίζειν] Hom. Λ 28 Ἴρισσιν ἐοικότες ἅς τε Κρονίων ἐν νέφεϊ στήριξε. Δ 443. — med. Φ 242 οὐδὲ πόδεσσι εἶχε στηρίξασθαι consistere. item activum genus usurpatur: μ 433 οὐδέ πη εἶχον οὔτε στηρίξαι ποσὶν ἔμπεδον οὔτ' ἐπι-

---

ἐλύσατο emendata est. Hyper. Epit. 3 [4], 15 ῥυομένη maxime est dubia restitutio.

βῆναι. conf. etiam Eur. Hipp. 1202. Bacch. 972. 1083. et medium genus Soph. Ai. 195. — Eur. Bacch. 1073.

In prosa oratione primum apud Thuc. 2, 49 *καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξειε ἀνέστρεφέ τε αὐτήν* de morbo: constiterat, haeserat. conf. Hippocr. 4, 514 saepius; eadem notione medica ap. Diosc. 6, 1. al.

Latiore usu primum videtur existere in prosa oratione inde ab Aristotele. conf. Phys. III 5, 205ᵇ, 7, 2, 19 *τὸ αὐτῷ στηριζόμενον καὶ ἐν αὐτῷ ὂν ἀκίνητον εἶναι ἀνάγκη· στηρίζειν αὐτὸ αὑτό φησιν (Ἀναξαγόρας) τὸ ἄπειρον.* de an. hist. II 1, 499ᵃ, 17. meteor. III 5, 376ᵇ, 23 *τῶν μὲν ἄνω τὸν ἥλιον οὐ κρατεῖν, τῶν δὲ πρὸς τῇ γῇ στηριζομένων κρατεῖν.* — de mundo 2, 392ᵇ, 4 subsistere, insistere. 4, 395ᵇ, 4. item etiam Plut. Mor. p. 76 D. 398 A. — Luc. dial. mar. 10, 1 stabilire.

Ex. 17, 12 *ἐστήριζον τὰς χεῖρας αὐτοῦ* [Lag. ὑπ-] fulcire. Gen. 28, 12 *κλῖμαξ ἐστηριγμένη ἐν τῇ γῇ* niti in. — transl. Gen. 27, 37 *σίτῳ καὶ οἴνῳ ἐστήρισα αὐτόν* adiuvare, fortasse per Hebraismum quendam dictum est, conf. סמך 'facere ut aliquid nitatur in, fulcire, stabilire'.

21. **συναντᾶν**] Hom. π 333 *τὼ δὲ συναντήτην κῆρυξ καὶ δῖος ὑφορβός.* — Eur. Ion. 536. 787. Iph. T. 1211. — Ar. Plut. 41. 44. [Ach. 1187]. Av. 137.[1]) — Ion ap. Athen. XIII p. 603 F.

In prosa oratione ap. Xen. Anab. 1, 8, 15: *ὑπελάσας ὡς συναντῆσαι.* 7, 2, 5. — Pol. 1, 52, 6. 3, 93, 9. 5, 3, 3. 22, 7, 14. —

---

[1]) De his Aristophanis locis conf. Rutherford ad Babrii fab. 42, 2 p. 46ᵇ/47ᵃ: According to the law of parsimony *ἀπαντᾶν* occupied alone in Attic the ground which in poetry and in inferior and late prose was divided between it and other words, the simple verbs *ἄντομαι, ἀντάω, ἀντιάζω* and their compounds. The Aristophanic exceptions to the Attic rule are very instructive. In Plut. 41 *ξυναντήσαιμι* occurs and in id. 44 *ξυναντᾷς,* the former being given as part of an oracular response, and the latter being used in reference to the same. The present *ξυναντᾷ* is also found in Ach. 1187 but in a passage which for other reasons both Blaydes and Meineke regard as spurious. — Av. 137 Euelpides' answer contains the adaptation of a proverbial mode of invitation to a merrymaking and Pisthetaerus is also plainly modelling his response on some proverb now unknown to us when he begins it with the words *ὅπου ξυναντῶν μοι ταδί τις μέμψεται.*

Plut. Pomp. 33. — at transl. c. 2 *συνήντησεν αὐτῷ τὸ τοιοῦτον* accidit. conf. Diog. L. 6, 38 *εἴωθε λέγειν τὰς ἀρὰς αὑτῷ συνηντηκέναι* evenisse. — Ps. Luc. Philop. 1. — Postremo denique in epistola Philippi a recentiore quodam in Demosthenis orationem de corona inserta: Dem. 18, 157 *τοῖς δὲ μὴ συναντήσασιν πανδημεί — ὥστε συναντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα.*

Gen. 46, 28 proprie dictum: *συναντῆσαι αὐτῷ,* item Ex. 4, 24. 27. — 23, 4. — 5, 20. — 7, 15. — transl. 5, 3 *μήποτε συναντήσῃ ἡμῖν θάνατος ἢ φόνος.*

22. *φλέγειν*] trans. Hom. *Φ* 13, 365. — Aesch. Prom. 582. Pers. 364. 504. Ag. 91. Sept. 512. — Soph. Ai. 714. — Eur. Tro. 309 al. — intr. Aesch. Sept. 388 *φλέγονθ' ὑπ' ἄστροις οὐρανὸν τετυγμένον.* 433. — Pind. Ol. 2, 72. Nem. 6, 39 al. — Ar. Thesm. 680 *μανίαις φλέγων λύσσῃ παράκοπος.*

In prosa oratione primum quidem modo translata notio generis passivi occurrit, conf. Pl. Charm. 155 D *εἶδόν τε τὰ ἐντὸς τοῦ ἱματίου καὶ ἐφλεγόμην.* legg. IV 716 A. — Dion. Hal. Ant. Rom. 11, 28. 9, 66. — Alciphr. 3, 61. — Sed conferas iam Pl. Tim. 85 B *ἀπὸ τοῦ κάεσθαί τε καὶ φλέγεσθαι.* — deinde Plut. Cic. 18 *ὡς δι' ὀλίγου πολλῶν ἁψάντων φλέγοιτο πανταχόθεν ἡ πόλις.* Mor. p. 17 B al. — deinde intr. Plut. Rom. 28 *ὅπλοις δὲ λαμπροῖς καὶ φλέγουσι κεκοσμημένος.*

Ex. 24, 17 intr. *τὸ δὲ εἶδος τῆς δόξης κυρίου ὡσεὶ πῦρ φλέγον.*

23. *χάσκειν*] Hom. *P* 417 *ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα μέλαινα πᾶσι χάνοι.* *Z* 282. *Δ* 172. *Θ* 150. *Π* 350. *Υ* 168. *μ* 350. — Anacr. 14, 8 [Bergk]. — Hippon. 8. — Solon 13, 36. — Soph. Ai. 1227. fr. 449. — Sophron ap. Athen. III p. 87 A *κεχάναντι.* Saepissime deinde apud Aristophanem invenitur hoc verbum, conf. Eq. 261 *ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηνότα.* Av. 264. Eq. 652. Nub. 992. Vesp. 342. 1493. Lys. 629. Ach. 10. 30. Ran. 990 al. nec minus apud reliquos comicos: ita Anaxandrid. ap. Athen. IV p. 131 [K. nr. 41, 66]. Mnesim. ap. Athen. IX 402 sq. [K. nr. 4, 22], alia permulta exempla. — Callim. h. Apoll. 24. — Callim. Anth. Pal. 6, 310. — Herond. c. 4, 42.

In prosa oratione: Her. 2, 68 *καὶ ἔπειτα χάνῃ.* saepius ap. Hippocr. conf. 4, 142. 144. 5, 194. 694. 7, 336. 534. 8, 64 al. —

Pl. Pol. VII 529 B *ανω κεχηνὼς ἢ κάτω συμμεμυκώς.* — Xen. Eq. 10, 7. — Arist. probl. XXVI 48, 945^b, 18. XI 15, 900^b, 12. — Plut. Mor. p. 48 A. — Luc. Nigr. 36. de salt. 29. Tim. 19. 22. Somn. 12. Pisc. 34. Peregr. 15. Icarom. 3.

Videtur igitur hoc verbum imprimis epici usus et Ionici, ut in comica dictione usitatissimum sermonis cotidiani quoque fuisse proprium, et inde demum in recentiores scriptores magis irrepsisse.

Gen. 4, 11 *ἐπὶ τῆς γῆς ἣ ἔχανεν τὸ στόμα αὐτῆς δέξασθαι τὸ αἷμα* אֲשֶׁר פָּצְתָה אֶת־פִּיהָ; videtur hic usus verbi transitivus extare, nisi forte accusativum relationis esse potius existimas, quod tamen mihi persuadere non potui. Vis autem huius verbi activa etsi nullis profanorum scriptorum locis videtur comprobari posse, defenditur illis quae supra attuli [ann. 1 ad p. 15] de genere verbi Hiphil in versione Alexandrina.

24. *ψηλαφᾶν*] Hom. ι 416 *χερσὶν ψηλαφόων.*

Ar. Eccl. 315 *ἐκεῖνο (θοἰμάτιον) ψηλαφῶν (ἐν νυκτὶ) οὐκ ἐδυνάμην εὑρεῖν.* Pax 691.

In prosa oratione: Pl. Phaed. p. 99 B *ὃ δή μοι φαίνονται ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ ὥσπερ ἐν σκότει.* — Xen. de re eq. 2, 4. — Hippocr. — Arist. de an. hist. VI 17, 571^a, 33 *ἄν τις ψηλαφᾷ καὶ τρίβῃ τοῖς δακτύλοις.* 2, 560^a, 9. eth. Eud. II 8, 1225^a, 14. — Pol. 8, 31, 8. 8, 18, 4. — Plut. de Isocr. p. 589 B. 765 F. 599 C. — Sext. Emp. p. 478 al.

Transiit igitur hoc quoque verbum ex Atticorum sermone cotidiano, quem Aristophanis loci comprobant, in recentiorum sermonem vulgarem.

Gen. 27, 12 *μήποτε ψηλαφήσῃ με ὁ πατήρ μου.* 21. 22. Ex. 10, 21 *ψηλαφητὸν σκότος.*

Agmen concludant nonnulla verba, quae cum apud Homerum quidem non legantur, tamen aut apud Hesiodum aut apud alios antiquiores inveniantur poetas praeter tragicos, huc potissimum referenda putabam esse.

25. *ἐξιλάσκεσθαι*] Primum legitur in oraculo quodam ap. Herod. 7, 141 *οὐ δύναται Παλλὰς Δί' Ὀλύμπιον ἐξιλάσασθαι.* — Menand. com. ap. Porphyr. de abstin. 4, 347. fr. 4, 102 Mein. [III 116 K].

Deinde in prosa oratione Pl. legg. IX 862 C *τὸ δὲ ἀποίνοις*

ἐξιλασϑέν. — Xen. Cyrop. 7, 2, 19 *παμπόλλα δὲ ϑύων ἐξιλασάμην ποτὲ αὐτόν*. — Pol. 3, 112 *δεινοὶ γὰρ ἐν ταῖς περιστάσεσιν Ῥωμαῖοι καὶ ϑεοὺς ἐξιλάσκεσϑαι καὶ ἀνϑρώπους*. 32, 25, 7. 1, 68, 4. — Plut. Mor. 149 D *πρὶν ἢ τὸ πρῶτον ἐξιλάσασϑαι μήνιμα*. — Apoll. bibl. 1, 9, 15, 2.

Huc accedit testimonium tituli cuiusdam recentioris temporis CIA III 74, 16 *ἁμαρτίαν ὀφ(ε)ιλέτω Μηνὶ | Τυράννῳ ἣν οὐ μὴ δύνηται ἐξειλάσασϑαι* ['prope Sunium inventus titulus imperatorum Romanorum aetate utique non antiquior' Dittenberger].

Gen. 32, 20 *ἐξιλάσομαι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν τοῖς δώροις*. — Ex. 32, 30 *ἵνα ἐξιλάσομαι περὶ τῆς ἁμαρτίας ὑμῶν*. 30, 16. 15. — 30, 10 *καὶ ἐξιλάσεται* [*περὶ αὐτοῦ* quod hic B exhibet cum Lag. F delendum] *Ἀαρὼν ἐπὶ τῶν κεράτων αὐτοῦ*.

26. *λοχεύειν*] parere, parturire. Hom. h. Merc. 230. — Orph. Arg. 182. 134. 157. — Epigr. Anth. Pal. 9, 126, 2. — obstetricare. Eur. El. 1129. Ion 948. 1596. Bacch. 3. — pass. Soph. Oed. Col. 1322. — Eur. Ion 455. — Phocyl. 164. — Orph. H. 55, 9. 26, 7. — med. trans. Aesch. fr. Niobes ap. Hephaest. p. 7. — Eur. Ion 921. — Callim. Del. 326. — Epigr. Anth. Plan. 4, 295, 1. — Ap. Rh. 1, 762.

In prosa oratione: [*λοχεία* Pl. Theaet. 149 B. it. Polit. 268 A] primum ap. Arist. de an. hist. IX 14, 616ᵃ, 34 *ἡ ἀλκυὼν λοχεύεται διὰ βίου ἄρχεται δὲ τετράμηνος*, deinde Diod. 5, 14. Plut. Cic. 2. Mor. 493 E. 495 D. 637 C. 701 B. 718 A. 981 D.

Gen. 33, 13 *αἱ βόες λοχεύονται ἐπ' ἐμέ*.[1])

Iam quid ex his quae attuli verbis possit colligi paucis verbis comprehendam. Ac de natura quidem horum verborum in universum iudicari non potest: de singulis satis constare videtur ex usu eorum supra circumscripto: *καταλεῖν*, fortasse etiam *ῥύεσϑαι* Ionicae potissimum dialecti videntur propria fuisse; *ἀνατέλλειν* transitive usurpatum, *ἐρείδειν, ζωννύναι, καλύπτειν, φλέγειν* poeticae orationi potius vindicantur; *καπ-*

---

[1]) hebr. עָלוֹת עָלָי i. e. praegnantes, fetae (boves) mecum sc. sunt, qui praepositionis עַל usus cum perraro inveniatur [vid. Gesenius, Hebr. u. aram. Wörterb.[11] s. v. עַל B. 3 c sqq. p. 629ᵃ. Gesen-Kautzsch, Hebr. Gramm.[25] § 119, 3 e. p. 370 sq.], interpretes male intellecta sententia praepositionem עַל a verbo עוּל pendere rati verterunt: pariunt adversus me i. e. pariendo me [properare volentem] impediunt.

νίζειν, χάσκειν, ψηλαφᾶν propter comicorum testimonia cotidiano Atticorum sermoni ascribam. Qua tamen via unumquidque in sermonem recentiorem vulgarem transierit reliquis demum capitibus absolutis conicere licebit. Hoc loco tantum singulos illius viae gradus adumbrasse sufficiat. Atque comoediae Atticae quidem sermonem proxime accedere ad Atticorum sermonem cotidianum cum e natura illius generis poetici consentaneum sit[1]), a nemine video in dubium vocari. Sed exempla quae supra attuli eadem ostendunt hunc comicorum sermonem Atticum non eundem esse atque eum quo prosaici scriptores mere Attici utuntur, immo extare verba quae sermonis cotidiani propria fuisse illo testimonio cognoscantur, a Thucydide vero et oratoribus Atticis diligenter evitentur. — Herodoti deinde exempla his in quaestionibus suas quasdam exhibent difficultates; notum enim est quantum poeticae dictionis ille receperit et Ionicae dialecto immiscuerit[2]), in universum igitur cavendum est, ne illo teste

---

[1]) vid. Wilamowitz, Ueber d. Entstehung d. gr. Schriftspr. p. 38: 'Fast zwei Menschenalter nach der Tragödie fand dann das tägliche Leben selbst auch seinen vollsten und reinsten Ausdruck in der attischen Komödie: dem entspricht ihre Sprache.' — conf. Zarncke, Die Entst. d. griech. Literaturspr. p. 10. — Kühner-Blass, Ausführl. Gramm.³ I p. 38. — Rutherford, The new Phrynichus p. 32 sqq.: The lessons of comedy, quamvis in huius doctissimi viri verba iurare nequeam: vid. p. 33: 'These facts explain the phenomenon that an Athenian comic poet had no occasion to deviate from literary Attic in giving a faithful representation of his countrymen' et quae sequuntur, praesertim quae hic de verbis non mere Atticis p. 51/2 comprehenduntur; at verba *καπνίζειν, χάσκειν, ψηλαφᾶν* mere Attica sunt, in comicorum dialogis saepius inveniuntur, attamen ab oratoribus Atticis et Thucydide videntur evitari; vincula quibus sermo comicus continetur, ut rei natura ipsa fert, non tam arta esse debuerunt, quam sermonis litterarum. Conf. infra cap. III.

[2]) vid. Bachmann, Anecd. Graeca II p. 367, 33 *ὁ γὰρ Ἡρόδοτος συμμίγει αὐτὴν* [sc. *τὴν ἄκρατον Ἰάδα*] *τῇ ποιητικῇ*. — Hermog. *περὶ ἰδεῶν* II 12, 14. — Zarncke l. l. p. 14/5 'Herodot, schon von den Alten *ὁμηρικώτατος* genannt, dessen uns erhaltenes Werk geradezu überladen ist mit epischen Worten und Wendungen: manches derartige wird freilich poetischen Quellen entstammen, doch sicher verdankt er die epische Sprache, die neben dem ionischen Dialekt am auffälligsten hervortritt, zu einem guten Teil seinen prosaischen Quellen, die ihrerseits auf Epen zurückzuführen sind.' — De ratione quae inter tragi-

poetico cuidam verbo Ionicam vindicemus originem. Poeticae dictionis vestigia apud Platonem quoque satis multa inveniuntur[1]: pleraque nisi fallor in scriptis illius recentioribus. At fortasse melius hic duo distinguuntur genera. Iam supra vidimus et infra passim me ostenturum spero, inde ab Aristotele continuum recentioris Graecitatis flumen per litteras Graecas effundi, sed rivi illuc se effusuri iam prius cognoscuntur, maxime certe apud Xenophontem, aliqua vero e parte iam apud Platonem in dialogis eius recentioribus. Ab his exemplis ea videntur esse separanda, quae ipsi Platoni, ut ita dicam, proprie e poetarum dictione haurienti potius debentur, quorum in numero certe *φλέγειν* verbum supra allatum ponendum videtur. Haec duo genera apud insequentes quoque scriptores ratione quidem distinguenda sunt, etsi re saepissime haud facile distinguuntur.

Sed cum continuum illud, de quo dixi, flumen respicimus ex hac ipsa verborum continuitate plerumque dignosci poterit, utrum singulis potius scriptoribus an omnino novo sermonis generi succrescenti illa vindicanda iudicemus. Ita certe Xenophon huic generi magis favet quam illi, neque iniuria Rutherford dicit 'that Xenophon's diction is an anticipation of the Common dialect.'[2] Poeticas illius voces iam apud veteres saepius videmus notatas esse[3], et Lobeckius ei 'Ionicae suaviloquentiae miratori' nomen indidit.[4] De causis huius rei infra nonnulla dicenda erunt. Hic rem tantum notasse sufficiat.

Haec quae exemplis supra allatis satis illustrantur praemonenda putabam esse, ut firmiore fundamento niti possit quae insequitur quaestio.

---

corum et Herodoti sermonem intercedit, uberrime disputavit Rutherford, The new Phryn. p. 1 sqq.: The growth of the Attic dialect.

[1]) vid. Dion. Hal. ad Cn. Pomp. VI p. 764. — Ps. Long. de subl. 13. — W. Schmid, Der Atticismus in seinen Hauptvertretern. Bd. I p. 188.

[2]) Rutherford, The new Phrynichus p. 160. p. 59. 62 al.

[3]) conf. Hermog. *περὶ ἰδεῶν* p. 419, 21 sqq. *ἴδιον δὲ Ξενοφῶντος καὶ τὸ κατὰ ποσὰ διαστήματα χρῆσθαι ποιητικαῖς πως λέξεσιν πολὺ τῶν ἄλλων τῇ φύσει διεστηκυίαις λέξεων.* — Conf. Rutherford l. l. p. 161 sqq. et p. 165 sqq., ubi tabula Xenophontis vocabulorum 'non mere Atticorum' uberrima invenitur.

[4]) vid. Lob. ad Phryn. p. 63. — Conf. Rutherford l. l. p. 160/1 the style .. has many of the characteristics of the feminine Ionic.

Caput II.

Verba quae apud tragicos poetas primum inveniuntur.

1. *ἁγνίζειν*] Soph. Ant. 545 *θανεῖν τε σὺν σοὶ τὸν θανόντα θ' ἁγνίσαι.* placare. — Ai. 655 *ἀλλ' εἶμι πρός τε λουτρὰ καὶ παρακτίους | λειμῶνας ὡς ἂν λύμαθ' ἁγνίσας ἐμὰ | μῆνιν βαρεῖαν ἐξαλύξωμαι θεᾶς.* lavando tollere, expiare. Conf. quoque Hesych. *ἁγνίσαι· ἀποθῦσαι Βουσίριδι* [Euripidis?] *καὶ διαφθεῖραι Σοφοκλῆς Ἀμφιαράῳ.* B. A. p. 339, 8 *ἁγνίσαι· τὸ θῦσαι. διαφθεῖραι κατ' ἀντίφρασιν· οὕτω Σοφοκλῆς.* — Saepius ap. Eurip. conf. Or. 429 *οὐδ' ἥγνισαι σὸν αἷμα* al. — Ap. Rh. 2, 926. 4, 704.

In prosa oratione hoc verbum non videtur extare ante Diod. 4, 69 *τέλος δὲ ὑπὸ τοῦ Διὸς κατὰ τοὺς μύθους ἁγνισθείς.* — Plut. Rom. 24 *καθαρμοῖς τὰς πόλεις ἥγνισε.* Num. 13. Mar. 21. Qu. Rom. 1 *τὸ πῦρ καθαίρει τὸ ὕδωρ ἁγνίζει.*

Ex. 19, 10 *ἅγνισον αὐτοὺς σήμερον καὶ αὔριον.*

2. *ἀναγγέλλειν*] Aesch. Prom. 661 *ἧκον δ' ἀναγγέλλοντες αἰολοστόμους χρησμοὺς ἀσήμους.* — Eur. Iph. T. 760.

In prosa oratione primum ap. Thuc. 4, 122 *οἱ δὲ τῷ Βρασίδᾳ ἀνήγγελλον τὴν ξυνθήκην* [at 1, 91 cum optimis codd. *ἀπ-* legendum]. Dem. 41, 17 *δῆλον ὅτι τὰς τοῦ πατρὸς διαθήκας ἀνήγγειλεν* [ita codd. AS, codd. min. exhibent *ἀπ-*]. — Xen. An. I 3, 19 *ὅτι δ' ἂν πρὸς ταῦτα λέγῃ ἀναγγεῖλαι δεῦρο* [ita ABCD]. — Ages. 5, 6. Deinde Phavor. 162, 43 de Xenophonte: *ἀναγγέλλειν· ἀναφέρειν ἀπὸ ἐλάττονος εἰς μεῖζον πρόσωπον.* vid. Sauppe, Lexilogus Xen. et Xenoph. Op. V p. 297. — Arist. eth. Nic. III 5, 1113ᵃ, 9. — oecon. II 1347ᵇ, 22. — Persaepe ap. Pol. ita 1, 43, 2. 2, 26, 2. 27, 3. 20, 11, 8. 25, 2, 7. — Plut. Per. 18 al. perm. — Dion. H. 3, 3 al. — Accedunt nonnulla titulorum Ionicorum recentiorum testimonia: Bechtel, nr. 147 [Ephesos c. 300 a. Chr. n.]. 10. = edicere 221, 13 sqq. [c. 322 a. Chr. n.]. 158, 26.

Itaque recentiore demum aetate hoc verbum videtur increbruisse, cum apud Atticos potius *ἀπαγγέλλειν* illo sensu usurpetur, quod interdum scribarum modo neglegentia in *ἀναγγέλλειν* corruptum videtur, conf. supra Thuc. 1, 91 al.

In Genesi et Exodo saepius hoc verbum scriptum invenitur pro hebr. נגד Hi. Gen. 21, 7 pro מלל Pi.; 37, 14 pro שוב Hi.; significat igitur renuntiare, referre, nuntiare, dicere, ita ut plerisque locis paene nihil intersit inter ἀναγγέλλειν et εἰπεῖν conf. Gen. 24, 23 *θυγάτηρ τίνος εἶ; ἀνάγγειλόν μοι .. καὶ εἶπεν αὐτῷ.* item 47. — *τινί·* Gen. 3, 11. 9, 22. 21, 7. 22, 20. 24, 23. 47. 29, 12. 31, 20. 22. 32, 5. 43, 5. 47, 1. 49, 1. 37, 16. 31, 27. Ex. 13, 8. 14, 5. 16, 22. 18, 6. 20, 22. — *τινί τι* Ex. 4, 28. 19, 3. — Ex. 19, 9 *τὰ ῥήματα πρός.* — Gen. 29, 12 *ἀνήγγειλεν τῷ πατρὶ αὐτῆς κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα* [per Hebraismum, כ]. — Persaepe varia lectio *ἀπαγγέλλειν* invenitur: Gen. 9, 22 ADE *αν-* Lag. *απ-* item 29, 12. 32, 5; 29, 12 DE *αν-* Lag. A *απ-*, 43, 5 Lag. A *αν-* DF *απ-*, 47, 1 Lag. D *αν-* BA *απ-*, 49, 1 B *αν-* Lag. D *απ-* Ex. 18, 6 BF Lag. *αν-* A *απ-* 19, 9 BAF *αν-* Lag. *απ-*. Sex igitur locis, ubi scriptura in dubio est, Lag. Atticum verbum *ἀπαγγέλλειν* exhibet pro hellenistico *ἀναγγέλλειν.*[1])

3. *ἀναζέειν*] Soph. Tr. 702 ebullire *ἐκ γῆς ἀναζέουσιν θρομβώδεις ἄφροι.* conf. Ap. Rh. 4, 391 *ὥς φατ' ἀναζείουσα βαρὺν χόλον,* Anth. Pal. 9, 626, 5.

In prosa oratione ap. Hippocr. 2, 270 *διέντα καὶ ἀναζέσαντα.* — Theophr. fr. 3, 16. — Plut. Mor. p. 1005 A. 728 B. Artax. 16. Symp. 8, 7, 4. — Ps. Long. de subl. 44, 4. — Gal. — Diosc. 7.

Ex. 9, 9 *φλυκτίδες ἀναζέουσαι.* 10.

4. *ἀναζωπυρεῖν*] Eur. El. 1121 *ὁρᾷς ἄν' αὖ σὺ ζωπυρεῖς νείκη νέα,* suscitare.

In prosa oratione primum ap. Pl. Charm. 156 C *ἀνεζωπυρούμην.* Pol. VII 527 D *ὄργανόν τι ψυχῆς ἐκκαθαίρεταί τε καὶ ἀναζωπυρεῖται.* — Xen. Hell. 5, 4, 46: *τὰ τῶν Θηβαίων [πάλιν αὖ] ἀνεζωπυρεῖτο.* — Arist. de spir. 5, 484ª, 7. — Theophr. fr. 1, 61. — Plut. Per. 1.

Significatione neutrali primum usurpatum invenitur: Plut. Mor. p. 695 A *μικρὸν ἀναλαβόντες ἀναζωπυροῦσι.* 888 E. Pomp. 41. — Lucian. — Athen. VII p. 297. — Dion. H. Ant. Rom. 7, 54: *ἀναζωπυρήσαντος δὲ τοῦ λαγὼ τῇ βοτάνῃ.*

---

[1]) vid. quae supra contuli de Atticismis recensionis Lag. p. 267 ann. 2 s. fin.

Gen. 45, 27 ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα Ἰακώβ, reviviscere. Quae igitur iam priore tertii a. Chr. n. saeculi parte in vulgari sermone extabat huius verbi notio, in litteris apud Plutarchum primum occurrit.

5. ἀπολύεσθαι sensu neutrali: discedere, mori] vid. Eust. ad Hom. Il. *E* 296 p. 548, 42 καὶ θανάτου καὶ λειποθυμίας φραστικὸν τὸ 'τοῦ δ' αὖθι λύθη ψυχή τε μενός τε Ἰστέον δὲ ὅτι ἐξ Ὁμήρου λαβόντες οἱ ὕστερον καὶ αὐτὸ δὴ μόνον τὸ λυθῆναι ἀντὶ τοῦ θανεῖν ἔφρασαν, ὡς δηλοῖ καὶ Σοφοκλῆς ἐν τῷ 'ἔθανες, ἀπελύθης' [Soph. Ant. 1268] καὶ ἐν τῷ ποίῳ ἀπελύσατο τρόπῳ [potius ποίῳ δὲ κἀπελύσατ' ἐν φοναῖς τρόπῳ Ant. 1314].

In prosa oratione primum ap. Thuc. 1, 49, 3 ἐπειδὴ γὰρ προσβάλοιεν ἀλλήλοις οὐ ῥᾳδίως ἀπελύοντο ὑπό τε πλήθους καὶ ὄχλου τῶν νεῶν. — Pol. discedere, abire, se recipere: 2, 34, 12. 5, 86, 6. 6, 58, 4. 7, 17, 2. 10, 23, 4. 11, 16, 9. 33, 7, 4. — Arr. Epict. 1, 9, 16.

Ex. 33, 11 ἀπελύετο εἰς τὴν παρεμβολήν [שׁוּב reverti]. — Gen. 15, 2 ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος [הלך discedere].

6. ἐγκοτεῖν] Aesch. Choeph. 41 τοῖς κτανοῦσί τ' ἐγκοτεῖν. — Soph. fr. [Nauck 940] ἐνεκότουν.

Deinde aliquotiens apud recentissimos scriptores, Eust. alios.

Gen. 27, 41 ἐνεκότει Ἠσαὺ τῷ Ἰακώβ succensere.

7. ἐκζέειν] Aesch. Sept. 696 ἐξέζεσεν γὰρ Οἰδίπου κατεύγματα 'fervefecerunt enim animi aestum dirae Oedipi'; item trans. e Musgravii emendatione Eum. 863: μήτ' ἐκζέουσ' ὡς καρδίαν ἀλεκτόρων i. e. ἐκζέουσα καρδίαν ἀστῶν ὡς κτλ.[1])

In prosa oratione ap. Her. 4, 205 ζῶσα γὰρ εὐλέων ἐξέζεσε.[2]) — Arist. probl. I 19, 861^{b}, 10 ὅσα δὲ μὴ τοῦ θέρους

---

[1]) libri ἐξελοῦσ', at scholiastae explicatio ἀναπτερώσασα aliud sibi postulat, propterea primum Musgravius ἐκζέουσα restituit, quem deinde plurimi editores secuti sunt. Sed fortasse totus hic locus 860—68 recentiori interpolatori debetur, ita post Dindorfium Weckleinius.

[2]) conf. Rutherford, The new Phryn. p. 17 qui hunc locum spectans annotat: 'The whole is oriental enough to come from the Old Testament', collatis deinde duobus Euripidis locis, ubi similiter ac in Aesch. Sept. 709 ἐξέζεσεν verbum ἐπέζεσεν usurpatum invenitur Hec. 583. Iph. T. 987, illum similium verborum usum metaphoricum Ionicae dia-

τοῦ μετοπώρου ὅσον ἐκζεῖ [conf. XXX 1, 954ᵃ, 25 subst. *ἐκζέσεις ἑλκῶν*]. — Diog. L. 4, 4 *Πλούταρχος δέ φησιν .. φθειρσὶν ἐκζέσας*. — Ael. ap. Suid. s. v. *ἀπώνατο· ἐξέζεσε ζῶν κακοῖς θηρίοις*. — Anon. ap. Suid. s. v. *ἕλκος* et *ἐξέζεσεν· καὶ τὸ σύμπαν αὐτοῖς σῶμα ἑλκῶν ἐξέζεσεν.*

Gen. 49, 4 poet. *ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ· μὴ ἐκζέσῃς*. — Ex. 16, 20 *καὶ ἐξέζεσεν σκώληκας καὶ ἐπώζεσεν.*[1])

8. *ἐκπιταννύναι*] Eur. Iph. T. 1136 *ἐκπετάσουσι πόδα ναός*. Cycl. 495. — Ar. Eq. 1347. — Orac. ap. Her. 1, 62. — Bio 1, 88. — Kaibel, Epigr. 779, 2 *κατὰ προτόνων ἱστίον ἐκπετάσας*. — Meleag. Anth. Pal. 5, 179, 10.

Longiore deinde sermonis usu tritum esse verbum fortasse cognoscitur e notione adverbii ap. Xen. Cyrop 8, 7, 3 *ἐκπεπταμένως εὐφραίνεσθαι* effuse, effrenate, dissolute. Verbum ipsum primum extat ap. Theophr. d. caus. plant. II 19, 1 *ὡς ἔνια τῶν ἀνθῶν νύκτωρ μὲν συμμύει μεθ' ἡμέραν δὲ ἐκπιτάννυται*. — Pol. 1, 44, 3. — Luc. Tim. 54. — Plut. Them. 30.

Ex. 9, 29 *ἐκπετάσω τὰς χεῖράς μου ..* [Lag. *ἐκτενῶ*]. 33. Lag. A *ἐξεπέτασε τὰς χεῖρας πρὸς κύριον* [B *ἐξέτεινεν*].

9. *ἐκπορεύεσθαι*] act. Eur. Phoen. 1075 *ἀνοίγετ' ἐκπορεύετ' Ἰοκάστην δόμων*. Herc. fur. 721. — med. Critiae fr. ap. Sext. Empir. p. 403 [Nauck, Trag. fragm. 771 f. v. 36] *ὁ δ' ὑγρὸς εἰς γῆν ὄμβρος ἐκπορεύεται* [ubi Musgravius emendari voluit *ἐκπορίζεται*, Weckleinius *ἐκπιδύεται* vel *ἐκπροΐεται*]. — Men. fr. [Kock 681]: *ὁ μὲν λόγος σου καὶ κατ' ὀρθὸν εὐδρομεῖ | τὸ δ' ἔργον ἄλλην οἶμον ἐκπορεύεται* [Schneidew. *ἐμπορεύεται*. Mein. *εἰσπ.*].

In prosa oratione: Xen. An. 5, 1, 8 *ἐπὶ λείαν γὰρ ὑμῶν ἐκπορεύσονταί τινες*. 6, 6, 37. 5, 6, 33. Ages. 2, 25. — Aen. Tact. c. 24 p. 74 *ἐκπορευόμενος ἐπὶ λείαν ἀεὶ καὶ μάλιστα ἐν ταῖς νυξὶν ἐξεπορεύετο*. — Arist. de an. hist. VI 17, 570ᵇ, 25. probl. IX 12, 890ᵇ, 37. — [Pl.] ep. VII 329 E. — Pol. 33, 12, 7 in publicum prodire. — 11, 9, 8 *παραχρῆμα μὲν ἐκπορευόμενοι*

lecti tragicorumque sermonis proprium esse vult, unde colligit p. 16: 'picturesqueness of metaphor is another quality which is ... derived from the tendency of language at the time when the Tragic diction was formed.'

[1]) De hoc accusativo conf. Lobeck. ad Soph. Ai. p. 92.

τὸ βουλευτήριον exire e curia. 6, 58, 4 ἐκ τοῦ χάρακος al. permulta.

Hoc verbum propter frequentissimum recentioris temporis usum Atticistis in offensione fuisse intellegitur ex Antatt. B. A. 91, 19 εἰσπορεύομαι καὶ ἐκπορεύομαι ἀντὶ τοῦ ἐξέρχομαι.

Gen. 24, 11 ἡνίκα ἐκπορεύονται αἱ ὑδρευόμεναι. conf. 15. 45. Ex. 13, 4. 14, 8. 34, 34. — Ex. 7, 15 ἐπὶ τὸ ὕδωρ. — Gen. 24, 13 ἐκπορεύονται ἀντλῆσαι ὕδωρ. item 43 ℵ Lag. [AD ἐξελεύσονται]. — Ex. 5, 20 ἀπὸ Φαραώ. — 40, 15 ἐξ Αἰγύπτου. cf. 16, 29. 33, 11. — Gen. 34, 24 πάντες οἱ ἐκπορευόμενοι τὴν πύλην τῆς πόλεως αὐτῶν [conf. supra locum Polybii 11, 9, 8]. — praepositionis vi paene deleta: Ex. 33, 7 ἐξεπορεύετο εἰς τὴν σκηνὴν τὴν ἔξω τῆς παρεμβολῆς. — transl. Gen. 2, 10 ποταμὸς δὲ ἐκπορεύεται ἐξ Ἔδεμ. — Ex. 25, 31 καλαμίσκοι ἐκπορευόμενοι ἐκ πλαγίων.

10. ἐκτρίβειν] Soph. Phil. 296 ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐκτρίβων μόλις ἔφην' ἄφαντον φῶς terere. Oed. R. 248 κακῶς νιν ἐκτρῖψαι βίον conterere, conficere. 428. — Eur. Hipp. 684 πρόρριζον ἐκτρίψειέ σε. Cycl. 473 εἰ τοῦ Κύκλωπος ὀφθαλμὸν ἐκτρίψομεν. Ion 2 al. — Theocr. 7, 156.

Herondas 1, 79 Θρέϊσσα τὴν μελαινίδ' ἔκτριψον nigellam concham exterge. 6, 27 γυναῖκες αὕτη μ' ἡ γυνή κοτ' ἐκτρίψει 'haec me mulier quandoque consumet'.

In prosa oratione ap. Her. 4, 120 τὴν ποίην ἐκ τῆς γῆς ἐκτρίβειν. 6, 37. 6, 86 ἐκτέτριπται πρόρριζος ἐκ Σπάρτης.

Deinde ap. Xen. Cyrop. 2, 2, 15 ἐκτρίβειν πῦρ· terendo ignem elicere. — Pol. 10, 20, 2 ἐκτρίβειν τὰ ὅπλα detergere. — Saepius deinde ap. Plut. Lucian. alios.

Hoc verbum fortasse primitus Ionum fuit proprium, certe usus ille metaphoricus absumendi et evertendi nisi apud tragicos poetas et Iones nusquam invenitur[1]) — praeter sermonem recentiorem vulgarem.

Gen. 19, 14 τὴν πόλιν evertere, delere. 19, 13. 29. — con-

[1]) vid. Rutherford, The new Phryn. p. 17: 'which occurs repeatedly in Herodotus and the Tragedians, but in a metaphorical sense is never used elsewhere.' — (an instance) 'to show that in the metaphorical use of particular words Ionic and the Tragic dialect stand by themselves.'

sumere, perdere: Gen. 41, 36 *καὶ οὐκ ἐκτριβήσεται ἡ γῆ ἐν τῷ λιμῷ.* 34, 30. Ex. 12, 13. Gen. 45, 11. — Ex. 9, 15 *ἐκτριβήσῃ ἀπὸ τῆς γῆς.* 23, 23 *ἐκτρίψω αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου ὑμῶν.* — latius i. fere q. removere: Gen. 47, 18 *μή ποτε ἐκτριβῶμεν ἀπὸ τοῦ κυρίου ὑμῶν* [ubi hebr. נְכַחֵד vulg.: celabimus; ab interpretibus vero pro נִכָּחֵד 'delebimur, extinguemur' intellectum ac versum est].

11. *ἐμπαίζειν*] Soph. Ant. 800 *ἄμαχος γὰρ ἐμπαίζει* [sc. *ἐν τοῖς βλεφάροις*] *θεὸς Ἀφροδίτα* ludificatur, ludit. — Eur. Bacch. 865 *χλοεραῖς ἐμπαίζουσα λείμακος ἡδοναῖς.* — Ar. Thesm. 975 *Ἥραν τε τὴν τελείαν μέλψωμεν ὥσπερ εἰκὸς ἣ πᾶσιν τοῖς χοροῖσιν ἐμπαίζει τε καὶ κλῇδας γάμου φυλάττει.* — Pallad. Anth. Pal. 10, 56, 2 *τοῖς ἐμπαιζομένοις ἀνδράσι ταῦτα λέγω* illudere. conf. Luc. Tragoedop. v. 331 *πᾶς ἀνεχέσθω τῶν πασχόντων | ἐμπαιζόμενος καὶ σκωπτόμενος.* 172.

Her. 4, 134 *ὀρέων αὐτοὺς ἐμπαίζοντας ἡμῖν* illudere. — sensu primitivo Luc. Lexiph. 5 *ἐμπαίξαντες*[1]) *τῷ γυμνασίῳ.*

Illudendi igitur notio huic verbo subest[2]) praeter Herodoti illum locum demum apud recentiores, nec recte affert Antatticista B. A. 95, 29 *ἐμπαίζειν· ἐπὶ τοῦ καταγελᾶν. Ἀριστοφάνης Πλούτῳ,* nam apud Aristophanem illa quidem notio nusquam invenitur, quae apud recentiores evaluit, conf. Legrand: *ἐμπαίζω* railler, se moquer de.

Gen. 39, 14 *εἰσήγαγεν ἡμῖν παῖδα Ἑβραῖον ἐμπαίζειν ἡμῖν* lascivire, nugari [צחק Pi]. 17 *ὃν εἰσήγαγες πρὸς ἡμᾶς ἐμπαῖξαί μοι.* — Ex. 10, 2 *ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις* [עלל Hithp.] ludificari aliquem.

---

[1]) vid. Phryn. [Lob. p. 240. Rutherford p. 313] *παῖξαι· Δωριεῖς διὰ τοῦ ξ ὁ δὲ Ἀττικὸς παῖσαι καὶ παίσατε καὶ συμπαίστης διὰ τοῦ σ ἐρεῖς.* — ubi Lobeckius: 'sed postquam brevis ille graecitatis flos veluti tristi quodam medicamine tactus defluxit, extemplo cohors peregrinarum flexionum ingruit.'

[2]) Optime de hoc verbo et similibus praepositione *ἐν-* compositis verbis disseruit Rutherford l. l. p. 66 sqq. conf. p. 68: 'In Tragedy as in Ionic there is no question that *ἐν-* in compounds had occasionally a force similar to that of *κατὰ* or *πρός*, but such a use must be distinctly denied in genuine Attic writers.'

12. *ἐξαναλίσκειν*] Aesch. Ag. 678 *μηχαναῖς Διὸς οὔπω θέλοντος ἐξαναλῶσαι γένος* evertere, perdere. — Plat. com. ap. Athen. IX 367 D *τὰ ἀλλότρι' ἐξανάλωται ταχύ.*

In prosa oratione ap. Aeschin. c. Ctesiph. 103 *ἐξανηλωμένοι γὰρ ἐν τῷ πολέμῳ καὶ παντελῶς ἀπόρως διακείμενοι* exhausti. — [Dem.] 50, 15 *καὶ τὰ μὲν παρ' ἐμοῦ ἐξανηλωμένα ἤδη ὁρῶντες.* [Dem.] 13, 27 *ἐξανήλωνται δὲ οἱ ἴδιοι πάντες οἶκοι καὶ τὰ κοινὰ τῇ πόλει* consumpta sunt. — Arist. de an. gen. III 1, 750ª, 34. — Theophr. de igni 20. de ventis 16. — Saepius deinde ap. Plut. i. q. consumere. Mor. p. 697 B. 980 A. 1052 C. Pomp. 20. Cat. 20.

Ex. 32, 12 *ἐξαναλῶσαι αὐτοὺς ἀπὸ τῆς γῆς.* 33, 3. 5. quae translata huius verbi notio nisi in illo Aeschyli loco non videtur extare.

13. *ἐπισκιάζειν*] Soph. Tr. 914 *λαθραῖον ὄμμ' ἐπεσκιασμένη 'φρούρουν.*

In prosa oratione: Her. 1, 209 *τῇ μὲν [πτέρυγι] . . . τὴν Εὐρώπην ἐπισκιάζειν.* — Arist. de an. gen. V 1, 780ª, 30. — Theophr. d. caus. pl. 2, 18, 3. fr. 1, 73. 79. — Luc. Tim. 27. de hist. conscr. 11.

Ex. 40, 29 *ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν* [sc. *τὴν σκηνήν*] *ἡ νεφέλη* [Hebraismus שָׁכַן עָלָיו].¹)

14. *ἐπιστρέφειν* sensu neutrali: sese convertere, regredi] Soph. Tr. 566 *χὠ Ζηνὸς εὐθὺς παῖς ἐπιστρέψας.* — Ar. Vesp. 422 *ἀλλ' ἅπας ἐπίστρεφε δεῦρο.*

In prosa oratione: Her. 2, 103 *ἐνθεῦτεν ἐπιστρέψας ὀπίσω ἤϊε.* — Hippocr. 5, 608 vulg. sed A *ὑπ-.* — Xen. Hell. 4, 5, 16 *ἐδίωκον καὶ ἐπέστρεφον.* — Arist. de an. hist. V 7, 541ᵇ, 29. de pl. II 3, 824ᵇ, 32. — Saepissime ap. Polybium: 1, 25, 2. — 47, 8. 50, 5. 71, 2. — 5, 57, 5. — 7, 11, 4. — 11, 12, 11. — saepissime quoque ap. Plut. alios.

Accedunt papyrorum testimonia PL 37, 20 *ἐπιστρέψαντες πρωεί.* 35, 17 *ἐπιστρέψας.* 23 [uterque papyrus ao. fere 163 a. Chr. n. conscriptus]; conf. Neograecorum usum: Legrand: *ἐπι-*

¹) שָׁכַן i. e. considere; notio verbi *ἐπισκιάζειν* hic videtur esse amplificata. vid. Hatch, Essays on Biblical Greek p. 4.

στρέφω retourner, revenir; être de retour || se convertir || se tourner vers || restituer, remettre.

Gen. 24, 19 *ἵνα ἐπιστρέψω εἰς δεξιὰν ἢ εἰς ἀριστεράν* se convertere. — plerumque i. q. gradum reflectere, regredi, reverti: ita Gen. 8, 12. 14, 17. 21, 32. Ex. 5, 22. — compluribus locis varia lectio alia eiusdem verbi simplicis composita verba exhibet: Gen. 50, 14 Lag. AF *ἐπι-* [B *ἀπ-*]. Ex. 32, 31 Lag. AF *ἐπ-* [B *ὑπ-*]. Ex. 4, 20 BA *ἐπ-* [Lag. F *ἀπ-*]. Gen. 44, 13 Lag. AF *ἐπ-* [D *ὑπ-*]. Gen. 37, 30 Lag. *ἐπ-* [AE *ἀν-* D *ὑπ-*]. [Gen. 39, 6 AE *ἐπέστρεψεν πάντα* .. *εἰς χεῖρας Ἰωσήφ*, cum Lag. D^sil potius *ἐπέτρεψεν* legendum est, usus huius verbi transitivus non extat.]

15. *εὐοδοῦν*] Soph. Oed. C. 1435 *σφῷν δ' εὐοδοίη Ζεὺς τάδ' εἰ τελεῖτέ μοι*, ita ante Burgesium legebatur, qui primus emendavit *εὖ διδοίη*, ita etiam Schneidew. Nauck legi voluerunt; at bene Campbell ad h. l. docuit hoc *εὐοδοίη* spectare illud, quod paulo ante scriptum est: *ἀλλ' ἐμοὶ μὲν ἥδ' ὁδός | ἔσται μέλλουσα*. fortasse cum Hermanno *σφὼ δ' εὐοδοίη* legendum est.

In prosa oratione ap. Her. 6, 73 *ὡς Κλεομένεϊ εὐωδώθη τὸ πρῆγμα*.

Saepius in Genesi hoc verbum invenitur: Gen. 24, 27 *ἐμὲ δ' εὐόδωκεν κύριος εἰς τὸν οἶκον*. — Gen. 24, 21 *τοῦ γνῶναι ἢ εὐόδωκεν κύριος τὴν ὁδὸν αὐτοῦ ἢ οὔ*. 40. 56. — deinde: bonum eventum dare, facere ut res alicuius bene eveniant Gen. 39, 3 *καὶ ὅσα ἂν ποιῇ κύριος εὐοδοῖ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ*. 23 [hebr. צלח Hi.]; ita fortasse Gen. 24, 48 *ὅς εὐόδωσέν μοι ἐν ὁδῷ ἀληθείας* [sed potius cum Lag. legendum *με*, ita ut hic locus ad notionem supra allatam spectet]. — Gen. 42, 12 *εὐόδωσον ἐναντίον ἐμοῦ σήμερον*, fac ut res meae hodie bene eveniant.

16. *εὑρίσκειν*, genus activum notione aliquid sibi comparandi, adipiscendi, consequendi usurpatum.]

Huc fortasse referri possunt duo Sophoclis loci: Oed. C. 1078 *τᾶν δεινὰ τλασᾶν δεινὰ θ' εὑρουσᾶν πρὸς αὐθαίμων πάθη*. Trach. 284 *ἐξ ὀλβίων ἄζηλον εὑροῦσαι βίον*. — Aperte ille usus cognoscitur Eur. Bacch. 972 *οὐρανῷ στηρίζον εὑρήσεις κλέος*. Phoen. 400 *πόθεν δ' ἐβόσκου πρὶν γάμοις εὑρεῖν βίον*. Med. 1107 *ἅλις βίοτον εὗρεν*. Ion 320 *νοσοῦσ' εὗρον νόσους*.

Prosae deinde orationis nullum exemplum inveni, attamen hunc verbi εὑρίσκειν usum in sermone vulgari evaluisse docent Antatticistae verba B. A. p. 95, 3 *εὑρίσκειν τιμὴν ὡς κἂν τῇ συνηθείᾳ.*[1])

Apud LXX interpretes saepissime invenitur: *εὑρίσκειν χάριν ἐναντίον τινός.* ita Gen. 6, 8. 18, 3. 30, 27. 32, 5. 33, 10. 15. 34, 11. 39, 4. 47, 25. 29. 50, 4. Ex. 33, 13. 13 [Lag. AF *ἐνώπιον*]. 33, 17 *ἐνώπιον.* 34, 9. — Gen. 33, 8 A *ἵνα εὕρῃ ὁ παῖς σου χάριν ἐν ὀφθαλμοῖς σου* [D *ἐνώπιον.* Lag. E *ἐναντίον*]. Ex. 33, 16 *εὕρηκα χάριν παρά σοι.* — Gen. 19, 19 *εὗρεν ὁ παῖς σου ἔλεος* [Lag. *χάριν*] *ἐναντίον σου.*

Hoc exemplo bene illustratur quantum sermonis Graeci sub litterarum sermonis tegimine plerumque impenetrabili lateat; nisi Antatticistae testimonium extaret aut nisi aliis exemplis satis doceretur saepissime in sermonis vulgaris usu activum genus in locum generis medii successisse[2]), facile fieri potuit, ut LXX modo interpretum barbarismo ille usus vindicaretur.

17. *θανατοῦν*] Aesch. Prom. 1053 *πάντως ἐμέ γ' οὐ θανατώσει.*

In prosa oratione ap. Her. 1, 113 *τὸν μὲν ἔφερε θανατώσων παῖδα* necare. — Deinde conf. Thuc. 5, 9 *θανάτωσις* supplicium capitis. — Pl. legg. IX 872 C *ὁ τῆς πόλεως κοινὸς δήμιος . . θανατωσάτω* supplicium capitis sumere de, 868 C. — quae propria verbi notio omnino abest legg. IX 862 C *τὸ θανατωθὲν ἢ τρωθέν.* in eadem offensione videtur esse[3]) 865 D *ὁ θανατωθεὶς βιαίως.*[4])

---

[1]) vid. Lob. ad Phryn. p. 140: Sic *χάριν εὑρίσκειν* in libris sacris ex vulgari consuetudine legitur; qua imbutus librarius in Aesch. c. Ctes. 432 pro *προξενίας εὑρημένοι* ad *εὑρηκότες* aberravit. — vid. etiam Rutherford, Babrius. annot. VI 6 p. 11*.

[2]) conf. Hatzidakis l. l. p. 197 sqq. — unde profectus est ridiculus ille Atticistarum recentiorum error, quo mere Attice se scribere putabant, cum in locum activi generis, quod in vulgari valebat sermone, medium genus substituerent; scribebant igitur *ἐλπίζομαι, ὑποβλέπομαι, ἁρμόζομαι,* al. de qua re vid. Hatzidakis p. 196.

[3]) hoc eodem loco invenitur quoque illud *ἐξιλάσκεσθαι,* de quo vid. supra cap. I 25.

[4]) Inserendum hic fortasse Antiph. 3 γ 11 *οἱ θανατώσαντες ἡμᾶς* emphatice dictum pro *'διαφθείραντες'*, quem verbi usum nisi potius

De supplicio capitis usurpatum est etiam Xen. An. II 6, 4 ἐκ τούτου καὶ ἐθανατώθη ὑπὸ τῶν ἐν Σπάρτῃ τελῶν ὡς ἀπειθῶν. Hell. 2, 3, 15. 51. — Arist. oec. II 1347ᵇ, 33. de mir. ausc. 78, 836ᵃ, 6. de rep. Athen. 52 [ubi de undecim viris agitur] κἂν μὲν ἀποφύγωσιν ἀφήσοντας εἰ δὲ μὴ τότε θανατώσοντας. — Pol. 24, 4, 5. 8. 14. — Apud posteros deinde in universum: interficere: conf. Plut. Mor. 159 B ἀλλὰ θανατοῦντες τὰ ἔμψυχα καὶ τὰ φυόμενα. 997 D. — sed eam quae prior fuit, notionem nondum evanuisse docent hi loci: Plut. Them. 22 οὗ νῦν τὰ σώματα τῶν θανατουμένων οἱ δήμιοι προβάλλουσιν. Mor. 124 B al.

Ex. 21, 12 de supplicio capitis θανάτῳ θανατούσθω. 15. 17. Lag. AF 31, 14. 15. — 21, 14. — deinde omnino interficere, necare: Gen. 38, 10 ἐθανάτωσεν [sc. ὁ θεός] καὶ τοῦτον. Ex. 9, 15. 14, 11.

Hoc verbum fortasse alicuius momenti esse potest. Aeschyli Herodotique loci supra allati propter latiorem verbi notionem hic usurpatam artius inter se cohaerent admonentque de Rutherfordii ingeniosa lege, ex qua hic verbi θανατοῦν usus proprius fuit illius temporis 'when Tragedy sprang into life'. Atticorum deinde dialectus ab Ionica origine magis magisque secedebat, nonnulla verba evanescebant, alia poeticae orationi adscribebantur, plurima in sermone Attico servabantur, sed multa ex iis notione in certos fines restricta.[1]) Ita θανατοῦν de supplicio capitis in Atticorum dialecto imprimis dicebatur; facile fieri potuit ut latior quoque huius verbi vis in Atticorum sermone duraret, certe sermo vulgaris iam tertio ante Chr. n. saeculo illam notionem rursus exhibet, fortasse ab Ionibus rursus repetitam, qua de re diiudicare difficile est. In litteris demum apud Plutarchum invenitur — praeter duos illos Platonis locos, qui suspicionem quandam movere debent.

18. θιγγάνειν] Aesch. Sept. 44 θιγγάνοντες χερσὶ ταυρείου φόνου. Ag. 432. — Soph. Phil. 408. Ai. 1410. — Eur. El. 51. Alc. 107. Hel. 844. — Ar. Lys. 1004 οὐδὲ τῶ μύρτω

---

cum Herwerdeno Mnemos. nov. ser. IX p. 203 recentiori cuidam [Ionico?] attribuis ad Blassii explicationes [Att. Bereds. I² p. 152/3] referas.

[1]) Conf. supra καταλεῖν cap. I 11 et στηρίζειν I 20.

σιγῆν ἐῶντι [dorice]. — Pherecr. com. ap. Athen. VI 263b [vers. troch.] ὥστε τὴν κόμην ὑπηχεῖν θιγγανουσῶν τὰς μύλας. Antiphan. com. ap. Athen. XV 667 A ἐὰν θίγῃ μόνον αὐτῆς [e probabili Iacobsii emendatione. codd. AE item schol. Luc. τύχῃ].[1]) — Pind. Pyth. 8, 33. 4, 527. 9, 75. — Theocr. 1, 59. — Mosch. 1, 28.

In prosa oratione: Hippocr. 5, 184. 3, 272. 6, 90. 300. 8, 88. 350. — Xen. Cyrop. 1, 3, 5 ὅταν δὲ τούτων τινὸς θίγῃς. 5, 1, 16. 6, 4, 9. Saepissime ap. Arist. ita de gen. I 8, 326ª, 33. — de an. hist. VI 14, 568ᵇ, 7. — probl. VIII 1, 1323ᵇ, 28 al. permulta. — saepissime quoque ap. Plut. de quo videas Wyttenbachii ind.

Ex. 19, 12 καὶ θιγεῖν τι αὐτοῦ. — Ex. 12, 22 καὶ βάψαντες ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ παρὰ τὴν θύραν καθίξετε τῆς φλιᾶς καὶ ἐπ' ἀμφοτέρων τῶν σταθμῶν [hebr. וְהִגַּעְתֶּם אֶל־הַמַּשְׁקוֹף; fortasse recipienda est Complutensis editionis emendatio καὶ θίξετε, quod futurum activum, etsi versu Eur. Heracl. 647 εἰ δὲ τῶνδε προσθίξεις χερὶ non valde firmatur, nam ex Elmsleyi coniectura προσθίξει videtur scribendum, tamen defenditur aliis futuris activis, quae permulta in sermone vulgari pro medii generis futuris existebant].[2])

19. κακοποιεῖν] Antatticista: B. A. 102, 14 κακοποιεῖν Αἰσχύλος Κήρυξιν. — Ar. Pax 731 εἰώθασι μάλιστα περὶ τὰς σκηνὰς πλεῖστοι κλέπται κυπτάζειν καὶ κακοποιεῖν.

In prosa oratione: [κακοποιία iam apud Isocratem] Xen. Mem. 3, 5, 26. — Cyrop. 8, 8, 14. Oec. 3, 11. — [Dem.] 12, 23. — Saepius ap. Pol. 4, 6, 10. 8, 14, 1. 13, 4, 1. — Plut. Alex. 59 πολλὰ τὸν Ἀλέξανδρον ἐκακοποίουν.

Antatticistae verba supra allata indicant hoc verbum in vulgari tum usu fuisse.

---

[1]) Rutherfordius qui hoc verbum Atticis abrogare studet p. 169/70 et p. 391, de his comicorum locis in hunc modum iudicat p. 391 ann. 1: 'In Antiphanes Athen. XV 667A θίγῃ is a useless conjecture for τύχῃ, and in Pherecrates Athen. VI 263B θιγγανουσῶν τὰς μύλας evidently in a domestic phrase which has preserved the word.'

[2]) vid. Hatzidakis l. l. p. 175 'Zum selben Ziel [Vermeidung streng attischer Elemente] führt ferner die oft beobachtete Ausgleichung von verschiedenen Formsystemen durch Ausstossung der unregelmässigen und durch die Bevorzugung oder das Schaffen von neuen und regelmässigen Elementen.' Cf. ᾄσω st. ᾄσομαι nach ᾄδω ᾖσα; ἀκούσω st. ἀκούσομαι al. perm.

Gen. 31, 7 *οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ ο θεος κακοποιῆσαί με.* 29. — 43, 5 *τί ἐκακοποιήσατέ μοι* AD [F om. *μοι,* Lag.: *με*].

20. *καταξιοῦν*] Aesch. Ag. 577 *καὶ πολλὰ χαίρειν συμφορὰς καταξιῶ* [i. q. *χαίρειν κελεύω*]. — Sept. 667 *Δίκη προσεῖδε καὶ κατηξιώσατο* dignari [Soph. Phil. 1095 nunc e Blaydesii coniectura legitur *τάδ' ἠξίωσας*].

In prosa oratione primum ap. Pl. Tim. 30C dignum iudicare *τῶν .. ἐν μέρους εἴδει πεφυκότων μηδενὶ .. καταξιώσωμεν.* [Dem.] 59, 111 *ταύτην κατηξιοῦτε μετέχειν τῶν τῆς πόλεως.* Saepius apud Pol. 'dignum censere' 1, 23, 3. — *πρέσβεις κατηξιῶσθαι ὑπό τινος* 12, 11, 8. — in honore habere: 4, 86, 8. 23, 18, 6. — 5, 83, 4. — Diod. 2, 60 *μεγάλης αὐτὸν ἀποδοχῆς καταξιῶσαι.* 4, 55. — Luc. dial. mort. 3, 1. adv. ind. 3. — Philop. 29.

Addi possunt nonnulla titulorum papyrorumque testimonia recentiora: CJA. III 690 *ἀνατροφῆς τῆς αὐτῆς καταξιωθείς.* CJG. 5072 [s. fin. sc. VI?], 13 *εἰ μὴ κατηξίωσάν με.* — P. Leem. W. 16, 11/2 *κατηξιώθης τῶν .. μελλόντων σοι λέγεσθαι.*

Atticistarum offensiones notat Thom. Mag. 9, 7 *ἀξιῶ· τὸ ἄξιον κρίνω οὐ καταξιῶ.*

Gen. 31, 28 *οὐ κατηξιώθην φιλῆσαι τὰ παιδία μου* Lag. [ADEF *οὐκ ἠξιώθην καταφιλῆσαι* .. certo diiudicari non potest].

21. *καταπαύειν* sensu neutrali: desistere, desinere] Eur. Hec. 916 *μολπᾶν δ' ἄπο καὶ χαροποιὸν θυσίαν καταπαύσας ἐν θαλάμοις ἔκειτο,* ubi uterque usus et intransitivus et transitivus simul extat, nisi forte, quod probabilius videtur esse scribis *χαροποιῶν θυσιᾶν,* ita Dindorfius alii. — Anonymus poeta ap. Diod. 12, 14 *εὐημερῶν κατάπαυσον,* inde 12 *τοὺς μὲν πρῶτον γήμαντας ... δεῖν εὐημεροῦντας καταπαύειν.*

Alia litterarum testimonia indagare non potui, creberrimus autem ille usus apud LXX interpretes extat: abs. desinere, desistere Gen. 8, 22 *σπέρμα καὶ θερισμὸς .. οὐ καταπαύσουσιν.* — cum partic. Gen. 49, 33 *κατέπαυσεν Ἰακὼβ ἐπιτάσσων.* Ex. 31, 18. 34, 33. — requiescere Ex. 20, 11 *καὶ κατέπαυσεν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ.* — 34, 21 *ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ τῇ δὲ ἑβδόμῃ κατάπαυσις* [ita B, Lag. AF *καταπαύσεις*] *τῷ σπόρῳ καὶ τῷ*

ἀμήτῳ κατάπαυσις [ita BF, Lag. A *καταπαύσεις*] hebr. bis שַׁבָּתוֹן, atque priore loco certe verbum *καταπαύσεις* legendum, altero vero fortasse nomen *κατάπαυσις*[1]), unde illa codicum contaminatio profecta videtur esse [Ex. 35, 2 nomen *κατάπαυσις* legendum est]. — Gen. 2, 2 *κατέπαυσεν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ*. 3. — Ex. 31, 17 *κατέπαυσεν καὶ ἐπαύσατο*. — considere Ex. 10, 14 *καὶ κατέπαυσεν* [sc. *ἡ ἀκρίς*] *ἐπὶ πάντα τὰ ὅρια Αἰγύπτου πολλὴ σφόδρα*.

Etiam huius usus causa repetenda est e confusione generis activi et generis medii, notionis transitivae et neutralis, quae in vulgari sermone latissime patuit. Similis verbi simplicis *παύειν* usus iam apud Hesiodum, saepius deinde apud Aristophanem invenitur.

22. *κατισχύειν*] Soph. Oed. C. 346 *ἐξ ὅτου νέας τροφῆς ἔληξε καὶ κατίσχυσεν δέμας*.

In prosa oratione primum apud Theophr. hist. pl. 8, 8, 5; *ταῦτα μὲν οὖν κοινὰ πλειόνων ὄντα κατισχύει μᾶλλον ἐν τοῖς εἰρημένοις διὰ τὴν ἀσθένειαν* praevalere. conf. de caus. pl. 6, 11, 7. — Pol. invalescere, praevalere 3, 4, 6. 11, 13, 3. — abs. *κατίσχυσαν* superiores evaserunt 20, 5, 6. conf. 6, 51, 6 vincere. Diod.[2]) saepe exhibet *κατισχύομαι* viribus alicuius opprimor 17, 45. 1, 24. 71. vel active: vinco, opprimo: Diod. 1, 39. 5, 70. 23, 14, 4. 33, 26. — Dion. Hal. 6, 65 *μὴ κατισχύειν μηδετέραν τῶν στάσεων*.

P. Leem. W. 18. 3 *οὐ κατισχύσει με ἅπας δρὰξ κινούμεν[ος]* 'non valebit adversus me omnis pugillus motus'.

De Neograecorum usu conf. Legrand: *κατισχύω* l'emporter, vaincre.

---

[1]) Ita potius scribendum putabam propter Thierschii legem, e qua passim in Pentateuchi versione Alexandrina interpretes etiam contra textum originalem verba vel elocutiones similis sensus variaverunt, vid. Thiersch, De Pentat. vers. Alex. p. 52—57 lib. I § 14; haec paragraphus summi momenti est in textu huius versionis constituendo, quamvis Frankel, Vorstudien zu der Septuaginta e sua parte ei obtrectare studuerit. — Optimum huius variationis exemplum extat in loco supra allato Ex. 35, 2 *τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ κατάπαυσις, ἅγιον, σάββατα, ἀνάπαυσις τῷ κυρίῳ*.

[2]) vid. Krebs, Zur Rection der Casus in der späteren histor. Gräcität. Progr. Regensburg 1885 p. 24.

Ex. 1, 7 abs. κατίσχυον σφόδρα σφόδρα invaluerunt in dies magis. — Ex. 7, 13 κατίσχυσεν η καρδία Φαραώ obduravit [hebr.]. Ex. 17, 11 abs. κατίσχυσεν Ἰσραήλ superiorem esse, vincere; ita fortasse etiam Gen. 49, 24 ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας Ἰσραήλ qui Israel vicit [?]. — Ex. 18, 23 κατισχύσει σε ὁ θεός deus tibi imperabit, haec notio, ut videtur, profecta est ex illa: 'vi uti adversus aliquem'.

23. λατρεύειν] Aesch. Prom. 968 κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον. — Soph. Tr. 35. Oed. C. 105. — Eur. Cycl. 24. Ion 124. 152. — c. acc. pers. coni. Iph. T. 1115 ἔνθα τᾶς ἐλαφοκτόνου θεᾶς ἀμφίπολον κούραν παῖδ' Ἀγαμεμνονίαν λατρεύω. conf. El. 130 τίνα πόλιν, τίνα δ' οἶκον .. λατρεύεις. Ion 129. — Solon ap. Stob. Fl. vol. I p. 238.[1])

In prosa oratione: Isocr. Hel. enc. p. 217 C τοὺς δὲ τῷ κάλλει λατρεύοντας φιλοκάλους καὶ φιλοπόνους νομίζομεν εἶναι. — Xen. Cyrop. 3, 1, 36. Ages. 7, 2. — Plut. Mor. 407 E. — Luc. Nigr. 15. 23.

Saepius in Exodo: 3, 12 καὶ λατρεύσετε τῷ θεῷ ἐν τῷ ὄρει τούτῳ. 4, 23. 5, 17 Lag. [rel. θύσωμεν]. 7, 16. 8, 1. 20. 9, 1. 13. 10, 3. 7. 8. 11. 24. 26. 12, 31. 20, 5. 23, 24. 25. — 10, 26 οὐκ οἴδαμεν τί λατρεύσωμεν κυρίῳ. 12, 16 ἔργον λατρευτόν. — in Genesi hoc verbum non extat.

24. ὁδηγεῖν] Aesch. Prom. 727 αὗταί σ' ὁδηγήσουσιν. — Eur. Herc. F. 1402. Phocyl. 22. — Babrius 11, 5.

In prosa oratione primum apud Plut. Mor. p. 585 C. 912 B. 954 B. 139 A. — [Her.] vit. Hom. 33. — Xen. Ephes. 1, 9 p. 16, 9. 3, 10 p. 71, 4. — med. 5, 1 p. 87, 10 συνήλθομεν ἀλλήλοις ἀμφοτέρους ὁδηγουμένου θεοῦ.

Ex. 13, 17 οὐχ ὡδήγησεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ὁδὸν γῆς Φυλιστιείμ. 15, 13. 32, 34.

25. πληθύνειν] Aesch. Ag. 1370 ταύτην ἐπαινεῖν πάντοθεν πληθύνομαι compleri, hoc loco: multitudine causarum urgeri, conf. Hermannum ad h. l. 'undique conveniunt mihi ar-

[1]) Conf. etiam tit. metr. III[1] fere a. Chr. n. saeculi ineuntis: CJA II 1378: [καὶ] πόνον οὐκ ἀκλεᾶ τόνδ' ἐλάτρευσα θεᾷ.

gumenta ut hanc sententiam probem'. — Suppl. 604 ex Hermanni emendatione δήμου κρατοῦσα χεὶρ ὅπη πληθύνεται.

In prosa oratione ap. Arist. de an. hist. VII 11, 587^b, 20 ταῖς γυναιξὶ τὸ γάλα πληθύνεται. — de pl. II 4, 825^b, 15. 826^a, 14. 828^a, 14 πληθύνονται οἱ ὑετοί, οἱ ἄνεμοι. — deinde intrans. θάλαττα ῥεύμασι πληθύνουσα, ubi tamen var. lect. πληθύουσα. meteor. I 14, 351^b, 7. item de an. gen. II 4, 738^a, 37.

Qui vulgo huc adduntur loci Theophr. d. caus. pl. 1, 19, 5. Plut. Mor. p. 1005 F. — Pol. 5, 44, 11 emendandi sunt, restituendumque verbum πληθύειν. — Attamen hoc verbum non evanuisse testis est huius temporis usus: Legrand: πληθύνω multiplier, augmenter | croître; se multiplier || foisonner; extat igitur adhuc neutralis quoque huius verbi notio.

trans. Gen. 26, 4 πληθυνῶ τὸ σπέρμα σου ὡς τοὺς ἀστέρας τοῦ οὐρανοῦ. 24. Ex. 11, 9. 7, 3. — conf. 34, 12. 3, 16. — καὶ αὐξανῶ αὐτὸν καὶ πληθυνῶ αὐτόν. Gen. 17, 20. 28, 3. 48, 4. conf. 17, 2. — deinde πληθύνεσθαι pass. numero augeri, plures fieri; maiorem fieri: Gen. 7, 17 ἐπληθύνθη τὸ ὕδωρ. 18. — 47, 27. de hominibus 48, 16. — Gen. 9, 7 αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε. 1, 22. 35, 11. 6, 5. 18, 20. — modum explere Gen. 38, 12 ἐπληθύνθησαν δὲ αἱ ἡμέραι καὶ ἀπέθανεν Σαυά.

intr. Ex. 1, 20 ἐπλήθυνεν ὁ λαὸς καὶ ἴσχυεν σφόδρα. 1, 7 ἐπλήθυνεν ἡ γῆ αὐτούς [hic accusativus hebraicae originis videtur esse, conf. וַתִּמָּלֵא הָאָרֶץ אֹתָם; conferas quoque similem constructionem Ex. 31, 3 ἐνέπλησα αὐτὸν πνεῦμα θεῖον 35, 31, nisi forte putas interpretem verbis hebraicis male intellectis vertisse: et terra magnum numerum eorum edidit].

26. **πλουτίζειν**] Aesch. Ag. 1268 ἄλλην τιν' ἄτης [ita Stanley pro ἄτην] ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετε. — Soph. Oed. R. 30. Timocl. com. ap. Athen. VIII p. 341 E.

In prosa oratione: Xen. Cyrop. 8, 2, 22. Mem. 4, 2, 9. Cyrop. 5, 5, 27. — Arist. Pol. II 11, 1273^b, 19 ὀλιγαρχικῆς δ' οὔσης τῆς πολιτείας ἄριστα ἐκφεύγουσιν τῷ πλουτεῖν, ἀεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις, ubi Bonitzio monente scribendum est πλουτίζειν. — Plut. Cim. 14. Nic. 5 saepius. — Luc. Tim. 19. 25.

Gen. 14, 23 ἐγὼ ἐπλούτισα τὸν Ἀβράμ.

27. *προβιβάζειν*] Soph. Oed. C. 180 sensu proprio: porro ducere *προβίβαζε κούρα πρόσω*. — transl. deferre: Ar. Av. 1570 *ὦ δημοκρατία ποῖ προβιβᾷς ἡμᾶς ποτε*.

In prosa oratione: Pl. Prot. p. 328B *προβιβάσαι εἰς ἀρετήν* ducere ad virtutem, instituere ad virtutem. — Xen. Mem. 1, 5, 1 *ἐπισκεψώμεθα εἴ τι προυβίβαζε λέγων εἰς ταύτην τοιάδε* proficere. — Arist. de an. hist. V 14, 546ᵃ, 10 prius inire. Saepius ap. Pol. ut 10, 44, 1 proficere. — 3, 59, 2 *τὴν ἐμπειρίαν* promovere, augere, item 9, 10, 4 *τὴν πατρίδα* al. — Dion. Hal. Ant. Rom. 1, 3 promovere, augere. — Dio C. 58, 23 admovere.

Ex. 35, 34 *καὶ προβιβάσαι γε ἔδωκεν αὐτῷ ἐν τῇ διανοίᾳ* 'docere' i. f. q. *συμβιβάσαι* [לְהוֹרֹת], quae notio etsi iis quae attuli exemplis probabilis videtur, tamen apud profanos quidem scriptores non invenitur.[1])

28. *πτοεῖσθαι*] Aesch. Cho. 535 *ἡ δ' ἐξ ὕπνου κέκραγεν ἐπτοημένη*. Prom. 856. — Eur. El. 1255. Tro. 559. Bach. 214. Iph. A. 586. — Sappho 2, 6 act. *τό μοι μὰν καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν*. — Callim. Dian. 191 al.

In prosa oratione: Pl. Phaed. 68C *τὸ περὶ τὰς ἐπιθυμίας μὴ ἐπτοῆσθαι*. 108A. Pol. IV 439D. — Arist. de an. hist. VII 18, 571ᵇ, 10 *ἐπτοῆσθαι περὶ τὴν ἐπιθυμίαν*. 28, 614ᵃ, 26 *οἱ ὄρτυγες ἐπτόηνται περὶ τὴν ὀχείαν*. eth. Eud. III 2, 1231ᵃ, 13. — Pol. terrere 10, 42, 4. — 31, 19, 4. — 8, 21, 2. — Luc. amor. 5 *εἰς γυναῖκας ἐπτόητο*. conf. 9. 23. rhetor. praec. 14 *πτοηθείς* territus. — Plut. Mor. p. 28 D. B. perterreri. Alcib. 10. Popl. 13. — Dion. Hal. de comp. verb. 1 p. 4.

Ex. 19, 16 *καὶ ἐπτοήθη πᾶς ὁ λαός* perterritus est.

29. *συννέφειν*][2]) Eur. fr. Danaes ap. Stob. Ecl. 1, 7, 8 p. 92, 2 [Nauck fr. 330] *οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα τῶν μὲν εὐτυχεῖ λαμπρᾷ γαλήνῃ τῶν δὲ συννέφει πάλιν*. — El. 1078. — Ar. Av. 1502 *τί γὰρ ὁ Ζεὺς ποιεῖ; ἀπαιθριάζει τὰς νεφέλας ἢ ξυννέφει*. — Ar. Fr. 142 *συννένοφε* conf. Fr. 349.

In prosa oratione: Arist. Rhet. II 19, 1393ᵃ, 6 *εἰ συννέφει εἰκὸς ὗσαι*. — Plut. Mor. p. 641 D.

---

[1]) vid. Hatch, Essays in Bibl. Greek p. 6.
[2]) vid. Cobet, Var. lect. p. 310.

Gen. 9, 14 καὶ ἔσται ἐν τῷ συννέφειν με νεφέλας ἐπὶ τὴν γῆν.

30. ταχύνειν] intr. Aesch. Pers. 691 ὅμως .. ἥκω· τάχυνε δ' ὡς ἄμεμπτος ὦ χρόνου. Cho. 660. — Soph. Ai. 1164. Oed. R. 361. Oed. C. 219. at Ai. 1403 trans. κοίλην κάπετον χερσὶ ταχύνετε. — intr. Eur. Rhes. 76. 637. Alc. 255. Andr. 550. — Ar. Eccl. 583 intr. — Antipater Sid. Anth. Pal. 9, 417, 4.

In prosa oratione primum ap. Xen. Cyrop. 8, 5, 15. intr. de re eq. 7, 17. — Arist. de pl. II 7, 827ᵃ, 14, 9. 828ᵇ, 12. — Plut. Cleom. 4.

Gen. intr. 18, 7 καὶ ἐτάχυνεν τοῦ ποιῆσαι αὐτό. 41, 32. Ex. 2, 18. — Gen. 45, 13 ταχύναντες καταγάγετε τὸν πατέρα μου ὧδε.

31. φλογίζειν] Soph. Phil. 1159 οὐδ' εἰ πυρφόρος ἀστεροπητὴς βροντᾶς αὐγαῖς μ' εἶσι φλογίζων. trans. Trach. 95.

In prosa oratione: [Arist.] de mundo 5, 397ᵃ, 29 ἡ γῆ πυρκαϊαῖς κατὰ μέρος φλογιζομένη. — schol. Ar. Eq. 1233 εὕστρα· ἀπὸ τοῦ εὕειν καὶ φλογίζειν τοὺς χοίρους. — schol. Hom. ψ 89. Ex 9, 24 τὸ πῦρ φλογίζον.

In universum hoc caput eandem fere speciem praebet ac primum caput, quae ibi posita sunt hic firmantur. Hoc tantum novum videtur esse atque maximi momenti: extant in hoc capite verba, quae etsi originem Ionicam prae se ferre videntur, tamen Tragicorum frequenti usu non minus quam scriptorum Atticorum locis quibusdam Atticae quoque naturae convincantur.[1]) Rutherfordii quaestiones[2]) a doctissimo illo viro satis multis exemplis comprobatae ostenderunt, quam arte sermo Tragicorum cum Ionicis dialecti Atticae fundamentis cohaereat[3]), quantum igitur Herodoti et Tragicorum consensus his in quaestionibus valere debeat.[4]) Iam vero eundem auctorem longius sequi in animum inducere non queo. Rutherfordius exhibet p. 8:

[1]) vid. supra ἐκζέειν, ἐκτρίβειν, ἐμπαίζειν, ἐπισκιάζειν, ἐπιστρέφειν, εὐοδοῦν, θανατοῦν, θιγγάνειν.

[2]) The new Phrynichus p. 1—31: The growth of the Attic dialect.

[3]) conf. p. 4: 'Accordingly in the Tragic Dialect is discovered what might otherwise have been lost, the missing link between Ionic proper and that modification of it which is called Attic.'

[4]) vid. supra θανατοῦν.

'Words rare in prose occur with frequency both in Herodotus and the Tragic poets, which is equivalent to saying that words in common use in the Attic of the time when Tragedy became a distinct style retained a literary status as long as the Tragic drama continued, although, for all other purposes, they were practically obsolete in Attic speech and writing.' — Quod in singulis vocibus accidere potuit et certe accidit, in universum vero si dicitur, non probabile videtur. Iam per se non ita verisimile est, tot verba tam brevi tempore evanuisse. Atque litterarum testimoniis ne nimiam in his rebus fidem tribuamus monent exempla nonnulla supra allata, permulta infra afferenda. In litteris Atticorum certe multum valuit illa continentiae vel parsimoniae lex, quam Rutherfordius passim notat[1]), cuiusque exempla satis multa affert. Sermo urbanus vero et sermo popularis multiplices et varii videntur fuisse, quod nemini mirum esse potest ut in vigenti Atheniensium commercio. Habemus quoque argumentum satis antiquum in libello de re publica Atheniensium II 8: *ἔπειτα φωνὴν πᾶσαν ἀκούοντες ἐξελέξαντο τοῦτο μὲν ἐκ τῆς, τοῦτο δὲ ἐκ τῆς· καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες ἰδίᾳ μᾶλλον καὶ φωνῇ καὶ διαίτῃ καὶ σχήματι χρῶνται, Ἀθηναῖοι δὲ κεκραμένῃ ἐξ ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων*; quae verba non multo post initia belli Peloponnesiaci scripta, certe illam Rutherfordii 'parsimoniae legem' non redolent; sed spectant ad sermonem cotidianum[2]), ad eundem illum sermonem, de quo Aristophanis testimonium affert Sext. Empir. adv. gramm. 1, 10 p. 264: *οὐχ ἡ αὐτὴ μὲν* [sc. *συνήθεια*]

[1]) Conf. imprimis The new Phryn. p. 120 'the law of parsimony, an instinctive principle which permeates the language of the Athenians, and not only differentiates it from all other Greek dialects, but elevates it above almost all other tongues.' conf. p. 391 al. conf. Rutherford, Babrius 42, 2 p. 46 b. — ibid. 'the rule of economy in the Attic dialect' p. LIII and LIV.

[2]) ita recte cognovit Lottich, 'De sermone vulgari Atticorum maxime ex Aristophanis fabulis cognoscendo' diss. Hal. 1881 p. 15 'dubium non potest esse, quin illius libelli scriptor vulgarem sermonem respexerit', etsi de horum verborum vi falso ille iudicasse videtur. — iam una vox: *βαρβάρων* monere debet, ne de litterarum sermone cogitemus.

τῶν κατὰ τὴν ἀγροικίαν ἡ αὐτὴ δὲ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων, παρ' ὃ καὶ κωμικὸς λέγει·

διάλεκτον ἔχοντα μέσην πόλεως
οὔτ' ἀστείαν ὑποθηλυτέραν
οὔτ' ἀνελεύθερον ὑπαγροικοτέραν·

Nonne hoc ipsum *οὔτ' ἀστείαν ὑποθηλυτέραν* significare videtur sermonem cotidianum, ut ita dicam, subionicum, *θηλύτης* enim est propria Ionicae dialecti natura. Ut iam concludam: sermo Atticorum cotidianus plura retinuit originis Ionicae vestigia firmata semper et aucta vigenti Atheniensium commercio cum Ioniae coloniis, cum interim litterarum sermo Atticus propter *μετριότητος καὶ κοινότητος* [Isocr. 15, 296] studium permultos evitavit ac seclusit Ionismos. Sed cum ita litterarum sermo a cotidiano sermone multo celerius, ut fit, progrediente magis magisque recederet, fieri non potuit quin deflorescente ipsa Atheniensium gloria sermo cotidianus in litteras quoque passim irrueret.[1]) Quod eodem fere tempore factum est quo succrescente Macedonum potestate sermo Atticus Atticae fines transgressus in sermonem vulgarem abire coepit. Sed ne inania videar fecisse verba iam argumenta proferre pergam; inter quae maximi momenti est comicorum Atticorum sermo.

Caput III.

Verba quae primum apud Comicos Atticos inveniuntur.

1. *ἀναπίπτειν*] vid. Phryn. [Lob. 216. Rutherf. 293] *ἀναπεσεῖν οὐ καλῶς ἐπὶ τοῦ ἀνακλιθῆναι τάττεται ἐὰν δ' ἐπὶ τοῦ τὴν ψυχὴν ἀδημονῆσαι καλῶς· οἷον ἀνέπεσεν ἄνθρωπος ἀντὶ τοῦ τὴν ψυχὴν ἠθύμησεν.*

Usus huius verbi[2]) triplex vel quadruplex est: 1) in prosa oratione Attica invenitur notio translata: *ἀθυμεῖν*, ita Thuk. 1, 70. Dem. 19, 224. 21, 163 al. 2) apud Xenophontem et re-

[1]) Conf. Zarncke, Die Entsteh. d. griech. Literatursprachen p. 21.
[2]) conf. Athen. I 23b sqq. — vid. etiam Rutherford p. 293 sq.

centiores scriptores ἀναπίπτειν dicitur de remigibus remos attrahentibus conf. Xen. Oec. 8, 8. Pol. 1, 21, 1. primum fortasse apud Cratinum com. ap. Athen. I 23 B ῥοθίαζε κἀνάπιπτε. vel de equitibus: supinum esse Xen. de re eq. 8, 17. Hipp. 3, 14. — 3) apud tragicos poetas: recĭdere, procumbere, concĭdere: Aesch. Ag. 1599 κἄπειτ' ἐπιγνοὺς ἔργον οὐ καταίσιον ᾤμωξεν ἀμπίπτει [ita Canterus pro ἂν πίπτει]. Eur. Cycl. 409/10. fr. inc. 187 ap. Athenag. p. 28. — deinde ap. Pl. Phaedr. p. 254 B ἰδοῦσα δὲ ἔδεισέ τε καὶ σεφθεῖσα ἀνέπεσεν ὑπτία, qui locus tragicos redolet [conf. Hesych. s. v. ἐσέφθην· ἐσεβάσθην, ἡσύχασα, ᾐσχύνθην Σοφοκλῆς Δαιδάλῳ]. inde 254 C ὥσπερ ἀπὸ ὕσπληγος ἀναπεσών. — Plut. Mor. p. 992 B ὑπτίους ἀναπεσόντας al.

Huc accedit illa notio in qua Atticistae offenderunt. Ac primum quidem invenitur ap. Alexid. com. ap. Athen. I p. 23 E [Kock II 402] μετὰ ταῦτ' ἀναπεσεῖν | ἐκέλευον αὐτὴν παρ' ἐμέ. — Diod. 4, 59 οὗτος τοὺς παριόντας ὁδοιπόρους ἠνάγκαζεν ἐπί τινος κλίνης ἀναπίπτειν. 5, 14. — Arr. Epict. 2, 18, 3. — Luc. Asin. 23.

Accedunt duo papyrorum exempla: PL. 51, 4 ἀναπίπτομαι ἐπ' ἄχυρον. 6/7 ἀναπίπτει καὶ αὐτός [an. 160 a. Chr. n.]. — Vulgarem usum notat quoque Antatt. BA. 77, 10 ἀνέπεσεν ἀντὶ τοῦ ἀνεκλίθη.

Gen. 49, 9 ἀναπεσὼν ἐκοιμήθη ὡς λέων [כָּרַע].

Optime hoc verbo illustrantur ea quae supra explicui. ἀναπίπτειν verbum, ut Tragicorum exempla docent, ab initiis Atticae dialecti originem repetit, ac tum quidem significasse videtur 'supinum recidere'. Deinde crescente litterarum sermone Attico verbum vulgari usu iam tritum translatam notionem deficiendi animo litteris concessit, ipsum vero in cotidiano sermone permansit duasque illas proprias significationes, quas supra notavi, nactum est, quae in recentiorem litterarum sermonem paulo post invaserunt. Sed ne primitivam quidem notionem excidisse testis est illa notio paulo explicatior, quae primum apud Alexidem comicum Atticum invenitur, deinde ex Atticorum sermone cotidiano in sermonem recentiorem vulgarem transiit ibique Atticistarum offensiones movit.[1])

---

[1]) Cf. I 11 καταλεῖν, 20 στηρίζειν, II 17 θανατοῦν.

2. *ἀναψύχειν* requiescere] vid. Antattic. BA. p. 80, 29 *ἀνέψυξα ἀντὶ τοῦ ἀνεπαυσάμην Δίφιλος Φιλαδέλφῳ.* — Meleag. Anth. Pal. 12, 132, 8. — Babr. fab. 95, 57 *ἕως ποθ' εὗρεν ἐν κατασκίῳ χώρῳ δρόμων ἀναψύχουσαν.* — Orph. Lith. 556.

In prosa oratione ap. Dion. H. Ant. Rom. 9, 12. — Athen. XI p. 503 C. — Heliod. Aeth. 8, 7 p. 359.

Videas quam sero illa sermonis cotidiani notio in prosam orationem invaserit.

Ex. 23, 12 B^{ab}AFLag. *ἵνα ἀναπαύσηται ὁ βοῦς σου καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου καὶ* [*ἵνα*] *ἀναψύξῃ* [B *ἀναπαύσηται*] *ὁ υἱὸς τῆς παιδίσκης σου.*

3. *ἀπογαλακτίζειν*] Diphil. com. *ἐν Συνωρίδι* ap. Athen. VI 247e [K II 565] *ὥσπερ τὰ παιδί' αὐτὸν ἀπογαλακτιεῖ.*

[Hippocr. p. 267, 39 *ἀπογαλακτισμός.*]

Gen. 21, 8, 8 *τὸ παιδίον ἀπεγαλακτίσθη* a lacte depellere.

4. *ἀποσάσσειν*][1]) Diphil. com. ap. Athen. VII p. 292 D [K. II 553] *χύδην σαυτὸν ἀποσάξεις τόν τε κόλπον ἀποτρέχων* e Casauboni emendatione [libri *ἀποτάξεις*] vid. Cobet. nov. lect. p. 122: 'Itaque *ἀποσάξεις* est exonerabis, quod quam bene furaci coquo conveniat, qui cibis ingurgitatus sinum furtis repletum retulerit domum satis perspicuum opinor esse.' — Quod vero id. ibid. scribit: 'contraria sunt *ἐπισάττειν* et *ἀποσάττειν* quemadmodum *ἐπιφορτίζειν* et *ἀποφορτίζειν*' non ad omnes locos, quibus verbum illud invenitur, quadrat. vid. Harpocr. *λέξεις τῶν ι' ῥητ.* [Dind.] 50, 8/9 *ἀποσάξαντα· Δείναρχος ἀντὶ τοῦ φράξαντα τὸ τρῆμα καὶ ἀποπληρώσαντα,* ubi hoc ipsum *ἀποπληρώσαντα* ostendit, quanam ratione illud *ἀποσάττειν* idem fere valere possit ac: valde onerare [conf. BA. 435, 10 *ἀποσάξαντα· Δείναρχος ἀντὶ τοῦ φράξαντα τὸ τρῆμα*]. —

[1]) Conf. infra cap. IV 6 *ἐπισάττειν.* — verbum simplex *σάττειν* invenitur ap. Aesch. Ag. 630 i. q. replere. similiter ap. Eubul. ap. Athen. XV 571 F. conf. Antiphan. com. ap. Athen. VII 295 D. Alex. com. ap. Athen. VII 322 D. — Theocr. 17, 94 i. q. onerare, instruere aliquem aliqua re. — Her. 7, 62. 70. 73. 3, 7. — Xen. Oec. 8, 18. Conv. 4, 64. conf. Oec. 19, 11 occulcare. — Arist. — Hippocr. — Pol. 12, 2, 5. 1, 19, 13 rec. — *περισάττειν* Arist. — Pol. — *παρασάττειν* Her. 6, 125. — *διασάττειν* Macho ap. Athen. VI 244 C. — *ἐνσάττειν* Alciphr. 3, 7. — *κατασάττειν* Theophr.

Huc cadit quoque fragmentum Philemonis ap. Athen. XIV p. 664 D [K. II 496] *Φιλήμων ἐν Πτωχῇ· ἐξὸν ἀποσάττεσθαι δ' ὅλην τὴν ἡμέραν ποιοῦντα καὶ διδόντα ματτύας ἐκεῖ.* nisi forte praepositionem *ἀπο-* hic significare putas 'inde': cum tibi liceat inde [i. e. ex ipso negotio] per totum diem saburrari, repleri. — Fortasse denique huc afferri potest locus de lexico rhetorico B. A. p. 205, 10 *ἀποσέσχεν τοὺς ὅρμους τοῦ μετάλλου· ἀποσέξαι τὸ διασεῖσαι καὶ κινῆσαι· ὅρμοι δέ εἰσιν ὥσπερ κίονες τοῦ μετάλλου,* ubi emendatum est *ἀποσέσαχεν* et *ἀποσάξαι;* tum igitur hic locus ad priorem significationem referendus esset 'exonerare, desumere, tollere'.

Id vero facile cognoscitur hoc comicorum verbum vulgaris sermonis fuisse proprium, indignumque ob eandem causam indicatum quod in litteras reciperetur. Iam videas verbum simplex *σάττειν* primum occurrere ap. Aesch. Ag. 630, deinde apud Antiphanem et Alexidem comicos; in prosa oratione extare aliquotiens apud Herodotum et Hippocratem, deinde apud Xenophontem [Oecon. 19, 11. Symp. 4, 64], Aristotelem, Polybium, recentiores. *σάγμα* saepius apud Aristophanem scriptum invenies. En habes novum sententiae supra prolatae argumentum!

Gen. 24, 32 *ἀπέσαξε τὰς καμήλους.*

5. *ἀρχιτεκτονεῖν*] vid. Poll. Onom. VII 117 *ἐπεὶ δὲ καὶ τοὺς οἰκοδόμους τέκτονας Ὅμηρος καλεῖ, καὶ ἀρχιτέκτων εἴρηται παρὰ Πλάτωνι* [Eurip. — Herod. — Pl. Gorg. 455 B. Polit. 259 E al.], *βιαία γὰρ ἡ ἐν τῷ Σοφοκλέους Δαιδάλῳ τεκτόναρχος μοῦσα· τὸ δὲ ἀρχιτεκτονεῖν Ἀριστοφάνης εἴρηκεν ἐν Δαιδάλῳ* [videtur scriba ad priorem vocem *Δαιδάλῳ* aberrans hoc nomen loco nominis *Εἰρήνῃ* inseruisse, conf. Dind. ad fr. 241] *φαίης δ' ἂν οἰκοδομία, οἰκοδομικὴ οἰκοδόμημα οἰκοδομεῖν.* — vid. Ar. Pax 305 *πρὸς τάδ' ἡμῖν εἴτι χρὴ δρᾶν φράζε κἀρχιτεκτόνει.* deinde Sosip. com. ap. Athen. IX p. 377 F [Meineke IV 482] *ἐδίδασκεν ἡμᾶς πρῶτον ἀστρολογεῖν . . . ἔπειτα μετὰ ταῦτ' εὐθὺς ἀρχιτεκτονεῖν.*

In prosa oratione: ap. Theophr. Char. 2, 5 *τὴν οἰκίαν εὖ ἠρχιτεκτονῆσθαι* [e comoedia quadam repetitum?]. — Diod. 1, 97. 4, 41. — Plut. Pericl. 13.

Hoc Attici sermonis cotidiani verbum iam forma originem

prae se fert[1]), infra enim videbimus quot eius generis verba parasyntheta cotidiana consuetudo fabricaverit.

Ex. 31, 4 [*ἐπιστήμης παντὶ ἔργῳ*] *διανοεῖσθαι καὶ ἀρχιτεκτονῆσαι* [Lag. A *ἀρχιτεκτονεῖν*] *ἐργάζεσθαι τὸ χρυσίον κτέ.* 37, 21 *ὃς ἠρχιτεκτόνησεν τὰ ὑφαντὰ καὶ τὰ ῥαφιδευτὰ καὶ ποικιλτικά.* 35, 32 *ἀρχιτεκτονεῖν κατὰ πάντα τὰ ἔργα τῆς ἀρχιτεκτονίας, ποιεῖν τὸ χρυσίον κτέ.* — Haec latior verbi significatio certe comprobatur usu simili nominis *ἀρχιτέκτων* conf. etiam Arist. Pol. III 11, 1282ᵃ, 3 *ἰατρὸς ὅ τε δημιουργὸς καὶ ἀρχιτεκτονικός.*

6. *βδελύσσεσθαι*] Ar. Vesp. 792 *κᾆτα βδελυχθεὶς ὀσφρόμενος ἐξέπτυσα.* Nub. 1132 al. Eupolis [?] ap. Ar. Eq. 1288 *ὅστις οὖν τοιοῦτον ἄνδρα μὴ σφόδρα βδελύττεται.* — Menand. fr. 472, 6 [K. III 135].

In prosa oratione ap. Pl. Pol. X 605 E *τὸ ὁρῶντα τοιοῦτον ἄνδρα . . . μὴ βδελύττεσθαι.* — Hippocr. 7, 56 al. — [Cic. ad Att. 15, 29 tum ego etsi *ἐβδελυττόμην* tamen negavi putare esse illa vera]. — Saepius deinde ap. Plut. conf. Mor. p. 27 D. 28 A al. [vid. Wyttenbachii ind.].

Ex. 1, 12 *ἐβδελύσσοντο οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.* taedium Iudaeorum eos cepit, horrebant, extimescebant eos [conf. supra Ar. Nub. 1132]. — Gen. 26, 29 *ἡμεῖς σε οὐκ ἐβδελυξάμεθα* i. q. male tractare aliquem [?!] [coni. *μὴ ποιῆσαι μεθ' ἡμῶν κακόν*], quae verbi notio cum ne Hebraico quidem verbo defendatur, licet Alexandrinorum fuerit propria. — Ex. 5, 21 *ἐβδελύξατε τὴν ὀσμὴν ἡμῶν ἐναντίον Φαραώ* [Vulg. foetere fecistis odorem nostrum] videntur hic interpretes e ratione generis Hiphil Hebraici generi activo causativam notionem attribuisse.[2])

7. *βρέχειν* de pluvia dictum i. q. *ὕειν*] conf. Phryn. [Lob. 291. Rutherford p. 352] *βρέχειν ἐπὶ τοῦ ὕειν ἔν τινι κωμῳδίᾳ ἀρχαίᾳ προστιθεμένῃ Τηλεκλείδῃ τῷ κωμῳδῷ ἐστιν οὕτως εἰρημένον· ὅπερ εἰ γνήσιον ἦν τὸ δρᾶμα τὸ ἅπαξ εἰρῆσθαι ἐφυλαξάμεθ' ἄν· ὁπότε δὲ καὶ νόθον ἐστὶ παντελῶς ἀποδοκιμαστέον τὸ ὄνομα.* — conf. Thom. Mag. 57, 8.

---

[1]) Conf. etiam Kühner-Blass³ § 338, 7 ann. 3.

[2]) vid. supra I 6 s. v. *ἐξαίρειν* et ann. 1.

In prosa oratione primum apud Pol. 16, 12, 3 *τὸ ἄγαλμα οὔτε νίφεται οὔτε βρέχεται* [conferendus est etiam locus Xen. Oec. 17, 2 *τὸν θεὸν ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν*]. — Arr. Epict. 1, 6, 26 p. 36 *οὐ καταβρέχεσθε ὅταν βρέχῃ.* — conf. Schmid, Der Atticismus II p. 192: Aristid. 48, 441, 558 *ὅταν ἡ γῆ βρεχθῇ* 'beregnen'. — Conf. nostrorum temporum usum apud Ieannarakis p. 156.

Gen. 2, 5 *ἔβρεξεν ὁ θεὸς ἐπὶ τὴν γῆν.* 19, 24 *κύριος ἔβρεξεν ἐπὶ τὴν γῆν θεῖον καὶ πῦρ.* Ex. 9, 23.

8. *γινώσκειν* cognoscere, de concubitu] Menand. com. fr. 558 [K. III 170] *ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων ἐμέ τε καὶ τὴν μητέρ' ἔγνω μ'.* — deinde Heraclid. *περὶ πολιτ.* 32 *Κεφαλληνίων* [Schneidew. p. 25, 8/9] *τάς τε κόρας πρὸ τοῦ γαμίσκεσθαι αὐτὸς ἐγίνωσκεν.*[1]) Saepius ap. Plut. ita Pomp. 36 *ὅσαι δὲ τῶν Μιθριδάτου παλλακίδων ἀνήχθησαν, οὐδεμίαν ἔγνω.* Alex. 21. Eumen. 1. — Philostr. Heroic. p. 863. — Heliod. 1, 8 p. 22. conf. *λεξ. ῥητ.* B. A. 233, 19 *γνῶναι· κρῖναι· καὶ ἐπὶ τῇ συνουσίᾳ.* it. ap. Hesych.

[Conf. Romanorum similem usum verbi cognoscendi, qui tamen ante Ov. Her. 6, 133 non inveniri videtur.]

Gen. 4, 1 *Ἀδὰμ δὲ ἔγνω Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ.* 17. 25. 19, 8. 24, 16. 38, 26.

9. *δυστοκεῖν*] Ar. Ran. 1423 *ἡ πόλις γὰρ δυστοκεῖ.* — Mosch. 4, 87.

In prosa oratione ap. Pl. Theaet. p. 149 D *τὰς δυστοκούσας.* — Arist. de an. gen. I 11, 719^a, 20. de an. hist. VII 9, 587^a, 4. 10. 587^a, 34. de mir. ausc. 177, 847^b, 6. — Theophr. hist. pl. 3, 10, 3. — Plut. Mor. 964 C. — Ps. Luc. Philop. 24. — Aristid. I 78.

Gen. 35, 16 *καὶ ἐδυστόκησεν ἐν τῷ τοκετῷ.*

10. *ἐξανατέλλειν*] Telecl. com. ap. Plut. Per. 3 [K. I 222 nr. 44] *μόνος ἐκ κεφαλῆς ἑνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλει.* — Ap. Rh. 4, 1423 *χθονὸς ἐξανέτειλεν ποίην.* —

[1]) at vid. Coraes ad hunc locum: *χωρὶς εἰ μή τις οὐκ αὐτοῦ Ἡρακλείδου ἀλλ' ὃ καὶ μᾶλλον εἰκὸς τοῦ τὸν Ἡρακλείδην ἐπιτεμόντος εἶναι τὴν λέξιν ὑπονοήσειε. παρὰ γὰρ τοῖς ἀρχαιοτέροις τῶν Πτολεμαϊκῶν χρόνων ἡ χρῆσις οὐχ εὕρηται·* — Apud ipsum Aristotelem, unde illa prompta sunt, hunc verbi *γινώσκειν* usum iam extitisse vix credibile videtur esse.

intr. Mosch. 2, 58 *τοῖο δὲ φανήεντος ἀφ' αἵματος ἐξανέτελλεν ὄρνις.*

Gen. 2, 9 *καὶ ἐξανέτειλεν ὁ θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς πᾶν ξύλον ὡραῖον.*

11. *εὐαρεστεῖν*] Lysipp. com. [K. I 702 nr. 7, 3] *εἰ δ' εὐαρεστῶν ἀποτρέχεις κανθήλιος* acquiescere in aliqua re, delectari.

In prosa oratione: pass. Diod. 17, 113 *πάσαις δὲ πρεσβείαις φιλοτιμηθεὶς κεχαρισμένας δοῦναι τὰς ἀποκρίσεις, εὐαρεστουμένας ἀπέλυσε.* 3, 55. 20, 78. — Plut. Mor. p. 121 F. — Diog. L. 4, 42. 10, 137. — Dion. Hal. Ant. Rom. 11, 60. — At conf. Diod. 14, 4 *μέχρι τούτου τοῖς ἐπιεικεστάτοις τῶν πολιτῶν εὐηρέστει τὰ γινόμενα* placuit.

Gen. 5, 22 *εὐηρέστησεν δὲ Ἑνὼχ τῷ θεῷ.* 24. 6, 9. 39, 4. Ex. 21, 8. — Gen. 17, 1 *εὐαρέστει ἐναντίον ἐμοῦ καὶ γίνου ἄμεμπτος.* 24, 40. 48, 15.

12. *θυσιάζειν*] Straton com. ap. Athen. VIII p. 382 E *μῆλα θυσιάζεις ἄρα;*

In prosa oratione: Diod. 4, 3 *τὰς δὲ γυναῖκας κατὰ συστήματα θυσιάζειν τῷ θεῷ.* — Luc. Hermot. 57.

Multo melius huius verbi usum vulgarem testantur papyri et tituli. Ita PL. 26, 4 [163 a. Chr. n.]. 29, 5 [161/160]. 12, 6 [157 a. Chr. n.]. 7.

Dittenb. Syll. 246 [titulus Sestianus c. 125 a. Chr. n.] 36 *καθ' ἕκαστον μῆνα θυσιάζων ὑπὲρ τοῦ δήμου.* — nr. 388 [91 a. Chr. 'Mysterieninschrift von Andania'] v. 88. — nr. 379, 7/8 ['imperatorum Romanorum aetate utique non antiquior titulus']. — CIG. 5127 B [II. sc. p. Chr.] 37.

Ex. 22, 20 *ὁ θυσιάζων θεοῖς* [sc. *ἀλλοτρίοις*] hebr. זֹבֵחַ.[1])

13. *καταλιμπάνειν*] Antiphan. com. ap. Athen. XV 690 A [K. II 24] *πρὸς τῷ μυροπώλῃ γενόμενον κατελίμπανον αὐτὸν*

---

[1]) Ex. 40, 25 *ἐθυσίασεν ἐπ' αὐτοῦ τὸ θυμίαμα τῆς συνθέσεως* at propter hebr. קטר Hi. i. e. *θυμιᾶν* cum Lag. B^{ab}AF legendum est *ἐθυμίασεν.* — Ex. 20, 24 Lag. *θυσιαστήριον ἐκ γῆς ποιήσετέ μοι καὶ θυσιάσατε ἐπ' αὐτοῦ ὁλοκαυτώματα,* at BA *θύσετε,* F *θύσατε,* unde facile colligas recentiorem Lagardi textum errore quodam cui *θύσατε* (F) et *θυσιαστήριον* favebant, exortum esse. Ita etiam Ex. 23, 18 cum B Lag. legendum est *θύσεις* [falso F *θυσιάσεις*].

περὶ μύρον. — Machon ap. Athen. VIII 341 C *τοὺς διθυράμβους σὺν θεοῖς καταλιμπάνω ἠνδρωμένους*. — Kaibel, epigr. gr. nr. 379 [Aizanis CI. Add. III 3847¹] 3.

In prosa oratione primum occurit ap. Thuc. 8, 17 *τοὺς ναύτας ὁπλίσαντες ἐν Χίῳ καταλιμπάνουσιν*.[1]) Deinde Hippocr. 2, 516. — [Pl.] ep. IX p. 358 A. — [Her.] vit. Hom. 19. — schol. Ar. Av. 1655. — schol. Luc. Catapl. 3.

Gen. 39, 16 *καὶ καταλιμπάνει τὰ ἱμάτια παρ' ἑαυτῇ*.

14. *καταπίνειν*][2]) Primum ap. Hes. Theog. 459 *καὶ τοὺς μὲν κατέπινε Κρόνος μέγας*. item 497. — Aesch. fr. Ixionis ap. Athen. IV p. 182 C. — Eur. Cycl. 218 *μή με καταπίῃς μόνον*, item in fabula satyrica ap. Athen. X p. 411ᵇ *Ἴων δ' ἐν Ὀμφάλῃ ἐμφανίσας αὐτοῦ τὴν ἀδηφαγίαν ἐπιφέρει ὑπὸ δὲ τῆς εὐφημίας κατέπινε καὶ τὰ κᾶλα καὶ τοὺς ἄνθρακας*. — deinde Ar. Eq. 690. Nub. 337. Lys. 564. Av. 1137. 1429. Ran. 1466. Vesp. 1147. 1502. — Telecl. ap. Athen. VI p. 268 B. — Alex. ap. Athen. VI p. 226 F. — Theogn. 608.

In prosa oratione: Her. 2, 93. — Pl. Euthyphr. p. 6 A. de Saturno: *τοὺς υἱεῖς κατέπινεν οὐκ ἐν δίκῃ* [item de Saturno Hes. Theog. 459. 497. Luc. Saturn. 5]. Critias p. 111 D *τὸ καταποθὲν ἐκ τῶν ὑψηλῶν ὕδωρ εἰς τὰ κοῖλα ἀφιεῖσα*. — Alicuius momenti esse debet locus Aeschinis 1, 96 *ἐτράπετο ἐπὶ τὸ καταφαγεῖν τὴν πατρῴαν οὐσίαν· καὶ οὐ μόνον κατέφαγεν ἀλλ' εἰ οἷόν τ' ἐστὶν εἰπεῖν καὶ κατέπιεν*, ubi cognoscitur, quam dubitet scriptor hoc verbum in sermone cotidiano iam eodem

---

[1]) Vid. Classen ad hunc locum: '*καταλιμπάνειν* ebenso isolirt stehende Form wie 7, 44, 8 *διαφυγγάνειν*'. — Sed interest aliquantum inter haec duo verba; cum *φυγγάνειν* et compp. non solum ap. tragg. sed etiam ap. Aeschinem et Demosthenem et alios inveniantur, *λιμπάνειν* vero praeter verb. comp. *ἐκλιμπάνειν* [Eur. Med. 800. El. 909] ne in titulis quidem prius altera quarti a. Chr. n. saeculi parte inveniatur [vid. Meisterhans, Gramm. der att. Inschr.² p. 140, 11 et ann. 1228]; habet igitur aliquam offensionem ille locus Thucydideus, nisi octavo quidem libro illam formam singularem concedis [vid. Classenii prooemium ad hunc librum].

[2]) Hoc verbum etsi apud Hesiodum et Aeschylum extat, tamen propter magnum numerum locorum, quibus apud comicos poetas invenitur, huc referre non dubitavi; conf. etiam Lottich l. l. p. 20.

sensu translato usurpatum in orationem suam recipere. — Saepe ap. Arist. ita meteor. I 13, 351ᵃ, 1, 16. probl. XXIII 5, 931ᵇ, 39. Rhetor. III 4, 1407ᵃ, 8. probl. XXXIV 9, 964ᵃ, 26. de an. hist. VIII 3, 592ᵃ, 30. 5, 594ᵇ, 19. — aliquotiens ap. Theophr. — Pol. — saepe ap. Plut., saepissime ap. Luc.

Gen. 41, 7 *καὶ κατέπιον οἱ ἑπτὰ στάχυες* .. *τοὺς ἑπτὰ στάχυας*. 24. Ex. 7, 12. — 15, 12 *κατέπιεν αὐτοὺς ἡ γῆ*, 15, 4 *κατεπόθησαν ἐν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ* [Lag. AF *κατεπόντισεν*, eadem varietas lectionum extat Diod. 18, 20, ubi libri *κατεποντίσθησαν*, Wessel. Bekk.: *κατεπόθησαν*].

15. *λαλεῖν* i. q. loqui, dicere] [Soph. fr. inc. [Nauck 842. Dind. 667] *ἡ γὰρ σιωπὴ τῷ λαλοῦντι σύμμαχος*, ubi Cobet V. L. p. 19 emendari voluit *τὠγκαλοῦντι*, quod certe praeferendum est. Phil. 110 *πῶς οὖν βλέπων τις ταῦτα τολμήσει λαλεῖν* apographa pro *λακεῖν*]. Primum invenitur ap. Ar. Thesm. 267. Pac. 539. Ran. 761. Vesp. 1135. Eccl. 16. 119. 1058 al. perm. ubi plerumque idem fere valet quod *λέγειν*. — De voce animalium Mosch. 3, 47. — Theocr. 5, 34. 20, 29.

In prosa oratione: Pl. Euthyd. 287 D i. q. garrire. Axioch. 366 D de infante dictum. — 369 A *σὺ μὲν γὰρ οὕτω λαλεῖς ὡς ἐξ ἀπόπτου θεώμενος, ἡμεῖς δ' ἴσμεν ἀκριβέστερον οἱ διὰ πείρας ἰόντες*, ubi facile quantum hoc *λαλεῖν* a notione verbi *λέγειν* distet, cognoscitur. Saepius deinde apud Demosthenem: 21, 118. 198. 19, 225 de consuetudine et colloquio. — 25, 60 'fabulari' *προσελθὼν καὶ λαλῶν ὁτιδήποθ' ὑφαιρεῖται τὸ γραμματεῖον*. — 45, 77 *τῷ ταχέως βαδίζειν καὶ λαλεῖν μέγα οὐ τῶν εὐτυχῶς πεφυκότων ἐμαυτὸν κρίνω*, conf. nostrum 'prahlen' = 'laut schwatzen'. — Xen. Cyrop. I 4, 1 *τοιαῦτα μὲν δὴ πολλὰ ἐλάλει ὁ Κῦρος*. item ac paulo infra § 12 de fabulando pueri. Apud Arist. de voce animantium: de an. hist. I 1, 488ᵇ, 1. probl. XI 1, 899ᵃ, 1. — deinde ibid. 2, 899ᵃ, 5 *λαλεῖν διὰ τῶν ῥινῶν*. — de audib. 801ᵃ, 29 *δι' αὐλοῦ ἢ σάλπιγγος λαλεῖν*, postremo denique de confabulando: de an. hist. X 3, 635ᵇ, 20. — Apud Polybium i. q. agere cum aliquo, consilia communicare cum: 30, 1, 6 *λαλοῦντα τῷ Περσεῖ*. 31, 20, 13 *καὶ φανερῶς ἐλάλει καὶ συνέταττε τοῖς ναυτικοῖς*. — Apud Plut. vero saepissime eadem fere vi usurpatum invenitur ac *λέγειν*. conf. Mor. p. 502 C *λαλοῦντι μὲν πρὸς τοὺς ἀκούον-*

ταῖς μὴ ἀκούοντι δὲ τῶν λαλούντων, de reliquis vid. Wyttenb. ind. — Luc. Demon. 51 ὀλίγα μὲν λαλῶν πολλὰ δὲ ἀκούων.

Aristophanis exempla docent iam tum quidem in sermone cotidiano verbum λαλεῖν a verbo λέγειν non ita multum discrepuisse, unde factum est, ut perraro illa verbi notio in litteras invaderet; in universum tamen singulae quaedam artiores eiusdem verbi significationes deinceps e caligine emergunt litterarumque sermone dignantur. Ac ne apud recentiores quidem scriptores omne discrimen verborum λαλεῖν et λέγειν tolli videmus ante Plutarchum, etsi e vulgaris sermonis testimoniis cognoscitur iam pridem illud discrimen sublatum esse; Phrynichus BA 51, 3 incassum luctatur distinguendo: λαλεῖν τοῦ λέγειν διαφέρει· τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ φλυαρεῖν, τὸ δὲ λέγειν ἐπὶ τοῦ ἱκανοῦ λέγειν· iam videas usum LXX interpretum:

ne omnes locos, quibus hoc verbum in Genesi et Exodo notione dicendi usurpatum invenitur, enumerem, extant in Genesi 64, in Exodo c. 74 loci: persaepe [c. 42—45 locis] cum dativo coniunctum legitur, persaepe etiam cum particula πρός [45 locis, e quibus 34 Exodi sunt]; raro invenitur cum accusativo rei coniunctum, ut Gen. 20, 8 πάντα τὰ ῥήματα. 24, 33. Ex. 16, 23. 20, 1. 24, 3. 7. — deinde λαλεῖν περί τινος Gen. 19, 21. — 23, 8. — μετά τινος Gen. 31, 24. 35, 13. 31, 29. — Gen. 42, 30 σκληρὰ πρὸς ἡμᾶς [var. lect. εἰπεῖν Ex. 23, 13. 7, 8. 8, 19. 9, 1. σύνταξον: λάλησον Ex. 31, 13. 32, 68. — ἐνετείλατο: ἐλάλησεν Ex. 7, 13. 34, 32].

16. νηστεύειν] Ar. Thesm. 949. 984. Av. 1519 ὡσπερεὶ Θεσμοφορίοις νηστεύομεν. — Empedocles ap. Plut. Mor. p. 464 B νηστεῦσαι κακότητος.

In prosa oratione ap. Arist. de an. part. III 14, 676ᵃ, 1. probl. XIII 7, 908ᵇ, 11. de an. hist. IX 50, 632ᵃ, 23. oec. II 1347ᵇ, 18. — Plut. Mor. p. 626 F. Dem. 30. — Conf. Legrand: νηστεύγω jeûner.

Ex. 38, 26 ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν [fort. cum Lag. νηστευουσῶν legendum] αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς.

17. ξυρεῖν] Ar. Thesm. 191 σὺ δ' εὐπρόσωπος, λευκός, ἐξυρημένος. — Alex. com. [K. nr. 264. Mein. 3, 508] ἂν πιττοκοπούμενόν τιν' ἢ ξυρούμενον ὁρᾷς τούτων ἔχει τι θάτερον.

Deinde in paroemiis: Soph. Ai. 786 ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο μὴ χαίρειν τινά, ubi schol. Pal. παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπικινδύνων πραγμάτων· ἐν ξυρῷ ἵσταται τὸ πρᾶγμα. — Pl. Pol. I p. 341 C ὥστε ξυρεῖν ἐπιχειρεῖν λέοντα καὶ συκοφαντεῖν Θρασύμαχον ['leonem radere vel tondere' etiam Romani dicebant per proverbium pro 'rem difficillimam aggredi']. schol. παροιμία ἐπὶ τῶν καθ' ἑαυτῶν τι ἢ ἀδύνατα ποιεῖν ἐπιχειρούντων λεγομένη. conf. Aristid. Plat. II p. 143.

Deinde ap. Herod. II 66. 65. 36. 37. V 35. item ap. Hippocr. conf. 6, 212 al. — Arist. probl. XVI 4, 913^b, 19. — Pol. 30, 16, 3. — 8, 11, 9 hic tamen dubium ξυρόμενοι an ξυρώμενοι an denique ξυρούμενοι sit scribendum; ita etiam saepissime apud recentiores codicum scripturae vacillant[1]), nova forma ξυράω emergente, quam grammaticorum stili insectantur.[2]) Certe ξυρεῖν extat Plut. Dem. 7. — Athen. XII p. 518 A. XIII 564 F al.

Gen. 41, 14 ἐξύρησεν αὐτόν.

18. παρακύπτειν] Ar. Pax. 983 κἄν τις προσέχῃ τὸν νοῦν αὐταῖς ἀναχωροῦσιν· κᾆτ' ἢν ἀπίῃ παρακύπτουσιν. Thesm. 797. 799. Eccl. 924. 202. Vesp. 178. Ach. 16. — Theocr. III 6.

In prosa oratione: Dem. 4, 24 τὰ ξενικὰ παρακύψαντα ἐπὶ τὸν τῆς πόλεως πόλεμον ... πανταχοῦ μᾶλλον οἴχεται πλέων cum ironia quadam et cavillatione dictum[3]), itaque verbum illud sermonis cotidiani proprium usurpatum est. — Plut. Mor. p. 766 D ἐκείνη μὲν ἀπελιθώθη παρακύψασα τὸν ἐραστὴν ἰδεῖν ἐκκομιζόμενον. — Dio C. 62, 3. 52, 10. 66, 17. — Epict. diss. 1, 1, 16. — Luc. Pisc. 30. Tim. 13. bis accus. 31. paras. 42. dial. mar. 12, 3. — Achill. Tat. 2, 35.

Gen. 26, 8 παρακύψας δὲ Ἀβιμέλεχ ὁ βασιλεὺς διὰ τῆς θυρίδος εἶδεν.

19. παρεμβάλλειν] Ar. Vesp. 479 τοῦτο γὰρ παρεμβαλοῦμεν τῶν τριχοινίκων ἐπῶν inserere, interponere.

---

[1]) vid. Lobeck ad Phryn. p. 205. — Veitch, Greek Verbs s. v. ξυράω.

[2]) Photius ξυρεῖσθαι οὐδὲ ξυρᾶσθαι λέγουσιν. Thom. Mag. 251, 10 ξυρέω ξυρῶ Ἀττικοὶ οὐ ξυράω ξυρῶ.

[3]) vid. Rehdantz-Blass[7] ad h. l. 'Die Sache selbst fordert den Spott heraus, der sich in 'παρακύψαντα' "nach einem Seitenblick" ausspricht.'

In prosa oratione: Pl. legg. V 741 A ἑκόντας ... οὐ δεῖ πολίτας παρεμβάλλειν νόθῃ παιδείᾳ πεπαιδευμένους. — Aeschin. 1, 167 [165] ὅταν γε ταῖς εἰς τὸν παῖδα πεπραγματευμέναις μεταφοραῖς αἰσχρὰς ὑποψίας παρεμβάλῃ καταγέλαστον τὴν πόλιν ποιεῖ. — [Dem.] 40, 61. — Arist. de mir. ausc. 48, 833^b, 27. fragm. 248, 1524^a, 10. top. VIII 1, 157^a, 1. Rhetor. III 14, 1415^b, 16. — Theophr. d. caus. pl. 6, 11, 16.

Inde a Polybio autem proprie de re militari usurpatum invenitur, ita 1, 33, 7 τοὺς μὲν ἐπὶ τὸ δέξιον κέρας παρενέβαλε, ac saepissime; deinde absolute dictum: 'castra ponere' 1, 77, 6. 3, 110, 1. 5, 13, 8. 20, 5 al. vel 'aciem instruere' 5, 69, 7 al. similiter ap. Diod. 2, 18. 13, 87 al. — ap. Plut. saepius notione transitiva dictum invenitur, conf. Mor. p. 730 F. 42 F, et neutrali 'intercedendi' Mor. 615 D. 618 D al.

Ex. 14, 9 παρεμβεβληκότας παρὰ τὴν θάλασσαν castra ponere. 15, 27. 17, 1. 18, 5. 19, 2. — Gen. 32, 1 παρεμβολὴν θεοῦ παρεμβεβληκυῖαν. 33, 18.

20. περιζωννύναι] Ar. Pax 687 ἀπορῶν ὁ δῆμος ἐπιτρόπου καὶ γυμνὸς ὢν τοῦτον τέως τὸν ἄνδρα περιεζώσατο. — Alex. com. ap. Athen. IV p. 170 C. — Anaxandr. ap. Athen. IV p. 131 B. — Hegesipp. ap. Athen. VIII p. 340 F. — Theopomp. com. ap. Poll. 10, 181 [item περίζωμα vel περιζώστρα ap. Comicos saepius extant].

In prosa oratione: Arist. Pol. VII 2, 1324^b, 16 τὸν μηδένα ἀπεκταγκότα πολέμιον ἄνδρα περιεζῶσθαι τὴν φορβείαν. — Pol. 30, 13, 10. — saepius ap. Plut. ita Mor. p. 168 D περιεζωσμένος ῥάκεσιν ῥυπαροῖς. 668 D. Rom. 16. C. Marc. 9. al.

Ex. 12, 11 ὀσφύες περιεζωσμέναι.

21. περικυκλοῦν] Ar. Av. 345 med. πτέρυγά τε παντᾷ περίβαλε περί τε κύκλωσαι. — Orph. Arg. 895. — Luc. Ocyp. 63.

In prosa oratione: Her. 8, 78 ᾔδεσαν δὲ οὔκω ὅτι σφέας περιεκυκλεῦντο τῇσι νηυσὶ οἱ βάρβαροι [Thuc. 3, 78 περικύκλωσιν]. — Xen. An. VI 3, 11 med. — Arist. de an. hist. IV 8, 533^b, 11 act. de pl. I 3, 818^a, 15 al. — conf. Legrand: περικυκλόνω investir, entourer.

Gen. 19, 4 περιεκύκλωσαν [Lag. simpl.] τὴν οἰκίαν cingere. Ex. 36, 20 περικεκυκλωμένα χρυσίῳ [Lag. περικεκαλυμμένα].

22. *υπνοῦν*] neutr. Ar. Lys. 143 [in verbis Lacaenae]: *χαλεπὰ μὲν ναὶ τὼ σιὼ γυναῖκάς ἐσθ' ὑπνῶν ἄνευ ψωλᾶς μόνας.* — Eur. Cycl. 453. — Callim. Anth. Pal. 5, 23. Addaeus ibid. 7, 305.

In prosa oratione: Her. trans. 'sopire' 3, 69 *ὑπνωμένου τοῦ μάγου.* — Hippocr. 3, 40. 41 persaepe. — Arist. neutr. de somno 1, 454ᵃ, 2 *ᾧ τὸν ἐγρηγορότα γνωρίζομεν, τούτῳ καὶ τὸν ὑπνοῦντα.* fr. 12, 1475ᵇ, 42. — Pol. 3, 81, 5. — Plut. Mor. p. 383 F. 236 B. Alex. 76. — Luc. V. H. 1, 29. — Paus. Lacon. 3, 17, 8 sopire, pass. dormire 9, 20, 5. — Conf. PL. 11 [verso, 4] *ὑπνῶσαι* [157 a. Chr. n.].

Gen. 2, 21 *καὶ ἐπέβαλεν ὁ θεὸς ἔκστασιν ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ καὶ ὕπνωσεν.*

His exemplis licet cognoscas quantum sermonis Atticorum cotidiani fuerit ab usu litterarum exclusum, quantumque distet Comicorum licentia in adhibendo sermone cotidiano a licentia scriptorum prosae orationis.[1]) Inde ab Aristotele demum plurima illorum verborum in litteras transeunt. Sed quae maioris momenti esse puto extant in verbis supra allatis nonnulla quae cum ab Atticis scriptoribus plerumque videantur evitari a Herodoto et Hippocrate saepius usurpantur.[2]) Eadem vero cum etiam praeter Comicorum exempla aliis interdum argumentis[3]) in sermone Atticorum urbano in usu fuisse comprobentur, optime firmant illam, quam supra posui 'naturam subionicam' sermonis cotidiani. Ad eandem rem aliqua suppeditari posse spero subsidia ex iis verbis, quae primum apud Herodotum inveniuntur.

---

[1]) Conf. supra p. 281 ann. 1.

[2]) vid. supra 14 *καταπίνειν.* 17 *ξυρεῖν.* 21 *περικυκλοῦν.* 22 *ὑπνοῦν.* — 6 *βδελύσσεσθαι.* 13 *καταλιμπάνειν.*

[3]) paroemiorum usus s. v. *ξυρεῖν.* — usus nominis *περικύκλωσις* ap. Thuc. — ea, quam Aeschines exhibet, ratio in usurpando verbo *καταπίνειν.* — titulorum documenta in verbo *καταλιμπάνειν.*

Caput IV.

Verba quae primum apud Herodotum inveniuntur.

1. *ἁδρύνειν*] Her. 1, 193 *ἁδρύνεται τὸ λήϊον* crescere, adolescere. — Xen. Mem. 4, 3, 8 *τὸν ἥλιον τὰ μὲν ἁδρύνοντα τὰ δὲ ξηραίνοντα.* — Arist. Phys. V 6, 230^b, 2 *σῖτοι οἱ ταχὺ ἁδρυνόμενοι.* de an. hist. VI 10, 565^b, 13. VII 8, 586^b, 24. IX 34, 619^b, 30; saepius ap. Theophr. hist. pl. 2, 2, 4. 4, 11, 3. 6, 2, 6. 7, 1, 7. 7, 3, 3. 8, 2, 6. 8, 4, 4. 8, 6, 6. 8, 10, 3. 8, 11, 4. 9, 11, 9. 9, 14, 4. de caus. pl. 3, 21, 3. 4, 13, 4. 6. — Plut. Mor. p. 676 B. — Diosc. 4, 67. — Nicand. Ther. 377. fr. 2, 52 p. 279.

Conf. Phryn. B. A. 21, 2 *ἁδρῦναι· ἁδρὸν ποιῆσαι καὶ μέγαν. συναγ. λέξ. χρησ.* B. A. 345 item, sed addito nomine Sophoclis. Conf. etiam Legrand: *ἁδρύνω* rendre rude, âpre | devenir rude.

Ex. 2, 10 *ἁδρυνθέντος τοῦ παιδίου* [Lag. exhibet *ἀνδρυνθέντος* quod verbum e verbis *ἁδρύνειν* et *ἀνδροῦν* videtur confusum esse].

2. *ἀνακάμπτειν*] Her. 2, 8 *ταύτῃ λῆγον τὸ ὄρος ἀνακάμπτει ἐς τὰ εἴρηται* se flectere. — Pl. Phaed. p. 72 B *εἰ γὰρ μὴ ἀνταποδιδοίη τὰ ἕτερα τοῖς ἑτέροις γιγνόμενα ὡσπερεὶ κύκλῳ περιιόντα, ἀλλ' εὐθεῖά τις εἴη ἡ γένεσις ἐκ τοῦ ἑτέρου μόνον εἰς τὸ καταντικρὺ καὶ μὴ ἀνακάμπτοι πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον μηδὲ καμπὴν ποιοῖτο·* nonne hic Plato ipse verbum cotidiani sermonis per figuram usurpatum quasi retractare et corrigere videtur verbis, ut ita dicam, mere Atticis appositis? — Saepius deinde ap. Arist. et sensu transitivo conf. meteor. IV 9, 385^b, 33 et sensu neutrali conf. de an. I 3, 407^a, 30 *ἡ περιφορὰ ἐπ' ἀρχὴν ἀνακάμπτει,* item Theophr. fr. 6, 4, 3. — Pol. 5, 102, 7. — Apud Diodorum primum, ut videtur, in litteras emergit notio revertendi, ita 16, 3 *οὗτος μὲν ἀνέκαμπτεν εἰς τὴν Μεθώνην.* 16, 8 al. perm. — Plut. al.

Hic quoque viam ostendit Antatticista B. A. 81, 10 *ἀνακάμψει ἀντὶ τοῦ ὑποστρέψαι ποιήσει. Ἀντιφάνης Ἀδελφαῖς,* quod testimonium cum usum huius verbi urbanum comprobet non solum illum Platonis locum magis illustrat, sed etiam eandem rem quam supra ostendi videtur firmare.

Ex. 32, 27 καὶ διέλθατε καὶ ἀνακάμψατε ἀπὸ πύλης εἰς πύλην διὰ τῆς παρεμβολῆς flectere viam, regredi.

3. διαφαύσκειν] Her. 9, 45 ἅμ' ἡμέρῃ δὲ διαφωσκούσῃ [ita A², διαφασκούσηι A¹B Lex. Vind., διαφαυσκούσηι rell.]. 3, 86 διαφωσκούσῃ [διαφαυσκούσηι R]. — Pol. 31, 22, 13 ἄρτι διαφαύσκοντος. — Diod. 18, 72 διαφωσκούσης τῆς ἡμέρας [var. -φαυσκ-].¹)

Gen. 44, 3 τὸ πρωὶ διέφαυσεν.

4. ἐξερεύγεσθαι]²) Her. 1, 202 de fluvio στόμασιν ἐξερεύγεται τεσσεράκοντα. — Ap. Rh. 3, 1220. — at Lycophr. 474 trans. evomere ὅταν κλύδωνας ἐξερεύγηται γνάθων. conf. 724/5. — item trans. Hippocr. 5, 572 al. — Arist. de an. hist. VIII 20, 603ª, 14. X 1, 634ᵇ, 10. — intr. Dion. Hal. 1, 9 εἰς τὸ πέλαγος infundi.

Ex. 8, 3 ἐξερεύξεται ὁ ποταμὸς βατράχους.

4. ἐπιδιαιρεῖν] Her. 1, 150 ἐπιδιείλοντό σφεας αἱ ἕνδεκα πόλιες. 5, 116 ἐπιδιελόμενοι τὰς πόλις ἐπόρθεον.

Pol. distribuere copias (per varia loca) 1, 73, 3 ἐπιδιελόντες τούτους ἀσφαλῶς. — Diod. 19, 44 al. — Dion. H. Ant. Rom. 2, 55. 3, 31. — Appian. Mithrid. 63. Hisp. 25. — Aristid. I 96 (45).

Gen. 33, 1 καὶ ἐπιδιεῖλεν Ἰακὼβ τὰ παιδία ἐπὶ Λείαν καὶ ἐπὶ Ῥαχήλ.

6. ἐπισάττειν] Her. 1, 194 τὰς δὲ διφθέρας ἐπισάξαντος ἐπὶ τοὺς ὄνους. 3, 9. — Xen. Cyrop. 3, 3, 27 ἔργον μὲν νυκτὸς λῦσαι ἵππους, ἔργον δὲ χαλινῶσαι, ἔργον δ' ἐπισάξαι insternere. Anab. 3, 4, 35. — Apud Theophr. i. q. ἐπιβάλλειν. hist. pl. VII 2, 5 ἐπισεσαγμένην γῆν [conf. ἡ ἐπίσαξις de caus.

---

¹) Conf. Kühner-Blass, Ausf. Gramm. I³ p. 128. II³ p. 558.

²) Ne quis miretur quod propter unum ἐξερεύξεται Ex. 8, 3. — quae futuri forma item ad Atticorum ἐξερυγγάνειν referri potest, etsi in litteris non videtur omnino extare nisi Hippocr. (!) 8, 100. Procop. Goth. 2, 4 — praesens ἐξερεύγεσθαι posui causae hae sunt: Levit. 11, 10 ἀπὸ πάντων ὧν ἐρεύγεται τὰ ὕδατα. Ps. 18, 3 ἡ ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα. — vid. Phryn. [Lob. p. 63. Rutherf. p. 138] ἐρεύγεσθαι ὁ ποιητής· ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων· ἀλλ' ὁ πολιτικὸς ἐρυγγάνειν λεγέτω, ubi Lobeck: 'duravit haec Ionica vox in proprio et nativo solo usque ad Hippocratem et Herodotum I 202. Aliquot vero saeculis post evulsis et confusis dialectorum terminis, libere in omnes partes radices egit.'

pl. V 6, 3]. — Luc. Asin. 16 *τοὺς ἐλέφαντας ἐπισάξαντες.* — Poll. al. — Conferas Legrand: *ἐπισάττω* seller, bâter, enharnager.

Gen. 22, 3 *ἐπέσαξεν τὴν ὄνον.*

Hic collato usu verbi *ἀποσάττειν* [III 4 p. 303 sq.] additis Xenophontis locis dubium esse non potest, quin hoc verbum in Atticorum sermone cotidiano extiterit.

7. *ἔχειν ἐν γαστρί* gravidam esse][1]) Her. 3, 32 *αὐτῇ ἐχούσῃ ἐν γαστρί.* conf. 5, 41 *ἔχουσαν δὲ αὐτήν* gravidam, item *ἔχειν* absolute dictum invenitur Hippocr. 2, 28. 8, 450 al. — Arist. Pol. VII 16, 1335^b, 18 *τὴν ἔχουσαν* i. e. matrem. it. de an. gen. II 4, 740^a, 26. ^{a}37. III 3, 754^b, 1. — Vita Homeri Herodoto tributa 2 *συνέβη τὴν παῖδα μιγεῖσαν ἀνδρὶ λαθραίως ἐν γαστρὶ σχεῖν.* — Paus. 4, 33, 3 *ἐπεὶ δὲ εἶχεν ἐν γαστρί.*

Ex. 21, 22. Gen. 16, 4. 5. 11. 38, 24. 25.

8. *κοπάζειν*] Her. 7, 191 *ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος.* — Hippocr. p. 1207 d de aegroto quiescente: *καὶ ἐδόκει κοπάσαι ὀλίγον χρόνον.* — Arist. probl. 23, 24. — Aelian. ap. Suid. *οἱ ἄνεμοι παραχρῆμα ἐκόπασαν.* — Long. 1, 8 *κοπάσαντος τοῦ καύματος.*

Usūs recentiorum vulgaris testis est Antattic. B. A. 104, 29 *κοπάσαι· Ἡρόδοτος ἑβδόμῳ· ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος.* Accedit quod his quoque temporibus illud verbum usitatissimum est: Legrand: **κοπάζω* cesser, se calmer.

Gen. 8, 1 *ἐκόπασεν τὸ ὕδωρ* considere, subsidere. 8. 11. 13 D [AE *ἐξέλειπεν*] deficere.

9. *παραλύειν* dissolvere, infirmare, frangere] Her. 3, 105 *τοὺς ἔρσενας τῶν καμήλων ... παραλύεσθαι ἑλκομένους* remittere, deficere. — [Pl.] Ax. p. 367 B *κἂν ἐπιμείνῃ τις παρέλυσεν ἐλωβήσατο παρήρθρησεν.* — Saepissime apud Pol. *παραλύεσθαι* viribus deficere, ita 1, 58, 9. 11, 24, 5. 16, 5, 7. 20, 10, 9. 32, 22, 1. — Diod. 20, 72. 19, 4. — Plut. Pyrrh. 28. Demetr. 38.

Gen. 19, 11 *καὶ παρελύθησαν ζητοῦντες τὴν θύραν* [לאה defatigari in aliqua re, laborem irritum consumere].

---

[1]) conf. *κατὰ γαστρὸς ἔχειν* Thom. Mag. s. v. *κύει.* — *ἐν γαστρὶ φέρειν* Pl. de legg. VII p. 792 e. — *ἐν γαστρὶ λαβεῖν* Arist. de an. hist. IX 50, 632^a, 28. — Anth. Pal. 11, 18 al.

Minime in animo est haec verba omnia Atticorum modo sermoni cotidiano vindicare, certe singula ex iis casu quodam testimonio usus Attici careant, in universum tamen ex hoc capite apparet Ionicas voces paulatim in litteras Atticas ac recentiores stillasse. Ita praecipue apud Aristotelem existunt, deinde novo quasi impetu apud Polybium, Diodorum, Plutarchum. Qua via id factum sit, tum demum certius diiudicabitur, cum omnem hanc materiem percensuerimus. Hic unam tantum rem moneam. Verba ἐξερεύγεσθαι [nr. 4], singularis verbi ἔχειν usus [nr. 7], κοπάζειν [nr. 8] praeter Herodotum primum apud Hippocratem et Aristotelem inveniuntur; plura infra afferentur exempla, quae similem Hippocratis Aristotelisque consensum exhibeant. Quod nemini mirum esse potest cum satis constet, quantum Aristoteles physicorum Ionicorum scriptis debeat.[1]) Similem rem docet Aristotelis cum Theophrasto consensus, qui his in exemplis creberrimus extat. Ex hac ratione compluria certe explicantur, sed ne nimium ei tribuamus valde admonet Pentateuchi versio Alexandrina vel, quod hac e parte idem fere valet, usus sermonis vulgaris.

Caput V.

Verba recentioris sermonis maxime propria, quae tamen apud prosae orationis Atticae scriptores hic illic inveniuntur.

Iam ea quae supra attuli exempla satis ostenderunt, optimo iure Aristotelem[2]) quidem propter singularem sermonis naturam e numero scriptorum qui proprie dicuntur Atticorum secludi. Sed Plato quoque ac praecipue Xenophon singularem locum tenent, quos e reliquorum numero excludere non audeo. Liceat igitur in prima huius capitis parte eos modo ponere scriptores, qui suo iure nomen scriptorum mere Atticorum sibi vindicant,

---

[1]) vid. Christ, Gesch. d. griech. Lit.[2] p. 410 ann. 6. — Poschenrieder, Die naturwissenschaftlichen Schriften des Arist. in ihrem Verhältnis zu den Büchern der hippokratischen Sammlung. Bamberg, Progr. 1887.

[2]) conf. Kaibel, Stil u. Text p. 37.

i. e. Thucydidem[1]) et oratores Atticos, in altera parte Platonem, in tertia denique Xenophontem.

A.

1. *ἀναζευγνύναι* neutr. proficisci, castra movere] Conf. similem Herodoti usum transitivum 9, 41 *ἀναζεύξαντες πάντα τὸν στρατόν*. 58. 8, 60 *τὰς νῆας*. — Primum ille usus neutralis extat apud Thuc. 8, 108 *καὶ ὁ Τισσαφέρνης ἀπὸ τῆς Ἀσπένδου . . ἀναζεύξας ἤλαυνεν ἐπὶ τῆς Ἰωνίας*. — Saepius apud Xen. 'castra movere' ita An. 3, 4, 37. 4, 6, 1. — Arist. oec. II 1350^b, 21 *ἀναζεύξας* [i. e. *ὁρμήσας*] *ἐβάδιζεν*. — Pol. 1, 11, 8. 1, 29, 6. 2, 54, 12. 3, 17, 1. 4, 64, 3. 31, 26, 8 castra movere. — Diod. — Plut. Pomp. 42. Anton. 85 al.

Ex. 14, 15. 40, 30 *ἀνεζεύγνυσαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ σὺν τῇ ἀπαρτίᾳ αὐτῶν*, 31.

Hic Thucydidis ille locus aliquam suspicionem movere debet, quae augetur ea re, quod in fine totius operis legitur.[2])

2. *ἀπέχειν* accepisse] Primum ut videtur apud Aeschinem 2, 50 *ἀπέχετε ἔφη τὴν ἀπόκρισιν*. Post longius demum intervallum sequitur Callimachi epigr. 51, 4 *ἡ γρῆυς μασθῶν ὡς ἀπέχει χάριτας* qualem receperit mercedem mammarum. 55, 1 *τὸ χρέος ὡς ἀπέχεις* ut acceperis debitum. — Palladas Anth. Pal. 9, 176, 2 *τὴν τιμὴν ἀπέχω*. anon. ib. 115, 6. — Dio C. 42, 54 *ἀπέχετε παρ' ἐμοῦ πάντα*. — Arr. Epict. 3, 2, 13. 24, 17. — Diog. L. 7, 100 al. — Quam usitatum fuerit hoc verbum in vulgari sermone cognoscitur ex usu et papyrorum et titulorum. Ita saepissime in papyris *ἀπέχειν* dicitur de acceptis nummis: PL. 52 [163/2 a. Chr.]. 32 [162 a. Chr. n.] *ἀπέχω δὲ παρὰ Καβατόκου*, L *ΔΤΚ*. 17 [154 p. Chr.]. 11 *ἃς καὶ ἀπέσχεν παρὰ τῆς πριαμένης διὰ χειρόγραφον οἴκου*. — Kaibel, epigr. gr. e lap. coll. nr. 259 [prope Memphin inventus tit. II[1] fere p. Chr. n.

---

[1]) Etsi ne huius quidem sermo prorsus sincerus habendus est.

[2]) vid. Thukydides erkl. v. J. Classen I[3] p. LXXXVI: 'Doch bezweifle ich nicht, dass wir in andern auffallenden sprachlichen und sachlichen Erscheinungen dieses Buches Spuren der nicht abgeschlossnen und nicht revidierten Bearbeitung zu erkennen haben, wie auch die letzten Worte mitten in einem unvollendeten Berichte abbrechen.'

saec.] *ἀλλ' ὅτις ἐσθλὸ[ς οὔ]τος καὶ θανάτου κοῦφον ἀπέσχε τέλος.* al.

Gen. 43, 22 *τὸ δὲ ἀργύριον ὑμῶν εὐδοκιμοῦν ἀπέχω.*

3. *ἐκκλίνειν*] Thuc. 5, 73 *ἐξέκλινεν ἀπὸ σφῶν τὸ στράτευμα* deflectere, decedere. — Pl. Legg. V 746 C *τοῦτο .. αὐτὸ ἐκκλίνειν καὶ μὴ πράττειν* evitare. — Crat. 404 D trans. *νῦν δὲ αὐτῆς ἐκκλίνουσι τοὔνομα* flectere. — Xen. An. 1, 8, 49 *ἐκκλίνουσιν οἱ βάρβαροι* [inclinantur ad fugam] *καὶ φεύγουσιν.* Cyrop. 1, 4, 23. 7, 1, 30. — Arist. Pol. II 11, 1273ᵃ, 5 *τὰ μὲν εἰς δῆμον ἐκκλίνει μᾶλλον τὰ δ' εἰς ὀλιγαρχίαν.* de insec. lin. 969ᵇ, 14. de pl. I 5, 820ᵇ, 20. — Pol. *ἐκκλίνειν καὶ φεύγειν* et sim. 1, 19, 2. 1, 30, 11. 3, 65, 7. 3, 96, 4. 5, 23, 4 al. evitare *ἐξέκλινον καὶ διένευον τὰς τῶν ὀργάνων ἐπιβολάς* 1, 23, 8. conf. 1, 34, 4. 5, 42, 4. 6, 42, 2. — Apud Plut. saepius: e via cedere, ita Alc. 16 *ἐπιφανῶς οὐ παρῆλθεν οὐδ' ἐξέκλινεν.* Tit. 11. Mar. 26. Ages. 11. terga vertere: Alex. 33. vitare: Alex. 16. Mor. 584 D. — conf. Babr. 91, 5 *οὐ σὲ τὸν λέοντα δ' ἐκκλίνω.* — Conferas quoque PL. 15 [anno 120 a. Chr. n.] col. 1, 21/2 *παραγγελέντος αὐτοῖς ἔρχεσθαι εἰς τὸ συνέδριον συνιστοροῦντες ἑαυτοῖς οὐδὲν βέβαιον ἔχουσιν ἐξέκλιναν* diem iudicii non obierunt.

Ex. 23, 2 *ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν* flectere; ita fortasse etiam Gen. 38, 16 *ἐξέκλινε δὲ πρὸς αὐτὴν τὴν ὁδόν* deflexit viam ad illam [nisi forte ita potius verba coniungis: evitavit viam, cessit de via ad illam]. — notione neutrali: Gen. 18, 5 *οὗ εἵνεκα ἐξεκλίνατε πρὸς τὸν παῖδα ὑμῶν* deverti ad. 19, 2, 3. — Ex. 23, 2. — Ex. 10, 6 *καὶ ἐκκλίνας Μωυσῆς ἐξῆλθεν ἀπὸ Φαραώ* se convertere.

4. *ἐκπολεμεῖν*] vid. Harpocr. [Dind. p. 108, 16] *ἐκπολεμῶσαι· Δημοσθένης Φιλιππικοῖς ἀντὶ τοῦ εἰς πόλεμον καταστῆσαι ὡς καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ πολλάκις. ἐν μέντοι τοῖς Ἀττικιανοῖς διὰ τοῦ η γράφεται, ὡς καὶ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν ζ' Ἑλληνικῶν.* conf. *περὶ συντάξ.* B. A. 145, 18 sqq. Thom. Mag. p. 275, 13 sqq. Hesych. s. v. *ἐκπο[λε]μῶσαι. ἐκπεπολέμωται. ἐξεπολεμοῦντο. ἐξεπολέμωσε.* — Atque *ἐκπολεμοῦν* i. esse q. 'ad bellum excitare' praeter omnia illa testimonia firmatur etiam loco Pollucis 1, 154 *δύναιτο δ' ἄν τις εἰπεῖν ἐπὶ μὲν τοῦ εἰς ἔχθραν καταστῆναι· τὰς σπονδὰς ἔλυσαν, διέστησαν, ἀπερρά-*

γησαν, ἠλλοτριώθησαν ἐξεπολεμώθησαν (οἱ δὲ συγκρούσαντες αὐτοὺς ἐξεπολέμωσαν καὶ πολεμοποιοί). Hoc verbum inde ab Herodoto invenitur ac saepius in litteris Atticis extat. Postea vero, ut mihi quidem videtur, non ante Pentateuchi versionem Alexandrinam, novum extitit verbum ἐκπολεμεῖν i. e. acri bello petere aliquem, debellare, bello opprimere; quod verbum firmatur certe his locis: Ex. 1, 10 καὶ ἐκπολεμήσαντες ἡμᾶς ἐξελεύσονται ἐκ τῆς γῆς. Diod. 15, 25 συνεκπολεμῆσαι τὴν Καδμείαν. 16, 43 τὴν δ' Αἴγυπτον συνεκπολεμήσων. Etiam apud Polybium 15, 6, 6 codicum scripturam ἐπεὶ δὲ πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῶν κατὰ Σικελίαν ἀμφισβητήσαντες ἐξεπολεμήσαμεν ἀλλήλους contra Dindorfium retinendam censeam, totus enim hic locus notionem 'petendi bello' postulat non 'lacessendi ad bellum'. — Deinde vero facile fieri potuit, ut haec duo verba inter se confunderentur, quod Harpocratio ipse de Atticianis Demosthenis codicibus testatur; et adhuc Σ Dem. 1, 7 et 3, 7 ἐκπολεμῆσαι exhibet; restituendum igitur cum Dindorfio [1]) ἐκπολεμοῦν, quod verbi notione postulatur. Sed idem Harpocratio verbis supra allatis testis est, tum quidem apud Thucydidem saepius extitisse verbum ἐκπολεμοῦν, simul ex illius verbis apparet, Harpocrationem certe nusquam in Thucydidis libris verbum ἐκπολεμεῖν legisse. Atque 6, 77 omnes codd. recte exhibent ἐκπολεμοῦν, 8, 57 cod. Vatic. solus veram scripturam contra reliquos libros servavit, legendum enim est μὴ παντάπασιν ἐκπεπολεμῶσθαι 'neque omnino hostem se praebere', huc spectant Hesychii et Suidae glossae: ἐκπεπολέμωται· ἐχθραίνει, ἐχθρωδῶς διάκειται. Ex hoc clarissimo testimonio profecti iam videamus de tertio loco: 6, 91 καὶ τὰ ἐνθάδε χρὴ ἅμα φανερώτερον ἐκπολεμεῖν, ita cum codd. Classen, qui interpretatur: 'bellum maiore vi redintegrare, excipere, instituere'. Res in utramque partem disputari potest, iisque qui ex huius loci sententia rem contra codd. auctoritatem pro verbo ἐκπολεμοῦν gerunt [2]), opponam eum qui paulo ante [cap. 88, 8] legitur locum, ubi de eadem re agitur: ὅπως καὶ ἐκείνους

---

[1]) Conf. etiam Rehdantz-Blass, Index z. Dem.'s neun phil. Reden[4] II p. 66 s. v. ἐκ-.

[2]) Conf. Poppo-Stahl ad h. l.

ξυναναπείθοιεν τόν τε αὐτοῦ πόλεμον σαφέστερον ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς Ἀθηναίους καὶ ἐς τὴν Σικελίαν ὠφελίαν τινὰ πέμπειν. hoc πόλεμον ποιεῖσθαι verbo ἐκπολεμεῖν favet, cum ἐκπολεμοῦν potius sibi poscat ποιεῖν. Qui ex ipsa re diiudicare vult eum in dubio rem relinquere opus est. Mihi quidem hoc loco Harpocrationis testimonium et reliquorum corruptorum locorum exempla sufficiunt ad restituendum verbum ἐκπολεμοῦν. — Apud Xenophontem denique Hell. 5, 4, 20 res ipsa notionem excitandi ad bellum postulat, nec minus ap. Dion. Hal. Ant. Rom. p. 248, 18 ubi B falso ἐκπολεμεῖσθαι exhibet.

5. *ἐξορκίζειν*] Dem. 54, 26 τῶν τε παρόντων ἡμῖν καθ' ἕνα οὑτωσὶ πρὸς τὸν βωμὸν ἄγοντες καὶ ἐξορκίζοντες, qui locus sane aliquantum mutatus laudatur ab Harpocratione s. v. λίθος. [Dind. p. 193, 16 sq.] Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Κόνωνος· τῶν τε παρόντων καθ' ἕνα ἡμῖν οὑτωσὶ καὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες. Hic videas recentioris interpolatoris manum! Apparet verba πρὸς τὸν λίθον Demosthenis textui esse restituenda, textum Harpocrationis fuisse integriorem; tum vero non dubitem ex eiusdem Harpocrationis testimonio Demostheni verbum ἐξορκοῦν, quod ex eius dictione hic postulatur, reddere, et recentius verbum ἐξορκίζειν eidem vindicare, qui glossam πρὸς τὸν βωμὸν recepit. — Tum vero verbum ἐξορκίζειν primum ut videtur legitur apud Aeschin. de falsa leg. 85 et 87. Sequuntur loci Polybii hi 3, 61, 10. 6, 21, 1. 6, 26, 4. 16, 31, 5. — Diod. 1, 21. 3, 40 al. — Plut. Mor. p. 218 D. 174 C. — Aristid. XXV 379 al.

Accedunt titulorum quorundam testimonia: In titulo quodam Ionicae dialecti hoc verbum iam altera quinti a. Chr. n. saeculi parte occurrit: Bechtel nr. 240 [Dittenb. nr. 6] 5/6 συμβεβαιοῦν δὲ το[ὺς] | νεωποίας τῶν θεῶν τοὺς αἰεὶ ὄντας καὶ ἐξορκίζε[σ]|θαι κατὰ ταῦτα. — Deinde Dittenb. nr. 388 ['Mysterieninschrift v. Andania' ao. 91 a. Chr. n.] 5 ἐξορκίσειν δὲ καὶ τὰς ἱερὰς καὶ τὸν ἱερῆ κατὰ τὸ διάγραμμα. CJG III 5858^b, 5 ἐξορκίζω ὑμᾶς τὸ ἅγιον ὄνομα. — P. Leem. W. 6, 21

[1]) Conf. infra nr. 10 ὁρκίζειν, ubi nonnulla quoque afferentur quae huc cadunt.

ἐξώρκισά σε obtestatus sum te [sed non multum huius papyri testimonium valet, quod pendet ex Alexandrina versione].

Gen. 24, 3 *ἐξορκίσω σε κύριον τὸν θεόν.*

6. *κακολογεῖν*] Offendisse in hoc verbo grammaticos testis est Antatticista B. A. p. 102, 13 *κακολογεῖν· Ὑπερείδης κατὰ Ἀρισταγόρου.* caute Thom. Mag. notat [128, 15] *εὖ λέγει καὶ κακῶς λέγει κρεῖττω ἢ εὐλογεῖ καὶ κακολογεῖ· ὡσαύτως καὶ εὖ πράττει καὶ κακῶς πράττει ἢ εὐπραγεῖ καὶ κακοπραγεῖ.* Nomen *κακολογία* extat primum apud Her. 7, 237. deinde Pl. Pol. III 401 A al. Verbum ipsum his Atticorum locis invenitur [Lys.] 8, 5[1]) *καὶ ταῦτα λέγοντες οἴεσθε μὲν ἐμὲ κακολογεῖν.* Dem. 36, 61 *ἐὰν δ' ἀπορῶν αἰτίας καὶ βλασφημίας λέγῃ καὶ κακολογῇ.*[2]) [Dem.] 25, 94 *νυνὶ δὲ πάντα ποιεῖν, αἰτιᾶσθαι, λέγειν, διαβάλλειν, βλασφημεῖν, θανάτου τιμᾶσθαι, εἰσαγγέλλειν, κακολογεῖν τοὺς ἐπιτίμους.* — Anaximenis rhetor. ad Alex. 36, 1441ᵃ, 11 *δεῖ μὴ σκώπτειν ὃν ἂν κακολογῶμεν.* ᵇ15. — Plut. d. Herod. p. 855 C. Mor. 60 E. 177 A. — Athen.

Ex. 21, 16 *ὁ κακολογῶν πατέρα αὐτοῦ ἢ μητέρα.* 22, 28.

7. *καταβιάζεσθαι*] Thuc. IV 123 *καὶ καταβιασαμένων παρὰ γνώμην τοὺς πολλούς* et multitudinem invitam vi coegerant. Hippocr. 6, 3 *ἰητὸν εἶναι (τὸ νούσημα) . . . ὅταν μὴ ἤδη ὑπὸ χρόνου πολλοῦ καταβεβιασμένον ᾖ* invaluerit. Plut. saepius i. q. vehementer instare alicui, vi cogere, conf. Mor. p. 639 F. 385 E. 75 F. — App. bell. civ. 2, 28 *εἴ τι τὴν πόλιν καταβιάζοιτο.*

Ex. 12, 33 *κατεβιάζοντο οἱ Αἰγύπτιοι τὸν λαὸν . . ἐκβαλεῖν αὐτούς* precibus instare alicui, petere atque obsecrare. Gen. 19, 3 *καὶ κατεβιάσατο αὐτούς* [A *παρ-*].

8. *κατασπεύδειν*] Aeschin. 3, 67 *τοὺς χρόνους ὑμῶν ὑποτεμνόμενος καὶ τὸ πρᾶγμα κατασπεύδων.* — Ps.-Longin. de subl. 19, 2 *τὰ ἀλλήλων διακεκομμένα καὶ οὐδὲν ἧττον*

---

[1]) Vid. Blass, Att. Beredsamk. I² p. 642—p. 644: 'Als Zeit kann man den Ausgang des attischen Zeitalters annehmen.'

[2]) Hic quoque similiter ac supra IV 2 apud Platonem [Phaed. p. 72 B] iuxta usitatum Atticorum verbum *καμπὴν ποιεῖσθαι* vulgare *ἀνακάμπτειν* positum est, prius Attica vox *βλασφημίας λέγειν* extat, ad quam eiusdem fere notionis verbum recentius *κακολογεῖν* additur.

κατεσκευσμένα φέρει της ἀγωνίας ἔμφασιν ἅμα καὶ ἐμποδιζούσης τι καὶ συνδιωκούσης. 40, 4 *τῷ τὴν ἁρμονίαν κατεσκευῦσθαι.* — Dion. d. compos. verb. p. 282.

Item transitive usurpatum invenitur Ex. 5, 10 *κατέσκευδον δὲ αὐτοὺς οἱ ἐργοδιῶκται.* 13. — Ex. 9, 19 vero absolute dictum: *νῦν οὖν κατάσκευσον συναγαγεῖν τὰ κτήνη σου.* 10, 16.

9. *καταστασιάζειν*] Quinquies hoc verbum apud Demosthenem legitur, tres vero ex illis quinque locis in eis orationibus inveniuntur, de quibus adhuc certatur: 44, 3 *καὶ μὴ περιιδεῖν πένητας ἀνθρώπους καὶ ἀσθενεῖς καταστασιασθέντας ὑπὸ παρατάξεως ἀδίκου* seditione opprimi, 58, 22. 42. 57, 7. 17. — Theopomp. ap. Athen. XIII p. 609 B *Λυσανδρίδαν ἐχθρὸν ὄντα Ἀγησίλαος ὁ βασιλεὺς καταστασιάσας φυγαδευθῆναι ἐποίησεν ὑπὸ Λακεδαιμονίων.* — Arist. Pol. V 6, 1306ª, 33. [Anaxim.] rhetor. 30, 1437ª, 11. — Pol. 34, 14, 7. — Plut. Pomp. 47. Per. 9. Them. 11.

Ex. 38, 22 praepositionis *κατα-* vi omnino neglecta: *τοῖς ἀνδράσιν τοῖς καταστασιάσασιν μετὰ τῆς Κόρε συναγωγῆς* seditionem facere.

10. *ὁρκίζειν*] Primum ut videtur Dem. 18, 30 *ἢ οὐκ ἂν ὡρκίζομεν αὐτόν.* 19, 278 *οὐ τὸ μὲν ψήφισμα 'τοὺς ἄρχοντας ὁρκοῦν τοὺς ἐν ταῖς πόλεσιν' οὗτοι δ' οὓς Φίλιππος αὐτοῖς προσέπεμψε, τούτους ὥρκισαν.* Sed iam supra ostendi, quomodo hae recentiorum formae [1]) in Atticorum textum invaserint,

[1]) vid. Phryn. [Lob. 360 sq. Rutherf. 466 sq.] *ὥρκωσε καὶ ὁρκώτης δ᾽ ἐγώ· οὕτω Κρατῖνός φησι. μᾶλλον δὲ διὰ τοῦ ω λέγε ἢ διὰ τοῦ ι ὥρκισεν.* aliter Photius p. 253 *ὁρκίζειν καὶ ὁρκοῦν ἑκατέρως.* ad illum Lobeck annotat: 'sed si optio detur, propter testium multitudinem alterum [sc. *ὁρκοῦν*] haud dubie praeferri debet'. Sed videas Rutherf. 'but *ὁρκίζω* was naturally good Attic, even if more rare than *ὁρκῶ*. The study of Greek would become absurd if prosecuted in such a slavish manner'. — Non video, quid sibi velit hoc 'good Attic'; si Rutherford optimorum scriptorum sermonem 'mere' Atticum dicit, falsum illud iudicandum est multoque melius quod Lob. annotat de verbo *ὁρκίζειν* p. 360: 'Atticae fines egressos excipit nos exemplorum frequentia per singulos gradus aucta'; recentiorem enim hanc formam esse quam alteram *ὁρκοῦν* Rutherfordium effugere non debuit; hinc mihi vindicavi ius emendandi, cum per se verisimile sit exemplisque

cumque hoc ipso loco paulo ante legatur ορκοῦν itemque 151 et 161, potius scribendum censeam ὥρκωσεν. Deinde Dem. 23, 172 ὁρκίσαι πάλιν αὐτόν. — Xen. Symp. 4, 10. — Arist. fr. 144, 1502^{b}, 30. — Pol. 6, 33, 1. 38, 5, 5. — Plut. Eum. 12. Pyrrh. 5. Arist. 25. — Conf. etiam CJG. I 1543 [Dittenb. nr. 242, ca. 145—116 a. Chr. n.] ὁρκίσας ἐφ' [ῷ]ι.

Gen. 24, 37 ὥρκισέν με ὁ κύριός μου λέγων. 50, 5. 6. 25. 16 abs.

11. πονηρεύεσθαι] Dem. 19, 32 εἰ δ' οἱ μὲν τὰ δίκαι' ἔπραττον ἡμῶν, οἱ δὲ τἀναντία, διὰ τοὺς πεπονηρευμένους ὡς ἔοικε τοῖς ἐπιεικέσι συμβεβηκὸς ἂν εἴη [conf. 19, 257 πονηρεύματα. 25, 60]. — Hippocr.: de aegroto alvo: 5, 558. 626. 728. 732 al. — Arist. rhetor. III 10, 1411^{a}, 17. — Plut. Mor. 829 F. Cat. 9. Pomp. 39. Cic. 7.

Gen. 19, 7. 37, 8. Ex. 22, 8. 11.

12. προχειρίζεσθαι deligere, nominare, designare] Isocr. de pace 122 ὃ καὶ πάντων μάλιστ' ἄν τις θαυμάσειεν ὅτι προχειρίζεσθε δημαγωγούς. [Dem.] 25, 13 ἐγὼ γὰρ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὁρῶν ὑμᾶς κατατάττοντάς με καὶ προχειριζομένους ἐπὶ τὴν τούτου κατηγορίαν. — Saepissime ap. Polybium, ita 2, 43, 1. 3, 44, 3. 8, 28, 4. 23, 3, 8. 1, 11, 3. — Plut. — al.

Deinde conferas Dittenb. syll. nr. 204 [ao. 193 a. Chr. n.] 5 προχειρισθεὶς καὶ ὑφ' ὑμῶν πρεσβεῦσαι. — in titulo Sestiano [vid. Jerusalem l. l.] legitur vs. 46: προχειρισαμένου [sc. τοῦ δήμου] τοὺς τὴν πίστιν εὐσεβῶς τε καὶ δικαίως . . τηρήσοντας.

Ex. 4, 13 προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελεῖς.

13. συντάσσειν iubere, mandare] Dinarch. p. 91, 25 καθάπερ συνέταξεν ὁ δῆμος. — Xen. Cyrop. 5, 3, 46. 8, 2, 3. 8, 6, 8. — Pol. 3, 50, 9. 5, 16, 4. 8, 21, 9. 8, 29, 2. 8, 33, 4. 32, 13, 9. 12. med.[1]) 33, 13, 7· εἴ τι συνετέτακτο αὐτῷ Σκιπίων

---

supra s. v. ἐκπολεμεῖν et ἐξορκίζειν allatis firmetur, falso illam formam recentiorem in textus Atticos irrepsisse. Rutherfordii igitur fastidium, quo illas emendationes l. l. tangit, non e re videtur esse.

[1]) Dubitari potest, num huc spectet locus quidam Luciani Pseudolog. 5 λέγοντος δέ τινος συνετάξατό μοι καὶ λόχον δὲ ἔφη Ξενοφῶν εἶπε συνετάξατο. Accedit enim singulare quoddam testimonium Anth. Palatinae 9, 171 Πιερίδες, σώζοισθε· λόγοι συντάσσομαι ὑμῖν i. e. 'valedico', ita apud recentiores ἀποτάσσομαι usurpatur, in quo verbo Atti-

περὶ τῶν χρημάτων. — [Epist. Philippi] ap. Dem. 18, 77 ταῦτα συνετάχθη τῷ ναυάρχῳ. — Accedunt titulorum et papyrorum testimonia: CJG. 4896 [c. 127—117 a. Chr.] δεόμεθα ὑμῶν συντάξαι Νουμηνίῳ. — PL. 26 col. 1, 26 [163 a. Chr.]. 35, 34 [163]. 30, 9 [162 a. Chr. n.]. 12, 19 [157 a. Chr. n.]. 8, 18 [129]. 15 [120 a. Chr.]. col. 1, 24. col. 2, 30. — 13, 23 al.

Gen. 18, 19 ᾔδειν γὰρ ὅτι συντάξει τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ mandata dare. 26, 11. — Saepissime in Exodo καθὰ συνέταξεν κύριος τῷ .. 16, 24. 32, 28. 34, 4. 36, 8. 12. 14. 29. 37. 40. 40, 17. 19. 21. 23. 25. 36, 34. 37, 20. 38, 27. — 19, 7 τοὺς λόγους .. οὓς συνέταξεν αὐτῷ ὁ θεός. 16, 16. 32. 35, 4. 29. 36, 1 al.

Hoc verbum nec minus pleraque ex iis, quae hac in parte leguntur aperte ostendunt, quomodo paulatim recentiora verba in litteras succreverint. Existunt primum dispersim in novissimis Atticae aetatis scriptis, quorum in numero praeter Aeschinem et Hyperidem imprimis nonnulla Demosthenis aut certe corporis, quod fertur, Demosthenici scripta habenda esse ex his exemplis satis apparet. Haec verba non ea sunt, quae ex aliena origine repetenda esse videantur, sed quae ipsa natura recentiora se exhibeant: aut primitiva vis verbi Attici mutata et explicata occurrit[1]), aut verbum Atticum simplex cum aliis novisque particulis compositum[2]), aut novae terminationes veterum verborum[3]), aut verba e nominibus simplicibus[4]) vel compositis derivata[5]). Varia haec recentiorum verborum genera propterea notanda putavi quod eadem genera rursus apparebunt, cum verba recentiorum saeculorum tractabimus, quo e consensu satis aperte cognoscetur non novam iniri in vulgari sermone recentiore rationem sed eandem quae ab Atticis iam iniri coepta sit.

---

cistae offenderunt, vid. Phryn. [Rutherf. p. 75]. Huc fortasse cum Rutherfordio potius Luciani ille locus referendus est.

[1]) ἀπέχειν, προχειρίζεσθαι, συντάσσειν; ἀναζευγνύναι neutr.

[2]) ἐκκλίνειν, ἐκπολεμεῖν; imprimis notanda sunt verba recentiora cum praepositione κατα- composita, de quibus vid. Krebs, Zur Rection d. Casus p. 21 sqq.: καταβιάζεσθαι, κατασπεύδειν, καταστασιάζειν.

[3]) ὀρκίζειν [att. ὁρκοῦν], ἐξορκίζειν.

[4]) πονηρεύεσθαι.

[5]) κακολογεῖν.

B.

Verba quae primum apud Platonem leguntur.

1. *ἀνακαθίζειν*] Pl. Phaed. 60B *ἀνακαθιζόμενος ἐπὶ τὴν κλίνην*. — act. Xen. de ven. 5, 7 *διατρέχων γὰρ καὶ ἀνακαθίζων*. 5, 19. — Hippocr. — Plut. Philop. 20. Alex. 14.

Gen. 48, 2 Lag. *ἀνεκάθισεν ἐπὶ τὴν κλίνην* se in lecto erigere.

2. *ἀπολυτροῦν*] Pl. legg. XI 919A *ὡς δ' ἐχθροὺς ... ἀπολυτρώσῃ τῶν μακροτάτων .. λύτρων* accepto redemptionis pretio dimittere. — Epist. Philippi [Dem. 12] 3 *πρεσβευτὴν συλλαβὼν .. ἀπελύτρωσεν ταλάντων ἐννέα*. — Pol. 2, 6, 6. 22, 21, 8. — Diod. 2, 122 al. — Plut. Mor. 343B al.

Ex. 21, 8 *ἀπολυτρώσει αὐτήν* eam pretio redimi patietur.

3. *διαναπαύειν*] Pl. Polit. 257C *διαναπαύσωμεν αὐτὸν μεταλαβόντες αὐτοῦ τὸν συγγυμναστὴν τόνδε Σωκράτη*. — med. Conv. 191C (*ἵνα*) *πλησμονὴ .. γίγνοιτο τῆς συνουσίας καὶ διαναπαύοιντο*. legg. I 625B. — Hippocr. 6, 85 med. recreari. — Arist. Pol. VIII 5, 1339^b, 30 *διαναπαύειν ἐν ταῖς ἡδοναῖς*. — probl. II 7, 867^a, 8 med. — Pol. 5, 6, 6 *διαναπαύειν τὴν δύναμιν* requiem dare militibus. 10, 29, 1. — Strab. 11 p. 512. — Plut. Mor. 136D. 726D. Tit. 4. Crass. 23. Cleom. 29. — med. Timol. 12. 27. — Luc. amor. 7. Tox. 52. — med. Necyom. 14. Icarom. 11. — al.

Gen. 5, 29 *διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων*.

4. *διανοίγειν*] Pl. Lys. 210A *διανοίγοντες τοὺς ὀφθαλμοὺς* aperire. — Arist. de an. hist. II 17, 507^a, 21. — de mundo 3, 393^b, 3. ^{a}18. — Theophr. fr. 4, 49. — Plut. Timol. 12. — Luc. Char. 21. — Galen. vol. X p. 446.

Ex. 34, 19 (*πᾶν*) *διανοῖγον μήτραν*. 13, 2. 12. 12. 13. 15.

5. *διαστέλλειν*] Pl. Euthyd. p. 295D dividere, distinguere. Polit. 265E. — med. accurate definire, determinare, constituere. Pol. VII 535B *ποῖα δὴ διαστέλλει;* — Arist. a) sensu materiali. opp. *συνθλίβειν*: de spir. 4, 472^a, 25 *διαστέλλειν τὸν ἀέρα ταῖς πτέρυξιν*. de an. inc. 15, 713^a, 12. de an. hist. V 18, 550^b, 18, 17, 549^a, 25. — *διαστέλλεσθαι* opp. *πιέζεσθαι*: de audib. 800^b, 2. probl. IX 14, 891^a, 2. b) logice. *διαστείλας* syn. *διορίσας*. top. V 5, 134^b, 22, 10. *διαστειλάμενος* syn. *διορισάμενος*. 3, 131^b,

17, 15. Pol. II 8, 1268^b, 32. — Pol. 18, 30 *Τίτου δὲ πρὸς τὸ συνέδριον διαστείλαντος οὐκ ἐκυρώθη τὸ διαβούλιον,* ubi Schweigh. intellegi vult: 'dissentire ab aliquo', melius fortasse: 'contra dicere, contra disserere'. — activum verbi genus extat quoque ex Ernestii coniectura 12, (7) 8 *ἀληθὲς μέντοι γε καὶ καθάπαξ διαστεῖλαι περί τινος οὐδὲν ἔστιν ἐν τούτοις* clare, distincte disserere [codd. *διαστῆναι*]. — saepius invenitur genus medium: 'clare, distincte explicare, definire' 3, 23, 5. 12, 16, 7. 16, 28, 5. 23, 9, 10. — act. ap. Plut. et recentiores saepius. — Accedunt testimonia papyrorum: PL. 63 col. 13 ['lettre du roi Ptolémée' ca. 165 a. Chr.] *ἐ[πι]τή[δειο]ν ὑπελάβομεν εἶναι διαστείλαντες ὑμῖν προνοεῖσθαι ὅπως* [ubi Egger: 'écrire à quelqu'un', sed melius fortasse 'mandare, mandata dare']. 26, 22 [163 a. Chr. n.] *τῷ ἐπιστάτῃ τοῦ ἱεροῦ πλεονάκις διεστάλμεθα ἀποδιδόναι ἡμῖν* commonefacere. 38, 23 [eiusdem fere temporis] *διαστείληται δ' αὐτοῖς εἰς αὐτοὺς μηκέτι εἰσβιάζεσθαι* praecipere, praescribere. 61, 17 [158 a. Chr. n.[63 col. 7, 19/20 [165 a. Chr. n.].

Gen. 30, 35 secludere, separare *διέστειλεν .. τοὺς τράγους.* 40; inde 25, 23 *δύο λαοὶ ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται* secernentur, diffundentur. — Gen. 30, 28 *διάστειλον τὸν μισθόν σου πρὸς μέ* constitue mihi mercedem tuam.

6. *διχοτομεῖν*] Pl. Pol. 302 E *τὸ παράνομον καὶ ἔννομον ἑκάστην διχοτομεῖ τούτων.* — saepius ap. Arist. ita Phys. VI 9, 239^b, 19, 12 syn. *διαιρεῖν δίχα.* probl. XVI 4, 913^b, 31, 23 *διχοτομεῖσθαι.* — logice: de an. part. I 3, 642^b, 22. 4, 644^b, 19. — Theophr. fr. 6. — Pol. 6, 28, 2. 10, 15, 5. — aliquotiens apud Plutarchum.

Ex. 29, 17 *καὶ τὸν κριὸν διχοτομήσεις κατὰ μέλη.*

7. *ἐτάζειν*] Plerumque verbum compositum legitur, sed simplex quoque postea in usu fuisse docent Antatticistae verba B. A. 96, 28 *ἐτάζειν· τὸ ἐξετάζειν· Ἡρόδοτος τρίτῳ,* ubi Herodoti locus [III 62] falso allegatus est, cum ibi e codicibus restitutum legatur *ἐξετάζειν.* — Extat deinde Pl. Crat. 410 D *οὕτω καὶ ἐνταῦθα οἱ μὲν ἐνιαυτὸν ὅτι ἐν ἑαυτῷ οἱ δὲ ἔτος ὅτι ἐτάζει, ὁ δὲ ὅλος λόγος ἐστὶ τὸ ἐν αὑτῷ ἐτάζον* quo loco nihil aliud comprobatur, quam tum quidem illud verbum non plane ignotum fuisse. In litteris demum invenitur Anth. Pal. 7, 17, 5.

— Polus ap. Stob. Fl. vol. I p. 245. — deinde recentiores vid. Schmidt, Attic. II p. 173[a].

Gen. 12, 17 *καὶ ἤτασεν ὁ θεὸς τὸν Φαραὼ ἐτασμοῖς μεγάλοις* וַיְנַגַּע ferire. Haec verbi notio profecta videtur esse e verbi *ἐξετάζειν* usu iudiciali: tormentis quaerere de aliquo, torquere; inde: vexare.

8. *καταδεῖσθαι*] Pl. Apol. 33 E *ὥστε οὐκ ἂν ἐκεῖνός γε αὐτοῦ καταδεηθείη* deprecari.

Gen. 42, 21 *ὅτε κατεδέετο ἡμῶν* cum omnibus precibus nos oraret et obtestaretur.

9. *καταψύχειν*] Pl. Tim. p. 84 E trans. refrigerare. — item trans. saepissime apud Arist. conf. meteor. II 4, 361[a], 2. 8, 368[b], 34. Rhetor. II, 13, 1389[b], 30 al. — intr. fr. 169, 1506[a], 40 *τὸν κύνα ἀναγνωρίσαντα καὶ ἡσθέντα καταψῦξαι*. — trans. etiam apud Theophr. d. caus. pl. 1, 18, 1. 3, 4, 2. 3, 1 7,3. — Galen. — item Plut. Symp. 3, 5 p. 652 C. — Pomp. 46. 69. Mor. 625 A al. permulta.

In Genesi 18, 4, neutralis notio extat *καταψύξατε ὑπὸ τὸ δένδρον*. praegn.: considere et refrigerari.

10. *νήθειν*] Qui vulgo hic laudatur locus Homeri η 198 *ἅσσα οἱ αἶσα κατακλῶθές τε βαρεῖαι γεινομένῳ νήσαντο* huc neutiquam cadit, primum enim cum Bekkero videtur legendum esse *κατὰ Κλῶθες . . νήσαντο*, per tmesin, deinde dubium est, utrum potius haec forma ad verbum *κατανάω* an ad *κατανήθειν* sit referenda. Primum certum huius verbi *νήθειν* exemplum legitur apud Pl. Polit. 289 C *περὶ τὸ. νήθειν τε καὶ ξαίνειν*. Ita etiam 282 A extat *καὶ μὴν ξαντική γε καὶ νηστική*, sed 282 E *τὰ νηθέντα*. Iam vero glossemate apud Photium *νητικήν· ἄνευ τοῦ σ τὴν περὶ τὸ νήθειν τέχνην* pro certo confirmatur, in illo Platonis loco formam *νηστική* recentioris cuiusdam neglegentiae deberi. Quamobrem videndum est in altero quoque, quem laudavi, Platonis loco formam *νήθειν* ipsine Platoni potius vindicemus an scribae cuidam.[1]) —

---

[1]) vid. Rutherford, The new Phryn. p. 136 'That Plato wrote *νητική* from *νῆν* in Pol. 282 A is proved by a Platonic gloss in Photius: *νητικήν· ἄνευ τοῦ σ τὴν περὶ τὸ νήθειν τέχνην*: and consequently *νήθειν* in id. 289 C at last stands by itself as a solitary instance in

Poll. 7, 32 exhibet: οἱ Ἀττικοὶ τὸ νήθειν νεῖν λέγουσιν· itaque Atticistae verbum νήθειν improbabant, contra quos Antatticista B. A. 109, 23 νήθειν οὐ μόνον νεῖν. — Haec vulgaris recentiorum sermonis forma invenitur quoque Anth. Pal. 11, 110, 6 ἡ δ' ἀράχνη νήθουσ' αὐτὸν ἀπεκρέμασεν.

Ex. 26, 31 βύσσου νενησμένης. conf. 36, 9. 32. 37. 37, 3. 5. 16. 35, 25. — 35, 25 ταῖς χερσὶν νήθειν. 26.

11. ποτίζειν] Pl. Phaedr. p. 247 E ὁ ἡνίοχος πρὸς τὴν φάτνην τοὺς ἵππους στήσας παρέβαλεν ἀμβροσίαν τε καὶ ἐπ' αὐτῇ νέκταρ ἐπότισεν. Xen. Symp. 2, 25. — Arist. Phys. II 8, 199ᵃ, 34. ita etiam Eth. Nic. III 2, 1111ᵃ, 14 Bonitz scribendum proponit ἐπὶ σωτηρίᾳ ποτίσας ἀποκτεῖναι ἄν [libri παίσας]. — de pl. I 7, 821ᵃ, 38 ψυχροῦ ποτιζόμενοι βελτιοῦνται. — Plut. Mor. p. 687 F irrigare. — Athen. VI p. 242 B. II p. 55 F al.

Gen. 2, 6 πηγὴ .. ἐπότιζεν πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. 2, 10. 13, 10 irrigare. — potum praebere Gen. 29, 2 ἐκ γὰρ τοῦ φρέατος ἐκείνου ἐπότιζον τὰ ποίμνια. 3. 7. 8. 10. 24, 17 πότισόν με μικρὸν ὕδωρ. 43. 19, 32. 24, 45 Lag. — Ex. 32, 20.

12. συγκαίειν] Pl. Tim. 22 C τὰ .. ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε. 49 C συγκαυθέντα .. ἀέρα. — Arist. de mir. ausc. 48, 833ᵇ, 27 φασὶ τὴν ὑπόστασιν τὴν γενομένην ἐκ τῆς πλύσεως πολλάκις πλυθεῖσαν συγκαίειν. fr. 248, 1524ᵃ, 10. — de col. 6, 798ᵇ, 17. meteor. IV 6, 383ᵇ, 12. — Theophr. d. hist. pl. 1, 13, 3. d. caus. pl. 5, 9, 8. — Hippocr. 2, 38. 3, 34. 38. 2, 32. — Plut. Mor. 656 F. — Geopon. 9, 4, 6.

Gen. 31, 40 ἐγενόμην συγκαιόμενος τῷ καύσωνι exurere.

Haec verba eandem fere speciem praebent atque ea quae in superiore capite continentur, nisi quod novum recentiorum verborum genus hic additur: verba decomposita: διαναπαύειν, διανοίγειν, quorum maximus numerus in recentioris aetatis sermone vulgari extat. — Illud vero in his quidem verbis maximi videtur esse momenti, quod plurima eorum praeter Platonem imprimis apud Aristotelem et Theophrastum aliquotiens quoque apud Hippocratem inveniuntur, philosophici igitur sermonis

---

Attic Greek of what all Grammarians combine to call an un-Attic form. Doubtless it came from the same hand as νηστική, while Plato himself wrote τοὺς περὶ τὸ νῆν τε καὶ ξαίνειν.'

maxime videntur propria esse. Quae res docet, quantum ad ipsam sermonis naturam singula litterarum genera valuerint.

C.

Verba quae primum apud Xenophontem occurrunt.

1. *ἀποκαθιστάναι*] Xen. de republ. Laced. 6, 3 *λαβὼν καὶ χρησάμενος καλῶς ἀποκαθιστῆσιν* restituere. — Hippocr. 4, 576 al. — Saepius ap. Aristotelem Metaph. XI 8, 1074ª, 3 *ἀποκαθιστάναι εἰς τὸ αὐτό*. Categ. 10, 13ª, 30. — med. probl. IX 2, 889ᵇ, 25. Eth. magn. II 7, 1204ᵇ, 37, 38. Categ. 8, 9ᵇ, 25, 28. — probl. IX 4, 889ᵇ, 37 *δένδρον ἀποκαθίσταται στεῖρον*. de pl. I 6, 821ª, 12. — Theophr. d. caus. pl. 2, 15, 3 *ἀποκαθίστασθαι πρὸς τὴν φύσιν*. hist. pl. 8, 7, 4. de caus. pl. 5, 3, 7. 6, 7, 6. Saepissime ap. Pol.: restituere alicui aliquid: 4, 3, 3. 3, 98, 7. 9, 36, 4. aliquem restituere in locum: 3, 5, 4. 3, 66, 2. 4. 25, 7. 8, 29, 6. 22, 26, 8. med. 25, 1, 1 *ἀποκατέστησαν εἰς τὴν ἐξ ἀρχῆς κατάστασιν*. 2. 25, 41, 14. 21, 9, 9 al. — Diod. 11, 45. 15, 66. 16, 45. — saepius ap. Plut. — Tim. Locr. p. 100 C. — Dem. 18, 90 decretum Byzantiorum. — Diosc. 2, 98. 4, 11. 2, 60. 101. — Herodian. 2, 6, 17. — Accedunt titulorum quaedam testimonia¹): CJG. 4697 [lap. Rosett. 196 a. Chr.] 18. CJA. III 385. 387. 388. — CJG. I 1770, 17/8 [c. 196 a. Chr.].

Gen. 29, 3 restituere: *καὶ ἀπεκαθίστων τὸν λίθον ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ φρέατος*. — 40, 13 *ἀποκαταστήσει σε ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου*. 21. 41, 13. — med. Ex. 4, 7 *καὶ πάλιν ἀπεκατέστη εἰς τὴν χρόαν τῆς σαρκός* [Lag. *ἀπεκατεστάθη*, eadem lectionum varietas occurrit Ex. 14, 26 F]. 14, 27. — Singularis huius verbi notio extat Gen. 23, 16 *ἀπεκατέστησεν Ἀβραὰμ τῷ Ἐφρὼν τὸ ἀργύριον*, ubi textus hebraicus exhibet וַיִּשְׁקֹל 'appendit Ephroni argentum, solvit pecuniam' [interpres idem verbum Ex. 22, 17 vertit *ἀργύριον ἀποτίσει αὐτῷ*]; ita apud Atticos *ἱστάναι* valuit i. q. pendere, appendere, nusquam vero, quantum video, *καθιστάναι*. At conferas PL. 62 col. 5, 4 *ἐάνπερ ἐκπληρώσουσιν καὶ καθεστακότες τὰ διομολογηθέντα* [*διεγγυήματα* superscr.] *τοῦ ΛΗΧ* solvere. Ita fortasse etiam

---

¹) Huc addas Viereck, Sermo Graecus tit. nr. XI [170 a. Chr. n.] 26. XVII [78 a. Chr. n.] 13. 14. 21.

col. 3, 9/10 [οὗτοι δὲ οὐ]δὲν ἧσσον ἀναγκασθήσονται ἀποκαταστῆσαι τὰ σύμβολα ἐπὶ τὴν τράπεζαν, eadem vi dictum qua paulo ante μὴ [εἰσεν]έγκωσιν ἐπὶ τὴν τράπεζαν, et similiter 7, 9/10 (τὸ δὲ δάνειον τοῦτο ἀποδοτω(ι)) . . καὶ ἀποκαταστησάτω(ι) εἰς οἶκον πρὸς αὐτὸν τοῖς ἰδίοις ἀναλώμασι, sed fortasse hoc loco ἀποκαθιστάναι idem valet quod: debitum [sc. stipulatam frumenti vim] apportare.

2. ἀποσκηνοῦν] Xen. An. 3, 4, 35 τούτου ἕνεκα πόρρω ἀπεσκήνουν τῶν Ἑλλήνων remota ponere tentoria. — Plut. Eum. 15. Demetr. 9. Mor. p. 627 A. — deinde: 'remotum esse' Mor. p. 334 B ἀπεσκηνώκει μακρὰν τὰ ὦτα Μουσῶν.

Gen. 13, 18 καὶ ἀποσκηνώσας Ἀβρὰμ ἐλθὼν κατῴκησεν παρὰ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρήν sensu paululum variato: tentoria promovere.

3. γλυκαίνειν] Soph. fr. 239 [Dind.] ap. schol. Eur. Phoen. 227 εἶτ' ἦμαρ αὔξει [ita emendatum pro librorum ἄξει] μέσσον ὄμφακος τύπον | καὶ κλίνεταί γε [B τε] κἀποπερκοῦται βότρυς. Hic Meineke[1]) emendari voluit γλυκαίνεταί τε, Nauckius πεπαίνεταί τε, sed optime Gomperz, Beitr. p. 239 κλίνεται retinendum censuit recepta codicis B scriptura τε: καὶ κλίνεταί τε.[2])

Primum igitur hoc verbum invenitur Xen. Oec. 19, 19 ὅταν δὲ καιρὸς ᾖ ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἤδη γλυκαίνεσθαι τὰς σταφυλάς. — Arist. Phys. VII 2, 244^{b}, 6/7. — Hippocr. 2, 34. 7, 160. — Theophr. fr. 4, 34. — Aristox. elem. 1 p. 23. — Mosch. 3, 117. — Dion. d. comp. verb. 15 p. 90, 1. Athen. V p. 200 B. IX p. 384 D. — Conf. Legrand: *γλυκαίνω addoucir, s'addoucir.

Ex. 15, 25 ἐγλυκάνθη τὸ ὕδωρ.

4. διαμαρτύρεσθαι i. q. obtestari, monere, denuntiare, praecipere] Apud Demosthenem aliosque hoc verbum in crebro usu fuit notione 'contestandi', illa vero notio recentioribus maxime temporibus videtur evaluisse. Ita Xen. Cyrop. 7, 1, 17 καὶ σὺ μὴ πρότερον ἔμβαλλε τοῖς ἐναντίοις, διαμαρτύρομαι, πρὶν ἂν φεύγοντας τούτους οὓς νῦν φοβεῖ θεάσῃ.

1) vid. Meineke ad Theocr. [1, 46] p. 183 ann.

2) Conf. Campbell, Sophocles plays and fragments vol. II p. 506 'ay, just as the day begins to decline.'

— Pol. 1, 33, 5 *τοῦ Ξανθίππου διαμαρτυρομένου μὴ παριέναι τὸν καιρόν*. 1, 37, 4. — 3, 110, 4 *πολλὰ διαμαρτυρομένου καὶ κωλύοντος τοῦ Λευκίου*. — 3, 15, 5 postulare: *Ῥωμαῖοι μὲν οὖν διεμαρτύροντο Ζακανθαίων ἀπέχεσθαι*. — Diod. 18, 62. — Plut. Cim. 16. Crass. 16. Nic. 12.

Ex. 19, 21 *διαμάρτυραι τῷ λαῷ μήποτε ἐγγίσωσιν πρὸς τὸν θεόν*. 19, 10. Gen. 42, 2. — Ex. 19, 23 *σὺ γὰρ διαμεμαρτύρησαι ἡμῖν ἀφορίσαι τὸ ὄρος*. — monere Ex. 21, 19. 36.[1])

5. *εἰσπορεύεσθαι*] (Genus huius verbi activum invenitur Eur. El. 1285 *Πυλάδης μὲν οὖν κόρην τε καὶ δάμαρτ' ἔχων Ἀχαΐδος γῆς οἴκαδ' εἰσπορευέτω*).

Genus medium primum invenitur ap. Xen. Cyrop. 2, 3, 21. deinde Aen. Tact. 24, 4. 4. 9. — Accedunt titulorum papyrorumque testimonia: CJA. III 74, 6. — CJG. 4697 [Lap. Rosett. ao. 196 a. Chr. n.] 6. — titulus quidam in Iudaea inventus ['si non Herodis Magni at certe prima imperatorum Romanorum aetate'. — vid. Viereck, Sermo Graecus p. XII ann.] *μηθένα ἀλλογενῆ εἰσπορεύεσθαι ἐντὸς τοῦ περὶ τὸ ἱερὸν τρυφάκτου*. PL. 35, 29/30 [163 a. Chr. n.].

Gen. 7, 16. abs. Ex. 34, 34. — *εἰς* Gen. 23, 10. 18. Ex. 1, 1. 11, 4. 14, 28. 23, 27. 28, 26. 39. 30, 20. 21. 33, 8. 34, 12. 38, 27 — *πρός τινα* Ex. 5, 23 Lag. F [BA simpl.]. — Gen. 44, 30 *νῦν οὖν ἐὰν εἰσπορεύομαι πρὸς τὸν παῖδά σου* pervenire ad. — Deinde de concubitu Gen. 6, 4 *ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων* [ita *εἰσέρχεσθαι* ap. Dion. C.].

6. *ἐκθλίβειν*] Xen. An. 3, 4, 19 *ἐκθλίβεσθαι τοὺς ὁπλίτας* premi, detrudi. 20. — persaepe ap. Arist. ita de an. hist. VI 28, 578ᵇ, 4. III 20, 522ᵃ, 20. de an. gen. III 5, 755ᵇ, 15 al. perm. — Theophr. de od. 24. — Anth. Pal. 4, 182, 5. — Antig. ibid. 178, 4. — Diod. 20, 71. 64 al. — Plut. — Gal.

Gen. 40, 11 *ἐξέθλιψα αὐτὴν* [sc. *τὴν σταφυλήν*] *εἰς τὸ ποτήριον* [Ex. 3, 9 legendum est *τὸν θλιμμὸν ὃν οἱ Αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς* ita BAF, *ἐκθλίβουσιν* Lag.].

7. *καθήκειν* i. q. *προσήκειν* convenit, decet] Iam apud Atticos inveniuntur loci, quibus simili modo *καθήκειν* de

[1]) perfectum tempus huius verbi ap. LXX interpretes extat *διαμεμαρτύρημαι*.

tempore constituto, convenienti dicitur. conf. Dem. 19, 185 *εἶτ' ἐκκλησίαν ποιῆσαι, καὶ ταύτην ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ* al. — Deinde generalius, conf. Xen. Cyrop. 8, 1, 4 *οὕτω καὶ αὐτοὶ πειθώμεθα οἷς ἂν ἡμᾶς καθήκῃ*. 1, 2, 5 *τὰ καθήκοντα ἀποτελεῖν* officia facere. An. 1, 9, 7 abs. convenit. — Arist. Pol. VII 2, 1325ª, 13 *ποῖα πρὸς ποίους ἀσκητέον ἢ πῶς τοῖς καθήκουσι πρὸς ἑκάστους χρηστέον* [in versu insequenti extat *τῆς προσηκούσης σκέψεως*]. Saepius ap. Polyb. *καθήκων* idoneus, aptus 5, 25, 1. 4. 3, 78, 3. *τὸ καθῆκον* officium 6, 6, 7. 12, 12, 7. — Diod. 16, 1 al.

Magnus huc addi potest numerus exemplorum e titulis et papyris repetitorum:

CJG. 4697 [lap. Rosett. 196 a. Chr. n.] 35. 15. 18. 32. 50. CJA. II 594 [127 a. Chr. n.] 6. — tit. Sestianus [vid. Jerusalem] 48. — CJG. 4896 [c. 127—117 a. Chr. n.] C. — CJA. III 49, 4.

PL. 22, 27 [164 a. Chr. n.]. 26, 6 [163]. 27, 7 sq. [163] 18/9. 37, 52 [c. 163]. 30, 8 [162]. P. Leem. B. subscr. V [161 a. Chr. n.]. — PL. 13, 17 *τῶν ἐκείνης ἐμοὶ καθηκόντων* propinquorum meorum [157 a. Chr. n.] 14, 49 [127 a. Chr. n.].

Gen. 19, 31 *ὡς καθήκει πάσῃ τῇ γῇ* ut mos est ubicumque. Ex. 16, 21 *συνέλεξαν αὐτὸ . . ἕκαστος τὸ καθῆκον αὐτῷ*. 5, 13. 19. — Ex. 16, 16. 18 *οἱ καθήκοντες* videtur esse 'propinqui'. conf. PL. 13, 17.

8. *καταδυναστεύειν*] Xen. Symp. 5, 8 *δέδοικα τὸν σὸν καὶ Ἀντισθένους πλοῦτον μή με καταδυναστεύσῃ*. — Diod. 13, 73 *καταδυναστεύσειν τῶν πολιτῶν*. Exc. p. 611, 85 *τὴν πρέπουσαν τοῖς καταδυναστευομένοις ἐπικουρίαν*. — Strab. 6 p. 270 *ἐλευθεροῦν τοὺς ὑπὸ τῶν βαρβάρων καταδυναστευομένους*. — Plut. Mor. 367 D. 371 B al.

Ex. 1, 13 *καὶ κατεδυνάστευον οἱ Αἰγύπτιοι τοὺς υἱοὺς Ἰσραήλ* [Lag. *τῶν υἱῶν*]. 21, 17 *καὶ καταδυναστεύσας αὐτὸν ἀποδῶται* vi uti contra aliquem, opprimere.

9. *κατασκηνοῦν*] tentoria ponere, tendere, morari. Xen. Cyrop. 6, 2, 2 *κελεύω τοίνυν ὑμᾶς μένοντας ἐν ᾧ κατεσκηνώκατε φυλάττειν τὰ χρήματα*. 4, 5, 39. — An. 2, 2, 16. — saepius apud Pol. 10, 31, 5. 14, 2, 8. 21, 10, 7. 35, 2, 4. — nec minus saepe ap. Plut. ita Arist. 17. Sulla 17. Sert. 6.

Quamdiu hoc verbum iam apud Atticos inveteraverit ostendit Aeschyli *κατασκήνωμα*. Cho. 999.[1])

Gen. 44, 12 Lag. *ἦν γὰρ κατασκηνῶν ἐν Σοδόμοις* [ADE *κατοικῶν*].

10. *καταφιλεῖν* osculari] Xen. Cyrop. 7, 5, 32 *ἔπειτα δὲ Κῦρον κατεφίλουν καὶ χεῖρας καὶ πόδας πολλὰ δακρύοντες*. 6, 4, 10. Mem. 2, 6, 33. — Arist. fr. 512, 1561^b, 40. — Pol. 15, 1, 7. — Plut. Alex. 67. Brut. 16. — Luc. Nigr. 21. dial. deor. 4, 5. Necyom. 12. Asin. 51. dial. mer. 5, 3. — Conf. Antatt. 115, 22 *φιλεῖν φασὶ δεῖν λέγειν τὸ κατὰ ψυχήν, καταφιλεῖν δὲ καὶ κύσαι τὸ διὰ τοῦ στόματος*.

Gen. 31, 28 *οὐκ ἠξιώθην καταφιλῆσαι τὰ παιδία μου* [Lag. *φιλῆσαι*]. 55. 45, 15. Ex. 4, 27.

11. *κυριεύειν*] Xen. Mem. 2, 6, 22 *διὰ πολέμου πάντων κυριεύειν*. 3, 5, 11. — Arist. Eth. Nic. VIII 12, 1160^b, 36. oec. II 1351^b, 1. de pl. II 2, 823^b, 23. 824^a, 7. de mir. ausc. 95, 838^a, 10. ^{b}26. — Pol. potiri 1, 8, 1. 1, 10, 6. 1, 29, 1. 1, 7, 11. 1, 19, 11. 3, 13, 7. 3, 67, 6 4, 75, 7. 5, 20, 9. 8, 19, 5. 10, 17, 1. tenere, in potestate habere 4, 6, 6. 4, 18, 2. 5, 34, 6. 8. — [Dem.] *κατὰ Φιλίππου δ'* 16. — lex interpolata ap. Aesch. 1, 35. — Diod. 16, 4 *τῶν τότε κυριευομένων πόλεων*. 16, 8, 25 al. perm. — Saepissime ap. Plut. — Accedunt testimonia titulorum et papyrorum: CJG. III 5127 [247—222 a. Chr. n.] 13. — Dittenb. Syll. nr. 448, 10 [185/4 a. Chr.]. 452, 5 [177/6 a. Chr. n.]. nr. 226 [170 a. Chr. n.]. 21. 26. — 460, 8 [169/8 a. Chr.]. CJG. III 4303. — PL. 13, 12 [157 a. Chr. n.]. 14, 16 sq. [127 a. Chr. n.]. 15. col. 1, 12/3 [120 a. Chr. n.]. col. 3, 52. 56. 21, 29 [aetate Mauricii scriptus]. P. Leem. V col. 4, 9 [III^1 fere p. Chr. n. saec.].

Gen. 3, 16 *καὶ αὐτός σου κυριεύσει*. 37, 8. Ex. 15, 9.

12. *πλατύνειν*] Xen. Cyrop. 5, 5, 34 *τί γάρ ἐμοὶ πλέον τὸ τὴν γῆν πλατύνεσθαι αὐτὸν δὲ ἀτιμάζεσθαι*. Hipp. 4, 3. — Arist. de mir. ausc. 112, 841^a, 2. de mundo 3, 393^a, 23. de pl. I 5, 820^a, 26. II 1, 822^a, 38. — Plut. Mor. p. 376 E. Anton. 36 al.

Ex. 34, 24 *πλατύνω τὰ ὅριά σου* [AF Lag. *ἐμ-*]. — Gen. 28, 14 *πλατυνθήσεται* [sc. *τὸ σπέρμα σου*] *ἐπὶ θάλασσαν καὶ*

---

[1]) Apud Xenophontem extat quoque *κατασκηνεῖν* An. 3, 4, 33. 7, 4, 11. Hell. 4, 5, 2. — apud Pl. Pol. X 614 E *κατασκηνᾶσθαι*.

ἐπὶ λίβα diffundere. abs. Gen. 26, 22 ἐπλάτυνεν ὁ κύριος ἡμῖν latos fines dare alicui 9, 27 [hebr.: הִרְחִיב יְהוָה לָנוּ].

13. προσάγειν propius accedere neutr.] Xen. An. 1, 10, 9 ἔδεισαν οἱ Ἕλληνες μὴ προσάγοιεν πρὸς τὸ κέρας. — Arist. de an. gen. IV 1, 765^b, 5 δεῖ ὅτι μάλιστα προσάγειν ἐγγὺς τῶν πρώτων αἰτιῶν. — Theocr. 15, 78 Πραξινόα· πόταγ᾽ ὧδε. — Pol. 11, 1, 2. 2, 65, 1. 10, 39, 6 al. — Plut. Mor. p. 587 E. Galba 9. Lyc. 5. Pomp. 46. — Deinde, ut videtur, CJA. III, 73, 9 καὶ μηθένα ἀκάθαρτον προσάγειν.

Ex. 3, 4 ὡς δὲ εἶδεν Κύριος ὅτι προσάγει ἰδεῖν. 14, 10.

14. προσαναβαίνειν] Xen. Hipp. 1, 2 εἰ δὲ μὴ προσαναβήσονται ἱππῆς de equitibus qui novi accedunt. — Arist. de an. hist. IX 21, 617^a, 26 προσαναβαίνει ὁ κύκνος πρὸς τὰς πέτρας. — Pol. augeri, intumescere 3, 72, 4 προσαναβεβηκότος [sc. τοῦ ποταμοῦ] τῷ ῥεύματι διὰ τὸν ἐν τῇ νυκτὶ γενόμενον .. ὄμβρον. — 4, 39, 8 al. — Diod. 1, 37. 2, 6. 13. 14, 52 al. — Dio C. 39, 45. — Plut. Rom. 1 al.

Ex. 19, 23 προσαναβῆναι πρὸς [BAF, εἰς Lag.] τὸ ὄρος τὸ Σεινά.

15. σκεπάζειν] Xen. Mem. 3, 10, 9 τὰ δεόμενα σκέπης τοῦ ἀνθρώπου σκεπάζειν τὸν θώρακα. Cyrop. 8, 8, 17. Eq. 12, 8. — Hippocr. 2, 34. — Saepissime ap. Arist. de an. gen. III 3, 754^b, 7, 1. de an. part. IV 10, 688^a, 20. de an. gen. III 2, 752^a, 15. probl. X 53, 896^b, 33. de an. part. II 14, 658^b, 6. fr. 90, 1492^a, 31. de an. inc. 12, 711^b, 32. fr. 269, 1526^b, 42. de an. hist. III, 11, 518^a, 15. de an. gen. V 5, 785^a, 27. — Lycophr. 1311. — Saepius ap. Pol. invenitur: tegere, tutum praestare. 1, 22, 10. 8, 6, 4. 10, 13, 2. 31, 3, 9. — Diod. 19, 109. — Luc. Asin. 42. — Plut. Mor. 702 A.

Iam ap. Platonem legitur nomen σκέπασμα Polit. 279 D. E. 280 C. de legg. XII 942 D.

Ex. 40, 3 σκεπάσεις τὴν κιβωτὸν τῷ καταπετάσματι. 19. 32, 22 σκεπάσω τῇ χειρί μου ἐπὶ σέ [hebr. עַל]. — occulere Ex. 2, 2 ἐσκέπασαν αὐτὸ μῆνας τρεῖς. — conservare 12, 13. 27.

16. σκοπεύειν] Xen. Hipp. 7, 6 σκοπεύειν τοὺς πολεμίους. — Diod. 3, 25 σκοπεύουσιν ἀπὸ τῶν δένδρων conf. Strab. 11 p. 520. — In hoc verbo Atticistas offendisse docet συναγ. λέξ. χρησ. B. A. 435, 21 ἀποσκοπεῖσθαι λέγουσιν οὐ σκοπεύειν.

vid. etiam Lob. ad Phryn. p. 591. — vid. Legrand: *σκοπεύω* regarder, observer ‖ méditer ‖ avoir dessein.

Ex. 33, 8 *εἱστήκει πᾶς ὁ λαὸς σκοπεύοντες.*

17. *τεκνοποιεῖν*] Xen. mem. 2, 2, 5 *ὁ ἀνὴρ τὴν τεκνοποιήσουσαν αὑτῷ τρέφει.* — Arist. de an. hist. VII 5, 585^{b}, 10 *συμβαίνει . . πολλαῖς γυναιξὶν καὶ ἀνδράσι μετ' ἀλλήλων μὲν συνεζευγμέναις μὴ δύνασθαι τεκνοποιεῖσθαι.* — Diod. 1, 73 *εὐπορουμένους αὐτοὺς ῥᾳδίως τεκνοποιήσειν.* 4, 29 med. *ἐφιλοτιμήθη τὰς θυγατέρας ἐκ τούτου τεκνοποιήσασθαι.*

Gen. 11, 30 *καὶ ἦν Σάρα στεῖρα καὶ οὐκ ἐτεκνοποίει.* 30, 3 *ἵνα τεκνοποιήσωμαι κἀγώ* [i. e. *Ῥαχήλ*]. — 16, 2 *ἵνα τεκνοποιήσεις* [sc. *Ἀβράμ*] *ἐξ αὐτῆς* [Lag. *τεκνοποιήσωμαι*, D *τεκνοποιήσω*].

Haud ita multum novi haec verba videntur afferre ad ea quae iam e superioribus capitibus de Xenophontis sermone cognovimus. Illud tamen gravissimum inest: pleraque horum verborum Attica sunt, non peregrina; nonnullis ut *κατασκηνοῦν*, *σκεπάζειν* Atticae naturae notas annotavi, de aliis, ut *εἰσπορεύεσθαι* dubium esse non potest, cum similia verba ut *ἐκπορεύεσθαι* [cap. II 9 p. 286] respexerimus; aliorum recentiores notiones in ipsis Atticorum litteris succrescere videmus, conf. *καθήκειν*, *διαμαρτύρεσθαι*; reliqua paene omnia varias illas formandi et transformandi exhibent rationes, quas iam supra nova semper verba sermoni recentiori summittere cognovimus. Ita quae antea compluribus potius vocibus exprimerentur notiones, iam recentiore aetate si ullo modo fieri poterat, uno verbo comprehenduntur, fugere enim amat sermo vulgaris magnas ambages. Conferas verba Plutarchi [Mor. p. 1011 E] *ὅρα δὲ μὴ κόμμασιν καὶ θραύσμασιν ὀνομάτων ἐοίκασιν ὥσπερ γραμμάτων σπαράγμασιν καὶ κεραίαις οἱ σπεύδοντες γράφουσιν. . . ὥσπερ ἀμέλει τὸ λίθους βάλλειν καὶ τοίχους ὀρύσσειν λιθοβολεῖν καὶ τοιχωρυχεῖν ἐπιταχύναντες καὶ σφίγγοντες τὴν φράσιν λέγουσιν.* Ita magis magisque augetur copia verborum parasynthetorum [conf. *τεκνοποιεῖν*], decompositorum [*ἀποκαθιστάναι*, *προσαναβαίνειν*], verborum denique derivatorum in *-εύειν* et *-ίζειν* exeuntium. Sed haec iam sufficiant. Ad ipsum Xenophontem quaestio redeat. Vidimus ergo Xenophontis sermonem a sermone scriptorum qui dicuntur mere Atticorum longius

recedere, multisque rebus ad recentiorem sermonem propius accedere.[1]) Inveniuntur enim apud illum verba, quae videantur esse poetarum propria, verba, quae vulgo Ionum dialecto vindicantur, verba denique, quae, cum a scriptoribus mere Atticis diligenter evitentur, apud recentiores vero magis magisque invalescant, sermoni vulgari, *τῇ κοινῇ διαλέκτῳ* vulgo adscribantur. De causis huius rei in universum omnes consentiunt[2]); iurant in verba Helladii [ap. Phot. Biblioth. p. 533, 25]: *οὐδὲν θαυμαστὸν ἀνὴρ ἐν στρατείαις σχολάζων καὶ ξένων συνουσίαις εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς· διὸ νομοθέτην αὐτὸν οὐκ ἄν τις ἀττικισμοῦ παραλάβοι.* Quid veri in his verbis insit neminem effugere potest, ne mihi quidem in animo est de vi et iure verborum Solonis dubitare *γλῶσσαν οὐκέτ' Ἀττικὴν ἱέντας ὡς ἂν πολλαχῇ πλανωμένους.*[3]) Sed videas, quid Rutherford[4]) illinc sibi finxerit: 'Xenophon's vocabulary is a cento of terms picked up in the various districts into which his active military life led him'. Quomodo haec verba congruunt cum eiusdem sententia: 'it has been already proved that, to an Athenian of the best age, it was as easy and natural to pass in literature from one dialect to another as from one metrical system to another'.[5]) Quid in his verbis modum transcedat non inquiram, illud certe constat optime Graecorum scriptores meliores, quorum e numero nemo Xenophontem reiciet, a cotidiano, quo utebantur, sermone, distinxisse sermonem litterarum, ita ut vel dialectorum discrimina paene nihil valerent.[6]) Quod si ita est, non video, cur Xenophonti, homini Attico, quamvis multos

---

[1]) conf. etiam supra cap. I p. 282 et ann. 2—4.

[2]) vid. praecipue Rutherford, The new Phryn. p. 161 sqq.

[3]) fr. 36, 11/2 ap. Arist. Athen. polit. XII 4.

[4]) Rutherford, Babrius introd. p. LIV.

[5]) Rutherford, The new Phrynichus p. 163.

[6]) Conf. supra passim. — Wilamowitz, Ueber die Entstehung der griech. Schriftsprachen p. 39: 'wer an die ganze gebildete Welt appellirt, wes Stammes er auch sei, Syracusaner, Arkader, Kyrenäer, muss attisch schreiben.' — [Auch in den folgenden Jahrhunderten] 'schreiben die Schriftsteller eine andere Sprache, als sie an der Mutterbrust gelernt haben, ja die Kluft zwischen gesprochener und geschriebener Rede erweitert sich nur.' conf. etiam Zarncke, Die Entsteh. d. griech. Literaturspr. p. 21.

annos inter peregrinos degerit, non licuerit mere Attice scribere. Thucydides vel in exilio vel in itineribus opus suum conscripsit, Andocides magnam vitae partem extra patriae fines degit: uterque sermone mere Attico usus est. Rutherfordius ipse aliqua ex parte verbis suis moderari videtur, cum alio loco scribit[1]): 'No Athenian of the best days used for ordinary purposes *ἔρχηται* for *ἴῃ*, *ἐρχόμενος* for *ἰών*, *πωλήσω* for *ἀποδώσομαι*, *τέξω* for *τέξομαι*, *κάρτα* for *σφόδρα*, yet the words were known to him, and he recognized that they were in place in Tragedy and might for literary purposes be employed in Comedy. But if the same man moved for a year or two among Greek peoples which used *ἔρχηται*, *ἔρχοιτο*, *πωλήσω*, *τέξω*, *ἐλεύσομαι* and the like there is no question that he would follow their example'. Quae verba longa argumentatione refellere non opus est, re ipsa satis refelluntur, qui enim, ne ad superiora exempla recurram, Rutherford sermonem Atticum Platonis his laudibus efferre debuit 'that marvellous precision of language which is observable in .. Plato',[1]) cum satis constet, quantum temporis Plato in itineribus extra fines Atticae degerit! — Omnes illae explicationes unam rem praetermittunt: quod in Xenophontis scriptis satis multa extant vestigia ipsius Attici sermonis recentioris.[2]) Ostendi supra, quam arte hic recentior sermo cum Atticorum sermone cotidiano cohaereat, qui cum marcescente Atticae flore in litteras irrueret, hunc ipsum, quem dicimus, sermonem recentiorem effecit.[3]) In illo inerant,

---

[1]) The new Phrynichus p. 163.

[2]) Alia e parte eandem fere rem ostendit Kühner-Blass, Ausführl. Gramm. I 2³ p. 290 [§ 332, 7]: 'sie (sc. die Verbaladjective auf -*τέος*) scheinen sich besonders in der Umgangssprache gebildet zu haben, daher ihr häufiger Gebrauch bei Aristophanes, Xenophon, Plato.' Ac nonne Rutherford ipse eodem spectat, cum ubique docet: 'that Xenophon's diction is an anticipation of the Common dialect.'

[3]) Consentaneum est ubique sermonem vulgarem paulatim in litteras quoque irrepere, cum fundamentum in quo nixus litterarum sermo a sermone vulgari magis magisque recessit atque effloruit, labari incipit. Conferas discrimen inter stilum carminum Waltheri de Vogelweide et Nithardi de Reuenthal, corruente in dies magis magnifico aulicae vitae splendore. Neque his temporibus Wustmanni declamationes multum profecerunt: progressus linguae suas quoque leges habet. Certe

ut supra ostendebam, permulta, quae vulgo nominantur verba poetica, Ionica, recentiora; ita demum intellegitur, quomodo omnia illa Platonis, Xenophontis, Aristotelis verba in vico Alexandriae Iudaico emergere potuerint, quod omni explicatione caret, cum iudicamus unumquemque ex illis scriptoribus e poetarum sermone, ex Ionica dialecto, e regionibus maxime diversis sibi vocabula sua collegisse. Continuum flumen inde ab Aristotele per litteras Graecas perfluit, cuius fontes et rivi e vigenti sermone vulgari initium capiunt. Quod flumen etsi arte coercetur, tamen naturae vi ac lege oritur, augetur, ducitur. Quod singuli suo ingenio et arte ad illud naturae opus addunt, nisi illis legibus continetur, perire solet. Et collegi in his capitibus illa tantum verba, quae permanserunt per compluria saecula. Ex ea parte solum de Xenophonte dicere audeo. Ita vero e vita ac natura Xenophontis modo eae causae repetendae sunt, quibus explicetur, cur ipse Xenophon iam recentiorem statum sermonis Attici exhibeat, cum fuerint alii post eum, qui sermone 'mere' Attico usi sint. Atque illud quidem e natura cum operum tum ipsius scriptoris intellegitur. Sobria fuit ac simplex Xenophontis natura, rebus ipsis magis dedita et vitae usui quam arti et reflexioni.[1]) Huc addas quod idem artis patriae terminis coerceri noluit et certe ob easdem causas artissimis ser-

singuli sibi in hoc progressu suum locum valent vindicare: post Nithardum Udalricus de Lichtenstein carmina sua cecinit, post Xenophontem oratores Attici mero Atticorum sermone usi sunt. Sed serius ocius id fieri necesse erat, quod supra adumbravi, quodque Zarnckii [l. l. p. 21] verbis comprobare satis sit: 'Im allgemeinen aber gilt auch für die attische Prosarede der Satz, dass sie durchaus nicht zu identificiren ist mit der attischen Mundart, die nur ihren Grundstock bildet, wenigstens bei weitem nicht in ihren ersten Stadien. Erst allmählig findet eine Annäherung statt.'

[1]) Conf. Christ, Gesch. d. griech. Liter.[2] p. 298. — G. Kaibel, Stil u. Text der πολιτεία Ἀθην. 1893 p. 29 ann. 1: 'Xenophon — der jedem fremden Einfluss zugänglich ist, da seine eigene Denk- und Stilsphäre eine wenig begrenzte und geordnete ist.' — Conf. etiam Rutherford l. l. p. 161: 'A busy man, living almost wholly abroad, devoted to country pursuits and the life of the camp, attached to the Lacedaemonian system of government, and detesting the Athenian, Xenophon must have lost much of the refined Atticism with which he was conversant in his youth.'

monis litterarum Attici vinculis non ita ambitiose favit. Usurpavit igitur, ut natura eius tulit, ea verba, quae ei res et usus suppeditabant. Iam licet cumules eius itinera et peregrinationes et quaecunque addere vis et habes causas, cur is sermonis Attici status, qui paucis decenniis post necessario extitit, iam apud Xenophontem inveniatur: 'Xenophon's diction an anticipation of the Common dialect'.

Caput VI.

Verba quae inde ab Hippocrate inveniuntur.

1. *αἱρετίζειν*] Hippocr. ep. 9, 362 *ἠρεμίην οὐχ αἱρετίζουσιν.* — Babr. fab. 61, 5 *θήρην δ' ὁ γριπεὺς ἡρέτιζεν ἀγρείην.* [Pol. 1, 79, 9 *αἱρετιστής.* 2, 38, 7. 2, 55, 8. 22, 6, 11. — Diod. 18, 75 al.]. — CJA. III 73 *Ξάνθος Λύκιος καθειδρούσατο ἱερὸν τοῦ Μηνὸς Τυράννου αἱρετίσαντος τοῦ θεοῦ.* — Vulgarem usum ostendit Antattic. B. A. 77, 23 *αἱρετίζειν ἀντὶ τοῦ αἱρεῖσθαι.*[1])

Gen. 30, 20 *ἐν τῷ νῦν καιρῷ αἱρετιεῖ με ὁ ἀνήρ μου.* huc spectat Hesychii glossa *αἱρετίζειν· αἱρεῖσθαι, ἀρέσκεσθαι.*[2])

2. *ἐμφυσᾶν*] Hippocr. 5, 616 *κοιλίης ἐμφυσωμένης.* — Arist. probl. V 9, 881ᵇ, 14 *ἐμφυσᾶν τὰς φλέβας.* II 20, 868ᵃ, 17. de an. hist. II 1, 500ᵇ, 22. — Theophr. fr. 9, 25. — *Κλέαρχος ὁ Σολεὺς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Γεργιθίῳ* ap. Athen. VI p. 255 B. — Luc. Philops. 12. Char. 19. — Dio Chrys. Or. 55 vol. 2 p. 283.

Gen. 2, 7 *ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς.*

3. *ἐνισχύειν*] Hippocr. leg. 4, 460 trans. *ὁ δὲ χρόνος ταῦτα ἐνισχύει πάντα.* — Saepius apud Arist. sensu neutrali 'invalescere'. meteor. II 5, 362ᵃ, 25. de an. part. II 7, 653ᵃ, 31. III

---

[1]) Ex his corrigendum est, quod annotavit Sturzius, de dial. Maced. et Alex. p. 144: '*αἱρετίζειν* et *αἱρετίζεσθαι* Alexandrina ego quidem arbitror fuisse pro *αἱρεῖν* et *αἱρεῖσθαι* eligere, praeferre, delectari. Vix enim reperiuntur nisi in versione V. T. Graeca.'

[2]) hebr. יִזְבְּלֵנִי vid. Gesenius, Handwörterb.[11] p. 226ᵃ: 'nun wird mein Mann mir beiwohnen'. — at ex explicatione Frdr. Delitzschii i. q. נשׂא 'jetzt wird mein Mann mich hochhalten, ehren'. — ita etiam LXX interpp.

4, 667^a, 29. Eth. Nic. X 10, 1180^b, 4. — Theophr. d. caus. pl. III 23, 5. fr. 1, 63. — Diod. 1, 18. 5, 57. 20, 58 al. — Diosc. Alex. 5 p. 404 F al.

Gen. 12, 1 *ἐνίσχυσεν ὁ λιμὸς ἐπὶ τῆς γῆς* invaluit. 42, 39. 47, 4. 13. — Gen. 48, 2 *καὶ ἐνισχύσας Ἰσραὴλ ἀνεκάθισεν ἐπὶ τὴν κλίνην* nixus, enixus; ita fortasse etiam Gen. 33, 14 *ἐγὼ δὲ ἐνισχύσω ἐν τῇ ὁδῷ κατὰ σχολὴν τῆς πορεύσεως* [וַאֲנִי אֶתְנַהֲלָה paulatim progredi. conf. Tac. ann. 16, 5 dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur]. — Gen. 32, 28 *ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατός* שׂרה luctari, contendere.

4. *ἐνυπνιάζεσθαι*] Hippocr. 1, 594 *ἐνυπνιάζονται θορυβώδεα.* — Arist. de somno 1, 453^b, 19 act. *πότερον συμβαίνει ἀεὶ τοῖς καθεύδουσιν ἐνυπνιάζειν, ἀλλ' οὐ μνημονεύουσιν.* de divin. 2, 464^a, 10. — med. probl. XXX 14, 957^a, 7 *οἱ ἐν τῷ καθεύδειν ἐνυπνιαζόμενοι.* de an. hist. VII 10, 587^b, 10. — Plut. Cat. mai. 23. — med. Brut. 24.

Gen. 28, 12. abs. 41, 5. — 37, 5 *ἐνυπνιασθεὶς δὲ Ἰωσὴφ ἐνύπνιον.* 6. 9. 10 [v. l. *ἐνυπνιασάμην* pro *ἐνυπνιάσθην* 37, 6 Lag. 9 Lag. D^{sil} E].

5. *ζυμοῦν*] (Conf. *ζύμωσις* Pl. Tim. p. 66 B. 74 C. — *ζυμώδης* Arist. de an. gen. III 4, 755^a, 23 al.). — Hippocr. 2, 358 *τὰ δὲ μέλανα ζυμοῦται καὶ μετεωρίζεται.* 5, 722 saep. — schol. Ar. Pl. 1127. 1137. 1143 expl. *πεπεμμένος* per *ἐζυμωμένος.* — Vid. Legrand: **ζυμόνω* pétrir ‖ fermenter.

Ex. 12, 34 *τὸ σταῖς πρὸ τοῦ ζυμωθῆναι.* 39.

6. *καθυστερεῖν*] Hippocr. ep. p. 1271, 44 c. gen. *μὴ καθυστερεῖν μου τῆς θεραπείης* serius venire ad. — Theophr. d. caus. pl. 1, 17, 2 abs. — Pol. abs. morari, sero venire: 3, 96, 11. 5, 30, 5. 9, 14, 10. 22, 24, 11. — 22, 9, 9 i. q. paulo ante *λείπεσθαι: τοὺς δὲ λοιποὺς καθυστερεῖν τοῖς βίοις* inferiorem, minus bene instructum esse aliqua re. 29, 3, 1. 24, 7, 5. — c. gen. 11, 33, 8 *σπεύδων δὲ μὴ καθυστερεῖν τῆς ἐν τῇ Ῥώμῃ καταστάσεως τῶν ὑπάτων.* 5, 17, 7. 5, 20, 2. 10, 39, 5. 5, 6, 3. — Plut. Mor. p. 162 A abs. c. gen. 637 D. 643 F, saepius. — CJA. II 478 [68—48 a. Chr. n.] 24.

Ex. 22, 29 *ἀπαρχὰς ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου οὐ καθυστερήσεις* [אחר Pi. differre, prorogare]. Hic verbi usus litterarum

exemplis non videtur posse firmari, sed videas quid casu quodam ductus in actis diurnis neograecis[1]) invenerim: *οἱ καθυστεροῦντες τὰς συνδρομάς των* de iis qui in solvenda pecunia lentiores sunt. it. *κατάλογον δὲ τῶν καθυστερούντων συνδρομὰς θέλομεν παραδώσει εἰς δικηγόρον.* qui loci optime quadrant ad Ex. 22, 29.

7. *προσχέειν*] Hippocr. 8, 442 *προσχεαμένη καὶ καθαρὴν ἑαυτὴν ποιήσασα.* — Arist. de somno 3, 457ᵇ, 14 *τοῖς προσχεομένοις θερμὸν ἐξαίφνης φρίκη γίνεται.* probl. III 26, 875ᵃ, 9. VIII 11, 888ᵃ, 31. 20, 889ᵃ, 22. XXIV 13, 937ᵃ, 29. — Luc. sacrif. 9 *τὸ αἷμα πίνοντες τοῖς βωμοῖς προσχεόμενον.*

Ex. 24, 6 *τὸ δὲ ἥμισυ τοῦ αἵματος προσέχεεν πρὸς τὸ θυσιαστήριον.* 29. 16. 21.

8. *σκληρύνειν*] Saepius ap. Hippocr. ita 8, 332 al. — Arist. opp. *μαλάττειν* coni. *ξηραίνειν, πηγνύναι* meteor. IV 1, 378ᵇ, 17. probl. I 9, 860ᵃ, 17. V 6, 881ᵃ, 9. XXIV 11, 937ᵃ, 18. XXXI 14, 958ᵇ, 30. de an. gen. III 11, 762ᵃ, 29. II 2, 736ᵃ, 4 al. permulta. Theophr. fr. 5, 58. 2, 11. — Galen.

Ex. 9, 12 *ἐσκλήρυνεν κύριος τὴν καρδίαν Φαραώ* obduravit. 10, 1. 20. 27. 11, 10. 14, 4. 8. 17. 4, 21. 7, 3. inde 8, 19 *ἐσκληρύνθη ἡ καρδία Φ.* 9, 35. 7, 22 Lag. AF. — Gen. 49, 7 *ἐπικατάρατος . . ἡ μῆνις αὐτῶν ὅτι ἐσκληρύνθη* קָשָׁה ira, quod gravis erat. — Ex. 13, 15 *ἡνίκα ἐσκλήρυνεν Φαραὼ ἐξαποστεῖλαι ἡμᾶς* הִקְשָׁה Hi.: cum Pharao offirmato, pertinaci animo nollet nos dimittere; videtur hic interpres per neglegentiam vim generis Hiphil intensivam [conf. Gesen.-Kautzsch²⁵ 53, 2 Anm. b] imitatus esse.[2])

9. *ὑψοῦν*] Hippocr. 9, 258 *ἐκ ποδὸς ὑψεύμενοι.* — Pol. *ὑψοῦν ἄνθρωπον* opp. *ταπεινοῦν* 5, 26, 12. — Rufin. Anth. Pal. V 92, 22 *ὑψοῦται τῷ κάλλει.* VII 53 [Alcaeus] *καὶ τάφον ὑψώσαντο.* — Batrachomyom. 80. — Plut. Mor. 103 F *καὶ τὰ χθαμαλὰ πάλιν ὑψοῦται ταῖς ὀξυρρόποις μεθιστάμενα τῆς*

---

[1]) *Καιροί* 24. Dec. 1892.

[2]) De genere Hiphil vid. ea quae supra annotavi I 6 s. v. *ἐξαίρειν* et ann. 1. — III 6 s. v. *βδελύσσεσθαι.* — Corrigendum est quod B exhibet Ex. 7, 22 *ἐσκλήρυνεν ἡ καρδία Φ*, ubi ne hebraico Hiphil quidem hic verbi usus excusatur, recte Lag. AF *ἐσκληρύνθη.*

τύχης μεταβολαῖς. — Ps.-Menandr. ap. Clem. Al. Strom. V c. 14 § 120.

Gen. 7, 17 levare, tollere ὑψώθη [sc. ἡ κιβωτός] ἀπὸ τῆς γῆς. deinde metaph. ὑψοῦν τὴν φωνήν Gen. 39, 15. 18. similiter 19, 13 ὑψώθη ἡ κραυγὴ αὐτῶν ἐναντίον κυρίου. — pass. augescere, crescere Gen. 7, 20 δέκα πέντε πήχεις ἐπάνω ὑψώθη τὸ ὕδωρ. 24. — transl. de hominibus: efferre, ornare, augere: Ex. 15, 2 coni. δοξάζειν. Gen. 48, 19 i. q. ornare divitiis, auctoritate. 24, 35. — var. lect. αὐξάνω Gen. 26, 13. 41, 52.

Quod supra de crebro Hippocratis et Aristotelis verborum consensu annotavi, hoc capite firmatur. Utrum vero his in verbis Hippocratis scripta an omnino Ionica dialectus magis valuerit ad Ionismos Aristotelis, non multum interest: illud certe constat, inde ab Aristotele satis multa verba Ionica in litteras Atticas irruisse.

Caput VII.

Verba quae primum apud Aristotelem inveniuntur.[1])

1. ἀντιπίπτειν] Arist. probl. XXXII 13, 961^b,3 πρὸς ἀντιπῖπτον ἡ πληγὴ γίνεται καὶ οὐ πρὸς ὑπεῖκον resistere. XVI 13, 915^b, 18. — Theophr. d. caus. pl. 5, 6, 4 oppositum esse abs. — Pol. 3. 19, 5 ἀντέπεσαν ταῖς σπείραις καταπληκτικῶς irruere in. — oppositum, contrarium esse, repugnare 4, 44, 9. 16, 2, 1. 22, 5, 6. 25, 9, 5. 30, 7, 3. — praeter spem, praeter opinionem evenire 10, 37, 5. 16, 2, 1. 16, 28, 2. — Sext. Pyrrh. 1, 179. 183. adv. log. I 334 p. 435. — Strab. I p. 5. — Plut. Thes. 28. saepius i. q. adversari, obesse. — Aristid. XIII Dind. p. 261 (278). XXX Dind. p. 584 (47).

Ex. 26, 5 (ἄγκυλαι) ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι ἀλλήλαις εἰς ἑκάστην, corrigas c. Lag. AF εἰς ἀλλήλας ἑκάστη. 17 ἀγκωνίσκους .. ἀντιπίπτοντας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ex adverso positum esse.

---

[1]) Quod hoc uno capite omnia corporis quod dicitur Aristotelici scripta comprehendere ausus sum, brevitati concedatur, spero rem ipsam vix illa, si ita placet, neglegentia, mutatam esse.

2. *ἀπολιθοῦν*] Arist. probl. XXIV 11, 937ᵃ, 14 in lapidem vertere. 17. de mir. ausc. 95, 838ᵃ, 13/4 *εἰς ὃν φασι τὸν πλείω χρόνον τὸ ἐμβληθὲν πρῶτον περιφύεσθαι καὶ τέλος ἀπολιθοῦσθαι.* de pl. II 9, 829ᵃ, 23. de mir. ausc. 52, 834ᵃ, 28. — Theophr. hist. pl. 4, 7, 1. 2. fr. 2, 4, 38. fr. 168. — Strab. — Plut. Mor. p. 766 D. — transl. Arr. Epict. 1, 5, 2. — Athen. II p. 61 F.

Ex. 15, 16 *μεγέθει βραχίονός σου ἀπολιθωθήτωσαν* fiant immobiles quasi lapides [hebr. יִדְּמוּ obmutescant].

3. *διοδεύειν*] Arist. de mir. ausc. 27, 832ᵃ, 28 *ο βασιλεὺς ὅτε διοδεύοι τρεῖς ἡμέρας* [at Theophr. de igne 59 finxit sibi *διοδοποιεῖν* sive ut G. Dindorfius vult *δίοδον ποιεῖν*]. — Pol. 2, 15, 5 *τὴν χώραν.* — Plut. Flamin. 5. Ages. 17. — Luc. dial. mort. 27, 2. — Xen. Ephes. 5, 2 p. 91 *διώδευον τὴν ἄλλην Αἴγυπτον.*

CJG. III 4956 [p. Chr. 49] 22 *τοὺς διοδεύοντας διὰ τῶν νομῶν.*

Gen. 12, 6 *διώδευσεν Ἀβρὰμ* [*εἰς τὸ μῆκος αὐτῆς* om. D Lag.] *ἕως τοῦ τόπου Συχέμ* [*τὴν γῆν* Dˢⁱˡ E].

4. *ἐγγίζειν*] Arist. de mir. ausc. 144, 845ᵃ, 20. — Pol. trans. 8, 6, 7 *ἐγγίσαντες τῇ γῇ τὰς ναῦς.* saepius notione neutrali: c. gen. 4, 62, 5 *τῆς μὲν Αἰτωλίας οὐδ' ἐγγίζειν τολμήσοντος οὐδενός.* 8, 6, 6. 12, 7, 1. 15, 31, 3. — rarius c. dat. ut 17, 4, 1. — Diod. 16, 4 *ὡς δὲ ἤγγιζεν ἀλλήλοις τὰ στρατεύματα* 2, 19. 3, 44. sed 13, 77: *ὡς ἤδη τῆς Μυτιλήνης ἤγγιζον.* 109 *τῆς πόλεως.* — Conf. Legrand: *ἐγγίζω* toucher | se toucher || piquer, picoter, pincer.

Gen. 48, 13 *ἤγγισεν αὐτοὺς αὐτῷ* admovere. 10 *ἤγγισεν αὐτοὺς πρὸς αὐτόν,* ubi Lag. notione neutrali exhibet *ἤγγισαν πρὸς αὐτόν.*¹) — Plerumque neutr. accedere, appropinquare. abs. Gen. 18, 23. 27, 27. 35, 16. 47, 29. 41. 48, 7. Ex. 24, 2. — Ex. 3, 5 *μὴ ἐγγίσῃς ὧδε.* — c. dat. Gen. 27, 21 *ἔγγισόν μοι.* 26. 44, 18. Ex. 19, 22. 32, 19 *τῇ παρεμβολῇ.* — *πρός*: Gen. 27, 22.

---

¹) En habes correctorem recentioris aetatis: codd. BAD exhibent secundum textum hebraicum: *καὶ ἤγγισεν* [sc. *Ἰωσήφ*] *αὐτοὺς πρὸς αὐτόν, καὶ ἐφίλησεν* [sc. *Ἰακώβ*] *αὐτοὺς καὶ περιέλαβεν αὐτούς·* sane barbarice, non Graece; iam videas, quomodo ille corrector hunc locum sanaverit: *καὶ ἤγγισαν πρὸς αὐτόν, καὶ ἐφίλησεν αὐτούς, καὶ περιέλαβεν.* — at hoc non est *ἐπανανεοῦσθαι ἐκ τῆς Ἑβραΐδος γλώττης* [vid. supra p. 268 ann.]; vereor ne forte illud Luciano non sit vindicandum.

37, 18. 45, 4 Lag. D^sil F. Ex. 19, 21. 24, 2. 32, 26. — Gen. 33, 3 ἕως τοῦ ἐγγίσαι τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ [Lag. τῷ ἀδελφῷ]. Ex. 34, 30 ἐγγίσαι αὐτοῦ B [Lag. AF^vid αὐτῷ]. — Gen. 45, 4 Lag. ἤγγισαν αὐτῷ [F πρὸς αὐτόν, D^sil om.].

5. *ἐγκρατεύεσθαι*] Arist. eth. Eud. II 7, 1223^b, 13 ἐγκρατεύεται δ' ὅταν πράττῃ παρὰ τὴν ἐπιθυμίαν κατὰ τὸν λογισμόν se continere. — Sext. Emp. adv. phys. 9, 153 p. 586, 1 ἐγκρατεύεται γάρ φασιν οὐχ ὁ θανατιῶσης γραὸς ἀπεχόμενος, ἀλλ' ὁ Λαΐδος καὶ Φρύνης.

Gen. 43, 30 abs. ἐξελθὼν ἐνεκρατεύσατο καὶ εἶπεν se coercuit.

6. *ἐκδανείζειν*] Arist. oec. II 1350^a, 14 ἐκδανεῖσαι χρήματα. — Anth. Pal. 11, 173.

Dittenb. Syll. 233, 17 [Delphis ca. 155 a. Chr. n.] 27. 71. 85. — nr. 402 [Patmi] [ὅ]πως ἐκδανείσωνται.

Ex. 22, 25 ἐὰν δὲ ἀργύριον ἐκδανείσῃς τῷ ἀδελφῷ.

7. *ἐξόζειν*] Theophr.[1]) de od. 20. 47. 54. 57. 69. — Theocr. 20, 10 κακὸν ἐξόσδεις.

Ex. 8, 14 Lag. intr. καὶ ἐξώζεσεν ἡ γῆ [rel. simpl.].

8. *ἐπιστηρίζεσθαι*] Arist. probl. XXIII 13, 933^a, 10 ἢ ὅτι ὁ νέων ἀεὶ ἐπιστηριζόμενος ἐν τῷ ὕδατι νεῖ. — Luc. Anach. 27 ἐν ψάμμῳ βαθείᾳ ἔνθα οὔτε βεβαίως ἀπερεῖσαι τὴν βάσιν οὔτε ἐπιστηρίξαι ῥᾴδιον ὑποσυρομένου πρὸς τὸ ὑπεῖκον τοῦ ποδός. adv. ind. 6 ἐπιστηριζόμενος ἅμα τοῖς οἰκέταις inniti. Philops. 13.

Videas Legrand: ἐπιστηρίζω appuyer sur, soutenir ‖ s'appuyer sur, compter sur.

Gen. 28, 13 ὁ δὲ κύριος ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῆς.

9. *ζωογονεῖν*] [Conf. Pl. Epin. p. 980C ζωογονίαν. Polit. p. 309C τὸ ζωογονὲς αὐτῶν]. — Arist. de mir. ausc. 23, 832^a, 14 ὄφεις ζωογονηθῆναι αὐτῆς τῆς γῆς ζωογονούσης. 74, 835^b, 26. — fr. 294, 1529^a, 32. Saepissime deinde ap. Theophr. conf. de caus. pl. 3, 22, 3 al. perm. — Plut. Mor. p. 637E. 880A al. — Luc. dial. deor. 8, 1. amor. 19.

Ex. 1, 17 notione mirum in modum mutata i. q. περιποιεῖν

[1]) Ea quae adhuc attuli verba satis, puto, excusant, quod verba Theophrasti in Aristotelis verba inserui.

vitam alicuius conservare: ἐζωογονεῖτε τὰ ἄρσενα. 18. 22 [ubi Lag. περιποιήσασθε].

10. καταχρίειν] Arist. de an. hist. IX 40, 625b, 31 αἱ μέλιτται τροφὴν τοῖς νεοττοῖς παραθεῖσαι καταχρίουσιν. — Luc. Anach. 9. — Galen. ad. Glauc. 2. — Themist. Or. 32 p. 357 B. — Artemid. 4, 43 al.

Ex. 2, 3 κατέχρισεν αὐτὴν [sc. τὴν θῖβιν] ἀσφαλτοπίσσῃ.

11. κολάπτειν] Arist. de an. hist. IX 1, 609a, 35. b 6 τὰ ὄμματα κολάπτειν oculos effodere. [609b, 28 τὰ ᾠὰ κολάπτει ci Sylb. Pik., κλέπτει codd. Bk.]. — Theophr. fr. 30, 2 πέφυκε γὰρ ἡ ὕδατος φύσις καὶ μάλιστα ἀπὸ ὑψηλοτάτων καταράττουσα τὰ μὲν ἐξωθεῖν τῇ βίᾳ τὰ δὲ τῷ συνεχεῖ τῶν ψεκάδων κολάπτουσα κοιλαίνειν. — Anaxilas ap. Athen. XII p. 548 C. — Iul. Antecess. Anth. Pal. XI 369, 9, 341 κατὰ φλοιοῦ γράμμ' ἐκόλαψε insculpere, incidere. item Alcaeus Anth. Pal. 7, 429. Callim. fr. 101. — Plut. Mor. p. 980 E ἐπεγείρει φθεγγόμενος καὶ κολάπτων.

Ex. 32, 16 γραφὴ κεκολαμμένη ἐν ταῖς πλάξιν.

12. κυνηγεῖν][1]) Arist. de an. hist. IX 32, 619a, 33 ὅταν κυνηγήσῃ ὁ ἀετός. — [Pl.] ep. VII 349 B. — Diod. III 44 τὰς τροφὰς ἔχουσι κυνηγοῦντες. — Plut. Mor. 917 E. 965 B. 966 A al. — Athen. XII p. 539 D.

Legrand: κυνηγῶ chasser, poursuivre. κυνηγῶ τὰς τιμάς courir après les honneurs.

Gen. 25, 27 ἦν Ἠσαὺ ἄνθρωπος εἰδὼς κυνηγεῖν.

13. λειτουργεῖν] Initio quidem de muneribus quibusdam publicis, ita etiam ab Atticis scriptoribus usurpatum, deinde vero latiore notione omnino de unoquoque munere, ac nisi fallor, apud Alexandrinos praecipue de ministerio sacro.[2]) — Arist.

---

[1]) Conf. Lob. ad Phryn. p. 432. — Rutherford ad Babr. fab. I 1 p. 4b.

[2]) Quonam modo hic usus exoriri potuerit facile intellegitur his titulorum exemplis: CJA II 482 [ao. c. 35 a. Chr. n.] 46/7 διαφυλάττοντες δὲ καὶ τὴν [πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσέβειαν τάς τε] πομπὰς συνέπεμψαν τῇ πόλει πάσας καὶ τὰς λειτουργίας ἐλειτούργησαν· ἔθυσάν τε καὶ ... conf. 481, 54, 5 [ao. c. 48—42 a. Chr. n.]. — deinde 624 [medio fere saeculo secundo a. Chr. n. aut non multo post] 39, 40 καταστῆσαι [δ]ὲ τοὺς ὀργεῶνας ζάκορον τεῖ θεῷ διὰ [βίου] Μητροδώραν καὶ λειτουργεῖν αὐτ[ὴν] ἀεὶ ταῖς γινομέναις ἱερείαις παρεχομένην τὴν χρείαν καλῶς καὶ εὐσχημόνως.

Pol. VII 16, 1335ᵇ, 28 πότε ἄρχεσθαι χρὴ τῆς συζεύξεως καὶ πόσον χρόνον λειτουργεῖν ἁρμόττει πρὸς τεκνοποιίαν ὡρίσθω, sed conferas quae sequuntur: τὰ γὰρ τῶν πρεσβυτέρων ἔκγονα .. ἀτελῆ γίνεται, ubi primitiva verbi vis subesse videtur. — de vita et morte 3, 469ᵃ, 3 φανερὸν τοίνυν ὅτι μίαν μέν τινα ἐργασίαν ἡ τοῦ στόματος λειτουργεῖ δύναμις. de an. part. IV 10, 689ᵇ, 29. — Pol. 6, 33, 6 τῶν τριῶν σημαιῶν ἀνὰ μέρος ἑκάστη ἑκάστῳ τῶν χιλιάρχων λειτουργεῖ λειτουργίαν τοιαύτην. — Ael. Gall. Anth. Pal. 5, 49, 1 ἡ τρισὶ λειτουργοῦσα πρὸς ἓν τέλος ἀνδράσι Λύδη. — Athen. XII p. 538E ἐπὶ πέντε δὲ ἡμέρας ἐπετελέσθησαν οἱ γάμοι καὶ ἐλειτούργησαν πάνυ πολλοὶ καὶ Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων.

At conferas usum papyrorum Aegyptiorum: Pl. 22, 2 λειτου[ργοῦ]σαι ἐν τῷ .. Σαραπιείῳ [164 a. Chr. n.]. 27, 3 παρὰ Θαυῆτος καὶ Ταοῦτος διδυμῶν τῶν λειτουργουσῶν ἐν τῷ πρὸς Μέμφιν μεγάλῳ Σαραπιείῳ [ca. 162 a. Chr.]. id. 28, 2/3 ita fortasse etiam 5 col. 41, 9 [114 a. Chr.] καὶ τῶν ἐπέσο· καὶ τῶν λειτουργ.[ούντων]. 33, 19 λειτουργίαν τοιαύτην παρ⟨ακατ⟩εχομένας [sc. διδύμους]. 5 col. 14, 10/11 καὶ τῶν [τ]άφων καὶ τῶν ἐν αὐ. καὶ λειτουργιῶν καὶ ἁγνει[ῶν]. col. 27, 6 καὶ ἀδι[αστόμων] καὶ λογειῶν καὶ λειτουργ. — Ita etiam Diod. I 21 de cultu Isidis et Osiridis πρὸς τὰς τῶν θεῶν θεραπείας τε καὶ λειτουργίας.

Ex. 28, 31 καὶ ἔσται Ἀαρὼν ἐν τῷ λειτουργεῖν ἀκουστὴ ἡ φωνὴ αὐτοῦ. 39. 29, 30. 30, 20. 35, 18. 36, 34. 38, 27. 39, 12. 13.

14. λεπίζειν] Arist. de mir. ausc. 1, 830ᵃ, 15 καὶ τοῦ βολίνθου κέρατα διαστίλβειν ὡσανεὶ λελεπισμένα. — Theophr. hist. pl. 9, 2, 7 ὅταν λεπίσωσιν τὸ στέλεχος. — Pol. 10, 27, 11. 23, 2, 7.

[λεπίς squama, lamella. Her. 7, 61. Arist. Theophr. Diod.] Videtur hoc verbum Ionum magis fuisse proprium.

Gen. 30, 37 ἐλέπισεν αὐτὰς [sc. τὰς ῥάβδους] λεπίσματα λευκά decorticare. 37. 38.

15. μαλακίζεσθαι aegrotum fieri] Arist. de an. hist. VIII 26, 605ᵃ, 25 ὁ ἐλέφας ἐὰν γῆν ἐσθίῃ μαλακίζεται. — Theophr. Char. 1, 2 Schn. καὶ ὀψὲ γενέσθαι, καὶ αὐτὸν μαλακισθῆναι. — vid. Poll. Onom. III 104 μαλακισθεὶς ἀσθενήσας, μαλακῶς

ἔχων· quod vero Photius p. 179 [itemque Suidas] affert *ἐν ταῖς νόσοις φασὶν Ἀττικοὶ τὰς γυναῖκας μαλακίζεσθαι τοὺς δὲ ἄνδρας ἀσθενεῖν,* bene Lobeckius ad Phryn. p. 389 docet esse Atticistarum argutias mere fictas; idem annotat: 'sed quod Lucianus Lexiphanem suum modo *μαλακίζομαι* modo *μαλακιῶ* usurpantem inducit cap. 11 hoc certe indicii affert, utrumque in virorum infirmitate parum apte dici.'

Gen. 42, 38 *καὶ συμβήσεται αὐτὸν μαλακισθῆναι ἐν τῇ ὁδῷ.*

16. *παραπορεύεσθαι*] Arist. de an. hist. VI 24, 577^b, 31 *ἡμίονος παραπορευόμενος παρώξυνε τὰ ζεύγη* a latere incedens. — Pol. praeterire: 2, 27, 5 *λόφον ὑφ' ὃν ἔδει παραπορευθῆναι.* 3, 16, 6. — 3, 99, 5 *τὸν χάρακα.* — Diod. 18, 67 comitari. — Plut. Cam. 32. Sull. 35. — Dion. Hal. Ant. R. 7, 9.

Gen. 37, 28 *παρεπορεύοντο οἱ ἄνθρωποι οἱ Μαδιηναῖοι, οἱ ἔμποροι* praeterire. Ex. 2, 5 *αἱ ἅβραι αὐτῆς παρεπορεύοντο παρὰ τὸν ποταμόν* ambulabant secundum flumen, praeter ripam fluminis. — Ex. 30, 14 *πᾶς ὁ παραπορευόμενος εἰς τὴν ἐπίσκεψιν.* hebr. כֹּל הָעֹבֵר עַל־הַפְּקֻדִים qui in censum venit, inde falso 30, 13 *ὅσοι ἂν παραπορεύωνται τὴν ἐπίσκεψιν.* — Gen. 32, 21 Lag. *καὶ παρεπορεύοντο τὰ δῶρα κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ* emendandum c. codd. ADE *προεπορεύοντο.*

17. *προπορεύεσθαι*] Arist. de mir. ausc. 137, 844^b, 5 *αἲξ προπορεύεται τοῦ τὴν ἱερωσύνην ἔχοντος.* — Pol. *τινός* praeire 18, 2, 5. — abs. 2, 27, 2. 6, 41, 1; deinde progredi in itinere 3, 52, 8 et saepius. — Plut. Mor. 119C. — Athen. VI p. 267C.

Gen. 32, 16 *ἔμπροσθέν μου* conf. 32, 21. Ex. 32, 34. — *τινός* Gen. 32, 17 [Lag. *ἔμπροσθέν σου*]. 20. Ex. 14, 19. 17, 5. 32, 1. 23. 33, 14.

18. *προσπορεύεσθαι*] Arist. de an. hist. IX 40, 625^a, 13. — oec. II 1353^b, 1, 3 *προσπορευομένης τῆς νουμηνίας* appropinquare. — 1350^a, 7 *τινί.* — Pol. 4, 3, 13 *προσπορευομένων αὐτῷ τῶν ἠδικημένων* adire aliquem. 10, 27, 8 *εὐλαβῶς προσπορεύεσθαι πρὸς πᾶν* caute accedere ad. — 10, 4, 1 *προσπορεύεσθαι πρὸς τὴν ἀγορανομίαν* petere aedilitatem. al. — Antig. Caryst. p. 70, 21.

CJA. III 74, 26. — PL. 50, 2 *προσπορεύεταί μοι* accedit ad me [160 a. Chr.].

Ex. 28, 39 *πρὸς τὸ θυσιαστήριον.* 30, 20. 38, 27. — 36, 2 *προς τὰ ἔργα.* — 24, 14 *ἐάν τινι συμβῇ κρίσις προσπορευέσθωσαν αὐτοῖς* convenire aliquem.

19. *συλλαμβάνειν* gravidam fieri, concipere] Arist. de an. gen. I 19, 727^b, 8. 18. 25. II 4, 739^a, 30. de an. hist. VII 2, 582^b, 14. 17. 18. 582^a, 19. 587^b, 5. 5, 585^b, 19 saepissime. — Plut. Mor. p. 829 B. 38 E.

Gen. 4, 1 *Ἀδὰμ δὲ ἔγνω Εὔαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ συνέλαβεν καὶ ἔτεκεν τὸν Κάιν.* 17. 25. 16, 4. 21, 2. 29, 32. 33. 34. 35. 30, 5. 7. 10. 12. 17. 19. 23. 38, 3. 4. — 19, 36 *ἔκ τινος.* 25, 21 Lag. *συνέλαβεν ἐν γαστρί* [rel. simpl.].

20. *συναναφέρειν*] Arist. meteor. I 3, 341^a, 3 *συναναφέρεται ἐν μέρει (ἀήρ) τῷ ἀναθυμωμένῳ πυρί.* — Pol. *συναναφέρειν τὴν ἀρχήν* 5, 32, 4. — Plut. Mor. p. 451 A.

Gen. 50, 25 *συνανοίσετε τὰ ὀστᾶ μου ἐντεῦθεν μεθ' ὑμῶν.* Ex. 13, 19.

21. *συγκαθίζειν* activum notione neutrali usurpatum] Arist. de an. hist. II 1, 498^a, 9 (*ἐλέφας*) *συγκαθίζει καὶ κάμπτει τὰ σκέλη.* VI 27, 578^a, 21 *τίκτει ἡ θήλεια (ἐλέφας) συγκαθίσασα ἐπὶ τὸ ὄπισθεν.* physiogn. 3, 807^b, 5. — Theophr. fr. 6, 3. — Plut. Mor. p. 971 B.

Gen. 15, 11 *καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβράμ.*[1]) — Ex. 18, 13 *συνεκάθισεν Μωυσῆς κρίνειν τὸν λαόν,* quid hic praepositio *συν-* sibi velit, non apparet, cum verba insequentia: *διὰ τί σu κάθησαι μόνος* indicent, neminem cum illo consedisse.

22. *φωτίζειν*] Theophr. fr. 3, 30 *καὶ οὐχ ἅπερ θάτερον δύναται καὶ θάτερον ποιεῖν οἷον ὁ ἄνθραξ φωτίζειν ὥσπερ ἡ φλόξ.* — Pol. transl. 23, 3, 10 trans. *φωτίζειν τὴν αἵρεσίν τινος* sententiam alicuius patefacere. — 30, 8, 1 *γράμματα ἑαλωκότα καὶ πεφωτισμένα* litterae interceptae et in lucem prolatae. — Diod. 3, 47 *τὸν ἥλιον δοκεῖν καιναῖς ἀκτῖσιν φωτίζειν τὸν κόσμον.* — Plut. Mor. 902 B. 931 A. B. — Sext. Empir. p. 31. 664. — Luc. Luct. 2. Cal. 32.

Ex. 38, 13 *λυχνίαν ἣ φωτίζει.*

---

[1]) Miro interpretum errore ita scriptum est, textus hebraicus exhibet וַיַּשֵּׁב אֹתָם אַבְרָם i. e. depulit eos; quod falso legerunt וַיֵּשֶׁב אִתָּם i. e. et consedit una cum iis. — conf. etiam Frankel, Vorstudien zu der Septuaginta. Leipzig 1841 p. 2Γ4.

Dolendum est, quod in multis horum verborum notae vel testimonia desunt, quibus origo eorum cognoscatur. *λεκίζειν* Ionum videtur proprium, alia permulta naturam Atticam ostendunt. Sed illis temporibus non multum refert, Atticisne an Graecis illa verba vindicemus. Recentior sermo Atticus cotidianus Atticae fines transgreditur et celeriter latas regiones occupat. Scriptores quidem a litteris Atticis pendent, quamobrem progressus sermonis litterarum nusquam videtur interruptus, sensim recentioris sermonis vulgaris flumen per illas litteras crescendo labitur. Non idem iudicandum est de sermone consuetudinis vulgari. Plurima enim exempla iam supra allata, imprimis vero infra afferenda docent eum sermonis vulgaris statum, quem priore saeculi ante Chr. n. tertii parte interpretes Alexandrini exhibent, Plutarchi demum temporibus etsi litterarum sermone permixtum et mutatum existere in litteris. Tanto temporis spatio sermo vulgaris litterarum sermonem praecucurrit! Quod nemini mirum videri debet. Nam sermo cotidianus viret vigetque, litterarum sermo arte factus et ob eandem causam mortuus est, nisi perpetuo vitales vires e consuetudinis sermone instillantur. Videamus iam in capitibus insequentibus illum sermonis vulgaris progressum, memores iam versionem Alexandrinam e temporis ratione agmen ducere; claudat tamen, ut adhuc, agmen propter naturam sermonis singularem, et ut ita dicam recentissimam.

Caput VIII.

Verba quae inde ab Aristotele [excl.] usque ad Polybium [excl.] in litteris primum inveniuntur.

1. *ἀθετεῖν*] Hoc verbum ab Atticistis improbatum esse ostendit locus Antatticistae B. A. 79, 31 *ἀθετεῖν φασιν οὐ δεῖν λέγειν, ἀλλ' ἀναιρεῖν· ιασιν* [sic!][1]) *οὖν ὁ γραμματικὸς μέμ-*

[1]) Emendandum videtur *Ἰξίων* conf. Christ, Gesch. d. griech. Lit.[2] p. 517: 'Zu den aus der pergamenischen Schule des Krates hervorgegangenen jüngeren Gelehrten gehören .. Demetrios Ixion, der gleichfalls gegen Aristarch polemisirte, aber auch Teile der grammatischen Techne behandelte.'

φεται ἐπὶ τῇ λέξει Ἀρίσταρχον. — Συναγ. λέξ. χρησ. B. A. 350, 19 ἀθετεῖν ἐπὶ τοῦ μὴ ἁρμόζειν. — Saepissime deinde apud Polybium, ita ἀθετεῖν τὴν πίστιν fidem frangere 8, 2, 5. 11, 29, 3. 23, 16, 5. 24, 6, 7 al. τοὺς ὅρκους καὶ τὰς συνθήκας 15, 1, 9. 11, 29, 3. 15, 8, 9 al. deinde ἀθετεῖν [sc. τὴν πίστιν] τοῖς ὑπ' ἄλλου εἰρημένοις fidem abrogare; improbare, repudiare, reicere 12, 14, 6. — Diod. 1, 41 οὐ προσήκειν ἀθετεῖσθαι τὴν ἰδίαν ἀπόφασιν spernere, repudiare. — Plut. Cor. 38 μηδὲν ἀθετεῖν μηδ' ἀναίνεσθαι τῶν τοιούτων δυναμένοις. — Sext. Emp. — Luc.

Ex. 21, 8 ὅτι ἠθέτησεν ἐν αὐτῇ hebr. בגד ב perfide desciscere ab aliquo, deserere, repudiare.

2. ἀπαντᾶν contingere, evenire][1]) Hic usus recentioris maxime aetatis videtur proprius fuisse, nam quod apud Platonem Phaed. p. 101 A legitur φοβούμενος οἶμαι μή τίς σοι ἐναντίος λόγος ἀπαντήσῃ bene annotavit Wohlrab ad h. l. 'ἐναντίος λόγος, wie schon aus dem Praedikat [ἀπαντήσῃ] hervorgeht, personificirt zu denken', ac ne [Dem.] 10, 7 quidem: ὅτι ἡ καθ' ἡμέραν ῥᾳστώνη καὶ ῥᾳθυμία .. ἐπὶ τῷ κεφαλαίῳ τῶν πραγμάτων ἀπαντᾷ prorsus huc cadit. At conferas Ephori locum ap. Strab. 10 p. 480 τὴν μὲν οὖν ὁμόνοιαν διχοστασίας αἱρομένης ἀπαντᾶν ἣ γίνεται διὰ πλεονεξίαν καὶ τρυφήν. σωφρόνως γὰρ καὶ λιτῶς ζῶσιν ἅπασιν οὔτε φθόνον οὔθ' ὕβριν οὔτε μῖσος ἀπαντᾶν πρὸς τοὺς ὁμοίους. — Bion. 4, 7 χὠ παῖς ἀσχαλάων ὄκα οἱ τέλος οὐδὲν ἀπάντη. [Pl.] ep. 11 p. 358 E κινδυνεύειν κατά τε γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, οἷα ἀπαντᾷ. — Persaepe ap. Pol. ita 4, 38, 10: πολλὰ αὐτοῖς εὔχρηστα δι' ἐκείνους ἀπαντᾷ. 32, 7, 10. imprimis passivum in illo usu est: 2, 37, 6 μηδὲν αὐτοῖς παράλογον ἀπηντῆσθαι ὑπὸ τῆς τύχης. 2, 7, 4. 8, 8, 5. 10, 13, 10. 10, 37, 8. 15, 5, 7. 17, 6, 6. 20, 10, 5. 29, 9, 16. — Diod. 1, 81. 19, 79 al. — Strab. 1 p. 51 al. — Luc. bis accus. 28. Alex. 8. — Saepissime apud Plutarchum.

Gen. 49, 1 τί ἀπαντήσει ὑμῖν.

3. γελοιάζειν] Aristarch. gramm. ap. Athen. II p. 39 E τὸ

[1]) Conf. etiam Jerusalem, Die Inschrift von Sestos und Polybios p. 53. — Schmid, Atticismus I p. 156.

καυχᾶσθαι καὶ σκώπτειν καὶ γελοιάζειν. — Plut. apophthegm. Lac. p. 231 C *συνηγόρου δέ τινος γελοῖα λέγοντος οὐ φυλάξῃ ἔφη ὦ ξένε συνεχῶς γελοιάζων ὅπως μὴ γελοῖος γένῃ.* Iul. Caes. p. 306. Conf. etiam Athen. VI p. 246 E *Πτολεμαῖος δ' ὁ τοῦ Ἀγησάρχου Μεγαλοπολίτης γένος ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα ἱστοριῶν συμπότας φησὶ τῷ βασιλεῖ συνάγεσθαι ἐξ ἁπάσης τῆς πόλεως οὓς προσαγορεύεσθαι γελοιαστάς.* — Poll. 5, 11. 6, 122. 9, 148. — In hoc verbo Atticistas offendisse indicat Moeris p. 95 *δημούμενον Ἀττικῶς γελοιάζοντα Ἑλληνικῶς.*

Ex. 19, 14 *ἔδοξε δὲ γελοιάζειν ἐναντίον τῶν γαμβρῶν αὐτοῦ.*

4. *διαγλύφειν*] Androsthenes *ἐν τῷ τῆς Ἰνδικῆς παράπλῳ* [fr. 1 M] ap. Athen. III p. 93 C *ἡ μὲν τοῦ ὀστρέου ὄψις παραπλησία τῷ κτενὶ, οὐ διέγλυπται δὲ ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει καὶ δασύ.* — Diod. 1, 66 *ὀροφὴ φάτναις τισὶν διαγεγλυμμένη.* — Ael. V. H. 3, 45. 12, 30 saepius. — Apud Hom. *δ* 438 extat *εὐνὰς δ' ἐν ψαμάθοισι διαγλάψασ',* ubi schol. *BE διαγλύψασα, διακοιλάνασα.*

Ex. 28, 11 *γλύμμα σφραγῖδος διαγλύψεις τοὺς λίθους ἐπὶ τοῖς ὀνόμασι τῶν υἱῶν Ἰσραήλ.*

5. *ἐκνήφειν*] Hippolochos Macedo ap. Athen. IV p. 130 B *παρειμένοι καὶ καρηβαροῦντες ὑπὸ τῆς μέθης ὁπότε τι τῶν ἀγομένων θεασαίμεθα πάντες ἐξενήφομεν* rursus sobrium fieri. — Plut. Dem. 20.

Gen. 9, 24 *ἐξένηψε δὲ Νῶε ἀπὸ τοῦ οἴνου.*

6. *διαφωνεῖν* i. q. perire, extingui, demori] Agatharchides *περὶ τῆς ἐρ. θαλ.* ap. Phot. cod. 250 p. 457, 25 *οὐ μέντοι διαπεφώνηκεν οὐδεὶς πλὴν τῶν περιπεπτωκότων ἀκουσίως ταῖς λοφιαῖς* perire. — Huc referri potest etiam Pol. 22, 26, 23 *ἐάν τι διαφωνήσῃ τῶν ἀποδιδομένων χρημάτων* desiderari, deesse; ex hac enim vel certe simili notione latior ille usus profectus videtur esse. — Diod. 16, 3 *βίβλους ὀκτὼ πρὸς ταῖς πεντήκοντα, ἐξ ὧν πέντε διαφωνοῦσιν* perierunt. — Sext. Empir. p. 273 *Ὀδυσσεὺς διεφώνησεν.*

Primum vero hic verbi usus existere videtur in titulo quodam in insula Amorgo reperto, alterius ut videtur tertii a. Chr. n. saeculi partis, Dittenb. Syll. nr. 193, 25/6 *μηδὲ διαφωνήσει*

σῶμα μηθὲν πολιτικόν, ad quod Dittenberger: 'διαφωνεῖν intercidere, perire recentioris Graecitatis est'.[1])

Ex. 24, 11 καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς mortuus est.

7. ἐνταφιάζειν] Anth. Pal. XI, 125, 5. — Plut. Mor. p. 995 C ἡδύσμασι Συριακοῖς, Ἀρραβικοῖς ὥσπερ ὄντως νεκρὸν ἐνταφιάζοντες. — Conf. PL. 7, 6 τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς Διοσπόλεως ἐνταφιαστῶν [c. 99 a. Chr. n.]. — Videas etiam Legrand: ἐνταφιάζω inhumer.

Gen. 50, 2 ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ sepelire.

8. ἐπισκάζειν] Ap. Rh. 1, 669 ἐπισκάζουσα πόδεσσι.

Gen. 32, 31 ἐπέσκαζεν τῷ μηρῷ αὐτοῦ claudicare.

9. ἱκανοῦν] Teles ap. Stob. Flor. vol. 3 p. 271 κεῖνός τε γὰρ ἂν πρότερον πίνων διαρραγείη ἢ παύσαιτο τοῦ δίψους, οὗτός τε οὐκ ἄν ποθ' ἱκανωθείη, ὅταν ᾖ ἄπληστος καὶ δοξοκόπος καὶ δεισιδαίμων satiari. ibid. p. 272. — Dion. Hal. Ant. Rom. 2, 74 ἱκανουμένους τοῖς ἑαυτῶν κτήμασι.

Gen. 32, 10 ἱκανοῦταί μοι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης DE[2]) satis mihi praebitum est de tua benignitate.

10. καταβόσκειν] Callim. h. in Dian. 125 κτήνεά φιν λοιμὸς καταβόσκεται. — Theocr. 15, 127 ὁ τὰν Σαμίαν καταβόσκων. — Plut. Mor. 670 F καὶ τῇ προσβολῇ τὰ τοιαῦτα καταβόσκεσθαι πάθη τοὺς ἀνθρώπους οἴονται. — Longus 2, 16. — Geopon. 2, 39, 2.

Ex. 22, 5 ἐὰν δὲ καταβοσκήσῃ τις ἀγρὸν ἢ ἀμπελῶνα καὶ ἀφῇ τὸ κτῆνος αὐτοῦ καταβοσκῆσαι ἀγρὸν ἕτερον. 5. Cum apud profanos scriptores καταβόσκειν de pastoribus, καταβόσκεσθαι de grege dicatur, hoc discrimen a LXX interpretibus in illo versu confusum est.

[1]) Non bene igitur Sturzius, de dial. Macedon. et Alexandr. p. 162 hunc verbi usum Alexandrinis vindicat.

[2]) cod. A ἱκανοῦσαί μοι, Lag. ἱκανούσθω, hebr. קָטֹנְתִּי מִכֹּל 'indignus sum tua benignitate': hic si codici A fidem habemus, ἱκανοῦσθαι i. est q. 'satis praebere', quod nec rationem nec testimonium pro se habet; de hac terminatione -σαι conf. στεφανοῦσαι, πυροῦσαι ap. Lob. ad Phryn. p. 360. Winer § 13, 2 p. 70. Buttm. p. 37. — scribendum cum codd. DE ἱκανοῦται. Lagardii ἱκανούσθω demum a Luciano vel quovis recentiore emendatum videtur esse.

11. *καταγίνεσθαι* versari in, occupatum esse] Teles ap. Stob. Flor. v. 2 p. 84 *ἐν ᾗ ἐγένετό τις (πατρίδι) καὶ ἐτράφη ἐν ταύτῃ καταγενέσθαι .. ἐν οἰκίᾳ ἐν ᾗ ἐτράφης καὶ ἐγένου ἐν ταύτῃ καταγενέσθαι.* — Pol. 32, 15, 6 *ἐν τούτῳ κατεγίνετο πάντα τὸν τρόπον* in hoc versabatur. — Plut. Mor. p. 1137 B *τοὺς ἐν τῷ πολυχόρδῳ τε καὶ πολυτρόπῳ καταγινομένους.* — Sext. Emp. adv. geom. 116 *ὅπερ ἀριθμὸς καθέστηκεν περὶ ὃν ἡ ἀριθμητικὴ καταγίνεται* occupata est. — testimonium a recentioro quodam grammatico in Dem. 21, 22 insertum *χρυσοχοεῖον ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐν ᾧ καταγίγνομαι καὶ ἐργάζομαι.* — Conf. Legrand: *καταγίνομαι* s'occuper à.

Ex. 10, 23 *ἐν πᾶσιν οἷς κατεγίνοντο* ubicumque habitabant.

12. *καταπενθεῖν*] Anth. Pal. 7, 618 *ἄνδρα σοφὸν . . . ἀποφθίμενον καταπενθεῖ ἥδε πάτρα.*

Ex. 33, 4 *ἀκούσας ὁ λαὸς τὸ ῥῆμα τὸ πονηρὸν τοῦτο κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς.*

13. *κρατεῖν* prehendere, manu tenere] Polemon ap. Athen. XI p. 484 C *ἐν τῇ δεξιᾷ κώθωνα κρατῶν.* — Pol. 8, 20, 8 *ἵνα ἐπιλαβόμενος κρατοίη τὸν Ἀχαιόν.* — Plut. Mor. p. 99 D. — Athen. VII p. 289 C *σκῆπτρον κρατῶν.* 290 A *ἐφόρει τόξα Σκυθικὰ καὶ ῥόπαλον ἐκράτει.*

P. Leem. V col. 9, 2 *κρατῶν τὸν λίθον* tenens lapidem. W 5, 4 *ἐφάνη γέννα κρατοῦσα σποράν* apparuit genus continens semen. X 4, 17/8 *κρατεῖ τὴν δύναμιν* servat vim [omnes hi papyri saeculo tertio p. Chr. n. non videntur esse antiquiores].

Quam invaluerit paulatim haec verbi notio qualemque assecuta sit finem docet ea quae hodie illi verbo subest notio, vid. Legrand: *κρατῶ* tenir, retenir, entretenir ‖ durer, *σε κρατῶ διὰ ἀξιοτίμητον ἄνθρωπον* je vous crois un homme estimable. au pass. *κρατιοῦμαι* se tenir, être tenu, devoir.

Gen. 19, 16 *καὶ ἐκράτησαν οἱ ἄγγελοι τῆς χειρὸς αὐτῶν.* 21, 18 *κράτησον τῇ χειρί σου αὐτό.*

14. *λατομεῖν*] Antig. Car. c. 177 *ἐκ τοῦδε τοῦ ὕδατος λίθους λατομήσαντες.* — Diod. 3, 12 *τὰ λατομούμενα θραύσματα.* 5, 39 *οἱ τὴν γῆν ἐργαζόμενοι τὸ πλεῖον πέτρας λατομοῦσιν* [*λατομία* Lucill. Anth. Pal. 11, 253, 3. — Plut. Mor. p. 334 C. — apud Romanos iam ap. Plautum capt. 723 latomiae;

Poen. 4, 2, 5 lautumiae legitur]. Conf. Legrand: λατομῶ tailler des pierres.

Ex. 21, 33 ἐὰν δέ τις ἀνοίξῃ λάκκον ἢ λατομήσῃ.

15. λιθουργεῖν] Perseus Polydectis Anth. Pal. 3, 11, 4 γυῖα λιθουργήσας. — Philostr. imag. 1, 11 p. 20, 37.

[conf. λιθουργός Thuc. 4, 4. 69. λιθουργικός Lys. fr. 25, 31. λιθουργεῖον Is. p. 55, 26.]

Ex. 35, 33 λιθουργῆσαι τὸν λίθον.

16. μαιοῦσθαι] obstetricem esse i. q. μαιεύεσθαι. conf. Thom. Mag. 229, 7 μαιεύεται οὐχὶ μαιοῦται.

Leonidas Anth. Pal. 9, 80, 3 ὑμέας ἀφροσύνη μαιώσατο τόλμα δ' ἔτικτε. Philippus Anth. Pal. 9, 311, 8 ἔμπαλιν Ἄρης Ἤρκται μαιοῦσθαι γαστέρας ἡμετέρας. — Nonn. Dion. 4, 437. 25, 487. — Plut. Quaest. Pl. p. 999 C. Mor. 907 D. — Luc. dial. deor. 16, 2 τάς τε τεκούσας ἐμαιοῦτο.

Ex. 1, 16 ὅταν μαιοῦσθε τὰς Ἑβραίας.

17. πειρατεύειν] Duris ap. schol. Eur. Hec. 933 ὑπὸ Αἰγινητῶν πειρατευομένους. Strab. 14 p. 664 αὐτοὶ πειρατεύοντες.

[Conf. nomen πειρατής Dittenb. Syll. nr. 193 [Aegialae in Amorgo insula inventus titulus 'Alteri tertii a. Chr. n. saeculi parti Rossius titulum tribuit magna cum probabilitate'] 5 ἐπειδὴ πειρατῶν εἰς τὴν γῆν ἐμβαλόντων. 15 συνέπεισαν τὸν ἐπὶ τῶν πειρατῶν ἐπιπλέοντα Σωκλείδαν. — Pol. 4, 3, 8. — Cic. pro S. Rosc. Am. 50, 146.]

Gen. 49, 19 πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν. 19 αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτόν aggredi, impetu petere. — Hoc loco πειρατεύειν generalius videtur usurpatum esse, non proprie de praedonibus maritimis; similiter πειρᾶν verbum iam apud Atticos invenitur.

18. προεκφέρειν] Demetr. de eloc. 51 εἰ προεξήνεγκεν αὐτό.

Gen. 38, 28 ὁ εἷς προεξήνεγκεν τὴν χεῖρα.

19. προσεγγίζειν] Leonid. Tarent. Anth. Pal. 7, 422 τῷ δὲ προσηγγίσαμεν. — Pol. 39, 1, 4. — Diod. 3, 16. — trans. Luc. Amor. 53 χείλη προσεγγίσας χείλεσι.

Gen. 33, 6 προσήγγισαν αἱ παιδίσκαι. 7. 7.

20. συσφίγγειν] Herodas V 25 συνσφίγγε τοὺς ἀγκῶνας. — Crinag. Anth. Plan. 199, 1 καὶ κλαῖε καὶ στέναζε συσφίγ-

γων χεροῖν τενόντας. — Athen. II p. 41 B συστρέφον καὶ συσφίγγον. — [Arist. de pl. II 3, 825ª, 7.]

Ex. 36, 29 συνέσφιγξεν τὸ λογεῖον ἀπὸ τῶν δακτυλίων .. εἰς τοὺς δακτυλίους constringere, colligare.

Caput IX.

Verba quae primum apud Polybium inveniuntur.

1. *διαστρέφειν* seducere, ad defectionem sollicitare] ita solo Polybii loco comprobatum inveni: 5, 41, 1 ἀφίστασθαι καὶ διαστρέφειν ἐνεχείρησαν τὰς ἄνω σατραπείας.

Ex. 5, 4 ἵνα τί .. διαστρέφετε τὸν λαόν μου ἀπὸ τῶν ἔργων.

2. *δοξάζειν* celebrare, laudibus efferre, exornare] Huc non referendum est quod legitur Thuc. 3, 45 καὶ μετὰ πάντων ἕκαστος ἀλογίστως ἐπὶ πλέον τι αὑτὸν ἐδόξασεν 'cum omnibus coniunctus de se quisque praeter rationem in maius existimat'. — Primum igitur illa notio invenitur ap. Pol. 6, 53, 10 δεδοξασμένοι ἐπ' ἀρετῇ clari virtute. — Diod. 16, 82 ἀνὴρ ἐν παιδείᾳ καὶ συνέσει δεδοξασμένος. 12, 36. — Appian. Civ. 2, 97 τὸ τοῦ Καίσαρος κλέος ἐς ἄμαχον εὐτυχίαν ἐδοξάζετο. — Kaibel, Epigr. nr. 607, 7 εὐσεβίης ἕνεκεν δοξασθεὶς καὶ μετὰ λήθην [Romae, III[i] fere p. Chr. n. saeculi]. — Conf. Legrand: δοξάζω célébrer, glorifier.

Ex. 15, 1 ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται. 2. 6. 11. 21. 34, 29. 30. 35.

3. *ἐξαποστέλλειν*] Pol. mittere legatos 3, 11, 1. 4, 26, 2. 4, 30, 1. 5, 103, 3. 3, 40, 2. 21, 13, 2. 21, 14, 9. de emittendis copiis 4, 11, 6. et saepissime, dimittere 10, 35, 2. — 4, 84, 4 ἐξαπέστειλε τὸν Ἀρχίδαμον χωρὶς λύτρων. 15, 2, 4 τοὺς πρέσβεις ἀναποκρίτους ἐξαποστέλλειν. al. — Saepissime quoque apud Diod. conf. 16, 11 de legatis mittendis, 13. 20. 21. 44. — 16, 8 τὴν μὲν τῶν Ἀθηναίων φρουρὰν .. ἐξαπέστειλεν εἰς τὰς Ἀθήνας remittere al. perm. — Saepius ap. Plut. — [Dem. 18], 77 epistula Philippi a grammatico quodam interpolata.

Altius repetunt testimonia titulorum et papyrorum: CJG. 4697 [Lap. Rosett. a. Chr. n. 196] 20 ὅπως ἐξαποσταλῶσιν δυνάμεις ἱππικαί. Dittenb. Syll. nr. 200, 19/20 ὁ δῆμος τοῦ Ῥωμαίων δήμου ἐξαπέσ[τει]|λεν αὐτούς [196 a. Chr. plebiscitum Lampsacenorum]. nr. 215, 8 ἐ]ξαπ[ε]σταλκὼς θεωροὺς Πέρσαν [c. 175 a. Chr. n. decretum Aetolensium Delphis inventum]. 228, 8 καὶ τῶν ἅμ' ἐκείν[ωι ἐξ]αποσταλέντων ὑπ' [αὐ]|τοῦ πρεσβευτῶν [Abderitarum decretum eiusdem fere temporis]. — Pl. 36, 20/1 ἐξαποστεῖλαι αὐτοὺς ἐπὶ σέ [163 a. Chr.]. 38, 20 ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ αὐτοὺς τοὺς προγεγραμμένους [162 a. Chr. n.]. P. Taur. I p. 2, 34. p. 3, 13 al.

Saepissime in Genesi et Exodo: Gen. 3, 23 καὶ ἐξαπέστειλεν αὐτὸν κύριος ὁ θεὸς ἐκ τοῦ παραδείσου expulit, depulit. 8, 10 ἐξαπέστειλεν τὴν περιστερὰν ἐκ τῆς κιβωτοῦ emisit. 8, 12. 19, 29. 25, 6. 26, 29. 31. 31, 27. 45, 1. 2. 4. Ex. 3, 20. 21. 23. 23. 5, 1. 2. 2. 6, 1. 11. 13. 7, 2. 14. 16. 8, 1. (2.) 8. 20. 21. 29. 32. 9, 1. 2. 7. 13. 17. 28. 35. 10, 3. 4. 7. 20. 27. 11, 1. 2. 10. 13, 15. 17. 14, 5. 18, 27. 24, 5. — Gen. 31, 42 νῦν ἂν κενόν με ἐξαπέστειλας dimittere. Ex. 21, 26 ἐλευθέρους ἐξαποστελεῖ αὐτούς. — Gen. 32, 13 ἔλαβεν ὧν ἔφερεν δῶρα καὶ ἐξαπέστειλεν Ἠσαῦ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ mittere. — Saepe codicum scripturae vacillant inter ἐξαποστέλλειν et ἀποστέλλειν, ita Gen. 8, 8. 24, 40. 26, 27. 44, 3. Ex. 3, 12. 8, 28. 9, 14.

Usitatissimum igitur videtur fuisse hoc verbum recentiore aetate. Sed, ut plerumque fit, per longum tempus ei sermonis cotidiani terminos excedere non licuit; priore alterius a. Chr. n. saeculi parte iam per omnes Graecae linguae regiones divulgatum in titulis papyrisque apparet, altera denique eiusdem saeculi parte litteras occupat.

4. ἐπαποστέλλειν] Pol. 11, 2, 3 ἐπαποστέλλειν στρατηγὸν ἕτερον successorem mittere. 6, 15, 6. — mittere contra, immittere. 1, 53, 5. 32, 21, 11. 33, 12, 6. — τινὶ γράμματα litteras mittere ad aliquem 31, 12, 14.

PLeem. V col. 3, 22 ἐπαπόστειλον τῷδε τῷ τόπῳ πᾶσαν πρᾶξιν καὶ εὐπορίαν καθημερινήν immitte huicce domui.

Ex. 8, 21 ἐγὼ ἐπαποστέλλω ἐπὶ σὲ . . κυνόμυιαν.

5. ἐπισυνάγειν] Pol 5, 95, 7 ἐπισυναγαγόντες τοὺς Δυμαίους insuper congregantes. — 1, 75, 2 οἱ ἐπισυνηγμένοι τῶν

μισθοφόρων qui insuper coacti erant. 14, 2, 8. — Plut. Mor. 894 A *Ἀναξιμένης νέφη μὲν γίνεσθαι, παχυνθέντος ὅτι πλεῖστον τοῦ ἀέρος, μᾶλλον δ' ἐπισυναχθέντος.*

Hic quoque testimonium huius verbi extat litterarum testimoniis aliquanto prius: CJG. 4697 [Lap. Ros. a. Chr. n. 196] 23 *τοῖς ἐπισυναχθεῖσιν εἰς αὐτὴν ἀσεβέσιν.* Sed nemini id mirum videri potest, cum LXX interpretum usus de omnibus his verbis satis testetur, quantum tempus iam in sermone vulgari inveteraverint.

Gen. 6, 16 *ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν.*[1]) 38, 29 *ὡς δὲ ἐπισυνήγαγεν τὴν χεῖρα* [rursus adducere שׁוּב Hi.].

6. *εὐδοκεῖν*] Pol. *εὐδοκεῖν τινι* acquiescere in aliqua re, probare rem 2, 38, 7. 3, 8, 7. 4, 22, 7. 8, 14, 8. 22, 13, 6. 36, 1, 2. *ἔν τινι* 2, 12, 3. — sequente infinitivo 1, 8, 4 *ὥστε πάντας εὐδοκῆσαι στρατηγὸν αὐτῶν ὑπάρχειν Ἱέρωνα.* 5, 93, 7. 7, 4, 5. 18, 35, 4. c. partic. 2, 38, 4 *εὐδοκοῦσι τὴν πολιτείαν μετειληφότες.* 2, 48, 2. 2, 49, 3. — 20, 5, 10 *τοῖς Θηβαίοις οὐχ ὅλως εὐδόκει τὸ γεγονός.* — *εὐδοκεῖσθαι ἐπί τινι* contentum esse 1, 8, 4. *τινί* 3, 31, 6. 27, 3, 5. — *διαλύσεις εὐδοκούμεναι ἀμφοτέροις* 2, 49, 9. abs. *κατάστασις εὐδοκουμένη* tolerabilis 1, 71, 3. — Diod. 15, 16 *προσποιηθέντες εὐδοκεῖσθαι ταῖς ὁμολογίαις.* — 17, 47 *εὐδοκήσας τῷ ξένῳ.* 4, 23. — Conferas titulorum testimonia Dittenb., Syll. nr. 233, 32 [c. 158 a. Chr. n. Delphis] *καθιστάντων δὲ καὶ ἐγγύους οἱ δανειζόμενοι οὓς κα οἱ ἐπιμεληταὶ εὐδοκέωντι.* 240, 59 [c. 140 a. Chr. n. Olympiae] *καθότι καὶ αὐτοὶ εὐδόκησαν.* 456, 2 *καθὼς αὐτοὶ εὐδόκησαν.*[2]) — Conf. Legrand: *εὐδοκῶ* se contenter ‖ se plaire ‖ plaire ‖ être content de ‖ vouloir ‖ approuver.

Gen. 24, 26 *καὶ εὐδοκήσας ὁ ἄνθρωπος προσεκύνησεν,*

---

[1]) textus hebraicus exhibet: צֹהַר תַּעֲשֶׂה לַתֵּבָה, quod vulgo interpretantur: fenestram in arca facies; conf. Gesenius, Handwörterb.[11] p. 714ᵃ, Kautzsch, Knobel al., cum vero ille nominis צהר usus nullis exemplis probetur, et hoc ipso loco aliquas difficultates exhibeat, alii interpretati sunt 'integumentum' 'tectum' e simili Arabico vocabulo; conf. etiam assyr. ṣîru 'insuper', similiter quoque LXX interpretes hunc locum intellexerunt cum verterent *ἐπισυνάγων* i. e. 'insuper inducens, sternens'.

[2]) Falso igitur Sturzius p. 168 hoc verbum Alexandrinis vindicat.

ut videtur 'contentus adoravit' hebraicus textus exhibet וַיִּקֹּד 'et inclinavit se'. — it. 48. — 33, 10 *καὶ εὐδοκήσεις με* hebr. וַתִּרְצֵנִי acquiescas in me, probes me.[1])

7. *εὐλαβεῖσθαι* i. q. *φοβεῖσθαι* metuere] vid. Moeris. p. 144 *εὐλαβεῖσθαι ἀντὶ τοῦ φυλάττεσθαι ὡς Δημοσθένης ἐν Φιλιππικοῖς Ἀττικοί, εὐλαβεῖσθαι ἀντὶ τοῦ φοβεῖσθαι Ἕλληνες.*

Pol. 1, 16, 7 *θαλαττοκρατούντων γὰρ τῶν Καρχηδονίων εὐλαβοῦντο μὴ πανταχόθεν ἀποκλεισθῶσιν τῶν ἀναγκαίων.* 18, 6, 5 [Dind. 18, 23, 5] *πῶς οὖν ὑμᾶς εὐλαβεῖσθαι καθήκει μέλλοντας ἐξ ἴσου ποιεῖσθαι τὸν κίνδυνον πρὸς τοὺς αὐτούς.* — Diod. 16, 16 *Φίλιστος εὐλαβηθεὶς τὴν ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας αἰκίαν ἑαυτὸν ἀπέσφαξε* [conf. 31 *φοβούμενος τὴν ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας αἰκίαν ἑαυτὸν κατεκρήμνισε*]. 22 al. — Luc. Soloec. 5 *πρὸς δὲ τὸν εἰπόντα δεδίττομαι τὸν ἄνδρα καὶ φεύγω, σὺ ἔφη καὶ ὅταν τινὰ εὐλαβηθῇς διώξῃ.* Ab interpolatore quodam insertum invenitur hoc verbum ap. Eurip. Iph. Aul. 1417 *λέγω τάδ' οὐδὲν οὐδέν' εὐλαβουμένη.*

PL. 45, 7/8 *εὐλαβοῦμαι τὸν ἐνδίκτην τὰ πλῖστα* metuo quam maxime denuntiatorem. — Ex. 3, 6 [יָרֵא].

8. *κινεῖν* neutr. proficisci, castra movere] Pol. 2, 54, 2 *αὖθις ἐκ ποδὸς ἐκίνει ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπ' Ἀρκαδίας.* — Plut. Caes. 26 *διόπερ καὶ κινήσας ἐκεῖθεν ὑπερέβαλε τὰ Λιγγονικά.* Luc. 9. 15.

Gen. 11, 2 *καὶ ἐγένετο ἐν τῷ κινῆσαι αὐτοὺς ἀπὸ ἀνατολῶν.* 20, 1 *καὶ ἐκίνησεν ἐκεῖθεν Ἀβραὰμ εἰς γῆν πρὸς λίβα.*

9. *νευροκοπεῖν*] Pol. 31, 12, 11 *νευροκοπεῖν τοὺς ἐλέφαντας* nervos incidere. — Diod. 3, 25 *νευροκοπεῖ τὴν δεξιὰν ἰγνύν.* ibid. *τὸ νευροκοπηθὲν ζῷον.* — Strab. 16 p. 772 c. 10. Gen. 49, 6 *ἐν τῇ ἐπιθυμίᾳ αὐτῶν ἐνευροκόπησαν ταῦρον.*

10. *παραβιάζεσθαι*] Pol. 22, 10, 7 *παραβιασάμενοι τὸν μεταξὺ χάρακα τῶν πολεμίων εἰσέφρησαν εἰς τὴν πόλιν* vi perrumpere vallum. 26, 1, 3 *οὔτε παραβιάζεσθαι περὶ τῶν*

[1]) accus. *με* Hebraismus videtur, sed ob eandem causam retinendus, neque aliis testimoniis opus est, ut Mt. 12, 18 conf. A. Buttmann, Gramm. d. neut. Sprachg. p. 160. — conf. etiam Dittenb., Syll. nr. 233, 32. — Lag. cum in illa rectione offenderet falso emendavit *εὐλογήσεις με.*

τοιούτων vim adhibere ad aliquid perficiendum. — similiter 'vim adhibere' Plut. Mor. p. 19 E *παραβιαζόμενοι καὶ διαστρέφοντες*. it. Lyc. 6. Mor. 31 C. — vi opprimere: *τινά*¹) Plut. Cleom. 16 *ἐπειρᾶτο τοὺς Ἀχαιοὺς παραβιάζεσθαι*.

Gen. 19, 9 *παρεβιάζοντο τὸν ἄνδρα τὸν Λὼτ σφόδρα*. urgere aliquem, instare alicui. 19, 3 *παρεβιάζετο αὐτούς* A [Lag. E *κατεβιάσατο*, D *κατεβιάζετο*]. vid. *καταβιάζεσθαι* [V.ª 7 p. 322], quod verbum in Pentateucho quidem ab illo non differt: multis precibus hortari.

11. *παρασιωπᾶν*] Pol. silentio praeterire 2, 13, 7 *συνθήκας, ἐν αἷς τὴν μὲν ἄλλην Ἰβηρίαν παρεσιώπων*. 3, 15, 11. 9, 35, 7. *περί τινος* 10, 27, 7. 20, 11, 1. — Plut. Mor. 869 B. — Conf. Legrand: *παρασιωπῶ* passer sous silence.

In Genesi hoc verbum notioni silendi addit vim opperiendi: 24, 21 *παρεσιώπα τοῦ γνῶναι*. 34, 5 *παρεσιώπησεν δὲ Ἰακὼβ ἕως τοῦ ἐλθεῖν αὐτούς*.

12. *περισύρειν*] Pol. *περισύρειν τὴν λείαν τῶν πολεμίων* praeda exuere hostes 3, 93, 1. — 4, 19, 4 *τὰ θρέμματα περισύρειν* diripere. conf. App. Hispan. 65 *πολλὴν λείαν περιεσύρατο*. — Luc. de merc. cond. 30 *ἄνω καὶ κάτω περισύρομαι* huc illuc circumagor. — Legrand: *περισύρω* traîner ‖ vailler.

Gen. 30, 37 *περισύρων τὸ χλωρόν* viridem corticem circum detrahere.

Hoc verbum iam multo prius in usu fuisse docet Theophrasti *περισυρμός* distractio [de igne 53].

13. *σιτομετρεῖν*] Poll. 7, 18 *σιτομέτραι ὡς Ὑπερίδης, ἀφ' οὗ τὸ σιτομετρεῖν*. conf. etiam Arist. Pol. IV 15, 1299ª, 23 *σιτομέτρας αἱροῦνται*. — Pol. 4, 63, 10 *μετὰ δὲ ταῦτα σιτομετρήσας εἰς τριάκονθ' ἡμέρας τὴν δύναμιν ἐκ τοῦ περικαταληφθέντος σίτου* frumentum metiri i. e. praebere exercitui. 5, 80, 2. fr. hist. 44 al. — pass. *σιτομετροῦνται οἱ πεζοί* frumentum accipiunt 6, 39, 13. — Diod. 13, 58 *τινί*. — 19, 49. 50. — Eiusdem fere temporis est titulus CJG. 3971 col. IV 1 *σειτομετρουμένῳ δήμῳ ἔδωκα*. — Atticistarum offensionem cognoscas e Phryn. [Lob. p. 383, Rutherf. p. 477] *σιτομετρεῖσθαι μὴ λέγε· λύων δ' ἐρεῖς σῖτον μετρεῖσθαι*. item Thom. Mag. 335, 6.

---

¹) vid. Krebs, Zur Rection der Casus p. 29, 16.

Gen. 47, 12 *ἐσιτομέτρει Ἰωσὴφ τῷ πατρὶ αὐτοῦ σῖτον κατὰ σῶμα* frumentum admetiri.

14. *συλλαλεῖν*] colloqui Pol. 1, 43, 1 *συλλαλήσαντες αὐτοὶ ἑαυτοῖς ὑπὲρ τοῦ τὴν πόλιν ἐνδοῦναι.* 4, 22, 8.

Multo prius iam in usu fuisse hoc verbum praeter Alexandrinam versionem ostendunt etiam titulorum testimonia: Dittenb. Syll. 166 [tabula inventa in parictinis Erythrarum c. 261—246 a. Chr. n. scripta] 34 *τῶν ἄλλων ὧν συλλελαλή*||*[καμεν]*. **nr. 171, 23 [Lapis Oxoniensis, Smyrnae inventus, 244 a. Chr. n.]** *ἐπαχθέντες δὲ καὶ οἱ πρεσβευταὶ ἐπὶ τὸν δῆμον συνλελαλήκασιν ὑπὲρ ἁπάντων.*

Ex. 34, 35 *ἕως ἂν εἰσέλθῃ συνλαλεῖν αὐτῷ.*

15. *συντελεῖσθαι* medium genus notione perficiendi usurpatum] Ita apud Atticos activum huius verbi genus invenitur. Medium primum ap. Pol. 1, 9, 6 *συντελεσάμενος δὲ τὸ προκείμενον* perficere propositum conf. 1, 70, 8. — 5, 100, 9 *ἤδη δ' αὐτοῦ συντετελεσμένου τὰ κατὰ τὰς Θήβας.* — Diod. 1, 59 *πρᾶξιν πολεμικὴν ἢ μνήμης ἀξίαν οὐδ' ἡντινοῦν συνετελέσατο.*

PL. 14, 46 sq. *[περὶ] ὧν συντετελεσμένοι εἰσὶν εἰς ἐμέ* [c. 120 a. Chr. n.].

Gen. 44, 5 *πονηρὰ συντετέλεσθε* [Lag. *συνετελέσασθε*] *ἃ πεποιήκατε.* — 18, 21 *καταβὰς οὖν ὄψομαι εἰ κατὰ τὴν κραυγὴν αὐτῶν τὴν ἐρχομένην πρός με συντελοῦνται* rem gerere.

16. *ὑπερασπίζειν*] Pol. 6, 39, 6 *τοὺς ὑπερασπίσαντας καὶ σώσαντάς τινας τῶν πολιτῶν.*[1]) — Diod. 17, 99 *πρῶτος ὑπερήσπισε τὸν βασιλέα.* 20, 52. — Dion. H. Ant. Rom. 7, 26 *τὸν Μάρκιον ὑπερασπιοῦντες.* — Plut. C. Marc. 3 *τῷ πολίτην ὑπερασπίσαντι.* Marcell. 2. — Arr. Anab. 6, 11, 14 *τινός: ὑπερασπίσαι κειμένου.* it. c. gen. 6, 28, 6 *τὸν Ἀλεξάνδρου ὑπερασπίσαντα.* At vid. *περὶ συντάξεως* BA. 178, 25 *ὑπερασπίζω αἰτιατικῇ· Ἀρριανός· καὶ ἐπὶ τούτῳ Λεοννᾶτος ὑπερασπίσας Ἀλέξανδρον!*

---

[1]) Conf. titulum ap. Viereck l. l. nr. XVI 79/80 [ao. 81 a. Chr. n.] *τὰ δημόσια πράγματα [τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων] | [προ]θυμότατα ὑπερησπικέναι.*

Item atque ap. Arr. ὑπερασπίζειν cum genit. coniungitur: Gen. 15, 1 ἐγὼ ὑπερασπίζω σου.

17. χωνεύειν] Pol. Exc. 34, 9, 11 τὴν πέμπτην ὑπόστασιν χωνευθεῖσαν ἀποχυθέντος τοῦ μολύβδου. — Diod. 5, 35. 16, 45. — Plut. Luc. 37 κεχωνευμένον ἀργύριον. — Alex. Aphr. Problem. 1, 49. Conf. Moeris p. 409: χοανεῦσαι Ἀττικοὶ χωνεῦσαι Ἕλληνες.

Ex. 26, 37 καὶ χωνεύσεις αὐταῖς πέντε βάσεις χαλκᾶς conflare, fundere. — 32, 4. 38, 3. 10. 18. 20.

Eadem igitur res quam supra intra Atticae fines cognovimus, hic quoque invenitur: verba iamdudum usitatissima in cotidiano sermone multo postea demum in litterarum sermone usurpantur. Quantum ad hanc rem firmandam valeant titulorum testimonia ex exemplis supra allatis satis apparet. Titulorum sermo, etsi in actis publicis praesertim a cotidiano sermone recedit, tamen non iisdem artis vinculis coercetur ac litterarum sermo. Medium igitur locum tenent tituli inter vulgarem LXX interpretum sermonem et sermonem litterarum. Iidem porro maximi momenti sunt, quod certarum regionum usum indicant, cum litterarum sermo vulgaris et omnibus communis sit, sermo LXX interpretum Alexandrinorum dialectum exhibeat. Itaque testibus titulis, ut nonnulla exempla supra allata docent, cognoscere saepius licet, ea quae prius quidem solis Alexandrinis vindicabantur verba per omnes Graeciae linguae fines fuisse pervulgata, pervulgata iam ex parte initio tertii a. Chr. n. saeculi, quin etiam hic illic radices cognoscuntur, quibus in Atticorum sermone illa haeserint. Quod consentaneum est, nusquam enim adhuc interruptus extat ille continuus vulgaris sermonis progressus, quem inde ab initiis Atticae dialecti adhuc prosecuti sumus.

Caput X.

Verba quae inde ab Polybio [excl.] usque ad Plutarchum [excl.] in litteris primum existunt.

1. διαπληκτίζεσθαι] rixari, confligere. Conf. Hom. Φ 499 πληκτίζεσθ' ἀλόχοισι Διός, ubi schol. B μάχεσθαι· τῶν

ἅπαξ δὲ εἰρημένων ἡ λέξις. Eustathius vero p. 1248 annotat ὅτι τὸ παρ' ἡμῖν διαπληκτίζεσθαι δίχα προθέσεως φησὶ ὁ ποιητὴς πληκτίζεσθαι comprobat igitur recentiorem huius verbi διαπληκτίζεσθαι usum vulgarem. Verbum simplex deinde in Atticorum sermonem cotidianum abiisse indicare videtur Aristophanis usus, conf. Ar. Eccl. 964 ἐν γὰρ τῷ σῷ βούλομαι κόλπῳ πεσὼν πληκτίζεσθαι μετὰ τῆς πυγῆς 'lascivire', unde in recentiores litteras effluxit. Verbum compositum vero praeter LXX interpp. primum occurrit ap. Plut. Flamin. 3 τοπομαχοῦντας καὶ διαπληκτιζομένους ἀκροβολισμοῖς. Sull. 2. Lucull. 31 al. — Conf. Legrand: διαπληκτίζεσθαι combattre || contraster | disputer.

Ex. 2, 13 ὁρᾷ δύο ἄνδρας Ἑβραίους διαπληκτιζομένους confligentes, rixantes.

2. ἐμπλατύνειν] Strabo 8 p. 385 med. εἶτα λέγει αἰτίαν τοῦ ἐμπλατύνεσθαι τοῖς περὶ Ἀχαιῶν λόγοις longius immorari. Saepissime apud Eustathium.

Ex. 23, 18 ἐμπλατύνω τὰ ὅριά σου. 34, 24 Lag. AF [B simpl.] dilatare [vid. supra πλατύνειν V, C 12 p. 334].

3. ἐξεικονίζειν] Plut. Mor. p. 445 C οἷον ὁ Πλάτων ἐξεικονίζει effingere. — Aristaen. 1, 19 τῷ φύσαντι .. ἐξεικονισμένον τὸ (παιδίον) τῇ φύσει. conf. Suid. ἐξεικονισμένος, μεμορφωμένος. — Legrand: ἐξεικονίζω représenter, peindre.

At videas huius verbi notionem apud Ex. 21, 22 καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον. 23 ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, utroque loco hebr. אָסוֹן ita vertitur, intellegendum igitur est: laesum, deformatum, εἰκονίζειν effingere, ἐξ-εικονίζειν imaginem effictam delere, deformare. Hic usus praepositionis ἐκ- imprimis recentioris aetatis videtur proprius fuisse: conf. ἐξοπλίζειν vulgo i. q. 'armis instruere', apud Appianum vero B. C. 2, 28 'armis exuere'.

4. ἐξολεθρεύω] Plut. Dio 18. — Legrand: ἐξολοθρεύω exterminer, détruire, anéantir.

Gen. 17, 14 ἐξολεθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ γένους αὐτῆς perdere, tollere. Ex. 12, 15. 19. 22, 20 [Lag. A; B: simpl.]. 30, 33. 31, 14. — Ex. 8, 24 ἐξωλεθρεύθη ἡ γῆ devastare.[1])

[1]) codd. unc. omnibus his locis exhibent ἐξολεθρεύειν, in cod. Vaticano B modo a secunda manu in Exodo correctum invenitur ἐξ-

5. *ἐξομολογεῖσθαι*] Plut. C. Marc. 4 *τοῦτο δ' ἀμέλει καὶ τὸν Ἐπαμεινώνδαν φασὶν ἐξομολογήσασθαι τὸ πάθος τὴν εὐτυχίαν ποιούμενον αὐτοῦ μεγίστην* confiteri. Anton. 59. Eum. 17. Num. 16. Mor. p. 1042 A. Lyc. et Numa 3. — Luc. Hermot. 75. — Conf. Legrand: *ἐξομολογῶ* confesser, *ἐξομολογοῦμαι* se confesser.

Gen. 29, 35 *τοῦτο ἐξομολογήσομαι κυρίῳ* hebr. הַפַּעַם אוֹדֶה אֶת־יְהוָה i. e. iam celebrando profitebor nomen Jahwe; per Hebraismum igitur interpretes verbo *ἐξομολογεῖσθαι* eandem vim subdiderunt, quae subest verbo ידה Hi.

6. *ἐκδικεῖν*] ulcisci. Conf. Pol. 3, 8, 10 *δόγματι μόνον τὴν ἐκδίκησιν ποιησαμένους*. Verbum ipsum primum occurrit ap. Plut. Vitae p. 845 E. 947 B. — Athen. XIII p. 560 E. — Apollod. 4, 11, 2. — Kaibel, epigr. nr. 529, 4 *ὅς κτείνας Πίνναν ἐξεδίκησεν ἐμέ*. — CJA. III 26, 4. 29, 9. — Legrand: *ἐκδικῶ* venger.

Ex. 21, 20 *δίκῃ ἐκδικηθήσεται* נָקֹם יִנָּקֵם. 21. Gen. 4, 24 *ὅτι ἑπτάκις ἐκδεδίκηται ἐκ Κάιν* יֻקַּם־קָיִן, quae versio etsi sine dubio originalis habenda est, tamen plane perversa videtur esse, nam *ἐκδικεῖν ἐκ* sicut נָקַם מִן i. est q. vindicare aliquid ab aliquo, conf. Num. 31, 2 *ἐκδίκει τὴν ἐκδίκησιν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐκ τῶν Μαδιανειτῶν*, hic vero intellegendum est: septies vindicatus est (vel potius: vindicabitur) Kain. — Nec minus mirum est, quod legitur Gen. 4, 15 *πᾶς ὁ ἀποκτείνας Κάιν ἑπτὰ ἐκδικούμενα παραλύσει* hebr. כָּל־הֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם i. e. omnis qui Kain interficiet i. e. si quis^K. interficiet septies ab eo vindicabitur [sc. haec caedes]; hic in verbis כָּל־הֹרֵג קַיִן absolute positis suo iure offenderunt interpretes et liberius verba transtulerunt: quicunque Kain interficiet septem vindicata solvet i. e. poenas dabit; ita potissimum hunc obscurum locum explicem, etsi non ignoro, illam verbi *παραλύειν* notionem exemplis probari non posse; expectares potius *ἀποτίσει* vel *ἀπολύσει*, sed similes verborum compositorum confusiones in recentiore Graecitate et imprimis apud LXX interpretes saepius inveniuntur.

ολοθρεύειν, quam formam Lagardii textus ubique exhibet, et quae recentissimis testimoniis firmatur. — Bene igitur Buresch '*γέγοναν* und anderes Vulgärgriechisch' primitivam formam *ἐξολεθρεύω* libris sacris restituendam censuit.

7. *καθομολογεῖσθαι*] Activum genus apud Atticos quoque, quamvis raro, invenitur conf. Pl. Gorg. 499 B. Crit. 49 C. Dem. 56, 14. medium vero genus significatione despondendi, in nuptias dandi, inde a Plutarcho demum in litteris videtur existere. Plut. Crass. 33 *τὴν ἀδελφὴν αὐτοῦ γυναῖκα Πακόρῳ τῷ παιδὶ καθωμολογημένος*. Pomp. 47. Caes. 14. Demetr. 46. Tib. Gracch. 4. — Luc. Phal. 2, 1 transl. *ἀνάθημα ἤδη καθωμολογημένον τῷ θεῷ* promissum.

Ex. 21, 9 *ἐὰν δὲ τῷ υἱῷ καθομολογήσηται αὐτήν*. 21, 8 *ἐὰν δὲ μὴ εὐαρεστήσῃ τῷ κυρίῳ αὐτῆς ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν, ἀπολυτρώσει αὐτήν*, ita enim primitus scriptum videtur fuisse, cum adhuc unus cod. F eam servet scripturam; ita etiam textus hebr. K^{e}tib אֲשֶׁר־לֹא יְעָדָהּ. Tum vero Q^{e}rē recte exhibuit לוֹ pro לֹא, unde textus emendatus: *ἣν καθωμολογήσατο αὐτῷ*, qui tamen nusquam invenitur, cum variae harum lectionum contaminationes in codd. extent: ita B: *ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο*, A: *ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτῷ*, Lag.: *ἣν αὐτὸς καθωμολογήσατο*.

8. *καταβλέπειν*] Plut. Arat. 32 deorsum adspicere *κατέβλεψεν εἰς τοὺς μαχομένους ἄνωθεν*. Mor. p. 469 B *τί τὸ σεαυτοῦ κακὸν λίαν καταβλέπεις*. 680 D.

Gen. 18, 16 *κατέβλεψαν ἐπὶ πρόσωπον Σοδόμων* pronum prospicere [hebr. שקף Hi. pronum esse]. — Ex. 3, 6 cum codd. BAF scribendum *κατεμβλέψαι*, ubi falso Lag. *καταβλέψαι*.

9. *κατακυριεύειν*] Diod. 14, 64 *ἰδόντες πλοῖον . . ἐπέπλευσαν αὐτῷ καὶ κατακυριεύσαντες κατῆγον εἰς τὴν πόλιν*. — Io. Chrys. t. I p. 726, 19. — [Arist.] de pl. II 2, 823^{a}, 7. 826^{b}, 8.[1])

Gen. 1, 28 *πληρώσατε τὴν γῆν καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς*. 9, 1. — At 9, 7 ubi item extat *αὐξάνεσθε καὶ πληθύνεσθε καὶ πληρώσατε τὴν γῆν* — sed sequitur *καὶ πληθύνεσθε ἐπὶ τῆς γῆς* וּרְבוּ־בָהּ — Lag. exaequatis locis exhibet *καὶ κατακυριεύσατε αὐτῆς*.[2])

---

[1]) vid. Christ, Gesch. d. griech. Lit.^{3} p. 408 'eine Rückübersetzung aus dem Lateinischen und des weiteren aus dem Arabischen'.

[2]) de hoc studio exaequandi, quod in Lagardii recensione passim invenitur, vid. supra p. 267 ann. 2. — notandum est, quod hic quoque

10. *κατασοφίζεσθαι*] Diod. 17, 116 *ταῖς εὑρεσιλογίαις κατασοφίζεσθαι τὴν δύναμιν τῆς πεπρωμένης*. — Plut. Mor. p. 80 *ἔν τινι λόγῳ κατασοφισθεὶς ὑπ' ἀνθρώπου τόλμαν ἔχοντος*. — Luc. dial. deor. 1, 1. 16, 2. dial. mar. 2, 4. 13, 2. dial. mort. 8, 1. Pseudol. 30.

Ex. 1, 10 *δεῦτε οὖν κατασοφισώμεθα αὐτούς* dolis opprimere.

11. *καταφυτεύειν*] Diod. 3, 44 *πάσας* [sc. *τὰς ἐρήμους*] *δ' ἐλαίαις καταπεφυτεῦσθαι διαφόροις τῶν παρ' ἡμῖν* conserere. — Plut. Cim. 13 *τὴν ἀγορὰν πλατάνοις καταφυτεύσας*. — Luc. V. H. 2, 42 *πέλαγος . . ἀῤῥίζοις δένδροις καταπεφυτευμένον*.

Ex. 15, 17 *καταφύτευσον αὐτοὺς εἰς ὄρος* serere.

12. *λιθοβολεῖν*] Plut. Mor. 1011 E *ὥσπερ ἀμέλει τὸ λίθους βάλλειν καὶ τοίχους ὀρύσσειν λιθοβολεῖν καὶ τοιχωρυχεῖν ἐπιταχύναντες καὶ σφίγγοντες τὴν φράσιν λέγουσιν*. — Haec verba indicare videntur ne tum quidem verbum *λιθοβολεῖν*, etsi in consuetudinis sermone vigebat, dignatum esse, quod in litteras reciperetur.

Ex. 8, 26 *λιθοβοληθησόμεθα*. 19, 13 *ἐν λίθοις λιθοβοληθήσεται*. 21, 28. 29. 32.

13. *περιβιοῦν*] Apud profanos significatione neutrali: superstitem esse: Plut. Anton. 53. C. Marc. 11 *ᾧ ἂν διδύμῳ γενομένῳ συμβῇ περιβιῶναι*.

At Ex. 22, 18 *φαρμακοὺς οὐ περιβιώσετε* Lag. AF [B *περιποιήσετε*] transitiva huius verbi vis occurrit; hic non dubitarem cum cod. B restituere *περιποιήσετε*, nisi nostris temporibus idem usus transitivus inveniretur: Legrand: *περιβιῶ* survivre laisser la vie à.

14. *συμβιβάζειν* i. q. *διδάσκειν* docere] Ps.-Ocell. 3 p. 530, 3 *εἴπερ ἀληθῶς ὁ λόγος συμβιβάζει μὴ μόνον τὰ μέρη συνυπάρχειν*. — Iambl. Vit. Pyth. § 60 p. 122, 1 *διὰ τούτου συμβιβάζων ὡς διδασκαλίᾳ πάντα περιγίνεται*.

Ex. 18, 16 *συμβιβάζω αὐτοὺς τὰ προστάγματα*. Ex. 4, 12 *συμβιβάσω* [-*βιβῶ* Lag. F] *σε ἃ μέλλεις λαλῆσαι*. 15.

Lagardii textus a textu hebraico recessit, qua de re conf. eundem locum l. ac praeterea VII 4 ann. 1.

15. *συναναστρέφεσθαι*] Diod. 3, 58 *συναναστρέφεσθαι αὐτῇ καὶ φιλίαν ἔχειν ἐπὶ πλέον φασὶ Μαρσύαν* familiariter uti. — Plut. Lyc. 17 *ἤδη δὲ τοῖς τηλικούτοις ἐρασταὶ τῶν εὐδοκίμων νέων συνανεστρέφοντο.* — Arr. Epict. 3, 13, 5 *ἡδέως συναναστρέφεσθαι ἀνθρώποις.* 4, 1, 85. — Conf. Legrand: *συναναστρέφομαι* fréquenter habituellement; hanter.

Gen. 30, 8 *συνανεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου* contendere, luctari.

16. *συναντιλαμβάνεσθαι*] Diod. 14, 8 *δεόμενοι κατὰ θάλατταν συναντιλαβέσθαι τῆς ἐλευθερίας.* — schol. Luc. Icarom. 24.

Ex. 18, 22 *συναντιλήμψονταί σοι* BF [falso Lag. A *σου*] tecum oneris partem suscipient.

17. *συνεγείρειν*] Plut. consol. ad Apoll. p. 357 *λύπας καὶ θρήνους* simul suscitare.

Ex. 23, 5 *ἐὰν δὲ ἴδῃς τὸ ὑποζύγιον τοῦ ἐχθροῦ σου πεπτωκὸς ὑπὸ τὸν γόμον αὐτοῦ, οὐ παρελεύσῃ αὐτὸ ἀλλὰ συνεγερεῖς αὐτὸ μετ' αὐτοῦ* B^{ab}F Lag. [A *ἐγερεις*, B *συναρεις*]. at conf. Ps.-Phocyll. 140 *κτῆνος κἢν ἐχθροῖο πέσῃ καθ' ὁδὸν συνέγειρε,* quem versum illum Exodi locum spectare satis apparet. — Illa sublevandi et erigendi notio verbi *ἐγείρειν* inde a deflorescentis Attici sermonis aetate evaluit.

Caput XI.

Verba quae inde ab anno centesimo p. Chr. n. in profanis litteris Graecis primum occurrunt.

1. *ἀπειλεῖσθαι* i. q. *ἀπειλεῖν*] Lys. 12, 72 cod. Pal. *ἐναντιοῖτο μηδὲ ἀπειλοῖτο,* vid. Cobet, Nov. lect. p. 626: 'Dicebant omnes constanter *ἀπειλῶ* sed eadem constantia omnes *διαπειλοῦμαι* dicebant: quod quum et ex analogia et omnium usu certissimum esse compereris ... et non diu dubitabis, quin ... turpis barbarismus sic removendus sit ut *μήτε διαπειλοῖτο* rescribatur.' — Eust. ad Il. p. 678, 41 *ὅτι ὁ Αἴας μὲν ἀπειλησάμενος κατὰ τὸ ἀπειλήσας δὲ προσηύδα [διχῶς δέ φαμεν καὶ κατὰ πάθος ἀπειλησάμενος καὶ κατ' ἐνέρ-*

γειαν ἀπειλήσας]. — Primum apud Polyaen. 7, 35 et Harpocr. [Dind. p. 39. conf. Cramer, Anecd. Oxon. vol. II p. 489, 21] *ἀνασείσας· ἀπειλησάμενος· Δημοσθένης κατ' Ἀριστογείτονος.*

Gen. 27, 42 Lag. E *ἀπειλεῖταί σοι τοῦ ἀποκτεῖναί σε* [AD act. *ἀπειλεῖ*, sed cum hic unus locus in libris Genesi et Exodo sit, in quo verbum *ἀπειλεῖν* sive *ἀπειλεῖσθαι* inveniatur, discernere non audeo, praesertim cum medium huius verbi genus etiam in No. To. legatur].

2. *ἀποδεκατοῦν*] Georg. Sync. p. 185, 2. 200, 14. 207, 19. 21. Conf. Legrand: *ἀποδεκατίζω, ἀποδεκατῶ, ἀποδεκατόνω* décimer, dîmer.

Gen. 28, 22 *πάντων ὧν ἐάν μοι δῷς δεκάτην ἀποδεκατώσω αὐτά σοι* decimam partem tibi dabo.

3. *ἀποκυλίειν*] Luc. Rhet. praec. 3 *ἀποκυλιομένους ἐπὶ κεφαλήν* [conf. Arist. polit. 6, 4 *κυλίεσθαι*].

Gen. 29, 3 *ἀπεκύλιον τὸν λίθον ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ φρέατος.* 8. 10.

4. *βεβηλοῦν*] profanare, contaminare Iulian. VII p. 228 C. — Heliod. 2, 25. 10, 36. — Suid. Hesych.: *βεβηλοῦνται· μιαίνονται.* — Legrand: *βεβηλόνω* profaner || souiller.

Ex. 31, 14 *ὁ βεβηλῶν αὐτό* [sc. *τὸ σάββατον*].

5. *γογγύζειν*] Arr. — M. Anton. — Poll. On. 5, 89 *καὶ περιστερὰς γογγύζειν.* — schol. Luc. Necyom. 7 *ὑποτονθορύσας· ἠρέμα γογγύσας.* schol. Ar. Ran. 757. — Phryn. [Lob. 358. Rutherf. p. 463] *γογγυσμὸς καὶ γογγύζειν· ταῦτα ἀδόκιμα μὲν οὐκ ἔστιν, Ἰακὰ δέ. Φωκυλίδην γὰρ οἶδα κεχρημένον αὐτῷ τὸν Μιλήσιον ἄνδρα παλαιὸν σφόδρα·*

καὶ τόδε Φωκυλίδεω· χρή τοι τὸν ἑταῖρον ἑταίρῳ
φροντίζειν ἅσσ' ἂν περιγογγύζωσιν πολῖται.

ἀλλὰ τοῦτο μὲν Ἴωσιν ἀφείσθω, ἡμεῖς δὲ τονθρυσμὸν καὶ τονθρύζειν λέγωμεν ἢ νὴ Δία σὺν τῷ ο τονθορυσμὸν καὶ τονθορύζειν. — Antatt. B. A. 87, 5 *γογγυσμὸς ἀντὶ τοῦ τονθορυσμοῦ. Ἀναξανδρίδης Νηρεῖ,* unde licet colligas hanc quoque vocem Ionicam in Atticorum sermone urbano in usu fuisse. — Conf. Legrand: *γογγύζω* murmurer, se plaindre. **τὸ γόγγυσμα* murmure.

Ex. 16, 7 A *ὅτι γογγύζετε καθ' ἡμῶν* [BF Lag. *δια-*]. 17, 3

ἐγόγγυζεν ἐκεῖ ο λαὸς πρὸς [A ἐπὶ] Μωυσῆν [Lag. falso ἐπὶ Μωυσῇ] fremere, murmurare.

6. *διαγογγύζειν*] Heliod. Aeth. VII 27 *καί τι καὶ πρὸς τοὺς παρόντας ἠρέμα διαγογγύσαντα.*

Ex. 15, 24 *διεγόγγυσεν ὁ λαὸς ἐπὶ Μωυσῆν* B [*κατὰ Μωυσῆ* AF, *κατὰ Μωυσέως* Lag.[1])]. 16, 2 *ἐπὶ Μωυσῆν.* 7 *καθ' ἡμῶν.* 8 *τὸν γογγυσμὸν ὑμῶν ὃν ὑμεῖς διαγογγύζετε καθ' ἡμῶν.*

7. *διεμβάλλειν*] Galen. vol. 4 p. 142 C. 144 D. — Conf. Legrand: *διεμβάλλω* jeter dans.

Ex. 40, 16 *διενέβαλεν τοὺς μόχλους* [Lag. *ἐνέβαλεν*].

8. *ἐγκρατεῖν*] Metopus ap. Stob. vol. I p. 26 Gaisf. *ὄκκα μὲν τὸ λογιστικὸν μέρος τᾶς ψυχᾶς ἐγκρατῇ τῶ ἀλόγω γίνεται καρτερία καὶ ἐγκράτεια,* at conf. *ἐγκράτησις* ap. Diog. L. 6, 77. Plut. fr. I 6.

Ex. 9, 2 *ἀλλ' ἔτι ἐνκρατεῖς αὐτοῦ* פחז Hi. tenere, retinere.

9. *ἐκζητεῖν*] Isocr. *περὶ ἀντιδ.* 45 iam e melioribus libris correctum legitur *ἀναζητοῦντες.* — Aristid. vol. I p. 488 *πάντα ἐκζητῶν πάντα εὑρίσκων.* Himer. 188. — conf. Legrand: *ἐκζητῶ* rechercher.

Gen. 9, 5 *καὶ γὰρ τὸ ὑμέτερον αἷμα τῶν ψυχῶν ὑμῶν ἐκζητήσω ἐκ χειρὸς πάντων τῶν θηρίων ἐκζητήσω αὐτό κτἑ.* repetere, exigere; vindicare aliquid ab aliquo. — 49, 22. — Ex. 18, 15 *ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ θεοῦ.*

10. *ἐκπορνεύειν*] Poll. 6, 126 *ἡταιρηκώς, ἐκπεπορνευμένος.* — Conf. Legrand: *ἐκπορνεύω* prostituer.

Gen. 38, 24 *ἐκπεπόρνευκεν Θαμὰρ ἡ νύμφη σου* scortari. — transl. Ex. 34, 15 *ἐκπορνεύσωσιν ὀπίσω τῶν θεῶν αὐτῶν.* item 16, at ibidem sequitur: Lag. F *καὶ ἐκπορνεύσωσιν τοὺς υἱούς σου ὀπίσω τῶν θεῶν αὐτῶν,* ita enim legendum est, cum A haec verba omnino omittat, B vero perverse hoc sententiae membrum priori adaptans scribat *ἐκπορνεύσωσιν οἱ*

[1]) Nomen *Μω(υ)σῆς* in Exodo ita flectitur: nom. *Μωυσῆς*, acc. *Μωυσῆν* [ita 87 locis, de uno loco Ex. 2, 10 dubitari potest, utrum *Μωυσῆν* an *Μωυσῆ* sit legendum], gen. *Μωυσῆ* [excepto hoc loco Ex. 15, 24, ubi Lag. *Μωυσέως* rec. reliqui vero codd. recte *Μωυσῆ*], dat. *Μωυσῆ(ι)* [ita 26 locis certe legitur, sex aliis locis cod. B et ex parte A nusquam vero Lag. *Μωυσεῖ* exhibent].

υἱοί σου κτἑ. Videntur hic interpretes idem fecisse, quod supra saepius ostendimus [1]), scilicet genus Hiph. item vertisse ac genus Qal, extat enim loco priore וְזָנוּ, altero autem loco וְהִזְנוּ; accedit quod verbum simplex *πορνεύειν* in sermone vulgari vim transitivam videtur habuisse, conf. Harpocr. s. v. *πωλῶσι· πωλεῖν τὸ παρέχειν ἑαυτὴν τοῖς βουλομένοις· ὅθεν καὶ τὸ πορνεύειν, ὅπερ ἐστὶν περνάναι,* litterae modo genus medium *πορνεύεσθαι* 'scortari' exhibent.

11. *ἐξαρτίζειν*] Luc. V. H. 1, 33 *στιβάδας ἐνῳκοδόμητο καὶ τἆλλα ἐξήρτιστο* parare, instruere, conf. Hesychii *ἐξαρτίζει· πληροῖ τελειοῖ.*

At Ex. 28, 7 *ἐπωμίδες .. ἐξηρτισμέναι* coniungere, alligare, aptare, ut videtur, ab interprete pro *ἐξαρτᾶν* scriptum est per confusionem, nisi potius, etsi varia lectio deest, emendandum censes *ἐξηρτημέναι.*

12. *ἐπιδιπλοῦν*] Arr. Tact. p. 178.

Ex. 26, 9 *καὶ ἐπιδιπλώσεις τὴν δέρριν τὴν ἕκτην* duplicare, complicare.

13. *ἐπισπουδάζειν*] Luc. Pisc. 2 *Ἀριστότελες ἐπισπούδασον ἔτι θᾶττον,* ut videtur, sensu neutrali.

Gen. 19, 15 *ἐπεσπούδαζον οἱ ἄγγελοι τὸν Λώτ* incitare; ita apud Atticos legitur *ἐπισπεύδειν τινά.*

14. *ἐχθρεύειν*] schol. Il. *E* 639 *φασὶ δὲ ἀεὶ Λυκίους Ῥοδίοις ἐχθρεύειν.* schol. Ar. Pax 129. — Conf. Legrand: traîter en ennemi ‖ être ennemi de.

Ex. 23, 22 *ἐχθρεύσω τοῖς ἐχθροῖς σου* inimicum esse.

15. *ἱερατεύειν*] Conf. *ἱερατεία* Arist. Pol. VII 8, 1328^b, 13. — In litteris primum occurrit hoc verbum ap. Herodianum 5, 6, 6 *τῷ θεῷ ᾧ ἱεράτευσε*; deinde saepius apud Pausaniam.

Optime huc accedunt titulorum gravia testimonia: CJG. 4697 [Lap. Ros. a. Chr. n. 196] 51 *τῶν θεῶν ὧν .. ἱερατεύσουσιν.* Dittenb., Syll. nr. 444 [titulus Mantineae repertus 101 a. Chr. n.] *ἱερατεύσαντος.* CJG. 4936, 13/4 *ἱεράτευσέν (τε) τῆς πόλεως.* 4239 *καὶ ἱερατεύοντα διὰ βίου πρὸ πόλεως.* 4303

---

[1]) vid. supra I 6 s. v. *ἐξαίρειν* et ann. 1. — III 6 s. v. *βδελύσσεσθαι.* — VI 8 s. v. *σκληρύνειν.*

h[a] 6/7 *ἱερατεύσαντα τῶν Σεβαστῶν* conf. 12/3. CJA. III 94 sacerdotio fungi.

Ex. 28, 1 *ἱερατεύειν μοι.* 3. 4. 37. 29, 1. 44. 30, 30. 31, 10. 40, 11. 13.

16. *καθαρίζειν*] Hoc verbum in litteris non videtur extare nisi apud ecclesiasticos scriptores, attamen illud in vulgari usu fuisse iam colligi posse videtur e nomine *καθαρισμός* apud Luc. Asin. 22, *καθαριστήριον* ap. Harpocr. s. v. *κεγχρεών*. Sed accedunt quoque certa titulorum testimonia:

Dittenb., Syll. nr. 388 ['Mysterieninschrift von Andania' 91 a. Chr.] 37 *ἀφ' ὧν δεῖ καθαρίζειν.* nr. 3 [Titulus Athenis inventus, 'imperatorum Romanorum aetate utique non antiquior'] 3 *καθαριζέστω δὲ ἀπὸ σκόρδων κα[ὶ χοιρέων] κα[ὶ γ]υναικός.* 19/20 *ἀπὸ νεκροῦ καθαρίσζεσται δεκα[ταί]αν ἀπὸ γυναίκεων ἑβ[δ]ομαίαν.*

Ex. 29, 36 *καθαριεῖς* [F *καθαρίσεις*] *τὸ θυσιαστήριον.* 37. 30, 10 *ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ καθαρισμοῦ καθαριεῖ αὐτό.* — med. Gen. 35, 2 *καθαρίσασθε* ablui [ita cum codd. AD legendum, Lag. *καθαρίσθητε*, E *καθαρίσεσθε*]. — transl. [hebr.] Ex. 20, 7 *οὐ γὰρ μὴ καθαρίζῃ κύριος ὁ θεὸς τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ ματαίῳ.* 34, 7 aliquem purum atque insontem iudicare i. e. absolvere.

14. *κατακενοῦν*] Alex. Trall. 3 p. 202 *κατακένωσον εἰς θυσίαν.*

Gen. 42, 35 *τοὺς σάκκους* evacuare.

18. *καταστενάζειν*] Alciphr. 3, 36 *αἱ δυστυχεῖς αὗται καὶ κατεστεναγμέναι τῶν ἀνοήτων ἐραστῶν χάριτες.*

Ex. 3, 23 *καὶ κατεστέναξαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀπὸ τῶν ἔργων καὶ ἀνεβόησαν* ingemiscere; exspectares potius notionem transitivam 'deplorandi', sed conf. Eur. Iph. A. 470 *ὑπὲρ τυράννων ξυμφορᾶς καταστένειν.*

19. *καταστρέφειν* i. q. evertere, delere] invertendi notio iam ap. Xen. Oec. 17, 10 occurrit de semine aratro invertendo, conf. Diog. L. 5, 82 *τὰς εἰκόνας αὐτοῦ κατέστρεψαν Ἀθηναῖοι*; delendi notio primum, ut videtur, extat ap. Herodian. 8, 4, 22 *τὰ προάστεια καὶ εἴ τι τῶν πυλῶν ἔξωθεν ἦν, ὑπὸ τοῦ Μαξιμίνου στρατοῦ κατέστραπτο.*

Gen. 13, 10 *πρὸ τοῦ καταστρέψαι τὸν θεὸν Σόδομα.*

20. *κερατίζειν*] cornu ferire. schol. Theocr. 3, 5 *μη σε κερατίσῃ* conf. Thom. Mag. 196, 17 *κυρίττειν οὐ κερατίζειν*.

Ex. 21, 28 *ἐὰν δὲ κερατίσῃ ταῦρος ἄνδρα*. 31. 32. 35.

21. *κλοποφορεῖν*] Herodian. Epimer. p. 72 furto auferre. Gen. 31, 26 *καὶ ἐκλοποφόρησάς με* וַתִּגְנֹב אֶת־לְבָבִי fallere, conf. similem verbi *κλέπτειν* usum.

22. *λαξεύειν*] lapides scalpere, incidere schol. Lycophr. 523. Eust. Il. p. 230, 3. — Thom. Mag. s. v. *λατόμος* p. 221, 3. — conf. *λάξευσις* schol. Theocr. 6, 18. — Conf. Legrand: *λαξεύω* sculpter, travailler la pierre.

Ex. 34, 1 *λάξευσον σεαυτῷ δύο πλάκας*. 4.

23. *ὀλεθρεύειν*][1]) schol. Eur. Hipp. 535.

Ex. 12, 23 *οὐκ ἀφήσει τὸν ὀλεθρεύοντα εἰσελθεῖν*. — 22, 20 cum codd. Lag. AF *ἐξολεθρευθήσεται* legendum videtur, contra codicis B scripturam: *ὀλεθρευθήσεται*.

24. *ὀρθρίζειν*] Ne hoc quidem verbum litterarum usu comprobatur, etsi vulgaris consuetudinis usus minime dubius esse potest propter Moeridis Atticistae testimonium p. 272 *ὀρθρεύει Ἀττικῶς· ὀρθρίζει Ἑλληνικῶς*, conf. Thom. Mag. 255, 13 sqq. *ὀρθρεύω καὶ ὀρθρεύομαι .. οὐκ ὀρθρίζω· ὀρθριοῦμαι δὲ οὐκ ὀρθρεύσομαι, ἀλλ' οὐδ' ὀρθρισθήσομαι*. hic igitur ex parte illud recentius verbum e caligine sermonis popularis eluctari videmus, evaluisse docet Legrand: *ὀρθρίζω* se lever du bon matin.

Gen. 19, 2 *καὶ ὀρθρίσαντες ἀπελεύσεσθε εἰς τὴν ὁδὸν ὑμῶν*. 27. 20, 8. Ex. 8, 20. 9, 13. 24, 4. 32, 6. 34, 4.

25. *περιαργυροῦν*] Athen. XI p. 475 E *ἐκπώματα ποιεῖν ἐξ αὐτῶν τὰ χείλη περιαργυροῦντας καὶ χρυσοῦντας*. — Theo in Walzii Rhet. vol. I p. 203 *Διογένης ὁ κυνικὸς φιλόσοφος ἰδὼν μειράκιον πλούσιον ἀπαίδευτον εἶπεν· οὗτός ἐστιν ῥύπος περιηργυρωμένος*. — Illis litterarum exemplis antiquius hic quoque est testimonium tituli cuiusdam Deli inventi, anni 180 fere a. Chr. n. apud Dittenb., Syll. nr. 367, 29 *ταινία περιηργυρωμένη Ἀρχεστράτου ἀνάθεμα*. 157 *τράπεζαν περιηργυρωμένην, τρίποδα περιηργυρωμένον*. — Conf. Legrand: *περιαργυρῶ* argenter.

---

[1]) Conf. supra X 4 *ἐξολεθρεύειν* et ann.

Ex. 27, 11 αἱ βάσεις περιηργυρωμέναι ἀργύρῳ. 37, 15. 15. 17. 18. 38, 18. 20.

26. προσαποθανεῖν] Dio Cass. 53, 9 οὐ μόνον οὐκ ἐφόνευσά τινα ... ἀλλὰ καὶ προσαπέθανον ὑπὲρ τοῦ μὴ μοναρχῆσαι.

Ex. 21, 29 ὁ ταῦρος λιθοβοληθήσεται καὶ ὁ κύριος αὐτοῦ προσαποθανεῖται.

27. πτερνίζειν] Phryn. B. A. 39, 19 ἐπικαττύειν καὶ πτερνίζειν· τὸ παλαιὰ ἐπισκευάζειν· ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν τοῖς παλαιοῖς ὑποδήμασιν ἕτερα καττύματα καὶ πτέρνας προσραπτόντων· λέγουσι δὲ ἐπὶ τῶν τὰ παλαιὰ τῶν δραμάτων μεταποιούντων καὶ μεταρραπτόντων. — Apparet hanc glossam comici poetae verba spectare, sed illa notio 'calceos reparandi' praeter hunc locum nusquam extat; alia vero deinde eiusdem verbi significatio emersit, etsi litterarum usu quidem, ut videtur, non dignata. Suidas exhibet πτερνίζειν· λακτίζειν i. e. calce ferire, ad quod conf. Legrand: πτερνίζω éperonner. — huc spectat quoque etsi paululum mutata notio: Gen. 27, 36 ἐπτέρνικεν γάρ με ἤδη δεύτερον τοῦτο [עקב supplantare, fraudare, fallere].

28. τροφεύειν] schol. Pind. Nem. hypoth. III τοῦτον δὲ ἔτυχε τροφεύουσα Ὑψιπύλη. — Georg. Sync. p. 120 C ὡς οἰκεῖον ἡ ἀλλοτρία τὸν παῖδα τροφεύεσθαι κελεύεται. — conf. etiam Lob. ad Phryn. p. 589.

Ex. 2, 7 γυναῖκα τροφεύουσαν.

29. ὑποκαλύπτειν] Opp. Cyn. 1, 516. [?]

Ex. 26, 12 τὸ ἥμισυ τῆς δέρρεως ὑποκαλύψεις Lag. AF subtegere.

30. ὑποστηρίζειν] Luc. quom. hist. conscrib. sit 3 ὁ δὲ λίθους παραφέρων, ὁ δὲ ὑποικοδομῶν τοῦ τείχους, ὁ δὲ ἔπαλξιν ὑποστηρίζων. — V. H. 1, 32. — Theophyl. Sim. Epist. p. 109 D. — Galen. vol. IV p. 316, 14. vol. II p. 501, 9.

Ex. 17, 12 τὰς χεῖρας αὐτοῦ Lag. [rel. simpl.] suffulcire.

Testimonia supra ad verba ἱερατεύειν [15] et περιαργυροῦν [25] allata ostendunt, quam parva in his rebus fides habenda sit litterarum testimoniis; verba, quorum usus in Alexandrinorum sermone urbano a LXX interpretibus tertio a. Chr. n.

saeculo comprobatur, quae inde ex illo tempore in variis Graecae linguae regionibus in usu fuisse titulorum testimonia indicant, altera tandem secundi p. Chr. n. saeculi parte in litteris existunt; vel, quod in verbo *καθαρίζειν* accidit, omnino a profanarum litterarum sermone absunt. Iam videas, quantum veteris gazae illic obrutum iaceat. Sed fontes unde possis haurire extant duo uberrimi, unus versionis Alexandrinae alter linguae Neograecae. Hic illic, ut supra in verbo [24] *ὀρθρίζειν* ostendi, Atticistarum offensiones singula vulgaris usus verba servaverunt, saepius e nominibus derivatis litterarum testimonio comprobatis, colligere licet verbum ipsum quoque tum quidem in usu fuisse [conf. *ἐγκρατεῖν* al.]. In universum igitur non audacius videbimur iudicare, cum pleraque illorum verborum, quae in Alexandrina versione inveniuntur tum vero aut raro in litteris extant aut omnino evanescunt, attamen nostris temporibus in usu servantur, per omnia illa saecula in vulgari usu fuisse dicimus. Atque extant haud pauca eiusmodi verba, quae litterarum quidem testimoniis firmare non potui, omissis videlicet libris sacris omnibusque iis, qui ex illis pendeant. Consentaneum est illos quoque e vulgari sermone hausisse, sed constat etiam, quantum in christianarum litterarum sermone libri sacri valuerint. Idem iudicandum est de Philone et Iosepho, qui multum certe ad has quaestiones possent afferre, nisi satis constaret, quantum interpretibus Alexandrinis debuerint. Verendum igitur est ne rivos derivatos ipsi flumini aequemus: ob eas causas illorum scriptorum testimonia laudare nolui.

Caput XII.

Verba quae nisi in sacris libris aut in iis qui ex illis pendent non videntur extare in litteris.

1. *ἁγιάζειν*] Anth. Pal. III 706. Kaibel, epigr. 596, lapis exhibet *MNHNATINΣΩN*, quod Iacobs emendari voluit *μνήμην ἁγιάζων*, falso, ut opinor; probabilius Wilamowitz: *μνημήϊα τίνων*. — Dion. Hal. Ant. Rom. I 33 p. 86 cum Kiesslingio scriptura vulgata *ἁγιασμοὺς* e cod. Chisiani auctoritate in *ἁγισμοὺς*

videtur mutanda. Certa igitur litterarum testimonia omnino videntur abesse.

At conferas creberrimum usum sacrorum librorum: Gen. 2, 3 *καὶ ηὐλόγησεν ὁ θεὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην καὶ ἡγίασεν αὐτήν*. Ex. 13, 2. 12. 19, 14. 22. 23. 20, 8. 11. 28, 37. 29, 1. 21. 27. 33. 33. 36. 37. 37. 43. 44. 30, 29. 29. 30. 31, 13. 40, 6. 7. 9. 11. — purum, sanctum, sacrum reddere, consecrare. inde 'offerre' Ex. 28, 34.

2. *ἀδολεσχεῖν* meditari] Gen. 24, 63 *καὶ ἐξῆλθεν Ἰσαὰκ ἀδολεσχῆσαι εἰς τὸ πεδίον τὸ πρὸς δείλης* לָשׂוּחַ i. e. ad meditandum [ad precandum?]. — Vid. Cramer, Anecd. Gr. Oxon. II p. 335, 18 sqq. *ἀδολεσχεῖν . . . σημαίνει δὲ τρία· τὸ φλυαρῶ· φεῦ ἄνθρωπε τί ἠδολέσχησας; καὶ τὸ φιλοσοφῶ· ὁ δὲ δοῦλός σου ἠδολέσχησεν ἐν τοῖς δικαιώμασίν σου· καὶ τὸ παίζω· ἐξῆλθεν Ἰακὼβ εἰς τὸ πεδίον ἀδολεσχῆσαι*, quae huius loci explicatio sane perversa est, altera vero, quae hic affertur notio *φιλοσοφεῖν* recentiore tempore magis in usum venisse videtur, conf. Phryn. *σοφ. προπαρ.* B. A. p. 21, 30 sq. [vid. etiam *συναγ. λέξ. χρησ.* p. 344, 13] *σημαίνει μὲν τὸ φιλοσοφεῖν περί τε φύσεως καὶ τοῦ παντὸς διαλεσχαίνοντα. λεσχαίνειν δ' ἐστὶ τὸ διαλέγεσθαι, καὶ λέσχαι οἱ τόποι εἰς οὓς συνιόντες διημέρευον.* Quomodo haec significatio exorta sit, fortasse e litteris Atticis cognoscere licet: primum videtur a comicis poetis de philosophando iocose usurpata esse, ita Eupolis com. in Et. M. 18, 10 *ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά*. Sive ab illis multitudo illum usum sibi assumpsit, sive Comici a multitudine, certe Platonis temporibus in sermone cotidiano *ἀδολεσχία* saepe idem valebat quod philosophia. conf. Pl. Parm. 135 D *διὰ τῆς δοκούσης ἀχρήστου εἶναι καὶ καλουμένης ὑπὸ τῶν πολλῶν ἀδολεσχίας*, similiter Socrates ap. Xen. Oec. 11, 3 *ὃς ἀδολεσχεῖν τε δοκῶ καὶ ἀερομετρεῖν*. — At iam apud eundem Platonem illa hariolandi vel nugandi notio a verbo *ἀδολεσχεῖν* abesse videtur: Phaedr. p. 269 E *πᾶσαι ὅσαι μεγάλαι τῶν τεχνῶν προσδέονται ἀδολεσχίας καὶ μετεωρολογίας φύσεως πέρι* [videas easdem voces *ἀδολεσχία καὶ μετεωρολογία* hic coniunctas esse, quas in Xenophontis loco supra allato coniunctas cognovimus]. — Magis in litterarum quoque usum illa notio iam apud Aristotelem videtur abisse. Fieri igitur facile potuit,

ut in vulgari sermone recentioris temporis eadem vox generalius de meditando adhiberetur; sed cum similis huius verbi notio in lingua neograeca non videatur extare, fortasse potius ille usus omnino interpretum ignorantiae aut si magis placet Alexandrinorum sermoni cotidiano vindicandus est.

3. *ἀδυνατεῖν*] neutr. fieri non posse. Gen. 18, 14 *μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα.* — conf. Hatch, Essays p. 4.

4. *ἀποπεμπτοῦν*] Gen. 41, 34 *ἀποπεμπτωσάτωσαν πάντα τὰ γεννήματα τῆς γῆς.* 47, 26.

5. *ἀσφαλτοῦν*] bitumine illinere, ap. Xenophontem *ἀσφάλτῳ κεχρισμέναι.* — Gen. 16, 14 *ἀσφαλτώσεις αὐτὴν . . . τῇ ἀσφάλτῳ.*

6. *βαρυωπεῖν*] Gen. 48, 10 *οἱ ὀφθαλμοὶ ἐβαρυώπησαν* [Lag. *ἐβαρύνθησαν*].[1]) — Huc spectat Hesychii glossa *ἐβαρυώπησαν· ἐβαρήθησαν· ἀσθενεῖς ἐγένοντο οἱ ὀφθαλμοί.* conf. etiam Suid. s. v. *ἐβαρυώπησαν.* Zonar. p. 594.

7. *γαμβρεύεσθαι*] Gen. 38, 8 *εἴσελθε πρὸς τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου καὶ γάμβρευσαι αὐτήν* [יבם Pi. denominativ. de יָבָם 'mariti frater' 'levir', inde 'leviri officio fungi' e more Hebraeorum: 'concumbere cum fratris mortui uxore'; item de nomine *γαμβρός* [vid. Moeris p. 227. Thom. Mag. p. 76, 14] hic verbum denominat. *γαμβρεύεσθαι* a LXX interpretibus fictum videtur esse. — Ios. Ant. Iud. 14, 12 *ἐγεγάμβρευτο δὲ ἤδη καθ' ὁμολογίαν τῷ Ὑρκάνου γένει* iam generalior notio extat: affinitate coniungi cum.

8. *δευτεροῦν*] Gen. 41, 42 *περὶ δὲ τοῦ δευτερῶσαι τὸ ἐνύπνιον Φαραὼ δίς* iterare. — conf. Legrand: *δευτερόνω* répéter, réitérer. — [Apud Plutarchum invenitur Eumen. 13 *δευτερεύειν,* item PL. 70, 12/3 *Πετόνουριν τὸν δευτερεύοντα.*]

9. *διαβουλεύεσθαι* i. q. *ἐπιβουλεύεσθαι*] ita intellegendum videtur Gen. 49, 23 *εἰς ὃν διαβουλευόμενοι ἐλοιδόρουν* insidiari [?]. — De hac verborum compositorum confusione conf. supra *παραλύειν* pro *ἀπολύειν.* s. v. *ἐκδικεῖν* X 6. — infra 14 *ἐκδέχεσθαι* i. q. *ἀναδέχεσθαι.*

---

[1]) Similia exempla recentiorum vocabulorum in Lagardii recensione evitatorum iam supra allata sunt.

10. *διανήθειν*] Ex. 28, 8 *κοκκίνου διανενησμένου*. 29. 35, 6. 36, 10. 12. 15. 37 Lag. [rel. simpl.]. — Conf. *νήθειν* V, B 10.

11. *ἐγκαλούμενος* i. q. supra commemoratus] Ex. 22, 9 *καὶ πάσης ἀπωλείας τῆς ἐνκαλουμένης ὅτι οὖν ἂν ᾖ* עַל־כָּל־אֲבֵדָה אֲשֶׁר יֹאמַר כִּי הוּא זֶה proprie: 'de quo dicitur: hoc est illud'. ab interprete male intellectum: 'et uniuscuiusque damni, quodcumque est, cuius mentio facta est'. Quae significatio, etsi lexicorum nullis videtur exemplis posse firmari, tamen in papyris illius temporis saepius invenitur. PL. 8, 15 *τοῖς ἐνκαλουμένοις* 'les susdits', 14, 29 ubi tamen notio forensis 'rei, accusati', quae apud Atticos huic verbo subest, aliquantum etiam valet; ita saepius.

12. *ἐγκισσᾶν*] Gen. 30, 38 *ἐνκισσήσωσιν τὰ πρόβατα εἰς τὰς ῥάβδους*. 41. 41. 31, 10.

13. *εἰσσπᾶσθαι*] Gen. 19, 10 *εἰσεσπάσαντο τὸν Λὼτ πρὸς ἑαυτοὺς εἰς τὸν οἶκον*.

14. *ἐκδέχεσθαι* sponsionem, vadimonium facere, cavere] Gen. 43, 8 *ἐγὼ δὲ ἐκδέχομαι αὐτόν* אֶעֶרְבֶנּוּ. — ita apud Atticos *ἀναδέχεσθαι*. — conf. supra 9 *διαβουλεύεσθαι*.

15. *ἐλαττονεῖν*] Ex. 16, 18 *ἠλαττόνησεν* opp. *ἐπλεόνασεν*. 30, 15 *ὁ πλουτῶν οὐ προσθήσει καὶ ὁ πενόμενος οὐκ ἐλαττονήσει* [Lag. AF *ἐλαττονώσει*] *ἀπὸ τοῦ ἡμίσους*.

16. *ἐμποιεῖσθαι* i. fere q. *ἀντιποιεῖσθαι*] Ex. 9, 17 *ἔτι οὖν σὺ ἐνποιῇ τοῦ λαοῦ μου τοῦ μὴ ἐξαποστεῖλαι αὐτούς*, hebr. סָלַל Hithpo. denom. adversari, obesse. — genitivus *τοῦ λαοῦ μου* ostendere videtur interpretes intellexisse 'sibi vindicare' *ἀντιποιεῖσθαί τινος*; quae vis cum huic verbo vulgo non subesset, Lag. substituit *ἀντιποιῇ*, sed mirum quantum firmatur scriptura *ἐνποιῇ* papyri cuiusdam loco: PL. 15, 56/7 *καὶ κεκυριευκέναι αὐτόν τε καὶ τοὺς συνεγκαλουμένους μέχρι τοῦ νῦν ἀναμφιλέκτως, οὐθενὸς ἁπλῶς ἐμποιησαμένου ἔτη ΛΕ* [120 a. Chr.].

17. *ἐνδοξάζειν*] med. Ex. 14, 4 *ἐνδοξασθήσομαι ἐν Φαραώ*. 17. 18. 33, 16 gloriam meam declarabo, comprobabo in Pharaone.

18. *ἐνευλογεῖν*] Gen. 12, 3 *ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς* D Lag. [AE: simpl.]. 18, 18. 22, 18. 26, 4. 28, 14.

19. *ἐνέχειν* instare, urgere] Gen. 49, 23 *καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων.* — Conferri quidem potest usus huius verbi Herodoteus *ἐνέχειν τινὶ χόλον* iratum esse alicui 6, 119. 8, 27. 1, 118, sed absolute ista significatione nusquam hoc verbum usurpatum videtur; usum sacrorum librorum spectat Hesych. *ἐνεῖχον, ἐχόλουν, ὠργίζοντο.*

20. *ἐνωτίζεσθαι*]¹) Gen. 4, 23 *ἐνωτίσασθέ μου τοὺς λόγους.* Ex. 15, 26 *καὶ ἐνωτίσῃ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ* BAF [Lag. *τὰς ἐντολάς*]. Hic etsi accusativus ratione verbi poscitur, tamen per Hebraismum primitus scriptum fuisse censeam dativum [hebr. וְהַאֲזַנְתָּ לְמִצְוֺתָיו] Lag. vero e sua consuetudine accusativum restituit. Recentissimum huius verbi usum testatur Legrand: *ἐνωτίζομαι* entendre; il me vient aux oreilles.

21. *ἐπιγαμβρεύεσθαι*] Gen. 34, 9 cum Lag. E legendum est *ἐπιγαμβρεύσασθε ἡμῖν,* non quod AD exhibent *ἐπιγαμβρεύσατε,* affinitate coniungi. — [conf. supra 7 *γαμβρεύεσθαι*].

ἐπιγαμβρεία ap. Arr. Peripl. mar. erythr. p. 152, 8. schol. Arist. p. 11, 33. 34. schol. Aristid. p. 106. schol. Hes. Op. 45. *ἐπιγάμβρευμα* schol. Eur. Or. 477.

22. *ἐπόζειν*] Ex. 7, 18 *καὶ ἐποζέσει ο ποταμός.* 21. 16, 20. 24.

23. *ἐρυθροδανοῦν*] rubia tingere Ex. 25, 5 *δέρματα .. ἠρυθροδανωμένα.* 26, 14. 35, 7. 23. 39, 21. — *ἐρυθρόδανον* 'rubia' primum in litteris extare videtur ap. Diosc. 3, 160.

24. *καθυφαίνειν*] intexere Ex. 28, 17 *καθυφανεῖς ἐν αὐτῷ* [sc. *ἐν τῷ λογείῳ*] *ὕφασμα.*

25. *καταδέχεσθαι* prompto ac libenti animo aliquid sustinere, facere.] — Ex. 35, 5 *πᾶς ὁ καταδεχόμενος τῇ καρδίᾳ οἴσουσιν τὰς ἀπαρχὰς κυρίῳ.* — hic verbi *καταδέχεσθαι* usus non videtur aliis testimoniis posse comprobari, cum alibi *ἀναδέχεσθαι* similiter usurpetur: sustinere, polliceri, spondere. — conf. supra 14 *ἐκδέχεσθαι,* 9 *διαβουλεύεσθαι,* al.

26. *καταδιώκειν*] notione trans. incitandi, impellendi. Gen. 33, 13 *ἐὰν οὖν καταδιώξω αὐτοὺς ἡμέραν μίαν*

¹) Conf. Sturzius, de dial. Maced. et Alex. p. 166: 'Sed Vorstius de Hebraismis N. T. I, 3 p. 10 sqq. satis docuisse videtur, verbum istud non a Graecis interpretibus demum fabricatum, sed iam antea in vulgari sermone usitatum fuisse.'

[ita simplex verbum apud poetas saepius invenitur, conf. Aesch. Pers. 84 *Σύριον ἅρμα διώκειν*, al.].

27. *καταλιθοβολεῖν*] Ex. 17, 4 *ἔτι μικρὸν καὶ καταλιθοβολήσουσίν με*. — conf. supra verb. simpl. X 12.

28. *κατανύσσεσθαι*] Gen. 34, 7 *ὡς δὲ ἤκουσαν κατενύχθησαν οἱ ἄνδρες* valde commoti sunt. 27, 38 DE. — *νύσσειν* pungere ap. Hom. Ar. recentiores prosae orationis scriptores. Nostris quoque temporibus hoc verbum in usu esse testis est Legrand: *κατανύσσω* remplir de componction; émouvoir; || être rempli de componction.

29. *κατασκοπεύειν*] explorare Gen. 42, 30 *ἔθετο ἡμᾶς ἐν φυλακῇ ὡς κατασκοπεύοντας τὴν γῆν*. — Ex. 2, 4 prospicere, speculari *καὶ κατεσκόπευεν ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ μακρόθεν μαθεῖν τί κτέ*. [i. q. *κατασκοπεῖν* ap. Eur. Hel. 1623. — Xen. — Arist. — Pol. — rec.]. Conf. Legrand: *κατασκοπεύω* épier, observer, explorer.

30. *κατεμβλέπειν*] Ex. 3, 6 BAF *εὐλαβεῖτο γὰρ κατεμβλέψαι ἐνώπιον τοῦ θεοῦ* [Lag. falso *καταβλέψαι*].

31. *κατοδυνᾶν*] dolore conficere: Ex. 1, 14 *κατωδύνων αὐτῶν τὴν ζωὴν ἐν τοῖς ἔργοις*.

32. *παραδοξάζειν*] Ex. 8, 22 *παραδοξάσω ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τὴν γῆν Γεσέμ* distinguere. — 9, 4 *παραδοξάσω ἐγὼ ἀνὰ μέσον τῶν κτηνῶν τῶν Αἰγυπτίων καὶ ἀνὰ μέσον τῶν κτηνῶν τῶν υἱῶν Ἰσραήλ*. 11, 7. discrimen facere inter; idem verbum his temporibus in usu est notione aliquantum mutata: *παραδοξάζω* présenter comme un objet merveilleux, illustrer.

33. *περισιαλοῦν*] Ex. 36, 13 *λίθους . . περισεσιαλωμένους* lapides auro inclusos.

34. *περιχαλκοῦν*] Ex. 27, 6 *αὐτοὺς χαλκῷ*. — [Athen. X p. 413 B *περίχαλκος*.]

35. *πολυπληθεῖν*] Ex. 5, 5 *νῦν πολυπληθεῖ ὁ λαός* magnus est numerus eorum, conf. Ex. 32, 13 *πολυπληθυνῶ τὸ σπέρμα* magnam reddam gentem eorum. — Ita scribendum est, repugnante Lobeckio [Parerga ad Phryn. p. 631], qui haec verba discindenda censet *πολὺ πληθεῖν, πολὺ πληθύνειν*, non solum propter textum hebraicum, qui únum hic verbum postulat, sed imprimis etiam propter nomen *πολυπλήθεια* usurpatum in fragmento Sophoclis apud Stob. Flor. 87, 3. Arist. de an. hist. VI 4,

562b, 29. Pol. 1, 48, 6 al. et *πολυπληθής* schol. Ar. Pax 520. schol. Pind. Ol. 6, 106 al. postremo denique conferas Neograecorum verbum *πολυπληθῶ* être très nombreux ‖ se multiplier.

36. *προσεμπιμπράναι*] Ex. 22, 6 *ἐὰν δὲ ἐξελθὸν πῦρ εὕρῃ ἀκάνθας καὶ προσεμπρήσῃ ἅλωνας ἢ στάχυς.* — conf. Ios. B. Iud. 3, 7 *τὰ φρούρια πάντα προσεμπίμπρησι.*

37. *προσοιγνύναι*] Gen. 19, 6 *τὴν δὲ θύραν προσέῳξεν ὀπίσω αὐτοῦ* — quid hoc verbum sibi velit, nescio, textus hebraicus exhibet: praeclusit, obseravit?

38. *προσοχθίζειν*] Gen. 27, 46 *προσώχθικα τῇ ζωῇ μου διὰ τὰς θυγατέρας τῶν υἱῶν Χέτ* offendere in; taedet me vitae. — conf. Eust. p. 143, 18 *ἐκ τοῦ Ὁμηρικοῦ ὀχθεῖν τὸ παρὰ τοῖς ὕστερον προσοχθίζειν παρῆκται καὶ τὸ ἐξ αὐτοῦ προσόχθισμα* [conf. *ὀχθίζειν* Opp. Hal. 5, 540].

39. *σαββατίζειν*] Ex. 16, 30. — conf. Frankel, Vorstudien z. d. Sept. p. 8.

40. *σπερματίζειν*] Ex. 9, 31 *λίνον σπερματίζον* linum in semen abiens, fructiferum. — nomen *σπερματισμός* occurrit iam ap. Theophr. hist. pl. 7, 4, 3. 7, 5, 3. — conf. deinde Legrand: *σπερματίζω* ensemencer, semer ‖ éjaculer.

41. *συγκρίνειν ἐνύπνιον* interpretari] Gen. 40, 8 *ἐνύπνιον ἴδομεν καὶ ὁ συγκρίνων οὐκ ἔστιν.* 22. 41, 12. 13. 15. 15. idem quod *κρίνεσθαι* ap. Homerum, vel *διάκρισις ὀνειράτων* ap. Paus. 1, 34, 5. — Unde haec verbi notio orta sit facile perspicitur e Phryn. epit. [Lob. 279. Rutherf. 344], ubi annotatur *συγκρίνειν* inde ab Aristotele notionem comparandi accepisse. Deinde *συγκρίνειν* idem valet quod aestimare, iudicare aliquid aliqua re Ep. ad. Anth. Pal. VII 137. — Pol. 12, 10, 1 et saepius; conf. etiam Pol. 14, 3, 7 *συνέκρινε καὶ διηρεύνα τὰ λεγόμενα.* huc proxime accedit illa, unde profecti sumus, notio.

42. *συμπορπᾶν*] Ex. 36, 13 *λίθους .. συμπεπορπημένους*, conf. Suid. s. v. *θώραξ· περόναι εἰσὶ πρὸς ταῖς πλευραῖς πεποιημέναι αἷς ἑκάτερον τῶν μερῶν συμπορπηθὲν ὅλον σιδηροῦν ποιεῖ φαίνεσθαι τὸν ἱππέα.* — fibula coniungere.

43. *τριετίζειν*] Gen. 15, 9 *δάμαλιν τριετίζουσαν* triennem. 9. 9.

44. *φερνίζειν*] Ex. 22, 16 *φερνῇ φερνιεῖ αὐτὴν ἑαυτῷ γυναῖκα* donis aliquam coemere; *φερνή* Ionum videtur esse, Atticorum vero *προίξ*.

Hoc capite nonnulla continentur verba, quae libenter LXX interpretibus aut si ex exemplo supra s. v. *ἐμποιεῖσθαι* [16] allato plus colligere licet Alexandrinorum sermoni populari vindicabimus. Nam multitudinis usum potius indicare videntur crebrae illae verborum compositorum confusiones: *παραλύειν* pro *ἀπολύειν*, *διαβουλεύεσθαι* pro *ἐπιβουλεύειν*, *ἐκδέχεσθαι* pro *ἀναδέχεσθαι*, *ἐμποιεῖσθαι* pro *ἀντιποιεῖσθαι*, *καταδέχεσθαι* pro *ἀναδέχεσθαι*; ac ne singularis illa quidem verbi *ἀδολεσχεῖν* notio, etsi e priore huius verbi vi intellegi potest, exoriri potuit nisi in plebeio et subrustico sermone. Nec mirus ille verbi *προσοιγνύναι* usus, si quidem — quod in dubio relinquam — notionem praecludendi exhibet, alio loco ponendus est.

Sed in hoc quoque capite pleraque verba latius pertinere videntur, quod in singulis comprobare studui latioris usus notis appositis: *ἁγιάζειν* — *ἁγιασμός*, ad *βαρυωπεῖν* conf. verbum recentiore aetate usitatissimum *δυσωπεῖν*. — *ἐπιγαμβρεύεσθαι* — *ἐπιγάμβρευμα*; *πολυπληθεῖν* — *πολυπλήθεια*; *προσοχθίζειν* — *ὀχθίζειν*; *σπερματίζειν* — *σπερματισμός*; verbum *συγκρίνειν* simili recentioris aetatis usu firmatur; in aliis verbis novissimi usus testimonia certe aliquid valent: in universum autem ipsa illorum verborum natura indicat ex eadem fabrica ea profecta esse, ex qua iam in prioribus capitibus litterarum verba recentiora repetenda esse docuimus.[1]) De variis formandi generibus iam supra disserui, hic tantum uniuscuiusque generis verba ex his duodecim capitibus collecta breviter enumerare sufficiat, ita ut inde, quomodo paulatim succreverint, cognosci possit.

I. Verba cum praepositionibus composita:

a. Frequentius existit praepositio *συν-* praefixa, hac notione: 'una cum aliis aliquid facere', ita inveniuntur:

[1]) Conf. supra c. V, A fin. et V, C fin.

VII *συγκαθίζειν* [1]), *συναναφέρειν*. X *συναναστρέφεσθαι*, *συναντιλαμβάνεσθαι*, *συνεγείρειν*.

b. Maioris momenti est praepositio *κατά* praefixa,

1. vim verbi simplicis augens [2]):

II *καταξιοῦν*. III *καταπίνειν*. V, B *καταδεῖσθαι*. V, C *καταφιλεῖν*. VII *καταχρίειν*. VIII *καταβόσκειν*. XI *κατακενοῦν*.

2. verbo simplici notionem quandam transitivam addens:

X *καταφυτεύειν* conserere. XI *καταστενάζειν* deplorare.

Huc addi possunt fortasse V, A *κατασπεύδειν* et XII *καταδιώκειν*, etsi eorum simplicia quoque aliquotiens notionem transitivam exhibent. At iam videas LXX interpretum aut vulgaris sermonis licentiam: *καταφυτεύειν* idem apud illos valet quod simplex *φυτεύειν*, sed id fortasse alia praepositionis *κατά* vi defenditur; at *κατασπεύδειν* quod Ex. 5, 10 bene transitive usurpatur, 9, 19 et 10, 16 absolute vel neutraliter positum est; item *καταστενάζειν*, item denique *καταπενθεῖν*, etsi hic ipsum verbum simplex obiectum sibi poscit.

3. notionem opprimendi, frangendi, perdendi addens. [3])

II *κατισχύειν*. V, A *καταβιάζεσθαι*, *καταστασιάζειν*. [4]) V, C *καταδυναστεύειν*. X *κατακυριεύειν*, *κατασοφίζεσθαι*. XII *κατανύσσεσθαι*, *κατοδυνᾶν*.

Hunc usum imprimis in cotidianae consuetudinis sermone multum valuisse fortasse licet colligere e comicorum poetarum usu, cuius eximia exempla extant in Indice II ad Dem. ed. Rhed.-Blass [4] p. 96: Eubul. com. ap. Athen. XIII 547 E *κατελήρησα τὴν ἐξωμίδα* 'verfaseln' et Antiphon. com. ap. Stob. Flor. 116, 26 *τὰ πατρῷα κατεμώρανεν* 'verdämeln', garriendo ac nugando vel stulte agendo perdere. — Conf. etiam Lottich, De

---

[1]) De miro huius verbi usu Ex. 18, 13 supra VII 21 s. h. v. admonui, sed conferendum est Romanorum 'considere', nisi forte per abusum illud verbum forensium contionum hic de iudice uno tamquam ipsius rei proprium usurpatum putas.

[2]) vid. Indicem II ad Dem.'s 9 phil. Reden, ed. Rehdantz-Blass [4] s. v. *κατά*.

[3]) conf. Krebs, Zur Rection der Casus in der späteren historischen Gräcität. Progr. v. Regensburg 1885 p. 21 sqq.

[4]) Hic quoque praepositionis vis apud LXX interpretes paene omnino evanuit, conf. c. V, A 9.

sermone vulgari Atticorum maxime ex Aristophanis fabulis cognoscendo [diss. Hal. 1881] p. 14.

II. Verba decomposita.[1])

III *ἐξανατέλλειν, παρεμβάλλειν.* IV *ἐπιδιαιρεῖν.* V, B *διαναπαύειν, διανοίγειν.* V, C *ἀποκαθιστάναι, προσαναβαίνειν,* VII *συναναφέρειν.* VIII *προεκφέρειν.* IX *ἐξαποστέλλειν, ἐπαποστέλλειν, ἐπισυνάγειν.* X *συναναστρέφεσθαι, συναντιλαμβάνεσθαι.* XI *διεμβάλλειν, προσαποθανεῖν.* XII *κατεμβλέπειν, προσεμπιμπράναι.*

Apparet e parte aliqua his verbis decompositis eandem vim subesse ac verbis compositis, ita *διανοίγειν* non multum differt a verbo *ἀνοίγειν*, conf. *ἐξανατέλλειν, ἐξαποστέλλειν, κατεμβλέπειν, διεμβάλλειν, παρεμβάλλειν, προεκφέρειν*, paene supervacanea igitur videtur esse prior praefixa particula, quam rem optimo comprobavit argumento Kaelkerus, docens[2]) Polybium e sola evitandi hiatus ratione modo *ἐφεδρεύειν*, modo *συνεφεδρεύειν* vel alia similia scripsisse.

III. Verba a nominibus derivata:

a. in *-οῦν* exeuntia:

II *εὐοδοῦν, θανατοῦν, καταξιοῦν.* III *περικυκλοῦν, ὑπνοῦν.* V, B *ἀπολυτροῦν.* V, C *ἀποσκηνοῦν, κατασκηνοῦν.* VI *ζυμοῦν, ὑψοῦν.* VII *ἀπολιθοῦν.* VIII *ἱκανοῦν, μαιοῦσθαι.* XI *ἀποδεκατοῦν, βεβηλοῦν, ἐπιδιπλοῦν, κατακενοῦν, περιαργυροῦν.* XII *ἀποκεμπτοῦν, ἀσφαλτοῦν, δευτεροῦν, ἐλαττονοῦν, ἐρυθροδανοῦν, περισιαλοῦν, περιχαλκοῦν.*

Hinc facile apparet, quam percrebruerint recentiore praesertim aetate haec verba derivata; sed eadem aetate haud pauca eorum rarius existere incipiunt evalescentibus verbis in *-ίζειν* exeuntibus, e parte aliqua ab iisdem nominibus derivatis.[3])

---

[1]) In universum huc conferas quod Krebs, 'Die Präpositionen bei Polybios' [Schanz, Beiträge z. histor. Synt. d. griech. Sprache. H. I] de polyprothetismo Polybiano optime disserit §§ 1 sqq. § 4. — Jerusalem, Die Inschrift von Sestos und Polybios p. 49 sq. — Viereck l. l. p. 74.

[2]) Quaestiones de elocutione Polybiana, Leipziger Studien III p. 219 sqq. vid. p. 251 sq.

[3]) Conf. *ὀρκοῦν — ὀρκίζειν, καπνοῦν — καπνίζειν.* — Quae confusio multo aucta est in lingua Neograeca, de qua videas Hatzidakis

b. in -ίζειν exeuntia:

I καπνίζειν. II ἁγνίζειν, πλουτίζειν, φλογίζειν. III ἀπογαλακτίζειν. V, A ὁρκίζειν. V, B ποτίζειν. VI αἱρετίζειν. VII ἐγγίζειν, λεπίζειν, φωτίζειν. VIII προσεγγίζειν. IX ὑπερασπίζειν. X διαπληκτίζεσθαι, ἐξεικονίζειν. XI ἐξαρτίζειν, καθαρίζειν, κερατίζειν, ὀρθρίζειν, πτερνίζειν. XII ἐνωτίζεσθαι, προσοχθίζειν, σπερματίζειν, τριετίζειν, φερνίζειν.

Cum his rursus aemulantur:

c. verba derivata in -εύειν exeuntia:

II λατρεύειν. III νηστεύειν. V, A πονηρεύεσθαι. V, C κυριεύειν, σκοπεύειν. VII ἐγκρατεύεσθαι. IX χωνεύειν. X ἐξολεθρεύειν, κατα-κυριεύειν, πειρατεύειν. XI ἐχθρεύειν, ἱερατεύειν, ὀλεθρεύειν, τροφεύειν. XII γαμβρεύεσθαι, ἐπιγαμβρεύεσθαι, κατασκοπεύειν.

Ex his verbis unum tantum, τροφεύειν, a nomine in -εύς exeunte derivatum est, reliquorum plurima item ac verba derivata in -οῦν et -ίζειν a nominibus in -ος derivata sunt.

IV. Verba parasyntheta:

I οἰνοχοεῖν. II ἀνα-ζωπυρεῖν, κακοποιεῖν, ὁδηγεῖν. III ἀρχιτεκτονεῖν, δυστοκεῖν, εὐαρεστεῖν. V, A κακολογεῖν. V, B διχοτομεῖν. V, C τεκνοποιεῖν. VII ζωογονεῖν, κυνηγεῖν. VIII λατομεῖν, λιθουργεῖν. IX ἀθετεῖν, εὐδοκεῖν, νευροκοπεῖν, σιτομετρεῖν. X λιθοβολεῖν. XI κλοποφορεῖν. XII βαρυωπεῖν, ἐν-ευλογεῖν; πολυπληθεῖν, hoc verbum etsi Scaligeri lege[1]) improbatur, tamen esse retinendum supra ostendi, quamobrem nec πολυπληθύνειν quidem reiciendum censeam, quod a LXX interpretibus usurpatur, quo genus Hiphil illius prioris verbi vertant. Iam Lobeckius in verbo χερνίπτεσθαι substitit antiqua religione servato; labes recen-

---

l. l. p. 391 sqq. — conf. etiam Winer l. l. § 16, 1 A. — In universum de his verbis derivatis conf. Kühner-Blass, Ausf. Gr. II[3] § 328.

[1]) De his verbis in universum conferas Lobeckii Parerga ad Phrynichum, cap. III: De verborum compositione. De Scaligeri lege ibid. p. 560 sqq. et Lob. ad Phryn. p. 266. — Kühner-Blass, Ausführl. Gr.[3] II § 342, 1[b], ubi non tam synthesi quam parathesi similia verba [δακρυχέων al.] vindicantur. conf. etiam § 338, 9.

tioris Graecitatis ipsa sua natura similia verba ab artis grammaticorum normis defendere debet.

Iam quae initio huius quaestionis proposui, absolvisse mihi videor. Ex omni mille et trium verborum, quae in Genesi et Exodo inveniantur, numero ea tractavi ducenta undenonaginta verba, quae ab optimorum prosae orationis Atticae scriptorum usu plus minus recedunt. Quae de natura horum verborum supra excussi haec sunt. Tria eorum genera distingui possunt: verba poetica, Ionica, recentiora. Atque poetica quidem verba quomodo in Iudaicam Alexandrinorum regionem intrare potuerint, unam video causam: extabant iam in multitudinis sermone vulgari. Nam interpretes Alexandrinos poetas Graecos penitus novisse, nemo opinor praeter unum Thierschium[1]) erit, qui e Pentateuchi versione Graeca colligat. Id vero ipse Thierschius concederet interpretes, licet optime noverint sermonem Atticum, in versione sua eo tantum sermone usos esse, quem multitudo intellegebat, i. e. sermone vulgari Iudaeorum Alexandrinorum, quamobrem vel ipsa Hebraica hic illic inseruerunt verba. Ostendi autem supra quasi flumen verborum poeticae orationis per recentiores litteras sese effudisse. Quod flumen, ut supra comprobare studui, oritur ex Atticorum sermone cotidiano. Nec mirum esse potest: Athenis *ἐν τῇ τῆς Ἑλλάδος παιδεύσει*, unde sermo vulgaris poeticas sibi voces assumpserit intellegi potest, neutiquam in vico Hebraeorum Alexandrino. Quae igitur verba scriptores mere Attici non ignari discriminis prosae et poeticae orationis recipere nolebant, nisi forte stilum poeticum attingebant, ea multitudo saepissime audiendo sibi paulatim vindicavit. Deinde, quod fieri necesse erat, sublato magis magisque illo discrimine cotidianoque sermone simul in litteras irruente,

---

[1]) Thiersch l. l. p. 97: 'Persuasum nobis est, eos [sc. interpretes] si id fuisset in consilio ipsorum positum, potuisse etiam in stylo Atticam puritatem aemulari, qui poetas et elocutionem sublimem sibi non fuisse ignotam, suo loco prodant ... noluerunt igitur, et ita scribere maluerunt, quomodo popularibus lingua Graeca vulgari utentibus quam maxime dilucidi essent et perspicui.' — At conf. Reuss-Herzog's Real-Enc.[2] V p. 745: 'den ganz unbelesenen Uebersetzern, die eben nur das Sprachmaterial des Marktes und der Börse zur Verfügung hatten'. nimis severe fortasse.

passim eadem verba rursus emergunt atque crebrescunt. Eadem verba poetica autem, quae illi recentiores scriptores Attici exhibent, in Alexandrina quoque versione inveniuntur.

Quae hic de poeticis verbis explicui, valent etiam de verbis Ionicis. Vidimus permultas Ionicae dialecti voces in sermone Atheniensium cotidiano inde ab initiis dialecti Atticae Ionicis[1]) permansisse, primum a litterarum sermone seclusas, mox hic illic admissas, evaluisse postea numero auctas, cum sermo Atticus Atticae fines transgressus Ionum regiones imprimis occuparet.

Ac ne recentiora quidem verba, quae inter illa ducenta undenonaginta verba maximum locum tenent, sermonis tantum non-Attici propria sunt. Immo ostendebam, quomodo eaedem formandi et transformandi rationes in Atticorum sermone cotidiano viguerint, quae postea in dialecto vulgari evaluerunt. Eadem verba, quae postea Atticistarum offensiones moverunt, iam apud Atticorum poetas comicos, apud Xenophontem deinde et Aristotelem existunt, praeterquam quod recentior dialectus vulgaris ex iisdem rationibus nova verba proferre pergebat.

Continuit igitur hac ex parte exeunte quarto a. Chr. n. saeculo Atticorum sermo cotidianus plurima eorum, quae postea dialectum vulgarem efficiebant. Is sermo cotidianus Atticae fines transgressus est, cum sermo litterarum iam antea in litteris Graecis evaluisset. Quomodo illud factum sit haud difficile est cognitu. Artioribus affinitatis simul et commercii vinculis Athenienses cum Ionibus coniuncti erant. Paulatim sermonis quoque discrimina deleta videntur esse, ut sermo Atticus permultas Ionum voces recepit, ita iam tertio a. Chr. n. saeculo Ionicae dialecti tituli evanescere videntur, in Ionum regionibus dialectus vulgaris in primis evaluit.[2]) Iones erant plurima ex

---

[1]) De quibus conf. etiam Strab. VIII 1, 2 p. 333: *τὴν μὲν Ἰάδα τῇ παλαιᾷ Ἀτθίδι τὴν αὐτήν φαμεν· καὶ γὰρ Ἴωνες ἐκαλοῦντο οἱ τότε Ἀττικοί, καὶ ἐκεῖθέν εἰσιν οἱ τὴν Ἀσίαν ἐποικήσαντες Ἴωνες καὶ χρησάμενοι τῇ νῦν λεγομένῃ γλώττῃ Ἰάδι.*

[2]) Vid. Bechtel, Die Inschriften des ion. Dialekts: nr. 43 [Keos] 'attischer Einfluss' (nach 420). — nr. 104 [Iasos, tit. anno 353 antiquior] p. 72: 'Der Dialekt ist schon stark zurückgedrängt'. — p. 9 [Eretria, tit. inter annos 340 et 278 exar.] 'die Sprache fast ganz hellenistisch'. nr. 147 [Ephesus, c. 300 a. Chr. n.] p. 92: 'Die Sprache ist hellenistisch bis auf —'.

parte etiam ii Graeci, qui Aegyptum inferiorem colebant[1]), sed iam priore quinti a. Chr. n. saeculi parte Athenienses viginti milia militum in Egyptum miserunt, ut Inari seditionem contra Artaxerxem adiuvarent. Inde ex illo tempore res Graecae in Aegypto Atheniensibus curae erant.[2]) Iam Alexandri Magni temporibus Graeci, qui in inferiore Aegypto habitabant, eodem utebantur sermone, quo postea illos usos esse ex Alexandrina Pentateuchi versione cognoscimus.[3]) In locum prioris dialecti Ionicae paulatim artissimo commercio, quod illis Graecis cum Atheniensibus erat, Atticorum sermo vulgaris succreverat, effeceratque iam tum quidem, quod in aliis regionibus multo demum post factum est quodque etsi e panegyrici ratione augens tamen rem aliis testimoniis satis firmatam proferens Aristides exhibet[4]):

δι' ὑμῶν [sc. *τῶν Ἀθηναίων*] *ὁμόφωνος μὲν πᾶσα γέγονεν ἡ οἰκουμένη . . ἴδοις δ' ἂν καὶ τοὺς ἡνιόχους καὶ τοὺς νομέας καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς θαλάττης ζῶντας καὶ πάντα ὅσα ἔθνη καὶ κατὰ πόλεις καὶ κατὰ χώρας τῆς παρ' ὑμῶν φωνῆς ἐχομένους.*

---

[1]) De hac re videas quae distincte perhibet Apostolides, Du Grec Alexandrin p. 8 sqq. 'L'Hellénisme en Egypte'.

[2]) vid. ibid. p. 13 'Mais ce qui a le plus aidé les Grecs d'Egypte à devenir en dernier lieu l'élément dominant dans le Delta, ce fut le grand intérêt que prirent les Athéniens, après les guerres médiques, pour le pays des Pharaons, et les très importants secours qu'ils lui expédièrent durant la guerre de l'indépendance contre la domination persane' et quae sequuntur.

[3]) p. 14: 'Il résulte de ces faits, qu'à l'arrivée d'Alexandre le Grand en Egypte il existait dans ce pays, établie depuis plus de trois siècles, une population grecque compacte, parlant grec' ... 'cet idiome constituait à l'arrivée des Macédoniens la langue, si non officielle, du moins universelle de la Basse-Egypte. Toux ceux qui l'habitaient, les Egyptiens aussi bien que les Ethiopiens, les Juifs et les Syriens parlaient entr'eux le grec et faisaient leurs transactions en grec.'

[4]) vid. XIII Dind. p. 294 sq.

Halis Saxonum, formis descripsit Ehrhardt Karras.